2.960

Pluralitas personarum absq; dubio demonstratur.

10 Contra secundam stant præallegata testimonia, nã Filius dicitur ante luciferum genitus, & ante omnes creaturas, vt patet in textu. ium.19.20.&21. Ergo ante mnẽ creaturam datur ge- ratio, & persona gene- s, & genita cum reali di- ctione: quia nihil produ- ere potest seipsum: vera ergo generatio, & productio, & non chimẽrica personarũ arguit distinctionem. Circa hanc conclusionem, vide dist. 25.quæst. 1. & dist.26. quæst.1.

11 Contra tertiam, etiam sunt præfata testimonia. Nam ante tales effectus iam est generatio, & processio in diuinis: Ergo iam sunt personæ distinctæ, quod patet ex locis relatis: nisi velint dicere Hæretici, quod generatio non est vera, sed chimẽrica, nec paternitas, & filiatio, de quibus fit mentio in relatis authoritatibus. Cum ergo dicat, quod Verbu Dem

scriptura rat apud sinu Patris quod sedet

adextris eius ille, qui est genitus ante luciferum, quod cum eo est componens omnia: manifestè deducitur personalis distinctio: quia attributum, potentia Dei, aut virtus, non dicuntur, sedere adextrix Dei, nec eis alia prædicta conueniunt: nec eiusdem de seipso verificari possunt. Denique, quia scriptura ponit in Deo, verum filium, & non metaphoricum: 1.Ioan. vlt. *Vt simus in vero Filio eius*, vbi autem ponitur vera filiatio, & paternitas, debet poni diuersum suppositum, seu persona, vt probat D. Thom. 4. contr.gent.cap.5.

12 Deinde probatur nostra conclusio conguentijs desumptis ex Angelico Præceptore. Nam sicut dicit Dionysius, Bonum est communicatiuum sui; sed Deus est summè bonus: Ergo summè se communicauit: Sed in creaturis non summè se communicat: quia non recipiũt totam bonitatem suam: Ergo opportet quod sit communicatio perfecta, vt scilicet totam suam bonitatem alij communicet: hoc aut

Dist. 27. 1.1. ar. 4

sunt diuersæ opiniones, & quam sequitur Magister, est probabilis: vt dicemus in cõmentarijs super librum Genesis ad caput 1. §. 2. verbo *Heloym*.

MOVENTVR, ET P
tractantur principa
qua
ues

QVÆ
tiones.

STIO VNIC AD OMNES P R A- graphos huius distinctionis. Vtrùm Deus sit vnus, cum pluralitate personarum: & an hoc si cognoscibile solo lumine fidei?

HÆc quæstio genuina est ad §. 1. ibi enim expressè proponit hanc conclusionẽ, quod Deus est trinus in personis, & vnus in essentia, & quod hoc solo lumine fidei est cognoscibile: Quam cõclusionem tam in illo primò §. quam in consequentibus probat varijs scripturarum testimonijs, quandoque vnitatem, quandoque pluralitatem, & sæpius vtrunque simul; Ergo hæc quæstio etiã est genuina ad omnes, & singulos paragraphos. Hæc enim sit regula vniuersalis. In paragrapho in quo statuit Magister conclusionem aliquam, aut probat eam, aut argumentatur contra eam, aut argumenta soluit: debet excitari, & moueri genuinè quæstio de ipsamet conclusione. Si tamen fortè, vel probando, vel arguendo, vel soluendo, occasione doctrinæ Magister aliud excitat dubium principale, tunc vtrumque potest moueri, & quæstio circa conclusionẽ, & etiã dubiũ illud aliud nouiter motum, & excitatũ. Quod quomodo intelligatur suis locis dicemus: & quando contingat exceptio ab hac regula generali.

PARS SECVNDA

DE DIVINO, ATQVE TREMENDO MISSÆ SACRIFICIO

TRACTATIO THEOLOGICA

Scholastica, Moralis, Expositiva, & Canonica,

VALDE VTILIS THEOLOGIS SCHOLASTICIS, Moralibus, Expositivis, & Professoribus Iuris Canonici.

PRODIT NVNC PRIMVM CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

AVTHORE R. PATRE

GABRIELE

DE HENAO

VALLISOLETANO SOCIETATIS IESV

MAGISTRO OLIM THEOLOGIÆ Scholasticæ in Regali Salmanticensi Collegio eiusdem Societatis, & nunc ibidem Interprete Bibliorum Sacrorum.

PALENCIA

SALMANTICAE,

CVM PRIVILEGIO REGIO,

In Typographia Sebastiani Perez,

Anno Domini 1659.

PARS SECVNDA

DE DIVINO, ATQVE TREMENDO MISSÆ SACRIFICIO

TRACTATIO THEOLOGICA

Scholastica, Moralis, Expositiva, & Canonica,

VALDE VTILIS THEOLOGIS SCHOLASTICIS, Moralibus, Expositivis, & Professoribus

PRODIT NVNC PRIMVM CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

AVTHORE R. PATRE

GABRIELE

DE HENAO

VALLISOLETANO SOCIETATIS IESV

MAGISTRO DEM THEOLOGIÆ

Scholasticæ in Regali Salmanticensi Collegio eiusdem Societatis, & nunc ibidem Interprete Bibliorum Sacrorum.

SALMANTICAE

CVM PRIVILEGIO REGIO,

In Typographia Sebastiani Perez,

Anno Domini 1659.

SANCTIS PVRGATORII ANIMABVS.



EFIXIMVS (ò Spiritus afflicti !) in veſtris ærumnis noſtræ miſerationis oculos, convertimꝰ mentis aciem ad acerrimas pœnas, quibꝰ tot inter flammarum æſtus cruciamini. Inſonuit auribus noſtris illud *Miſeremini mei* iterato clamore à ſingulis veſtrùm repetitum, quo Mortalium pietatem provocatis, vel fortè accuſatis ſiue ſęvitiem, ſiue oblivionem. Audivimus triſtes voces, & pręcordijs ab imis tractas ſpectavimus lachrymas. Vehemens is ignis, qui vos vndique cingit, intimèque pervadit, noſtri pectoris duritiem, geluque diſſolvit. Vellemus quidem, aliquam vobis aquæ guttulam erogare, excitareq; militantis Eccleſiæ fideles omnes, vt miſerati tormenta veſtra cogitarent de ope ferenda, refrigerioque parando. Sed proh dolor ! Vſque adeò Mortalium plurium animos cęca caligo hebetavit, vt parentes, filios, coniuges, fratres, conſanguineos, affines, amicos ſiue iam diu, ſiue dudum tanto in rogo gemere ſuſtineant; qui in ſuum digitum ſævire leviſſimam ſcintillam, nec vno temporis momento patiantur. Heu vos alto flammarum pelago immerſæ, decumanisque fluctibus ignium agitatæ Animæ, ſi per huius mundi ſcenam vel ſemel obijceretis, & circumferretis tragicum veſtræ calamitatis incendium, ſi dolorum veſtrorum acumen, cumulumque oſtenderetis vel ad ictum oculi ! Non vltrà, veluti cinis, conſepeliret hominum oblivio vindicem Ætnam Purgatorij. Quia tamen fide Catholica ſatis creditas habemus pœnas veſtras acerbiſſimas, opus minimè eſt ipſarum manifeſtatione ad oculum, neque experientia ad ſenſum. Docet nos Fides, quàm extremè indigeatis vivorum ſuffragijs, tum ob ſupplicíorum atrocitatem, tum ob ſtatum merè ſatiſpatiendi, quin poſſitis ex vobis ſatisfacere pro peccatis patratis. Atque hinc opinantur ſapientes, pijque Theologi apud Pellizarium in Manuali Regular. Tract. 5. C. 16. num. 67. teneri quemque fidelem vivum opitulari vobis pro ſua facultate, quoties queat abſq; notabili incommodo; quanquam fateantur, obligationem iſtam ex charitate valdè decreſcere ratione ſuffragiorum, tum communium Eccleſiæ, tum ſpecialium impenſorum ab alijs fidelibus, ratione etiam ſatiſpaſſionis veſtræ, qua tandē pœnæ finiri poſſunt. Illud certum eſt, aliqua dolorum lenimenta ex Mortalibus avidè à vobis expeti; & ad pietatem, miſericordiamque Chriſtianam pertinere, auxilio vobis eſſe. Atque hinc ſcitè ſcripſit Petrus Damiani in Opuſculo 14. *Fœlices charitatis diuitiæ, quæ iſthic vobis ex aliena bonæ voluntatis vbertate ſuccurrunt, vbi proprij operis ſupplementa deficiunt: & cum iam diſtrictè à vobis non habentibus, quidquid debetis, exigitur, ex fraternæ charitatis abundantia debiti veſtri libra completur.* Imò & Vates Gentilis dixit,

Ovidius 2. Faſt.

Eſt honor & tumulis Animas placare paternas,
Paruaque in extructas munera ferre pyras.

Horum nos gnari, libenti animo ſacravimus qualecūque iſtud munus, & iuvamen.

Nullum ſanè nobilius obſequium, vtiliuſque vobis, quàm ſi, auguſtiſſimi Sacrificij dum diſcutimus arcana, in auctiorem erga vos beneficentiam animos fidelium alliciamus, & incendamus. Maximum hoc vobis Deus piaculum deſtinavit. *Non temerè hæc ab Apoſtolis ſancita fuerunt* (inquit S. Chryſoſtomus Homilia 69. ad populum Antiochenum) *vt in tremendis Myſterijs, defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim, illis inde multum contingere lucrum, multam vtilitatem.* S. etiam Auguſtinus relatus Can. *Animæ* 13. q. 2. ait primo loco, *Animas defunctorum ſolui oblationibus Sacerdotum.* Angelus item apud Bedam L. 5. Hiſtoriæ Anglorum C. 13. *Multos precibus viuentiū, & eleemoſynis, & ieiunijs, & maximè celebratione Miſſarum, vt ante diem iudicij liberentur, iuvari.* Et vt taceam alios PP. adductos in Diſp. 17. n. 72.

& 81. ſanctamque Birgittam Lib. 6. Revelationum Cap. 39. & Petrum Damiani in Opuſculo 33. Capite 5. Concilium Tridentinum Seſsione 25. in Decreto de Purgatorio tradit, *Animas ibi detentas iuvari potiſsimùm acceptabili altaris Sacrificio.* Vnde Sacerdotibus in ſui inauguratione dicitur, *Accipite poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Quippe in horum bonum ingentiſsimum ea poteſtas ſacrificativa præcipuè dirigatur. Et vi quidem magna iracundiā Numinis placat victima Sacrificij Euchariſtici: maiori certè, quàm munus à Cain oblatum Deo de fructibus terræ (Geneſ. 4. Verſ. 3.) quod tamen adeò valuit apud Deum, *Vt ſupplicium, quod cæde Abelis commerueret Cain, ei remiſerit Deus, Sacrificio placatus, ne grauiùs in ſupplicem ſæuiret*, vt notat Ioſephus Lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum C. 2. Multò potentius erit ad Dei irā ſedandam, & ad Purgatorij extinguendas flammas Sacrificium Miſſæ, vbi Homo Deus eſt Mediator, & Sacerdos, vbi eius corpus, & ſanguis eſt munus, victimaq; oblata; ſanguis, inquam, qui inſtar roris, aquæque Cœleſtis opprimet excoctrices noxarum prunas, & qui tot inter incendia, & ſupplicia erit voluptas, ſolamenque mali.

Pridem teſtimonia ſacra veritatem iſtam non ignobili vaticinio proluſere. De Ægypto legitur apud Iſaiam C. 19. ex V. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini iuxta terminum eius. Erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſaluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.* En vbi altare, ibi præſtò adeſt ſervator, qui incarceratos, & mœrore oppreſſos aſſerat in libertatem, & lætitiā; præſertimque cum altare erectum dicatur in Ægypto. *In ea enim Paſcha fuit typus Chriſti Paſſionis, & agnus primus eſt occiſus. In ea redemptio Gentium prius fuit deſcripta ex manu tyranni mundi. Ægyptus prima vidit agni ſanguinem ad veſperam in domibus ſignatum ad ſalutem, & oſtendit agni Chriſti ſanguinem fuſum ad veſperam temporum, donec domum Eccleſiæ colorauit*, vt expendit Sanctus Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. Anagogicarum contemplationum in Hexameron. Prætereà Apocalypſis Capite 6. Sanctus Ioannes *vidit Animas interfectorum ſub altari*, vt credideris, ibi ſuam requiem Animas fœliciſorte augurari, vbi corporis, & ſanguinis Chriſti oblatio divinum conciliat favorem. *Ac ſicut vitis floreſcit extra in agro, & odorem eius ſentit in vaſe vinum recluſum, ſicque confloreſcit etiàm ipſum: ita intelligimus, peccatorum Animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipſis facta, ſicut ſolus ordinat, & præcipit, qui viuorum, & mortuorum poteſtatem gerit Deus noſter.* Quæ ſunt verba S. Athanaſij apud Ioannem Garetium in Aſſertione ex SS. PP. quòd mortui vivorum precibus adiuventur, pag. 71. Olim etiam fortunata illa mulier (Ioſue Cap. 2.) malorum, & incendij præſaga, appendit funiculum coccineum in feneſtra, ipſiuſque adſpectu irruentium inimicorum audaciam, & voracis flammæ diſcrimina fugavit. Vnde cecinit Amænus, vel Prudentius in Enchiridio veteris, & novi Teſtamenti,

Procubuit Iericho, ſola ſtant atria Rahab,
Hoſpita Sanctorum meretrix (Tanta eſt fidei vis!)
Incolumis ſecura domo ſpectabile coccum
Ignibus aduerſis in ſignum ſanguinis offert.

Vitta illa purpurea ſanguinem Euchariſtici Sacrificij præſignabat. Non mirum igitur, vt vel ſola tutelaris vmbra furorem ignis, & hominum ſedaret. Divina, & humana hæret ad ipſius aras emollita potentia. Vix Getę, & Geloni, gens immaniſsima, ſanguinem Chriſti prælibatunt, & hauſtam ab incunabulis ferociam depoſuere, vt enim modulatur Prudentius in Apotheoſi, carmine adverſus Iudæos,

Manſuevere Getæ, feritaſque cruenta Geloni
Lacte mero ſitiens exanguia pocula miſcet,
Libatura ſacros Chriſti de ſanguine potus.

Pacatum certè reddet Deum ſanguis Xpi effuſus myſticè, bibituſq; ſacramētaliter à Sacerdotib⁹ in ſupremo hoc Sacrificio: imò & Dei iracundiā ſecreta quadā energia quaſi extorquebit in indulgentiā; effringet Purg. clauſtra, cōpeſcet ei⁹ ardorē.

Iſaias

Iſaias C. 30. Veſ. 32. aiebat, expugnandos Aſsyrios, & Sennacherib *in bellis præcipuis*, ſeu *in Sacrificijs*, vt vertit Forerius. Dixerim & ego, Sacrificijs Miſſarum, validioribus multò, quàm quæuis machinæ bellicæ, oppugnandum Purgatorium.

Gerit ſe iſthic Deus *quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, ſedetque ibi conflans, & emundans argentum, & purgans filios Leui, & colans eos quaſi aurum, & quaſi argentum.* Sed erunt, qui *Domino offerant Sacrificia in iuſtitia. Et placebit Domino Sacrificium Iuda, & Ieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Liceat, ſic reddidiſſe Malachiæ verba Cap. 3. V. 2. & ſeqq. in quibus ſermo eſt de *Mincha*, id eſt, Sacrificio farreo, nempe de Euchariſtico ſub panis, & vini ſpeciebus; quod oblatum Deo pro vobis tam exquiſitè depuratis in Purgatorio placebit illi, ſeu *dulceſcet*, gratumque erit, & ſapidum, vt vertunt Pagninus, & Vatablus, ſeu *ſuſcipietur voluntariè*, vt vertit Chaldæus, non ſecus ac accepta habita ſunt Sacrificia antiqua Abelis, Abrahæ, & Melchiſedech. Tanto autem Sacrificio, ſuperanteque longè in dignitate Sacrificia vetera, placatus Deus puras iam vos Cœleſti remittet paradiſo, remittens pœnas, quas iuſtitiæ rigor expoſcebat.

Excoquit vos temporarius ignis, emaculatque vſque ad ſplendorem auri, eximit quaſque in hac mortali vita concretas labeculas,

Virg. 6. Æneid.

Nam & ſupremo cùm lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſque neceſſe eſt,
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.

Comburit ligna, fœnum, & ſtipulam, de quibus Paulus 1. ad Cor. 3. Veſ. 12. vt Cœli Empyrei Regia in venuſtiſsimum evadat decorem, ſolis auro, argento, lapidibuſque pretioſis aſſurgens. Et quia *in eam non intrabit aliquod coinquinatum*, vt Apocalypſis 21. V. 27. alleritur, ideò igne Deus adeò vos expiat, & luſtrat. Quòd ſi Moyſes pertingens iam radicem montis Horeb, vbi Deus inſidens rubo ardenti, & incombuſto ſuam exhibebat præſentiam, audijt, *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Exodi 3. V. 5. quippè *Moyſes, quamuis eſſet magnus, tamen* (vt monet Origenes Homilia 8. in Geneſim) *de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa*: quidni exeuntes vos de iſtius mundi Ægypto, quamuis in ſtatu gratiæ, ſed cum nonnullis maculis, remoretur Deus, iubeatque elui luſtrali igne priùs, quàm accedatis ad ſanctiſsimum locum Empyrei Cœli, vbi ſe Deus facie ad faciem videndum præbet? Pulſabat Sponſus intempeſta nocte ad oſtium dilectę; quæ aperire recuſans aiebat Canticorum 5. Veſ. 3. *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Si quem inceſſat dubitatio, cur Sponſa timeat fœdationem pedum, cum, qui vocet, ſit Deus, & cum viam initura ſit, vt ſuis tectis Deum excipiat? Reſpondet Sanctus Auguſtinus Tractatu 57. in Ioannem, *Timet certè, quia per terram ventum erat.* Quandiù terram calcant iuſti, fieri moraliter non poteſt, niſi ex ſpecialiſsimo privilegio, vt labeculas aliquas non contrahant: *Septies in die cadit iuſtus*, Proverb. 24. Veſ. 16. Ex pulvere, ſeu ſcintilla iſta hic ignis, & incendium Purgatorij, niſi ante diſceſſum è corpore oblitteratus fuerit reatus tam culpæ, quàm pœnæ.

Sed parcite iam, ò anxiati Spiritus, prolixioribus planctibus, & lachrymis; erigite vos in bonam ſpem dimiſſionis citiùs obtinendæ beneficio Sacrificij Euchariſtici, cuius oblatione redimetur pax inter Deum, & vos, *Complacuit* enim Deo Patri, per Chriſtum *reconciliare omnia in ipſum, pacificando per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in Cœlis ſunt.* Nec abſque myſterio Melchiſedech, qui iuxta Concilium Tridentinum Seſsione 22. Capite 1. in oblatione panis, & vini præfiguravit incruentum Miſſæ Sacrificium, dicitur fuiſſe Rex Salem, Gen. 14. v. 18. id eſt, Rex pacis, huius enim inter Deum, & homines monumentū aliquod extare oportebat, vbi Sacrificium Chriſtianum quaſi in vmbra incipiebat prænoſci. Huc faciunt quę ſcribit Guitmundus Epiſcopus Averſanus L. 2. de Verit. Euch.

Christus inter Deum, & homines mediator, dum nobis semper velut arcus in nubibus, ex diuina consistens, & humana substantia, fulget in prædicatoribus; cumque Pater pro nobis interpellantem semper adspicit, inter Deum, & homines signum est fœderis sempiterni, iuxta quod scriptum est, Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fœderis mei inter me, & inter terram. Huius quoque diuini fœderis, huius tam saluberrimæ pacis sacrosanctæ altaris oblatio à nobis creditur signum. Sic Guitmundus. Quapropter per altaris oblationem constituta amica pace, quid restat, nisi vt vos collocet in optatis aulæ suæ Cœlestis sedibus, & vt gloriam, faciemque suam vobis deregat? Exodi 16. *Dixerunt Moyses, & Aaron ad omnes filios Israel, Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini*, nimirùm quia vespere daturus erat Deus coturnices, & manè manna: per coturnices autem vespertini temporis significabantur (interprete Ruperto Lib. 2. in Exodum C. 14.) Sacrificia vetera animalium; & per matutini temporis manna significabatur novæ legis Sacrificium, *quo Cœlum patet, & paradisus apertus est.* Panditur itaque vobis huius immolatione Sacrificij domus Omnipotentis Dei, & quæ nunc delitescunt paradisi secreta, aperientur, omni prorsus caligine, & velo levato.

Qua propter cum Sacrificium hoc vestrà plurimùm interfit, id me movit, vt vobis dicarem Tractationem istam elucubratam, quanta potui cura, & labore, *sicut enim huius Sacrificij oblatio potior est cæteris, ita potiùs excoli debet*, vt inquit Alexãder Papa relatus C. *Nihil* 8. de Cons. Dist. 2. Persuasumque mihi est, optari à vobis vehementer, vt Sacerdotes non modò sanctè, id est, in statu gratiæ, sed ritè etiam, id est, exactè ad præscriptam ab Ecclesia normam, & cæremonias operentur sacram Liturgiam, vtpote quæ vobis sit summè salutaris. Fallar, nisi & vos dicatis cum Iulio Papa transcripto à Gratiano in C. *Cum omne* 7. de Consec. Dist. 2. *Cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo Sacrificijs deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa Sacrificij oblatione erratur?* Est vobis in votis primis tum pro Dei cultu, tum pro vestra vtilitate, vt Sacrificium Missæ exerceatur accuratè, & perfectè, quò enim minus in eo erratur, eò magis colitur Deus, eòque maius vobis emolumentum, & quæstus provenit.

Flexit me etiam ad hunc erga vos cultum, & ad nuncupandam vobis scriptionem istam exemplum Catholici, religiosissimique Regis nostri Philippi IV. qui non maiori potentia, quàm pietate, atque proinde in vtraque maximus, propensus adeò est in vestra obsequia, tamque avidus procurandi laxamenta pœnarum, quibus discruciamini, vt deliberatum apud se habeat implorare à Supremo Ecclesiæ Hierarcha indultum, quo singulis Sacerdotibus Hispaniarum, cæterorumque Regnorum sibi subiectorum fas sit pro defunctis celebrare tria Sacra die 2. Nouembris; scioque, actum esse, iussu Regiæ Maiestatis, de rationibus petendi indulti illius, in cœtu hominum doctissimorum, & post maturam, prudentemque discussionem, atque collationem fuisse visas dignissimas, quæ nomine Regis Catholici deferrentur ad Pontificem Summum, fuisseque commissam provinciam tradendi eas stylo, & exornandi viro cuidam excultissimo in omni disciplinarum genere, cuius scriptum eas continens Typis datum expectamus in dies. Interim ego notaverim, rem novam non esse, vt constabit ex Disputatione XXII. necnon ex concessione à Sancta Sede Apostolica pro Regno Poloniæ ad preces Regis Vladislai, vt annuè in Commemoratione omnium fidelium defunctorum tria Sacrificia possint peragi ab vnoquoque Sacerdote. Ita refert Elias à S. Theresia Lib. 3. de Legatione Ecclesiæ triumphantis ad militantem pro liberandis Animabus Purgatorij, C. 50. num. 3. pag. 1480. Atque adeò speramus, voti compotem futurum Regem nostrum pijssimum; cui fortissimi, & potentissimi cognomen rectum non abs re adscribendum hinc putamus, cum & Iudas Machabæus appelletur *fortissimus* Lib. 2. Machab. C. 12. V. 42. quando *duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium*, v. 43. Nec dubitamus, quin vos, ô pij Manes, cumulatissima gratia persolvetis Principis nostri beneficentissimum erga vos propositum. Satis est testatum sæculorum omnium monumentis, quàm largiter rependeritis merita, & beneficia vobis à Mortalibus exhibita. De vestra erga Reges gratitudine delibabo vnum, aut alterum testimonium. Ex Sardiniæ Chronico celebris est quadraginta millium exercitus, qui in auxilium venit

nit Eusebio Regi adversus Ostorgium Regem Siciliæ, *Erat enim Eusebio summum studium circa defunctos in celebratione Missarum, in largitionibus eleemosynarum, in decimis omnium rerum suarum soluendis. Præterea vnam Ciuitatum suarum, quam abundantiorem habebat, Deo, & liberandis fidelium Animabus constituit, neque inde aliquid ad suum vsum accipiebat, imò verò decimas totius Regni, atq; possessionem eo conduci faciebat. Ibi pauperum maximam turbam congregatam iugiter reficiebat, atque vestiebat; Missarum verò celebritas passim per Ecclesias fiebat.* Hanc Vrbem cum Ostorgius occupasset insidijs, haberetque sexaginta millia militum ad eius defensionē, coactus est restituere, visis quadraginta millibus dealbatorum militum, qui in niveis equis auxiliares advenerant Eusebio vna tantùm cum legione tendenti ad Ciuitatis recuperationem. Illi autem dealbati erant Animę, quæ suffragijs Eusebij è Purgatorio ad Cœlum evolarant. Similis est historia alterius Regis narrata à Thoma Cantipratano Libro 2. de Apibus C. 53. Vnde magna mè tenet spes, militaturas pro Rege nostro liberatas è Purgatorio Animas, daturasque bellorum exitus fœlices, & tranquillissimę, firmissimæque pacis aditum facturas.

Mihi etiam à vobis alicuius gratiæ, & remunerationis ob antiquam meam erga vos devotionem, & ob novum hoc officium nonnulla affulget spes. Quæsivi alijs meis Opusculis mortales patronos, vt de more est. Sed fere semper contingit, non tam eligi, qui patronorum partes impleant, quàm qui laudati, & ad Lunę cornua vsque Oratorijs phrasibus evecti nec de libris, nec de Authoribus curent; cum tamen hos non rarò soleat manere timor, ne ob nimias assentationes puniantur in Purgatorio. Sed in hanc rationem pro suo quisque Author sensu, ac dolore loquatur. Ego à vobis certiora beneficia expecto, postquàm enim Ovtiham non longa, sed brevis dies

Virg. L. 6. Æneid. *Concretam exemit labem, purumque reliquit*
Ætherium sensum, atque aurai simplicis ignem,

postquàm, inquam, expiatæ perveneritis ad Empyreum domicilium, spero è vestra gratitudine, fusis pro me precibus promerituras Deum; imò verò, & nunc, cum

Virg. ibidem. *Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni,*

pro me iam orare, crediderim iuxta probatiorem mihi cum S. Birgitta Lib. 4. Reuel. C. 7. Richardo, Bicle, Medina, Soto, Bellarmino, Suario, Valentia, Lessio, Castro Palao, Theologisque alijs tamantiquis, quàm recentibus opinionem de vestris in Purgatorio ad Deum precibus, & impetratione pro benemeritis de vobis. Quòd si mei obsequij tenuitas nullius sit apud vos æstimationis, erunt saltem maximæ ob sui ex opere operato præstantissimum valorem complura Sacrificia piacularia, & parentalia, quę vobis polliceor vnà cum istius Operis nuncupatione.

Ad hæc: pietas erga vos inde rursus lucro nobis erit, quòd benè merendo de vobis faciemus alios memores nostri, si, cum è vita excesserimus, eodem, quo vos, detineamur carcere. Deus namque à vobis munus munere compensantibus exoratus excitabit fideles Viventes, vt nostræ animę opem ferant. Sed anne etiam audaciusculè præsumemus, piam de vobis è medio igne eripiendis solicitudinem servaturam nos innoxios, ne idem ignis nos contingat, & lędat. Decantatissima est apud profanos indemnitas Æneæ inter Troiæ incendia, cum patrem humeris sustulit. Vnde ipse Æneas

Virg. 6. Æneid. *Illum ego per flammas, & mille sequentia tela*
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi.

Et de ipsomet Ænea Elegiacus Poeta;

Ovidius in de Ponto. *Cum foret Æneæ ceruix subiecta parenti,*
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.

Ea autem inter ignium turbines indemnitas pietati erga parentem tribuitur ab eodem Vate, dum canit,

Idem Poeta L. 4. Fast. *An magis hunc morem pietas Æneia fecit,*
Innocuum victo cum dedit ignis iter?

Colludunt Propertius, & Statius, ille;

Propert. L. 4. Eleg. 1. *Cum pater in nati tremulus ceruice pependit,*
Et verita est humeros vrere flamma pios.

Hic,

Hic, Statius 3. Sylv. *Fœlix, cui magna patrem ceruice vehenti*
Sacra Myceneæ patuit reuerentia flammæ.

Nec omittenda sunt Senecæ verba Lib. 3. de Beneficijs Cap. 37. *Vicit Æneas patrem :: Tulit illum per ignes. Quid non pietas potest?* Et subiungit Seneca, *Vicere Siculi iuuenes, cum Ætna, maiori vi peragitata, in vrbes, in agros, in magnam Insulæ partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. Dissedisse creditum est ignes, & vtrinque flamma recedente, limitem adapertum, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi, qui magna rutò auderent.* Sic Seneca de fratrib⁹ Catanensibus, qui suos parentes ex incendio Ætnæ liberarunt, *Quorum pietati cessit clementior natura, & voraces flammæ viam pijs fratribus daturæ diuisæ sunt, & locus eorum passibus peragratus effloruit*, vt ait Paulanias in Phoc. Eos Claudianus hoc epigrammate nobilitavit,

Adspice sudantes venerando pondere fratres,
Diuino meritos semper honore coli.
Iusta quibus rapidæ cessit reuerentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces, &c.

Hæc siue conficta ab antiquis, siue confecta Dæmonis arte pulchrè à simili essẽdunt, nonnullam posse nobis fiduciam inesse, quòd illæsi irrumpemus per Purgatorij ignem ob piam nostram curam indidem vos liberandi. Iuvencus Presbyter Salmanticensis adeò detulit suis carminibus de Christi gestis, vt hyperbolicè scripserit,

Nec metus, vt mundi rapiant incendia secum
Hoc opus: hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc cum flammiuoma descendet nube coruscans
Index altithroni Genitoris gloria Christus.

Liceat nobis saltem dicere, Tractationem istam de diuinissimo Missæ Sacrificio sub vestro publicatam nomine, iuvandisque vobis dicatam allaturam nobis eum fructum, vt etsi *salui* fiamus, *quasi per ignem* iuxta phrasim Paulinam 1. ad Cor. 3. V. 15. sed per ignem leuissimum. Et quidem *pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, cogitatio est sancta, & salubris*, non solùm ipsis defunctis, sed etiam eis, qui benè precantur illis. Atque ita intelligimus verba Machab. 2. C. 12. V. 46.

Tandem vt vestrùm colam memoriam, & quo possim munere vos demereri, impulit me valde exhortatio illa, quam ad vniversam nostram Societatem litteris encyclicis mandavit secundus ordine Præpositus Generalis R. P. Iacobus Laynez vir sanctitate, litteris, & prudentia notissimus. * Summè is commendavit (referente Sacchino parte, & Lib. 2. Historiæ Societatis num. 89.) vt quotidiè, quàmque frequentissimè Animarum, quæ in Purgatorio igne cruciantur, studiosè meminissent Socij. Nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laborum, occupationibusque tam multis, siue litterarijs, siue spiritualibus implicatur, eo dumtaxat, secundùm Dei gloriam, consilio, vt homines ad æternam fœlicitatem consequendam iuvet, quem ad finem creati, pretioque tam grandi redempti sunt; consentaneum profectò esse, vt eundem persequens charitatis spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opituletur; ne iusta sit illis causa Societatis charitatem quasi imperfectam, & mancam accusandi. Et meritò liceat conqueri, se medio in itinere, eoque loco destitutos, vbi nullam omnino sibi ipsis opẽ queant afferre. * Sic Laynius iniungebat Societati nostræ; in qua viguit, vigetque ardentissimum subveniendi vobis studium Sacrificijs Missarum, recitationibus Rosariorum, orationibus, ieiunijs, cæterisque pijs operibus satisfactorijs. Funduntur singulis noctibus, dato Campanæ signo, piaculares preces pro vobis; obtenta est à Maximo Ecclesiæ Præsule facultas applicandi vobis Indulgentiã Communionis menstruæ generalis, & complures alias; tamque in concionibus publicis, & in libris excusis, quàm in colloquijs privatis admoventur incitamenta fidelibus ad vestrùm vicem condolendum, vobisque opitulandum. Maiorum itaque documento, piaque æqualium æmulatione has vobis Inferias offero, optans

imper-

impensissimè, vt fidelium Animæ, quæ in Purgatorio

Virg. ---------- *exercentur pœnis, veterumque malorum*

Æneid. 6. *Supplicia expendunt,* ----------

per misericordiam Dei requiescant in pace. Ita millies supplicat Deo, apprecaturque vobis, ò Animæ sanctæ,

Vestrùm Minimus Capellanus

GABRIEL DE HENAO.

FACVLTAS R. P. MARTINI DE LEZAVN Provincialis Societatis Iesu in Provincia Castellana.

MARTINVS de Lezaun Provincialis Societatis Iesu in Castellana Provincia, potestate ad id mihi facta à R. admodùm P. N. Govvino Nickel Præposito Generali facultatem facio, vt Opus *De Sacrificio Missæ* à P. Gabriele de Henao nostræ Societatis, sacræ Theologiæ Professore compositum, & eiusdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatum, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Madriti 20. Iulij, anno 1657.

Martinus de Lezaun.

CENSVRA R. P. SAPIENTISSIMIQVE Magistri Fr. Iosephi Romero ex religiosissimo Ordine Sanctissimæ Trinitatis, in Salmanticensi Academia meritissimi Moderatoris publici Cathedræ Scripturæ sacræ.

EX commissione D. Doct. Don Gabrielis Vazquez Saavedra, & Rojas Provisoris, Vicarijque Generalis Salmanticensis, sede vacante, recognovi præclarum, & eximium Opus *De Sacrificio Missæ*, valdè accuratè elaboratum à R. P. Gabriele de Henao Societatis Iesu, quondam Professore Theologiæ, nuncque Scripturæ sacræ Expositore, vbi nihil indecisum relinquitur, & omni commendatione sublimius iudicavi. Quid? si Ingenia parva iuxta S. Hieronymum in Epist. ad Nepotianum materias grandes non substinent. Tanto Operi Numen tantum destinavit ingenium. Nec nostro indigus vaticinio super Astra maiori laude discurrit. Non hoc primum sapientiæ iubar, iam olim cunctorum plausu adultæ lucis splendidissima crepuscula riserunt: hęc sunt Cœlestes illi Libri, quos de Empyreo posteritati sacravit, ingens quippè Cœlum non minorem poscebat Athlantem. Cum igitur (si Boethij de Discip. Scholarium credamus eloquio) *Miserrimi sit ingenij, inuentis, & non inueniendis vti*, novum ibi, & invsitatum splendorem in singulis quæstionibus spargit: nihilque abditum intra Cœlestia arcana deliteſcit, quod non discutiat, quod non mira claritate expandat. Id ipsum in celebri tomo de Scientia Media, & V. Eucharistiæ Sacramento; id ipsum in præsenti de Sacrificio Missæ, nulla re Catholicæ Fidei contrario, sed summa eruditione referto, sententiarum pondere gravi, sapientibus denique, & æternitate digno. Faustis ergo auspicijs,

Ingenijs pateat campus: certusque merenti
Stet fauor.

Quare non solùm luci debitum censeo, sed eruditam, & vtilem tanti Libri lectionem commendo. Salmanticæ, die 20. Maij, anno 1657.

MAG. F. IOSEPHVS ROMERO.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor Don Gabriel Vazquez Saavedra, y Rojas, Colegial que fue del Mayor de Cuenca de Salamanca, Cathedratico de Prima de Theologia en ſu Vniverſidad, Canonigo Lectoral en ſu ſanta Igleſia, Proviſor, y Vicario General en ſu Obiſpado por ſede vacante, &c. Por el tenor de la preſente, por lo que à nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir el Libro intitulado *De Sacrificio Miſſæ*, compueſto por el R. P. Gabriel de Henao de la Compañia de Ieſus, Maeſtro de Eſcritura Sagrada en el Colegio Real de la Compañia de Salamanca, atento que de la cenſura del R. P. M. F. Ioſeph Romero de la Santiſsima Trinidad, y Cathedratico de Eſcritura deſta Vniverſidad, à quien le remitimos, nos conſta, no tiene coſa contra nueſtra ſanta Fè Catholica, y buenas coſtumbres, antes ſerà de mucha vtilidad, y prouecho el que ſe imprima. Dada en Salamanca en 31. de Mayo de 1657.

Doct. D. Gabriel Vazquez Saauedra, y Rojas.

Por mandado del ſeñor Proviſor en ſede vacante.
Marcos de Miranda.

CENSVRA R. DOCTISSIMIQVE P. PETRI Pimentel Societatis Ieſu, olim in Academia Salmanticenſi pro Societatis eiuſdem Regali Collegio Primarij Theologiæ Profeſſoris, Prouincialiſque Caſtellanæ Prouinciæ, in Regio Supremæ Inquiſitionis Senatu Cenſoris, & Eccleſiaſtis Catholicæ Maieſtatis.

VPREMI Senatus iuſſu recenſui Opus Inſcriptũ, *De Miſſæ Sacrificio diuino, atque tremendo Tractatio Theologica Scholaſtica, Moralis, Expoſitiua, & Canonica*, compoſitum à Patre Gabriele de Henao Societatis Ieſu, Valliſoletano, noto mihi iam diu, Theologiç Scholaſticç Lectore anteà, & Scripturæ ſacræ nunc Interprete apud Salmanticam; vbi Magiſtrorum ſpectationem diſcipulorum plauſus adæquavit. Hæc ſanè Tractatio ſtudij, & aſsiduæ in litteris elucubrationis fructº; ingenij, eruditioniſque non vulgaris, expectatus labor, non vnicus: concelebrantur quippe alia Opera, quæ Typis olim mandavit, & quæ Hiſpaniæ non recluſa limitibus apud exteros etiam Authoris nomen evexere ingentis litteraturæ, & ſapientiæ præconio: quod iure præſens Liber erga omnes promerebitur, gravi iudicij pondere, Sacrarum litterarum, Patrum Eccleſiæ, Canonum, Conciliorum denique exquiſita lectione refertus: nec recentiorum tantùm ſententias evolvit, qui antiquorum ſcripta haud ignobiliori exhauſit ſpiritu. Vnde verum, vt Tullius pro Licinio, ſeu Oratione pro Archia, *Quæ accuratè, cogitatèque ſcripſit, ea ſic vidi probari, vt ad veterum Scriptorum laudem peruenerint.* Quare digniſsimum cenſeo, vt huius Libri evulgandi facultas concedatur, in quo nihil Fidei dogmatibus contrarium, nihil à rectitudine morum alienum adeſt; ſed eſt potiùs communi Eccleſiæ vtilitati conſentaneus, qui ſecuriſsimæ doctrinæ viam omnibus aperit, & inoffenſo pede, quas poſsint percurrere ſemitas, oſtendit. In hoc Collegio Imperiali Madritenſi Societatis Ieſu. 30. Septembris die, anno 1657.

Petrus Pimentel.

SVMA

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE Privilegio el P. Gabriel de Henao de la Compañia de Iesus, ò quien su poder tubiere, para imprimir este Libro intitulado *De Sacrificio Missæ*, por tiempo de diez años, con prohibicion de que nadie lo pueda imprimir, sò las penas contenidas en el dicho Privilegio, como mas largamente consta de su Original despachado en el Oficio de Martin de Villela Secretario de su Magestad; su fecha à quinze dias de Otubre de mil y seiscientos y cinquenta y siete años.

ERRATA, QVIN DISSIMVLENTVR vel minutissima.

PAGINA 1. Numero 1. Linea 20. Iccleſiam, cor. Ec. 4. 7. 28. ſatuiſſe, cor. Ita. 6. 17. 2. C. 1. cor. 5. 19 49. 37. de de, dele vnum de. 30. 81. 2. Capellen⁹, cor. Capella. 39. 101. 21. Grar. cor. Garcia. 70. 33. 74. diciſe cor. de. 103. 13. 10. ieienus, cor. ieiu. 103. 13. 20. dicetur, cor. diceretur. 112. 38. 2. no, cor. nos. 131. 47. 18. humamus, cor. human. 132. 51. 25. Eccleſiæ, cor. Eccleſia. 136. 63. 34. inconvenientiæ, cor. incontinen. 137. 69. 22. potuiſ. cor. potiùs. 140. 76. 3. malitiriæ, cor. malitiæ. 161. 142. 30. vſitatio, cor. viſ. 189. 224. 23. poſſent, cor. poſſem. 201. 34. 21. forma, cor. formam. 201. 36. 3. alaare, cor. alt. 206. 49. 69. quædem, cor. quædam. 216. 21. 30. Melſitani, cor. Melſitana. 242. 1. 24. do, cor. de. 246. 12. 3. Orichali, cor. Orichalci. 250. 31. 3. Suri, cor. Surium. 259. 65. 11. contractus, cor. conta. 271. 111. 3. metatyſicatur, cor. Metaphy. 276. 127. 51. Bes, cor. Res. 276. 128. 47. att, cor. art. 279. 134. 26. dicitu, cor. dicitur. 296. 24. 3. Authoribes, cor. bus. 98. 29. 23. Superperpel. cor. Superpel. 351. 207. 13. C. 45. cor. 55. 351. 207. 23. C. 45. cor. 43. 355. 213. 1. ſx, cor. ex. 357. 215. 61. Parecleti, cor. Para.

Cætera reſpondent ſuo autographo. Salmanticæ die 30. Februarij, anno 1659.

Magiſter Antonius Alvarez Valverdius
Corrector pro Vniuerſitate.

SVMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo Real este Libro intitulado *De Sacrificio Missæ Pars Secunda*, compuesto por el P. Gabriel de Henao de la Compañia de Iesus à 5. maravedis cada pliego, y à este precio mandarõ se vendiese, y no mas, como consta de la certificacion, que dello dio Miguel Fernandez de Noriega Escrivano de Camara del Rey N. S. de los que residen en su Consejo, su fecha à 15. dias de Marzo de mil y seiscientos y cinquenta y nueue años.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.



COGITAVERAM (Lector Amice) Conferre in vnum tomum, quę ſupererant de Sacrificio Miſſæ, ideoque totam Tractationem initio tribueram duas in partes. Sed penuria papyri in cauſa eſt, ne ſecundus is tomus prodeat tam grandis, quantùm opus eſſet, vt contineret Diſputationes omnes, quas habeo elaboratas; ideo coactus ſum reſervare nonnullas, eaſque non minus nobiles, neque minus proficuas in alium tomum, tertiamque partem paris magnitudinis, committendam Typis, cum primùm largitate tua in emenda hac parte facultas mihi accreſcat ad papyri caritatem ſuperandam, & ad Typographorum expenſas. Audivi nonnullos demirantes, proferri à me tres tomos, etſi moderati corporis, de Sacrificio Miſſæ. Sed certè non debent multi cenſeri, ſi amplitudo materiæ conſideretur, tempuſque, in quo ſcribo. Innumeri ſunt Libri editi, & qui quotidie prodeunt; de eorum ſententijs tam diverſis vt agatur ſapienter, & vt veræ à falſis, probabiles ab improbabilib⁹ diſcernantur, neceſſaria eſt ſcriptio nō concila: antiquis quæſtionibus novæ aliæ vnaquaque hora accedunt; examinātur difficultates ad vnguem; adornantur diſputationes teſtimonijs Scripturæ ſacrę, Summorum Pontificum oraculis, Conciliorum decretis, SS. PP. effatis, antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis, Iuris Canonici textibus, & Civilis reſponſionibus, profanæque litteraturæ floribus. Vnde qui conetur tractare pro dignitate materiam aliquam, non poteſt non præſenti ſæculo, & rei litterariæ ſtatu longus eſſe; imò non poteſt nō exponere ſe maiori diſcrimini, ne brevis, quàm ne prolixus habeatur à viris verſatis, & expertis in ſcientiarum ſtudio. Ego quidem nec ſtylum lacinioſum adhibeo, nec congeſtas ab alijs authoritates, citationeſque huc tranſporto, nec extraneas difficultates intrudo, vti citra arrogantiam poſſum palàm dicere: quare ſi Opus mole ingens evaſit, vertatur amplitudini materiæ, & tempori; feratq; iudicium Lector, provt in mole tulerim punctum, necne. Si non tuli, longiſsimum eſſet Opus, quanuis vnius tantùm chartæ. Si tuli, breviſsimum erit. Meus animus fuit, diſcutere diligentiſsimè omnia, quæ inter Catholicos controverſa pertinent ad Miſſæ Sacrificium. Iamque diu perſuaſi mihi, ętatem noſtram non adeò indigere Libris, in quibus ſummariè referas præcedentium Authorum opiniones, tuumque addas ſuffragium ratiuncula vna, vel altera indicata, ſicque obtineas, vt parvo Volumine multas materias complectaris, ſed exiguo doctorum hominum emolumento, & forſan non levi ſæpè indoctorum periculo; quippe illi nihil aliud inveniant, quàm vnam novam ſubſcriptionem ſupra centum alias, plurieſque addubitent, num ductus numero potiùs, quàm librato rationum pondere chirographum tuum ſuppoſueris? hi verò lecta rotunda reſolutione ſine requiſitis advertentijs circumſtantiarum probant, aut improbant, exequuntur, aut refugiunt plura, quæ pro tacitarum à te circumſtantiarum varietate modò ſunt illicita, modò licita. Suum tamen quiſque ſequatur dictamen in ſcribendo; ego, ratus, eſſe magis è rei litterariæ bono publico, ſi collocetur opera in materia aliqua à fundamentis ad faſtigium vſq; elucidanda, meo indulſi iudicio. Cedat vtinam iſtud conſilium in Lectoris vtilitatem, & ante omnia in Dei gloriam, in ſacroſancti Sacrificij Miſſæ laudem, & cultum, in honorem Dei parentis Virginis ſine labe Originalis peccati conceptæ, in venerationem Archangeli Gabrielis homonymi mei, & Patroni, in commendationem N. S. Patriarchæ Ignatij, denumque in levamen ſanctarum Animarum Purgatorij! Precorque humillimè Lectorem, vt vel faciens Sacrū, vel facienti aſsiſtens meminerit mei apud Deum; à quo ego vicisſim rogo, vt ipſum diu ſervet, & ſoſpitet.

PRO-

PROTESTATIO AVTHORIS.



I QVID IN HOC OPERE dicam, vel in prioribus alijs tradiderim, quod citra meum animum deviare deprehendatur à recta Fide Catholica, Apostolica, Romana, bonisve moribus, illud ex nunc revoco, deletumque cupio. Et quanuis non modicam diligentiam adhibuerim in legendis Sanctissimorum Eccle siæ totius Præsulum Decretis, & Eminẽtissimorum Cardinalium Declarationibus editis Pontificio iussu circa spectantia ad Sacrificium Missæ, procuraverimq;, mea scripta eis, quæ authentica sint, & vim legum habentia, conformare, si tamen aliqua me latuerint, vel minus aptè intellexerim, interpretatusve sim, vel in posterum prodierint discrepantia à meis scriptis, paratus promptissimè sum ad horum emendationem. Protestatio ista visa est mihi necessaria, cum in hac materia allegentur passim ab Authoribus Declarationes Eminentissimorũ Cardinalium, & quam vnus authenticam, promulgatam, & habentem vim vniversalis legis agnoscit, alius negat, scribens etiam intra Italiam, vel propè; & non semel citantur pugnantes inter se Declarationes. Vnde, qui in remotioribus Provincijs scribimus, hæremus sæpè; condonandumque nobis est, si interdum labamur inviti. Legantur inter alios Diana parte 11. Tractatu 2. Resolut. 42. Tractatu 8. Resolut. 53. Pellizarius in Præfatione ad Manuale Regularium, Franciscus Valens in Concordia Iuris Pontificij cum Cæsareo, & cum Theologica ratione, titulo 2. de Constitutionibus Disput. 1. quæst. 5. Sectione 4. ex pagina 133. Petrus de Tapia in Catena Morali tomo 1. Lib. 4. quæst. & art. 8. Marcus Vidal in Arca Vitali, Inquisitione 1. de Casibus reservatis ex num. 90. Inquis. 4. de Iurisdictione ex num. 27. Inquis. 2. de Monialibus ex num. 71. Inquis. 4. de Matrimonio num. 47.

INDEX DISPVTATIONVM, & Sectionum contentarum in hac Secunda parte;

PRÆCENTIO DE EVCHARISTIA, VT EST Conviuium Sacrificale.

DISPVTATIO 19. De tempore, in quo celebrandi Missam datur obligatio. pag. 1.

S. 1. De tempore, quo Ecclesia in communi tenetur. p. 1.

S. 2. De tempore, quo Episcopi, Parochi, Canonici, Beneficiarij simplices, Religiosi. p. 4.

S. 3. De tempore, quo Capellani. p. 11.

S. 4. De tempore, quo simplices Sacerdotes. p. 36.

S. 5. De frequentia celebrationis ex deuotione, & consilio. p. 51.

D. 20. De diebus, in quibus non licet celebrare Missam. p. 59.

S. 1. Non licet in feria sexta Parasceves. p. 59.

S. 2. An in Sabbatho sancto liceat celebratio alterius Missæ præter eam, quæ publicè, & solemniter peragitur post dictas Prophetias, & Litanias? p. 63.

S. 3. Num liceat privatas celebrare Missas feria quinta in Cœna Domini? p. 69.

S. 4 Quæstiones nonnullæ decisæ. p. 70.

D. 21. De hora, in qua licet celebrare Missam. p. 79.

S. 1. Qua hora post mediam noctem liceat inchoare Missam? p. 79.

S. 2. Vltra quam in die horam non liceat differre Missam? p. 86.

S. 3. De hora celebrandi antiquitus. p. 91.

D. 22. De vnius tantùm Missæ celebratione singulis diebus ab vno Sacerdote. p. 98.

S. 1. vnius tantùm Missæ celebratio singulis diebus regulariter nunc permissa est cuilibet Sacerdoti. p. 68.

S. 2. Prisca exempla non vnius tantùm Missæ celebratæ regulariter eodem die ab vno Sacerdote. p. 99.

S. 3. De tribus Missis olim, & nunc celebratis ab vno, eodemque Sacerdote in Natali Domini. p. 104.

S. 4 De casibus, in quibus irregulariter celebrari potest plusquàm semel in die ab vno, eodemque Sacerdote. p. 107.

D. 23. De loco ad Missæ celebrationē. p. 117.

S. 1. Ecclesia consecrata, aut benedicta, vel locus designatus ad diuinum cultum est regulariter necessarius ad celebrationem Missæ. p. 117.

S. 2. Quis possit consecrare, aut benedicere Ecclesiam, vel deputare locū? p. 120.

S. 3. An Ecclesia, in qua celebrandum est, debeat non esse violata? Quisnā possit recōciliare eam, si fuerit violata? Et quomodò? Quidnam comprehendatur nomine Ecclesiæ, & loci capacis, vt violetur? p. 122.

S. 4. Exclusa vna causa inducente violationem Ecclesiæ, proponuntur aliæ. p. 127.

S. 5. Expenduntur cæteræ causæ inducentes violationem Ecclesiæ. p. 130.

S. 6. De notorietate causarum inducētium violationem Ecclesiæ, & an, quando occultæ sunt, debeant computari inter sacrilegia? p. 136.

S. 7. Quænam sit causa exsecrationis Ecclesiæ, seu amittendi consecrationem? Necnon de causa amittendi benedictionem. p. 140.

S. 8. Delibata prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia interdicta, & in ea, in quam est decreta cessatio à diuinis, agitur de locis non deputatis specialiter ad Dei cultum, in quib⁹ irregulariter celebrare fas est. p. 243

S. 9. De privilegio, & licentia Episcoporum ad celebrationem in loco non designato specialiter pro Dei cultu, necnon de Oratorijs in ipsorum Palatijs. p. 149.

S. 10. De Religiosorum privilegijs circa locum celebrandi Missam. p. 154.

S. 11.

S. 11. De privilegio per Bullam Cruciatæ ad locum celebrationis. p. 161.
S. 12. De privilegio per Breve Pontificium ad celebrationem in Oratorio privato Sæcularium. p. 167.
S. 13. Incidentes observationes de administratione Eucharistiæ à Religiosis erga Sæculares. p. 172.
S. 14. Regressio ad Oratoria in domibus privatis Sæcularium. p. 182.
D. 24. De altari ad celebrationem Missæ. p. 190.
S. 1. Præmittitur altaris etymologia, atque divisio. Et postea discutitur eius materia, atque artificium. p. 190.
S. 2. De altaris consecratione, & de ei ad Missæ celebrationem necessitate. p. 197.
S. 3. De altaris exsecratione. p. 200.
S. 4. Cætera de exsecratione altaris. Vbi & de pollutione. Delibatur nonnihil de situ altaris; attingiturq; quædam circa eiusdem aram superstitio. p. 206.
D. 25. De altaris ornatu. p. 210.
S. 1. Præiactis verbis S. Thomæ, tractatur de Corporali, & de eius parte, quam vocant Filiolam, necnon de Purificatorio. p. 210.
S. 2. De lotione, & contactu Corporalium, aliarumque rerum sine benedictarum, sive consecratarum. p. 215.
S. 3. De altaris mappis, de manutergio, & de sudariolo. p. 224.
S. 4. De palla hostiæ, & patenæ, vel calicis, bursa Corporalis, pallio altaris, & linteo pyxidis. p. 228.
S. 5. De cruce. p. 232.
S. 6. De lumine. p. 234.
S. 7. De Missali, & tabella Secretarum p. 238.
S. 8. De flabello, & de floribus in altari. p. 240.
D. 26. De vasis ad Missæ celebrationē. p. 242.
S. 1. Post exarata, & explicata S. Thomæ verba, tractatur de calicis, & patenæ necessitate, atque materia. p. 242.
S. 2. De pyxide sacra. Vbi de nonnullis spectantibus ad Eucharistiæ cultum in ea contentæ. p. 250.
S. 3. De benedictione pyxidis sacræ. p. 154.
S. 4. De consecratione calicis, & patenæ. p. 257.
S. 5. An celebratio Missæ in calice, & patena inconsecratis suppleat defectum consecrationis ipsorum? p. 261.
S. 6. De exsecratione calicis, & patenæ. p. 266.
S. 7. De pollutione calicis, & patenæ. p. 274.
S. 8. De calicis, & patenæ necessitate ad Ordinationem Subdiaconi, & Sacerdotis. p. 275.
D. 28. De vestibus ad celebrationem Missæ. p. 288.
S. 1. Referuntur verba Missalis circa Sacerdotales vestes. Prævièque ad has agitur de calceatu Sacerdotis celebrantis. p. 288.
S. 2. An è contrario necessarium sit, caput Sacerdotis celebrantis esse discoopertum? p. 291.
S. 3. De prohibita ad celebrandum additione altaris cum baculo. p. 296.
S. 4. Prævièque tractatur de vestibus vsuarijs, quibus superinduendæ sunt Sacerdotales. Item de superpelliceo. Dicitur nonnihil de tonsura capitis. p. 297.
S. 5. Numerus, color, figura vestium Sacerdotalium. p. 300.
S. 6. De benedictione vestiū Sacerdotalium. Quis possit eam præstare? An Episcopus, an merus Sacerdos iure suo, vel ex delegatione Episcopi? p. 302.
S. 7. De Vestium Sacerdotalium benedictione ex privilegio Summi Pontificis. p. 305.
S. 8. De privilegijs concessis à Summo Pontifice ad consecranda nonnulla deservientia in Sacrificio Missæ. p. 307.
S. 9. Adnotationes nonnullæ circa benedictionem, & consecrationem rerum, quæ sunt in vsu ad Missam. p. 314.
S. 10. De benedictionis amissione à vestibus Sacerdotalibus. p. 316.
S. 11. De obligatione ad vestes Sacerdotales, & benedictas pro Missæ celebratione. p. 319.
S. 12. An ob causam aliquam, & saltem ob ministrandum viaticum moribundo possit celebrari sine omnibus vestibus Sacerdotalibus, vel sine principalioribus? p. 322.

S. 13. Numquid Sacerdos teneatur mori potiùs, quàm Missam celebrare sine vestibus Sacerdotalibus? p. 331.
S. 14. De integritate, & munditie vestium Sacerdotalium. p. 333.
S. 15. Animadversiones aliquæ circa venerationem, & cultum tam vestiũ Sacerdotalium, quàm sacrorum vasorum, & ornamentorum altaris. p. 335.
S. 16. De antiquitate vestium Sacerdotalium ad Missæ celebrationem. p. 341.
S. 17. De Laicorum communicantium habitu consistente tum in vestitu, tũ in reliqua positione corporis. p. 344.
Panegyrica gratiarum actio in laudem divini, atq; tremendi Sacrificij Missæ. p. 350.
Clavis Magistri Sententiarum circa eas quæstiones, quæ in hac secunda parte discutiuntur. p. 355.
Familiaris Epistola Authoris ad litteratissimos Doctores Salmaticenses D.D. Ioannem Rodriguez Armenteros, D. D. Emmanuelem Gonzalez Tellez meritissimos Antecessores, alterum Primariæ, alterum Vesperariæ Cathedræ Canonum, cum Indice eorum, qui in hac secunda parte expenduntur, & exponuntur. p. 367.
Index ex vniverso corpore Iuris Canonici. p. 371.
Ex Canonibus Apostolorum. p. 375.
Ex Conciliorum Decretis. p. 375.
Ex Bullis Summorum Pontificum non positis in corpore Iuris Canonici. p. 377.
Index ex Iure Civili. p. 377.
Ex Partitis. p. 378.
Index locorum Scripturæ sacræ. p. 378.
Index rerum, & verborum. p. 379.
Tabula crepusculi matutini, & vespertini. p. 415.
Tabula Ortus, & Occasus Solis. p. 415.

PRAE-

PRAECENTIO LAVDATORIA DE AVGVSTIſSIMA Euchariſtia, quà eſt conviuium Sacrificale.



INTER cæteras delitiarum illecebras, quibus geniales dies, conviualeſque menſæ peragi conſueverunt antiquit⁹, ſcolium potiſsimum fuit cythara melos, quo & accumbentium aures inter fercula deliniri ſolitæ, & Heroum egregia facinora animis inſtillari. Hinc Maronianum illud, atque ad Æneæ illicium de Didonis luxu epulis admixtus

Virg. L. 1. Æneid.

Cythara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Athlas,
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores.

Indidem ad Thetidos, Peleiq; connubiale conviuium Centaurus Lyricen,

Valer. Flac. L. 1. Argon.

Contrà ignis, viridique thorus de fronde, dapeſque,
Vinaque, & æquoreos inter cum coniuge ciues
Æacides, pulſatque chelyn poſt pocula Chiron.

Inde rurſus Harmodium, Pæan, tibia, barbitos, aliaque huius lenocinij ſeu carmina, ſeu plectra, quibus ad voluptatem omnẽ effuſa Roma, effuſioreſque Athenæ conviualia ſua Sacra tranſigi curarunt. Hunc & ego morẽ vſurpo, religioſoque cultu luſtratum ritè, in Sacrificalis epuli, quod pro incruentæ ſuæ hoſtiæ celebratione Chriſtus Dominus inſtruxit, commendationem inſtauro. Huc ergo argutiora adfrangite vocum diſcrimina politiores Muſæ; huc ad harmoniam exactiores numeros inflectite ſuaviores Syrenulæ; huc ebur, nervos intendite Orpheu, Amphion; dexterioreque huc pectine fides interpungite Marſya, & Thamyris, ſi quem forte veſtrũ ſequacibus modulis reddere poſſit imitatrix virtus. Neq; verò ad minores vos menſas, delyraſq; facinorum nugas provoco, ſed ad nectareum epulum, idemque præſtantiſsimum veri Numinis oſtentum, quod vnum & adficta Semideis per comminiſcendi licentiam geſtorum decora longè prætergreditur, & epulorum cupedias, quotquot hactenus per ſummam libidinem diffluxit Orbis, brevi gyro capit.

Apud Iulium Cæſarẽ Bulengr. de Cõuiuio, L. 3. C. 33.

Enimverò ſeu pretium æſtimes, & cõvivarum frequentiam, ſiue rurſus Sympoſiarchi amænitatem, atque convivij fructus, quod vſpiam gẽtium auguſtius, quodve par audijt? Retroacta mecum ſæculorum volumina evolve, per quæſtuoſioraque epulorum miracula mentis aciem reduc avidus ſcrutator; affulgebit quidem conditiſsimus ille panis, quem in profuſiores ſenſuum illecebras inauravit Caligula; arcanos exerent ſplendoresClodianæ gemmæ, Cleopatrani vniones in ambitioſiorem luxus famam nectareo poculo diluti: lances per, & diſcorum immenſas ferme areas pinnas modò agent mulli, rhombi, oſtrea, echini, ſiquive delicatiores piſcium greges flumineos lacus verrunt, vel æquoreos; pinnas rurſum agent phaſianus, perdix, anſer, quotquot item altilia variato ad venuſtatem omnem flabello aera inſigniunt, vel arguto mulcent vocũ diſcrimine: damas denique, apros, hyſtrices, minoreſque feras menſas inter, purpureoſque thoros errare videris, nec rariori agmine, quàm cum caueas implent, vel ſylvas aſperant. Magna quidẽ hæc, ſuperbæque obſoniorum lautitiæ! Cæterùm ſi ad Saturnia illa ſæcula, parciſsimamque, & primævam frugalitatem componantur, cui vna victum ſuppetijt Dodonæa quercus. Sinverò ad auguſtum hoc epulum, ad Cœleſtes dapes exigere lubeat, ſordebũt illa omnia, vileſcent, fucoſq;, & bracteas prodent ampliſsima, quæ meminimus, conviviorum decora. Defæcatiſsimus nimiùm iſte panis non aureis modò radijs ad fugacem ſplendorem emicat, non vno dumtaxat, vel altero gemmei fulgoris pretio opuleſcit,

Apud Alex. ab Alexandro L. 5. Dierum geniali. C. 21.

Hic nitet immenſus Ganges, hic flavus Hydaſpes,
Hic & Erythræi lucida concha ſali.

Vnionem enimverò claudit Cœleſti & rore, & flamma intra Virginei pudoris conchylium excultiſsima arte lævigatum, ſacratioris ærarij opes, præſtantiſsimum Empyrei margaritum, cui ſuperbam lucis gazam, inexhauſtam iubaris ſupellectilem melior Numinis trãſmiſit natura, atq; in gemmam expolijt omnia cõparem, nihilo degenerem. Hexecontalithon dixeris (niſi quòd longè maior aſſurgit) diverſis vſque adeò notis ex Solino C. 31. ſparſum, vt ſexaginta margaritarum colores in parvo eius orbiculo emineant. Iam liborum, mactearumque delicatiſsima illicia non impari voluptate complectitur: quidquid vſpiam in palati lenocinium ſuſpendit aer, proluit Occeanus, condijtq; omniũ parens tellus, vnum hoc epulum caſtigatiore ſibi vendicat amẽnitate, ſcilicet

Vna

Vna omnes hæc mensa tenet, par omnibus vna,
Omnis in hanc Orbis nobilis esca coit.

Proh monstrum! Proh Numinis ostentum, Numine vel ipso grave, & fortunatum! Facessat ergo decantatissima illa, Deorumque inventum Panaces, nec grandia nominis auspicia vltra præferat, quibus delitias omnes, omnigenaque morborum lenimina immerito nomenclaturæ omine vsurpavit: ferculum hocce potiori sibi iure tituli præripit insigne, cum gestet & meritum; nempe imbuit illud Deus, & pro refusæ maiestatis impendio, & amplitudine nequit temperare, quin omni impleat suauitatis illecebra. Facessat item & Sabina herba, quam contra perniciem omnem habendam memoriæ prodidere Druidæ Galiorum: neque verò etiam nunc veterem religionem, sacrasque cæremonias in ipsius cultum instaurent: ferculum hocce illas sibi indicit, & imperat: hoc dextra manu, lotis pedibus, præmisso Sacrificio, mundo serico, candidatosque excipere oportet, cum exceptum in se porrigat non Sabina vtcumq; herba, sed divinũ florilegium, Cœlestis Hybla, delitiorum summa, nectareæq; dulcedinis myrotheciõ, cui verisimè Rutilij illud lemma subscripseris, *Natura hìc posuit, quidquid vbique fuit.*

Plinio L. 24. Hist. natural. C. 11.

Plinio L. 25 C. 4.

Age autem, & vlterioribus Rhetorices lineamentis conviuij huius Sacrificalis supra humana omnia præstantiam adumbremus. Quanta illud convivarum frequentia commendat? Quantus epulantium accubitus? Quàm rursus decet, nec vel minimùm ipsius obstrepit maiestati? Præpostera ea mens transuersos egit veteres Sympotiarchos, vt è re convivij ducerent, & splendore, quàm tenuissimo sodalium numero instrui. Inde increbuit vetus illud apud Macrobium Lib. 1. Saturn. Cap. 7. præscriptum, *Numerus convivarum nec sit minor, quàm Gratiarum, nec maior, quàm Musarum.* Inde rursus Ausonianum illud in Ephemeride, Catonis lege sanctum,

Quinque aduocaui, sex enim conuiuium
Cum Rege iustum; si super, conuicium.

Quòd si aliquando in Imperatoriæ humanitatis, & luxus argumentum morem hunc prætergredi Augustum iuvit, & Lucium Verum; at non duodecimum excessit ipsorum augusta vel licẽtia, vel hilaritas. Effusior quidem nostrorum temporum magnificentia evasit, & totius Regni Proceribus, densissimi exercitus Ducibus, quin & militum copijs ipsis largas à Principibus epulas accuratas non semel inaudijmus. Sed enim quantula hæc sunt?

Suetonio in Augusto. Capitolino in Vero.

quàm

quàm tenuia? quàm de paupere vel animo, vel censu, si ad splẽdidam, & planè Regiam huius epuli lautitiem exequi pergas? Nõ Charitum modò numerum, vel Musarum, non item Imperij Primates, belli Ductores, nec glomeratas vtcumque copias cõmensales capit, sed Vrbes totas, gentes, Imperia, adeòque & mortalium omne genus, quaqua latè vniversum terrarum Orbem circumiacet, in symposij communionem accersit: neque rursus his dumtaxat, vel alteris cœnationibus, & triclinijs, sed innumeris fermè per Catholici Orbis terminos dispersis, quib⁹ omnibus cõstratos lectos, ornatas mensas, parata fercula, adstantes conviuatores sacram hospitibus prandij famem vel facere credideris, vel acuere. O immensam Numinis opulentiam! ò dignam tanto conviuij Rege largitatem! Quàm longè prodigos mortaliũ impetus egreditur! Nulla munificam ipsius manum premit subeũdæ inopiæ cura, nulla temerandę maiestatis anxior solicitudo hominum conspectui subtrahit. Subtraxerit fortasse hæc, atque in remotiora adyta, speciosas tenebras abdiderit Persarum Principes. Consulverit eadem Athenienſium Optimatibus, & Spartanorum Syssitiam illam cœnam, qua semel tantùm per annum popularibus congredi sustinebant: amplissimi Regis nostri altiùs exurgit fastigium, quàm vt humanis sordibus afflari possit, solidi⁹, quàm vt contubernio lædi, adeòq; magnitudinis securus suæ per medios amat ire populorum cœtus, atque in intimos pectoris sinus descendere ad epuli speciem conformatus.

Atque vt ab hac porrectissima Sympostiastis fronte alterũ, & quidem eximium conviuij nostri decus affulgeat, memori, si placet, mente percurrite depostum apud Sacra mensę superciliũ, admissamque Principum amænitatem; quàm in pretio conviuis illa fuit? quàm honori? quantùmque reliquis alijs munificentiæ argumentis præstare visa est? *Præcipuus* (si Curtio fides) *honos Macedonum genitis habebatur, quòd licebat sedentibus vesci cũ Rege.* Humanius illud, quod de Alexandro Severo Encomiastes Lampridius; *Cum amicis tam familiariter vixit, vt communis esset ei sæpe consessus, & iret ad conviuia eorum; aliquos autem haberet quotidianos, etiam non vocatos. Salutaretur verò quasi vnus de Senatoribus, patente velo, Admissionalibus remotis.* Giadius autem, & augustius, quod de Cyro suo Xenophon, cum scilicet apud gratiosum aliquem Imperij Primatem singulare amoris, & benevolentiæ pignus collocare statueret, solitum exquisitissimi ferculi voluptatem carpere, atque sub honorarijs hisce

litteris

litteras ad familiarem remittere, *His Cyrus delectatus, vult quoque te eadem gustare.* Nihilo segnius ad gaudia, & comitatem compositos Domitiani vultus suspexit Papinius, dum Eucharistico eius epulo accumbere obtinuit, in admirationemque, & solito altius æstrum percitus, aureis his carminibus comptissimè reddidit L. 4. Sylv. 2.

Sed mihi non epulas, Indisque innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas:
Ipsum, ipsum cupido tantùm spectare vacauit
Tranquillum vultu, sed Maiestate serena
Mulcentem radios, summittentemque modestè
Fortunæ vexilla suæ; tamen ore nitebat
Dissimulatus honos: talem quoque barbarus hostis
Posset, & ignotæ conspectum agnoscere gentes.
Talis vbi Occeani finem, mensasque revisit
Æthyopum, sacro diffusus nectare vultus,
Dux Superum secreta iubet dare carmina Musas,
Et Pallenæos Phœbum laudare triumphos.

Sed autem illustria licet hæc, & pro tumido mortalis sceptri fastidio, commendatione digna, clarior tamen longè, politioreque personanda cothurno, quam in conviuio hoc porrigit Regis nostri frons amæniſsima. Non enim humanum dumtaxat ponit fastum, sed editissimum Divinitatis apicem; neque item placidam quamcumque personam induit, sed & in vulgarem, hominibus autem delitiosissimam, abijt. Propinari cuique nostrum placuit. Quantus, quantus est, inanem illam panis vmbrã implet; summa Numinis amplitudo, quæ immensos polorum Orbes incomplexa egreditur, ad brevem sese sphærulam cogit, diffusumque perfectionum pelagus, nullis littorum metis circũactum, tenuissimis se guttis immergit, & infundit, vt nimiũ sæpius, & commodiùs mortalium præcordijs allapsum eat, verisimèque tandem aliquando illud vsurpari contingat,

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

O Par Dei erga nos amori inventum! O ingenij acumini inaccessum! O maiorem, quàm pro voto, quàm pro humana fide, Numinis dignationem! Quis debitis monstrum hoc admirationibus non exceperit? Quis castigatam sic maiestatem, dispensatum in vsus mortalium supercilium memoria non recoluerit sẽpiterna? O quàm extra lenocinij invidiam ingeminari tibi licuerit facer ille horror, & cultus, quem per iniquissimum palpũ

obtrusit

obtruſit ſuo Cæſari grandiloquentior Lyricen Statius vbi ſuprà,

Quà celebrem mea vota lyra, quas ſoluere grates
Sufficiam? Nonſi pariter mihi vertice læto
Nectat odoratas & Smyrna, & Mantua lauros,
Digna loquar: medijs videor diſcumbere in aſtris
Cum Ioue, & Iliaco porrectum ſumere dextra
Immortale merum. Steriles tranſmiſimus annos.
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.
Te ne ego, Regnator terrarum, Orbiſque ſubacti
Magne Parens, Te, ſpes hominum, Te, cura Deorum,
Cerno iacens? datur hæc iuxta, datur ora tueri
Vina inter, menſaſque, & non aſſurgere fas eſt?

Solverem & verò libentiſsimè laxas ſtylo habenas per diffuſos, quos ad tantas redacta anguſtias maieſtas explicat campos, niſi interciperent, reluctantemque abducerent erumpentia iam, & emicantia mortalium ex hoc conviuio commoda. Et autē quot, quanta illa ſurgunt! Proh Deum immortalem! Proh fortunatiſsimam noſtram naturam! Evaſiſti in gloriæ verticem audax mortalium faſtus, potita es votorum ſumma irrequieta mens hominum, occupas faſtigium Diuinitatis humana ambitio. Voti illius, quod vel ab Orbis infantia inani ſpe tumidos humani pectoris ſinus diſtendit, compotes tandē aliquando extitimus. Nō vltra per immanes labores, arduoſque columnarum gradus viam ad immortalitatem moliatur Hercules. Non ab Ammonio antro Numinis honorem arroget Alexander. Non item per tonitrus, & fulminis imitamenta Iovem affectet Salmoneus. Neque vltra demum ſervilis Roma ementitis ſyderibus Cœlo ſuos inuehat Cæſares. Commenta hæc fuerint procacis adulationis, vel inſanientis animi evanida ludibria. Longè, longè ſolidior, quā nobis conviuium hoc facit, Diuinitatis fides. Deus ſeſe nobis affundit, humana præcordia gaudet incolere, & quæ ſua beneficentia eſt, ſic complet, adeò fortunat, vt in Deitatis etiam participium vocare non gravetur. Exiſtimarunt noſtra quoque hac tempeſtate Indorum aliqui, cum epoto hoſtium ſanguine, devoratiſque artubus, ipſorum item robur, & Martios animos ebibitum iri: vnde in virium incrementum per cæſorum cadavera immaniſſima viſi ſunt feritate graſſari. Delyram hanc Barbarorum ſpem firmam nobis præſtitit, & grandiori munere auctam Cœleſte hoc epulum. Vbi enim ſacræ menſæ aſſederis, vbi auguſtum illud

corpus,

corpus, vbi ſanguineam ambroſiam libare contigerit, inſtillari ſenſim videris, immixtos depluere æthereos ignes, Deificos ſpiritus, per animique intima brevi ſuffuſos, vltra humana omnia abripere, atque Superum commercio inferre. O decus! O laudem! O gloriam! cui impares, & minores eant, quotquot ab Romanis dapibus deſcenderunt, ab Græcis, ab Sybaritanis.

Effluunt hoc veluti ex fonte innumera alia Reipublicæ noſtrę decora, vel lippis obvia; ſed non vacat oratorio cultu omnia perſequi: illud vnum perſtrinxero, atque de inſtaurata amicitia, redintegratoque cum Superis fœdere mortalium generi adgratulabor. *Conviuium Maiores Romani inſtituerunt* (referente Valerio Maximo Lib. 2. Cap. 1.) *idque Chariſtia appellarunt, cui præter cognatos, & affines nemo interponebatur, vt ſiqua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud Sacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Conviuium hocce (plaudite fortunatiſsimi mortales) Romanis Chariſtia auſpicatiora Deus nobis adornat, affinitatemque in eis, & cognationem cum humana ſtirpe profeſſus, inter pocula, & lances iurgiorum ſemina extinguit, atque primævis amoris nexib⁹ nos omnes complectitur: quin (ò effuſam Numinis indulgentiam!) ne cui fortè ægra tantæ fortunæ nataret fides, robur omne fœderibus addidit, ſacramque firmandæ pacis vſurpavit religionem. Enimverò apud Macedones ſi ſanctiſsimum coevntium pignus panis extitit gladio diviſus, atque ab vtrarumque partium Primoribus libatus; ſi apud Græcos candidi velleris agn⁹ publicæ concordiæ immolabatur; ſi item percuſſa faciei vena Carmani profluentem inter epulas cruorem vino infundebant, atque invicem propinantes firmiſsimi fœderis loco duxere mutuum ſanguinem ebibiſſe: Sacra hæc omnia Fecialis noſter, & Princeps conſtantiſsimo ritu peragit, panem, agnum, & immiſſum mero ſanguinem ſub vno, eodemque ferculo guſtandum iſtit, ſub vna, eademque patera hauriendum porrigit, atque per tot demùm Sacramentis ſanctam fidem in auguſtam illam amicitiæ, & benevolentiæ viciſsitudinem humanum omne genus arctiſsimè adlegit. Quid grandius? Quid illuſtrius? Quid munificentius tacitis etiam votis apprecari potuimus, vel ambire?

Huc huc ergo Euchariſticas pangite panegyres, quotquot ad tantæ beatitudinis ſacrarium admiſsi, plaudite mortales, huc avidiore ductu liberos ſolvite grati animi impetus. Rigeſcet ne vſque adeò mens hominum, cautemque induet, & ſaxum, vt

nullas impenetraverit flammas, nullos excusserit gratitudinis ignes tantus amoris Æthna? Vel rupes ipsas harmonicos edocuit sonos Phœbæa lyra, vbi semel contigit superposita. Vnde Pelignus Olor,

Regia turris erat, vocalibus abdita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Deposuisse lyram: saxo sonus eius inhæsit.
Sæpe illuc solita est ascendere filia Nisi,
Et petere exiguo resonantia saxa lapillo.

An non ergo Eucharistia, quam *Cythara Iesu* iustissimo anagrammate ambit, sonantes nobis numeros affuderit, quibus ingrates, commeritamque beneficij commendationem explicemur? Affuderit equidem; nec enim durior humana silex, quàm non emolliat commissa toties Eucharistiæ cythara. Huc igitur, huc iterùm (vt cum Pacati gemma obsignem) *huc totas pij Vates doctarum noctium conferte curas, hoc omnibus linguis, litterisque commendate. Vos quoque, quibus secunda sors cessit dare famam rebus Artifices, vulgata illa veterum fabularum argumenta despicite, Herculeos labores, & Indicos Liberi triũphos, & anguipedum bella monstrorum. Hæc gesta solertes manus ducant, his fora, his templa decorentur, hæc ebore reddantur, hæc in coloribus viuant, hæc in ære moueantur, hæc gemmis augeant pretium.* Huc & ego operas meas omnes fœliciter impensas volui, vt quoniam homini Religioso, & Sacerdoti, impallescentique litteris affulgere non potuit grandius argumẽtum, sin minus iustis, at saltem imitabilibus redderem lineamẽtis. Propterea & ipsi argutioribus his modulis præcentum curavi; vt ad tanti Numinis gratiam per cultuum qualiacumque blandimenta initiatus, aliquos in meum calamum de Cœlestis epuli fonte imbres derivem, quibus pretium meis paginis fecero. O contingat, fortunatior votorum summa, profusius Divinitatis compendium! Supplex apprecor, gratulabundus spero, & en solvo.

****
****
******
***
*

DIS-

DISPVTATIO XIX.

DE TEMPORE, IN QVO CELEbrandi Missam datur obligatio.

1 SANCTVS THOMAS 3. P. q. 82. art. 10. & q. 83. art. 2. agit de tota materia huius Disputationis; quam, & sequentes alias eò alacriùs aggredimur, quò plura ad ipsas habemus subsidia in doctrina Præceptoris Angelici. Etsi enim ille multa sparsim tradiderit pertinentia ad præcedentes Disputationes, tamen tam ex professo, tamque clarè non tractauit de earum argumentis. Cæterùm in q. 83. per sex articulos attigit, discussitque ferè omnia, de quibus nos habebimus sermonem in reliqua parte istius Tractationis.

SECTIO I.

De tempore, quo Ecclesia in communi tenetur ad celebrationem Missæ.

ECCLESIAM IN communi teneri ad celebrationem Missæ, dubitari non potest post Concilij Tridentini hęc verba Sessione 22. C. 1. *Sacerdotē secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans Christus, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Ex quibus verbis luce meridiana clariùs est Christi præceptum latum ad Ecclesiam in communi vt minus, seu ad Ecclesiæ Pastores vt minus, obliganturque, offerre Sacrificium Missæ aliquando.

2 Dixi *aliquando*, nam vt offe-

ratur quotidie hoc Sacrificiū, non extat vllum præceptum diuinū. Conuenit tamē quotidiana ferè oblatio. Tū in reme diū quotidianorum defectuū, & culparum, quas homines incurrunt; quę ratio traditur à S. Gregorio in Hom. Paschali, & ex eo in C. *Quid sit* 73. de Consecrat. Dist. 2. à Paschasio Rathberto L. de Corpore, & sanguine Dñi. C. 9. & ex eo in C. *Iteratur* 71. ibidem, ab Stephano Heduensi L. de Sacramento altaris C. 13. à S. Thoma Opusculo 66. C. 3. & in præsenti q. 83. art. 2. Corp. Tū ad quotidianam memoriàm maximi beneficij, quod Christus per Passionē suam contulit hominib⁹; quę ratio expēditur à S. Ambrosio in Epistolam ad Hebrēos, & ex eo in C. *In Christo semel* 53. de Consecrat. Dist. 2. Tum ob alias rationes videndas apud Scortiam L. 1. C. 11. n. 1. L. 2. C. 15. n. 1 quarū prēcipua est, vt cultus Religionis Christianæ, quæ sine Sacrificio esse non potest, in Dei honorem tanti mysterij frequentatione conseruaretur.

3 Et hinc Missę Sacrificium perseuerabit vsq; ad finē mundi, quāquam publica eius oblatio aliquot anteà diebus impedietur ab Antichristo. Sed de his consulātur prælaudatus Scortia L. 2 C. 19. n. 2. Paulus Sherlogus tom. 3. in Cantica, Vestigatione 36. S. Vnica, n. 43 Maluenda L. 8. de Antichristo C. 9. Post finem autem mundi non durabit Missæ Sacrificium, nec Eucharistię Sacramentum, vt probaui in Empyreologia, Exercit. 24. & in Tractatione de V. Sacramēto Eucharistiæ, D. 14. S. 1. cuius contrarium indicare videtur verbis potiùs, quàm mente Noster Petrus Maturus in annotatione ad p. 1. Summæ Hist. S. Antonini C. 7. tit. 5. §. 4. Nunc pro vero sensu addo locum S. Bernardi ex Serm. de Cœna Domini, vbi inquit, *Gratulare sponsa, gaude incomparabiliter, præsidentem habes, & rectorem sponsum in præsentis exilij militia. Pignus habes, arrham tenes, quibus fœliciter vniaris sponso in patria. Gloriosa, & amabilis sponsa, in terra sponsum habes in Sacramento. In cœlis habitura es sine velamento. Et hìc, & ibi veritas. Sed hìc palliata, ibi manifesta.* Addo alium locum eiusdem Sancti Abbatis ex vita S. Malachiæ, vbi ait loquens cum Iesu, *Hanè vim, Iesu bone, tu, qui pateris, facis, validus, & pius ad saluandum, faciens misericordiam, & potentiam in brachio tuo; & in Sacramento seruans Sanctis, qui in terra sunt, vsque in consummationē sæculi. Hoc planè Sacramentum, potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cœlis reuertentes de terra.* Hæc S. Bernardus: cui concordāt B. Thomas Villanouanus Concione 1. in die sancto Corporis Christi, B. Albertus Magnus de Euch. Dist. 3. Tract. & C. 1. n. 12. Dist. 6. Tract. & C. 1. n. 4. Tract. 2. C. & n. 3. Nicolaus Cabasilas L. 4. de vita in Christo propè finē, Cassianus Collatione 9. C. 20. S. Bernardinus Senensis tomo 4. Sermone 11. de Christo Domino, artic. 1. Cap. 2. & 3. Sanctus Laurentius Iustinianus in Sermone de Eucharistia ad finēm, Paschasius Rathbertus Lib. 12. ad Cap. 26. Matthæi, Hildebertus in Carmine de Officio Missę, Alexāder Alensis 4. p. Sūmæ quæst. 1. memb. 6. artic. 2. Sed his omissis.

4 Expræcepto Christi Domini, obligante in communi Ecclesiam vt minus, nascitur, vt Episcopos, Prælatos, & Parochos Ecclesiarum Cathedraliū, Collegiatarum, Conuentualium, & Parochialium deceat curare frequentem in ipsis celebrationem Missæ; imò & quotidianam, eāque solemnem, vbi cōpetens sit, aut mediocris Sacerdotum numerus, & quando non superueniat impedimentum aliquod legitimum, ac rationabile. Nam cum Pastores Ecclesiastici adstringantur præcepto suprà declarato, conueniatque, eius adimpletionem non esse raram, sed frequentem, & quotidianam, nullibi certè opportunior illa erit, quàm in Ecclesijs prædictis, & per celebrationem Missæ solemnis.

5 Censentque communiter Doctores, obligari grauiter Episcopos, & Prælatos, ne vel vno die omittatur solemnis Missa in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus, si concurrāt circumstantiæ suprà adnotatæ; & aliqui Doctores, eis circumstantijs concurrentibus, extendunt obligationem respectu Parochialium etiam Ecclesiarum. Cæterùm respectu harum non video, receptū esse consuetudine, vt cantetur Missa solemnis, nisi diebus Dominicis, festisq; alijs, imò neque vt priuata Missa quotidie celebretur, sed bis, vel ter tātùm in hebdomada, vbi vnus, vel alter Sacerdos solūmodò adest: oportetque, vt consulantur Synodales Constitutiones cuiuscumque Diœcesis. Quoad reliquas verò Ecclesias citatru

tur C. *Iteratur* 71 de Consecratione Distinct. 2. Sed extra rem. Magis è re est C. *Cum creatura* 11. de Celebratione Missarum, vbi Honorius III. ait, *Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro Anniuersarijs defunctorum, & pro festo, vel feria secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Sed in primis iuxta Sà V. *Lex* n. 6. & Azorem tomo 1. L. 5. C. 6. q. 5. post Sylvestrum V. *Præceptum* q. 2. & post Armillam eodem V. n. 7. verbum præcisè *Mandamus* non imponit obligationē grauem. Deinde nō constat, iuberi à Pontifice, vt quolibet die celebretur conuētualiter. Satis est ad verborum sensum, vt si, aut quando celebretur pro defunctis, vel pro festo, vel pro feria, sit secūdùm temporum congruentiam, & in hoc nullus torpor negligentiæ obrepat. Affertur etiam pro communi opinione cō suetudo vim legis adepta, cuius indiciū est scandalum, quod sequeretur, & non mera admiratio, si vltrò omitteretur Missa solemnis in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, aut Conuentuali, siquidem à fidelibus alantur Canonici, vt altari, & Choro inseruiant, & vt Dei cultum in templo iugiter conseruent. Hæc ratio me mouet, vt assentiar communi sententiæ; quam quorundam esse dixit Sà verbo *Missa* n. 49. sed omnium ferè est, qui post Sà scripserunt; sequunturq; Sotum in 4. Dist. 13. q. & art. 2. V. *Dubiū autem est*; & discedunt à Francisco de Victoria in Summa n. (mihi) 86. cuius hæc sunt verba, * Canonistæ dicunt, quòd Ecclesias Collegiatas, & Rectores earū obliget præceptum illud; ita quòd si eorum defectu non dicatur aliquo die Missa, peccarent mortaliter. Ego credo, quòd nō est peccatum mortale. * Diana parte 2. Tract. 14. Res. 76. retulit dictum Victoriæ, & cum illud præterierit absque censura, visus est approbare. Sed postea parte 10. Tract. 12. Res. 40. conceptis verbis communem sententiā tuetur contra Nostrum Thomam Tamburinum L. 1. de Missa C. 6. §. 2. n. 4. cō tendētem, esse probabile dictum Victoriæ, eo quòd non constet de præcepto grauitèr obligante, neque de suscepto tāto onere à prefatis Ecclesijs ob institutionem in Collegiatas. Adijcit Sotus suprà, & benè etiā meo iudicio, * In Ciuitate, vel in Oppido populoso, vbi multæ essent Parœciæ, non satis esset in Cathedrali, seu Collegiata quotidie celebrare, sed necesse est in Basilicis etiā Parœcialibus, ad quas populus confluere possit, Sacrum facere. * Quod intelligo de priuato, celebrando, si non in omnib⁹ quotidie, saltem in aliquibus.

6 Quoad Regularium Ecclesias non potest certa, constansq; decisio proferri, nisi priùs constet de obligatione, quā vnaquæque habeat ad cantū Missarum, & ad Chorū, an sit sub peccato mortali, an solùm sub veniali, vel an etiā ex vi solius regulæ dirigentis? quippe ex vi iuris communis non apparet, vnde teneantur ad Missarum cantum. Notarim tantummodò, etsi consuetum fuerit in Regularium Ecclesia facere quotidie, vel saltē die festo, Sacrum solemne, non sufficere id præcisè, vt si aliquando intermittatur, peccetur grauiter, si enim regula sic non obliget, neq; obligabit sic consuetudo fundata in regula ipsa. Sed cauere oportebit, ne sequatur scandalū. Legatur Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellētijs Sacerdotij Diffic. 2. dub. 3. ex n. 10. De Ecclesijs Societatis Nostræ nihil dico, cum nec regula, nec cōsuetudo ferat, vt in eis quotidie celebretur Missa Conventualis, neque etiam plerisque diebus festis.

7 In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis non modò vna Missa, sed duæ etiā debent cantari eodē die, quando festū duplex, aut semiduplex, aut Octaua concurrit cum feria priuilegiata, quales sunt feriæ Quadragesimæ, Vigiliarum, quatuor Temporū, & Rogationum. Sic enim iubetur in Rubricis generalibus tit. 3. n. 1. & tit. 7. n. 2. Etsi autē ibi legatur, *Cantātur, Dicuntur duæ Missæ*, quorum verborum neutrum est imperatiuum; nihilominus perinde ibi est, ac imperatiuum, vt & in omnibus ferè alijs regulis earum Rubricarum, siquidem plerumque vtantur verbo indicatiuo, & non imperatiuo. Cæterū esto valeat tanquam imperatiuum, restat dubitare, num iubeat sub culpa graui? Nō enim verbum imperatiuū præcisè prolatum inducit onus sub peccato lethali; neq; omnia præcepta Rubricarū eo modo obligāt, sed ea tātū, quæ præscribūt principaliores ritus, ac cęremonias. Vtrū verò decantatio duarū Missarum eo casu sit vnus ex principaliorib⁹ ritibus? Dirimēdum est iudicio prudentis viri.

Sacra Rituum Congregatio anno 1626. die 16. Maij fertur, * Statuisse tanquã de re grauissima, Missam de feria priuilegiata in Cathedralibus, & Collegiatis nullatenus omittẽdam esse, sed omnino adstantib⁹ Canonicis, & assignata distributionum portione cantandam esse post Nonam, non obstante quacumque consuetudine contraria, quam eadem Sacra Congregatio sustulit, & in posterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pij V. quę præceptũ continet.* Ita ex Gauanto p. 3. in Rub. Mis. tit. & n. 11. refert Diana parte 2. Tract. 14. Resol. 76. additque, *Non reticebo tamen, contrariam sententiam docere Andream Castaldum. Sed dicet aliquis, an si opinio Gauanti esset vera, & de dicta Declaratione Cardinalium constaret authenticè, &c.* Quibus verbis ostendit se ancipitem circa authenticam authoritatem præfatæ Declarationis. Ast postea in parte 10. Tract. 12. Resol. 40. integrã fidem ei defert, quia vidit, esse delatam à Marchino Tract. 3. de Ordine parte 2. C. 30. n. 7. Leandro parte 2. de Sacramentis Tract. 8. D. 5. q. 9 Ascanio Tamburino, Hieronymo Garcia, & alijs. Quicquid sit de eius Declarationis authentica authoritate, quã inficiatur Thomas Tamburinus L. 1. de Missa C. 6. §. 2. n. 7. quicquid etiam sit de alijs Declarationibus apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum, Collectanea 487. mihi videtur, Rubricarum præceptum quoad duas Missas in illo casu esse de re graui, pertinente que magnopere ad Officium, cultumque diuinum in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis.

8 Quarum nomine quia Regularium Ecclesię non comprehenduntur, præsertim in onerosis, sed propriè vocãtur Conuentuales, de quibus in prefatis Rubricis non est sermo, ideo ampliandũ non est præceptum illud ad eas, fauetq; vsus, tametsi sint ex obligatis ad cantum Missarum, & ad Chorum. De quibus noto cum Diana par. 5. Tract. 13. Res. 51. Missas Conuentuales in eis celebratas posse liberè applicari iuxta arbitrium, & intentionem celebrantium, aut Prælatorum, quia nihil impedit, quominus ita fiat, nisi ex pacto speciali obligatus sit Conuentus ad celebrandum pro aliqua persona particulari. Est de more apud plerasque Religiones, vt Missæ Conuentuales applicentur pro Communitate: quòd si ex Prælatorum iussu contingat offerri pro persona aliqua particulari, suppletur per priuatas Missas applicatas pro Communitate.

9 Ex dictis infertur, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicẽdas esse ex obligatione graui duas eodẽ die Missas, vnam pro defunctis, aliam de festo simplici, vel feria, quando ordinatur in Rubricis generalibus tit. 5. n. 1. vbi expressè eximuntur ab obligatione Ecclesię non Cathedrales, nec Collegiatæ. Quoad Ecclesias verò Regulariũ quatenus Missa Conuẽtualis, & solẽnis nõ debeat esse semper cõformis Officio horarum Canonicarũ, sed possit esse votiua, aut de Requiem maximè in ferijs, aut in festis simplicibus, videantur Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 2. dub. 3. n. 17. Leander p. 2. de Sacramentis Tract. 8. D. 5. q. 12. Patetque ex dictis differimẽ inter Ecclesias Regulares, & Cathedrales, atq; Collegiatas Sæculares.

10 Opinio aliquorum, quòd singulis diebus in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis celebrandum sit solemniter pro Anniuersario defunctorum, & de festo, aut feria, est iã antiquata, imo est opposita praxi, & decretis Ecclesię, quę prohibet Missas defunctorum in nõnullis diebus. C. *Cum Creatura*, cuius verba transcripsimus suprà, non fauebat illi opinioni, tum quia non loquitur de dupli ci Missa in eodem die; tum quia, etsi loqueretur, intelligitur satis benè in sensu illationis proximę.

SECTIO II.

De tempore, quo tenẽtur ad Missæ celebrationem Episcopi, Parochi, Canonici, Beneficiarij simplices, & Religiosi.

Episcopi.

11 EOS *non decet, vt sine Missa celebranda, vel audienda transeant vllam diem absque rationabili causa*, vt dicitur C. *Quoniam* de Priuilegijs in 6. Per quę verba non imponitur obligatio celebrandi, vel audiendi Sacrum quotidie, sed dicitur, non decere Episcopos, si omittãt celebrationem, auditionemque Missæ quotidianam. Potest autem aliquid non decere, quin sit peccatum

tum lethale, nec veniale, sed mera moralis imperfectio respectu personæ, quã non decet. Vnde vi præcitati C. minimè peccabit Episcopus, quanquam trãseat aliquem diem, quin celebret, & quin audiat Sacrum. Neque item peccabit, si omissa celebratione eligat auditionem. Neq; item peccabit, si vtramque omittat ex rationabili causa, infirmitatis v.g. aut negotiorum, aut itineris non interrumpendi. Et independenter à C. illo, censeo, Episcopos non esse obligatos celebrare quotidie; quanquã, nisi occupationes graues sui officij excusent, teneantur celebrare sæpiùs, quã alij Sacerdotes, postulat enim maiorem frequentiam tum præcellens dignitas Episcopalis, tum exemplum, quo præluçere debent cæteris Sacerdotibus. Et olim quidem quotidie sacrificabant Episcopi, vt ostendunt hęc S. Cypriani verba in Epistola 54. ad Cornelium, *Non pœnitet, pacem* (id est, Eucharistiam) *concessisse tam fortibus; imò Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est, pacem dedisse Martyribus, vt Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus.* Sic S. Cyprianus, legẽdus etiam in Epist. 69. ad Florentium Pupianum. Et ex Actis S. Andreæ, ex S. Dionysio Arcopagita Epistola 8. ex S. Gregorio Magno L. 5. Dialogorum C. 56. & Homilia 37. in Euangelia constat, S. Andream, S. Carpum, & S. Casium Episcopos operatos esse Sacris quotidie. Videantur Salmeron tomo 9. Tract. 41 pag. 441. Franciscus Antonius in Considerationibus de Mysterijs Missæ L. 3. C. 5. Suarez L. 2. Defensionis fidei Catholicæ C. 6. n. 9. Vvalterius de triplici cœna Christi C. 47. cœna 3. Respexit ad antiqua exempla Concilium Compostellanum apud Baronium anno 1056 n. 16. dum iussit, vt ab Episcopis Missa quotidie celebretur; quanquam Concilium Toletanum in Oppido de Aranda anno 1473. Constitutione 12. contentum fuerit, si ter in anno sacrificent, & quater alij Sacerdotes.

Parochi.

12 TENENTVR tam frequenter celebrare, *vt suo muneri satisfaciant*, prout inquit Concilium Tridentinum Sess. 23. Decreto de reformatione C. 14. Quarè debent celebrare per se, vel per alios diebus illis, quibus Parochiani obligantur audire Sacrum, & quibus cum Sacro benedictio nuptialis est danda, & sepeliendum corpus defuncti. Nam Parocherum officium est, providere suis Parochianis de necessarijs ad salutem æternam, & ad obseruãtiam mandatorum Dei, atque Ecclesiæ; & in hunc finem à Parochianis sustẽtantur decimis, ac oblationibus. Quod si Beneficij curati sint redditus opimi, & populus sit numerosus, ita vt non possit vni Sacro interesse, incumbet Parocho onus quærendi Sacerdotes mercenarios, qui celebrent tot Sacra, quot necessaria fuerint pro multitudine populi, nisi vltrò se offerant Sæculares Sacerdotes alij, aut nisi in Oppido commorentur Regulares Sacerdotes, ad quorum Ecclesias, & Missas queant Oppidani concurrere. Quanuis verò in Ciuitate sint multa templa siue Regularia, siue Sæcularia, ad quæ possint fideles cõuenire pro audiendo Sacro, non ideo omnino excusatur Parochus à procurandis Missis solemnibus, & priuatis in sua Ecclesia, nã Parœciani volunt satis rationabiliter, offerri Sacrificia in templis, in quibus Maiores sui consanguinei, affines, & contubernales sunt sepulti, cupiuntque iustè frequentiam ædis suæ sacræ Parœcialis.

13 Concilium Tridentinum suprà indicat, Parochos teneri ad celebrandum non solùm diebus Dominicis, & festis solemnibus, sed etiam alijs diebus profestis, nam cum iniunxisset Episcopis, vt curarent, quòd diebus Dominicis, & festis solemnibus simplices Sacerdotes celebrent, addidit, *Si autem curam habuerint animarum, eam frequenter, vt suo muneri satisfaciant.* Voluit igitur Cõcilium maiorem frequentiam in Parochis; vel saltem voluit, vt possent Episcopi adstringere, & compellere Parochos ad eam, attenta Parochianorum multitudine, & quãtitate fructuũ, qui ex Beneficio curato percipiuntur.

14 Sotus in 4. Dist. 13. q. & art. 2. V. *Dubium autem est*, ait, ✻ In profestis diebus tenetur vnusquisque Parochus pro ratione decimarum, & stipendij, vel quotidie, vel aliquando celebrare. ✻ Vazquez D. 232. Cap. 1. n. 12. & 13. approbat doctrinam Soti, si sint aliqui Parochiani, qui possint, seu

potiùs velint audire Missam ex deuotione rationabili; non secus ac si velint accipere etiam ex deuotione, non vrgente præcepto, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, debet Parochus administrare illa. Est mihi valdè probabilis hæc doctrina, si limitetur, ne ob vnius, aut alterius deuotionem cogatur Parochus ad assiduam celebrationem, & ne ob multorum ad quotidianam, vt aduertit Gaspar Hurtadus D. 4. de Sacrificio Missæ Diff. 1. V. *Nihilominus*, nisi Ecclesiæ sibi traditæ fundatio, vel consuetudo legitima, quæ non dependeat à mera liberalitate aliorum Curatorum, vel pactum cum Parochianis, vel Constitutio Synodalis postulet quotidianam eam celebrationem Parochi per se ipsum, vel per alium Sacerdotem substitutum. Notatque Suarez D. 80. Sect. 2. V. *Dico tertiò*, Parochum, si solus sit, non esse cogendum facere quotidie rem diuinam, quia esset nimis rigida, & onerosa obligatio, quamuis teneatur frequenter id præstare, imò & regulariter non omittere absque aliqua causa. Quod intelligo iuxta temperamentum paulò antea propositum.

15 Ex eadem Vazquij doctrina deduci potest, Parochum teneri in Natiuitate Domini celebrare tres Missas, si Parochiani ex deuotione, (quæ procul dubiò rationabilis erit) velint audire totidem, quanquam, vt præcepto satisfaciant, vna sufficiat. Sed quia responderi non ineptè potest, facultatẽ dicendi tunc duas, aut tres Missas esse ex priuilegio, ad cuius vsum non debet obligare Parochianorum placitum, aut deuotio, ideò non minus probabiliter excusari potest Parochus, ne celebret plusquàm semel in Natiuitate Domini: quæ est sententia pluriũ apud Barbosam parte 1. de Officio, & potestate Parochi C. 11. n. 8. Sed limito, nisi consuetudine firmatum sit, vt tres Missæ cum solemnitate cantentur in templo Parochiali.

16 Insurgit iam grauis difficultas, an Parochus teneatur offerre, & applicare Missam pro suis ouibus in illis diebus, in quibus debet celebrare Missam coram ipsis? Affirmauit Sotus L. 9. de Iustitia q. 3. art. 1 inquiens ✻ Paræcij iure decimarum quotidie celebrare tenentur pro sua Parœcia, si modò fructus satis sint ad ipsos alendos; sin minus pro eorum quantitate, vel ter, vel quater in hebdomada: ad iudicium Antistitis, quod tutius est; vel ad arbitrium prudentum. Quotidie, inquam, pro humana fragilitate, nam licet vno, aut altero die cesset, seu quia nõ se præsentiscit idoneum, vel animi laxandi gratia, non ideo constituitur in culpa. Vnde & monitum hoc adhibendum est, quòd legitimus Pastor, si per fas, vel nefas non resideat, tenetur iustum alimentum Vicario suppeditare, vt possit tot Missas celebrare, quot ipse teneretur, ne Vicarius causari possit, non sufficere sibi victum, nisi aliunde pitantias corrodat. ✻ Sic Sotus, qui in 4. Dist. 13. q. & art. 2. breuiùs scribit, ✻ Præter applicationem, quę fit generaliter ab Ecclesia, tenetur Sacerdos pro suis Paræcianis, à quibus decimas, vel stipendium sumit, applicare. Quare tunc non potest Sacrificium alijs illud tribuere. ✻ Sotum sequutus est Sà maiori ex parte verbo *Missa* n. 44. dicens, ✻ Non posse Parochum, cum suppetũt ad victum necessaria, debeatque pro ouibus sæpe Missas offerre (quòd si non suppetant, saltem debet pro ratione fructuum) nõ, inquã, posse accipere passim pro illis stipem ab aliquo, qui pro se velit offerre. Interdũ verò posse, non negauerim. ✻ Hi sunt Authores principes partis affirmantis. Post quos aliqui eam temperant, vt Parochus sit obligatus applicare pro ouib⁹ Missas in præcipuis solemnitatibus Domini, & in diebus Dominicis, vel saltẽ semel in hebdomada. Alij aduertunt, standum esse consuetudini, nam alicubi est in vsu, vt Missæ in diebus festis, & Dominicis, alibi in tribus diebus hebdomadæ, & alibi in singulis diebus offerãtur à Parocho pro populo. Alij relinquunt prudentum arbitrio designationem dierum quotannis.

17 Probatur hæc sententia primo ex Paulo ad Hebræos C. 1. à V. 1. vbi Apostolus ait, *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis. Qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet quemadmodùm pro populo, ita etiam, & pro semetipso offerre pro peccatis.* Circa quæ Apostoli verba considerentur hæc S. Laurentij Iustiniani de Institutione, & regimine Prælatorum C. 10. *Ad hoc procul-*

proculdubiò præficiuntur plebibus, ob hoc pastorale illis ministerium traditur:: vt pro illis orent assiduè, offerantque pro earum sceleribus Deo grata libamina, quemadmodùm Apostolus perhibet dicens, &c. *Discant ergo qui præsunt, quotidie obsecrare pro populo; discant, inquam, Dominici corporis sacrosancta mysteria iugiter immolare pro plebe.* Probatur secundò ex Concilio Tridentino Sess. 23. Decreto de Reformatione Cap. 1. incipiente his verbis, *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre,* &c. Hanc Concilij authoritatem censuit ex Marchino Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 30. num. 1. Leander Tract. 8. D. 5. q. 5. esse manifestam pro sententia affirmante; & quia Cardinalis de Lugo D. 21. sect. 1. n. 19. negantem appellarat cõmunem, reponit ipse Leander, * Sic Concilium, & sic omnes Doctores, licet inter illos dissensio sit in determinando, qualib⁹ dieb⁹ ad hoc Paroch⁹ obligetur* Enimverò qui sic censuit de sententia affirmante, debuit vocare eam certam in responsione ad quæstionem, non contentus appellasse probabiliorem. Quæ probatur tertiò, nam redditus Beneficij curati percipiuntur à Parocho non tantùm pro onere pascendi oves verbo, & pro Sacramentorum administratione, sed etiam pro applicatione Missarum in ipsarum spirituale emolumentum, bonumque quodcumque comparabile ex Missis. Probatur quartò ex duplici Declaratione Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, quarum prima edita anno 1625. vel 1626. Vrbani Papę VIII authoritate super Decretis eiusdem Congregationis de Celebratione Missarum, in responsione ad 4. ait, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas etiam pro alijs Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.* Secunda edita anno 1629. inquit apud Barbosam Collectan. 555. Apostolicarum Decisionum n. 2. & de Officio, potestate q; Parochi C. 11. num. 13. *Missam, quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non posse pro ea manualem eleemosynam recipere.*

18 Sed hæ probationes non conuincunt intentum. Non prima, nam respondetur, satis esse ad verba Apostoli, si Parochus teneatur sacrificare pro populo ex generali intentione, & applicatione, qua Missa offertur pro omnib⁹ fidelibus, & præcipuè pro ipsi interessẽtibus. Difficultas autem proposita versatur de obligatione Parochi ad specialem intentionem, & applicationem pro suis ouibus, non secus ac si ab eis accepisset competens stipendium manuale. Addo, Apostolum dicere, teneri Pontificem *quemadmodùm pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Nullus verò hactenus affirmauit, Parocho incumbere onus offerendi specialiter pro se ipso Missas. Vlteriùs addo, Apostolũ non dicere, Pontificem, aut Sacerdotẽ, cui populi cura est commendata, teneri ex iustitia sacrificare ratione Beneficij, siue reddituum ex eo obuenientium pro populo; de quo debito ex iustitia procedit difficultas; quicquid sit, an velit Apostolus, Parochum esse adstrictum ex charitate; cum qua obligatione staret iuxta plures, vt posset à fideli quouis obuio Parochus accipere pitantiam eius etiam Missæ, quam deberet ex charitate offerre pro subditis sibi cõmissis. Et quidem Coninch q. 83. art. 1. dub. 11. num. 199. Layman Lib & Tract. 5. Cap. 4. num. 3. agnoscunt in Parocho obligationem ex charitate, & non ex iustitia. Vnde Coninch scribit, * Parochi ratione Beneficij Parochialis præcisè non tenentur vlla ordinaria Sacra pro suis Parochianis celebrare. Ita Suarez D. 86. sect. 1. Probatur, quia dantur illis decimæ propriè, vt suis Sacramenta ministrent, concionentur, ac divina Officia debito tempore celebrent; non autem vt pro his, vel illis orent, aut sacra faciant. Dixi, non teneri ratione Beneficij, siue stipendiorũ, quæ accipiunt; quia videntur ratione Officij sui saltem ex charitate teneri aliquando pro suis subditis orare; quod conuenit saltem, per oblationem Sacrificij fieri. Sed quanta hæc obligatio sit, & quoties obliget, non ita facilè potest definiri; sed ex circumstantijs prudentis iudicio æstimandum est. * Hactenus Coninch. Et quod de Parochis expresserat sapientissimus is Author, extendit æquiori, vel æqua ratione Layman ad Papam, Episcopos, & Ordinum Prælatos. De quibus tamen Authores non solent docere, obligatos esse ex iustitia ad offerenda Sacra specialiter pro vniuersa Ecclesia, pro Diœcesi, pro Cõmunitate,

munitatē, quibus præſunt, non minus alto, & perfecto modo, quàm Parochus ſuæ Paræciæ. Imò quia talis obligatio eò vſque non fuerat aſſerta, nec per cōſuetudinem ad praxim reducta, arguebat inde ſuo tempore Suarius D. 86. S. 1. V. *De Beneficijs*, nec Parochos ea adſtringi ad ſacrificandum ſpecialiter pro ſuis Paræcianis. Et quanuis paritate coacti aſſerant iam nonnulli, Prælatos Regulares debere ex iuſtitia ſacrificare aliquando pro ſuis ſubditis, exiſtimo, pleroſque Prælatos immemores eſſe huiuſmodi obligationis, nullamq; eius rationem habere.

19 Probatio ſecunda manet eneruata ex dictis ad primam. Addo probabiliter, etiam ſi præceptum iuris diuini, vel Concilij Tridentinij imponeret obligationem particularis applicationis, ſubintelligi debere, accedente Eccleſiæ determinatione quoad tempꝰ, cum tale præceptum ſit latum indeterminatè: hactenus autem non acceſsit determinatio Eccleſiæ. Sed de hac additione iterùm in ſect. 4.

20 Tertiæ probationi reſpondetur, Parochos ſubditos eſſe multis alijs oneribus, quibus dignè reſpondent redditus Beneficij, & decimę, quin opꝰ ſit, vt inter onera computetur ſpecialis oblatio, & applicatio Miſſarum pro ſuis ovibus.

21 Ad quartam dicitur, non eſſe ſermonem de Parochis in priori Declaratione; nam etſi in ea legatur, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij*, & c. veriſimile eſt, nomine Beneficij intelligi ibi Beneficium ſimplex, in quo militare poteſt ſpecialis ratio. Sed quanquam ſermo eſſet etiam de curato, patebit ſolutio ex reſponſione ad poſteriorem Declarationem. In qua quidem expreſsè eſt ſermo de Parochis, diciturque, hos non poſſe recipere manualem eleemoſynam pro Miſſa eis in diebus, in quibus tenentur celebrare. Aſt Declaratio (de cuius authentica authoritate omitto movere litem) non aperit, vnde deriuetur onus celebrandi; & dum non decernat, eſſe obligationem, quæ oritur ex Beneficio curato præcisè, nihil oberit nobis. Poteſt enim prouenire ex multis alijs capitibus; poteſtque Parochus, nata obligatione ex vno eorum ad celebrandum, teneri non recipere manuale ſtipendiū. Et in primis ſi accepit eleemoſynam pro Miſſa certi diei, aut ſub pacto de tradēda ipſi eleemoſyna promiſit Miſſam certi diei, non poteſt pro eadem Miſſa ſuſcipere aliam ſtipem. Deinde ſi alicubi extet conſtitutio Synodalis, aut Epiſcopi præceptum, aut conſuetudo recepta, aut Parochialis Eccleſiæ fundatio particularis, aut curati Beneficij inſtitutio ſpecialis, vt Parochus ſingulis diebus, vel tribus v. g. in hebdomada ſacrificet pro ſuis Paræcianis, tunc ei non licet reportare pitantiam à ſuis ovibus, aut ab aliena, quæ pro ſe ſpecialiter applicari Miſſam petat die deſignata ad ſacrificādum pro Paræcianis.

22 Doctrinam hanc ante Declarationē Cardinalium tradiderat Hēriquez Lib. 9. Cap. 22. §. 6. his verbis, ✠ Parochus illis diebus, quibus ex iuſto Epiſcopi imperio, & ex iuris, aut conſuetudinis præcepto tenetur offerre Miſſam pro ſuis ovibus, non poteſt Miſſam ſic debitam offerre ſpecialiter pro alieno ſtipem contribuente: (vt Capellanus ſatis ſtipendijs auctus non poteſt à Patrono, vel alio novam ſtipem accipere) niſi Beneficium Parochi eſſet ita tenue, vt illum congruè non alat; nec Parochiani aliter per collectarum contributionem prouideant congruę Paſtoris ſuſtentationi. Poteſt etiam Parochꝰ dives capere à ſuis, quando Parochiani ſcientes, Parochum obligatū ferè quotidie celebrare pro Parochia pinguí, ita legata Miſſarum faciunt, vt tacitè velint, Miſſas à Parocho dici: hi enim de ſuo iure decedentes contenti ſunt fructu, quem Parochus iuxta ſecundam intentionem ſibi applicat; cum tamē iuxta primam offerat pro Parochia. ✠ Sic Henriquez: quem cum alijs citat, & ſequitur Caſtro Palao Tract. 22. D. vnica puncto. 13. num. 8. necnon Cardinalis de Lugo D. 21. ſect. 1. à num. 21. Si ob ſolam conſuetudinem offerant alicubi Parochi Sacrificia ſpecialiter pro ſuis Paræcianis, refert ex Poſſevino Cap. 2. de Officio Curati num. 4. Antoninus Diana parte 2. Tract. 14. Reſ. 26. eam conſuetudinem non obligare ſub mortali, quando de hoc onere non conſtat ex tabulis Eccleſiæ, vel ex præſcripto Epiſcopi, cum in præiudicium alicuius non ſit inducenda obligatio ſine claris probationibus. Sed certè Poſſevinus negare non debet, nec poteſt, conſuetudinē

poſſe

posse alicubi esse tam receptam, vt faciat claram probationem, & non meram coniecturam, licet rationabilem. Casu autem, quo consuetudo sit tam recepta alicubi, inducet ibi grauem obligationem, si quidem materia sit capax obligationis grauis, nisi aliunde constet, introductam esse consuetudinem sine intentione obligandi grauiter, aut etiam sine intentione obligandi vllo modo: nisi item constet de variatione in circumstantijs, potuit enim consuetudo fundari in Beneficij prouentibus opimis, qui tamen postea imminuti sint, atque adeò non sufficiant ad sustentationem Curionis; sed is egeat subsidio ex eleemosynis Missarum. Vbi noto, si alicubi fuerit imperium Episcopi, aut Constitutio Synodalis, oportere, vt examinetur, quam vim obligãdi habeat, graviterne, an leviter? Materia de se capax quidem est obligationis gravis, vt dixi, attento Parochi Officio.

23 Verùm tamen quia (vt discurrunt Suarez D. 86. sect. 1. V. *De Beneficijs*, Vazquez D. 234. Cap. 4. num. 27. Gaspar Hurtadus D 4. Diffic. 16. Thomas Tamburin⁹ L. & C. 2. de Missa §. 16. n. 4. Franciscus de Lugo L. 5. Cap. 11. q. 2. post suum fratrem Eminentissimum Cardinalem de Lugo suprà, & Stephanus Bauny Tract. 10. q. 13. de Parochis) nec ex iure diuino, nec ex vllo alio communi, nec ex consuetudine vniuersali probatur obligatio Parochi ad Sacra specialiter offerenda pro suis ouibus, ideo talem obligationem in Parocho per se negamus cũ communi, imò & communiori Theologorum iudicio, vt testatur Auersa q. 11. sect. 17. V. *Alij tamen*, vbi plures citat; possentque, si opus esset, multò plures addi à nobis. Quam sententiam supponere videntur ordinariè fideles, siquidem sæpe oblato, & dato stipendio petant à suis Parochis Missas, solvantque eleemosynam earum, quas Parochi celebrant tam priuatim, quàm solemniter pro defunctis filijs, alijsque consanguineis, aut affinibus Paræcianorum. Nec solùm negamus obligationem ex iustitia, sed etiam ex charitate ad Sacra applicanda specialiter pro Paræcianis, cum satis sit applicatio generalis, & orationes communes, nisi aliquando (vt ait Castro Palao suprà num. 7.) gravi aliqua necessitate premantur, ad cuius remedium credat Parochus, specialem Sacrificiorum applicationem necessariam esse; quod vix, vel raro contingere potest.

Canonici, & Beneficiarij simplices.

24 CANONICI Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum tenẽtur toties celebrare, quoties postulet Prębenda habens annexum onus celebrandi in eis. Quo de onere videndum est Concilium Tridentinum Sess. 22. Decreto de Reformatione C. 4 Sess. 24. Decreto de Reformatione Cap. 12. Sed de Canonicis, & cæteris Beneficiarijs simplicibus, qui debent sacrificare solemniter, aut priuatim certis diebus in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiali, aut Parochiali, quæritur, an per se teneantur offerre specialiter Sacra pro intentione, vel obligatione Ecclesiæ, in qua celebrant, vel potiùs possint offerre pro eo, pro quo voluerint, siue accepto, siue non accepto stipendio? Scripsi, *An per se teneantur*, nam per accidens teneri aliquãdo ex fundatione Ecclesiæ, aut Beneficij, vel ex consuetudine recepta ad offerendum pro bono Communitatis, vel Capituli, vel particularis personæ, cui ex pacto devinxerit se Ecclesia, citra dubium est. Versatur itaque quæstio, quando nulla ex his circumstantijs concurrit. Et tunc respondeo, relinqui arbitrio Canonici, aut Beneficiarij applicationem specialem Missæ, & quòd referat, aut non referat stipendium ab eo, pro quo applicet. Ratio est, quia obligatio celebrandi statis hebdomadis, vel dieb⁹ in tali templo, qualem habent prædicti Canonici, aut Beneficiarij, non infert per se eam aliam obligationem, non enim ex diversis fit illatio, *l. Obligationum substantia §. 1. ff. de Actionibus, & obligationibus*, & præsertim in odiosis, *l. Papinianus ff. de Minoribus*. Constatque à fortiori ex dictis in difficultate præcedenti. Quoad præsentem verò obligatio, vt Canonici, aut Beneficiarij celebrent, censetur satis prudenter, in eum finem esse, vt cultus Dei cum decoro, & maiestate floreat, aut vt populus habeat Sacra, quibus cõmodè interesse queat, templique celebritas vigeat.

25 Solet opponi Cap. *Cum creatura*

tura 11. de Celebratione Missarum. Sed obijcitur tractum quasi vnco, nam ibi tantùm decernitur, vt pro Anniversarijs defunctorum non omittatur in Ecclesijs Collegiatis Missa de festo, aut de feria. Quòd autem Missa de festo, aut de feria nequeat ad libitum celebrantis applicari specialiter pro hoc, aut illo, nullatenus insinuatur. Maiorem vim continet Declaratio Cardinalium primo loco superiùs proposita. Sed intelligenda est, quatenus Sacerdos, qui ratione Beneficij, seu Capellę, aut legati, aut salarij teneatur ad Missas dicendas, & applicandas specialiter pro aliquo certis in diebus, non possit eisdem Missis satisfacere fidelib⁹, qui, vt pro ipsorum intentione celebretur, præstiterint stipendium, aut promiserint. Hoc autē in sensu, qui videtur legitimus, Declaratio Cardinalium nihil nos lædit. Legantur Cardinalis de Lugo D. 21. sect. 1. à num. 20. vsque ad finem Sectionis, Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 23. num. 436. Rursus opponitur, deesse in Canonico, aut Beneficiario titulum ad reportandum stipendium pro Missa, quam ex obligatione Præbendę, aut Beneficij celebrat, nam titulus, qui honestare potest stipendij à Sacerdote susceptionem pro Missa, est sustentatio. Sed hanc sufficienter habet Canonicus, aut Beneficiarius ex redditibus Præbendæ, aut Beneficij. Ergo, &c. Sed respondeo, redditus esse in pretium, & compensationem multorum onerum, quibus subest Canonicus, aut Beneficiarius circa assistentiam, & seruitium in templo; inter quæ onera non est leue illud, quod consistit in obligatione antecedenti celebrandi Missas tali loco, & tempore. Vnde etsi ex illis redditibus valeat cōgruè sustentari, fas adhuc ipsi est, pro oblatione speciali Missarum accipere aliquid temporale per modum stipēdij, quo sustentetur, vt latiùs explicabitur in Disputatione de iusto Missarum stipendio.

26 Nunc quoad Canonicorum Missas animaduerto, si ab ipsis titulo Capellaniæ, vel manualis eleemosynæ, aut ex deuotione celebrentur tempore, quo in Choro cantatur Officium diuinum, obesse hanc à Choro absentiam, quominus ipsi lucrentur distributiones quotidianas, nisi ipsis faveat privilegiū Pontificis, vel consuetudinis legitimo tempore præscriptæ, aut nisi Præfectus Chori disponat, vt tunc temporis peragat Sacrum aliquis Canonicus ob defectum aliorum Sacerdotum, quorum ministerium desideretur. Circa quam animaduersionem latè, & doctè Bonacina D. 4. de Sacram. q. vlt., puncto 5. §. 5. n. 7. & D. 2. de Horis Canonicis q. 5. puncto 3. §. 4. Barbosa de Canonicis Cap. 25. num. 12. Lib. etiam 3. de Iure Ecclesiastico C. 28. num. 78. Castrus Palaus Tract. 7. D. 3. puncto 9. §. 12. num. 6. Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 35.

Religiosi

27 SACERDOTES tenentur celebrare valde frequenter, imò & magis assiduè, quàm alij non Religiosi, vt obseruat antiquus Theologus Aureolus in 4. Dist. 9. q. 2. articulo vnico, §. *Secundò dico*, tum propter maiorem perfectionē sui status, tum propter exemplum Communitatis, in qua degūnt, tum propter ędificationem Sęcularium. Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 2. dub. 1. num. 20. cum Ascanio Tamburino ait, deduci clarè ex Clementina *Ne in agro §. Sanè, de Statu Monachorum*, obligationem grauem vi iuris communis Regularis, vt saltem semel in mense litent Religiosi quicumque Sacerdotes. Non assentior nam obligatio, de qua in præfato §. tantùm est, vt Monachi nigri *in prima Dominica mensis cuiuslibet in Monasterijs semper communicent, nisi ex causa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs Monasteriorum non differant intimare, eorumque iudicio, vel abstineant, vel accedant.* Quare si Sacerdos, qui sit Monachus niger, communicet more Laico, non tenebitur celebrare; & neque ad primum tenebitur in Dominica prima mensis, si tunc temporis maneat extrà Monasterium, vt cum Bartholomæo à S. Fausto acutè notat Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 3. sect. 2. num. 89. Imò neque ad primum absolutè teneri sub peccato veniali, nedum mortali, probabilis est multorum opinio apud eundem Pellizarium ibi, & sect. 1. num. 12. quippe intelligant Clementinæ verba non per modum præcepti, sed consilij dati pro Monachis nigris. Et quicquid sit de his, non esse ea extendenda ad alios

Monachos

Monachos non Benedictinos, multòq; minus ad alios Religiosos non Monachos, cum versemur in odiosis, est etiã valde probabile multis post Glossam ad dictam Clementinam V. *Singuli.* Quapropter reprobata assertione Hieronymi Garciæ modus frequentiæ determinandus est iuxta vniuscuiusque Religionis consuetudinem, aut regulam.

28 In nostra Societate iubet S. P. Ignatius Cap. 4. Examinis generalis §. 25. vt *qui Sacerdos sit, confiteatur vt minimùm octauo quoque die, & crebriùs Missæ Sacrificium offerat.* Rursus parte 8. Constitutionum Cap. 3. §. 2. inquit, *Sacramentorum frequentia valde commendetur. Differri autem non debet communio, aut Missæ celebratio sine causis, iudicio Superioris legitimis, vltrà octo dies.* Notatque P. Suarez tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 8. Cap. 3. num. 1. posteriorem hanc negationem non differendi vltrà octo dies explicandam esse per priorem affirmationem celebrandi crebrò, quã octauo quoque die. Vlteriùs in Regulis Sacerdotum Nostrorum n. 3. dicitur, *Ita viuere studeant, vt quotidie meritò celebrare possint; ad idque conducet (quanuis ex Constitutione octauo vt minimùm quoque die confiteri teneantur) sæpiùs in hebdomada confiteri.* Itaque ex vi regulæ non tenẽtur Sacerdotes Nostri quotidie celebrare, quicquid dicat P. Thomas Tãburinus Lib. 3. de Missa Cap. 3. §. 1. num. 7. Consuetudo tamen ab origine Societatis fuit, vt quotidie celebrent, nisi obstet ægritudo, aut rara aliqua, extraordinariave causa; quod de suo tempore testatur P. Suarez suprà, & de præsenti possum ego cum Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 9. sect. 1. numero 4: petuntque quotidianam ferè frequentiam onera Missarum iniuncta Sacerdotibus Nostris, & qui sine manifesta, & probata excusationis causa cessaret vno, vel altero die à diuino Ministerio, reprehenderetur à Superioribus. Sed non oportuit, S. Patriarcham Ignatium determinare, ac præscribere respectu totius Communitatis Sacerdotum Nostrorum quotidianam Liturgiam, quia in multo Sacerdotum numero possunt occurrere variæ causæ, & occasiones eã intermittendi.

29 De Religionibus alijs non ago, non enim mihi notæ sunt earum omniũ regulæ circa frequentiã operãdi Sacris. Sed nõ tacebo, fuisse olim Carthusiẽsib. prohibitum celebrare quotidie, vt innuitur in Compilatione 3. antiquorum Statutorum Cap. 1. constatque ex Petro Blesensi in Epist. 86. Iam tamen in nova Collectione Statutorum parte 2. C. 7. fuit reuocata ea prohibitio. Narrat de S. Odilone Abbate Cluniacensi Petrus Damiani in eius vita Cap. 2. n. 5. Sacrum feciſſe quotidie LVI. annis. *In quo facto liquidò deprehenditur, quàm diuturna, quàm indeficiens diuini amoris flamma beati viri pectus excoxit, quem nimirùm ob offerendis quotidie salutaribus hostijs cohibere tot curarum, tot ingruentium negotiorum solicitudo nonpotuit.* Tantùm ille. S. Raymundum de Penna forti ferè quotidie celebrasse, notatur in Bulla Clementis VIII. de ipsius Canonizatione. Infinitumque esset, accumulare prisca exempla quotidiani Sacrificij à Religiosis peracti.

SECTIO III.

De tempore, quo Capellani tenentur ad Missæ celebrationem.

30. CAPELLANORVM obligatio ad tot, & non pauciores Missas celebrãdas cognoscẽda est ex Capellaniæ fundatione, seu ex fundatoris voluntate designante numerum Missarum cum stipendio, quod competens sit, & conforme iuri: Tenẽturq; ex iustitia Capellani eum numerum explere ad vnguem, vt ita dicam, nisi legitimam aliquam excusationis causam habeant, quia alioquin facient contra institutionem Capellaniæ, & cõtra conuentionem, defraudabuntque mentem instituentis. Cuius etiam intentioni stare debent ex iustitia, vt cum multis alijs Doctoribus tradit Bonacina D. 4. q. vltima punct. 7. num. 6. pluresque alios allegat Leander Tract. 8. D. 5. q. 13. Quo puncto tanquam omnino certo præsuppositio, texam catenã quæstionum, apponamque brevem earũ resolutionem, non citatis tot Authoribus, quot consului: & occasione temporis, aut dierum, quibus obligantur, tractabo de loco, in quo debent celebrare, de qualitate etiam Missarum dicendarum, tandemque de Capellanorum necessitate, vel libertate, vt per se, vel per alios peragant Sacra.

Ca-

Catena Quæstionum de Capellanis.

31 PRIMA itaque quæstio est, num Capellanus, qui per se ipsum celebrare quotidie sit obligatus à fundatore, possit aliquando ex rationabiliter præsumpta fundatoris voluntate nō celebrare?

Respondeo, posse ob honestatem, & deuotionem. Ita expressè decretum est in C. *Significatum* 11. *de Præbendis*, vbi Alexander III. ait, *Significatum est nobis, quòd cuidam Sacerdoti Præbendam vnam in Ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita quòd Missam de Sancta Maria (nisi corporis infirmitate grauatus sit) debeat quotidie celebrare, & Ecclesiam vestram non nisi communi tam Præpositi, quàm Capituli consensu possit dimittere, vel cuiquam Præbendæ illius Anniuersarium delegare. Quam siquidem institutionem catenus confirmamus, vt prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequiū suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quātò frequentiùs potest (salua honestate sua, & debita deuotione) Missarum solemnia celebrare; nec sibi liceat hoc illi subtrahere, siue causa voluptatis, siue se ad aliam Ecclesiam transferendo.* Sic ibi. Et contrarium esset intolerabile onus, maximè respectu Capellani Sæcularis; cuius occupationes, & negotia, occasionesque passim occurrentes reddunt valde difficilem celebrationem quotidianam absque vlla intermissione, si illa futura sit (vt debet, & vt debuit velle fundator Capellaniæ) honesta, & deuota, præditaque cæteris requisitis, ne cum peccato saltē mortali fiat.

32 Dices, licitum est, & per se laudabilius, Sacerdotem quotidie sine intermissione celebrare. Ergo rationabiliter possunt fundator Capellaniæ, & ipse Capellanus velle celebrationem quotidianam sine vacatione, & ad eam imponere, atque acceptare obligationē ex iustitia ratione stipendij. Sunt, qui concedant, si fundator expressè excludat vacationem, & Capellanus expressè consentiat. Sed certè ea obligatio vt imposita, & acceptata iure stipendij videtur nimis dura. Vnde probabile mihi est, Capellanum posse citra iniuriam reuocare consensum, vel saltem posse cōmittere alteri celebrationem, quin ipse ob omissionem peccet.

33 Authoribus videtur communiter, posse vacari vno die singulis hebdomadis titulo honestatis, & deuotionis, excusatque Nauarrus tomo Cōsiliorum Lib. 3. tit. de Prebendis, Cōsilio 7. num. 2. ex editione Lugdunensi apud Hæredes Gulielmi Rovillij anno 1591. non si duæ Missæ singulis hebdomadis (vt aliqui referunt) sed si vna, vel interdum altera omittatur. Quod longè diuersum est. Sed & hoc, etsi minus sit, sapit nimiam extensionem, cum præcisè intermissio vnius Sacri qualibet hebdomada sit nō modica extensio. Et hac abutuntur nonnulli omittentes continuatè sexaginta Missas in anno; alij interruptè vnam in vna hebdomada, aliam in alia, non ex causa honestatis, & deuotionis, sed ex mero suo placito, vel ex levi incommoditate. Cæterum Doctores nō loquuntur de tali modo omittendi Missas, neque de eo potest prudēter præsumi voluntas fundatoris; sed illis sermo est, & huic voluntas, vt queat in hebdomada non dici vna Missa, si verè aliquo die sentiat se Capellanus minus deuotum, aut præparatum, aut liberum ab occupationibus, negotijsq; Sæcularibus.

34 Hinc colligitur, licere multò minus relinquere vnam Missam in hebdomada ex causa oblectationis, nam quod conceditur titulo honestatis, & deuotionis, non est ampliandum ad eam aliā causam. Certè, quę est voluptatis, excluditur nominatim in Cap. *Significatum*. Ibi: *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere, siue causa voluptatis*, &c. Leander Tractatu 8. D. 5. q. 17. ait, obligatum ad quotidie sacrificandum posse semel in hebdomada à celebratione abstinere oblectationis, vel itineris gratia, quia cōsuetudine est introductum, & hoc ob humanam fragilitatem, vt Capellanus obligat⁹ ad quotidie celebrandum possit vnam Missam in hebdomada omittere. Ergo licitè, etiam si id fiat quauis de causa. Profiteturq; sic innuere Gasparem Hurtadum, Dianam, & Philibertum. De hoc postremo tamen in Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 24. num. 3. allegato ab ipso, possum testari, nō meminisse

miniſſe cauſæ oblectationis, neq; dicere aliud, quàm quòd * poſsit Sacerdos omittere longiori ſpatio Miſſam, ſi graui negotio ſit impeditus, vel iter faciat, vel cauſa infirmitatis, vel commodè, aut religiosè rem diuinam facere nequeat. * Et poſteà in n. 5. non eximit, niſi infirmum, ab obligatione ſupplendi per alium Miſſas omiſſas, ſi infirmitas non durarit vltra ſpatium duorum menſium. De Diana in 2. parte Tractatu 14. Reſol. 28. (vbi citatur) nullum eſt indicium: in 10. autem parte (quam nec allegat, nec potuit in 1. editione) fit mentio opinionis Leandri, vt cernere eſt Tractatu 14. Reſol. 37. ad finem; & neque ibi Diana addit aliquid de ſuo, vt exiſtimare poſsimus, approbare, vel reprobare, vt in 2. editione videtur Leandro. Tandem Hurtadus minimè ei favet in Diſputatione 4. Difficultate 1. V. *Et Capellanus*, nam ſolùm inquit, * Ob humanam fragilitatem in aliquibus Eccleſijs, Capellanis quotidie celebrare obligatis concedi in qualibet hebdomada vnum diem vacationis. * In quibus verbis eam opinionem non odoramur. Quod ſcimus, eſt, eam iam anteà fuiſſe refutatam à Navarro ſuprà, à Bonacina ſuprà §. 2. numero 16. cum Fraxinello, ac Riccio, à Franciſco de Lugo Libro 5. Cap. 11. quæſt. 6. num. 69. & à Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 9. S. 4. n. 110. Argumentum Leandri nullum eſt, nam vel ex conſuetudine eſt introducta vacatio ab vna Miſſa in hebdomada ob quamuis cauſam, vel tantùm ob cauſam honeſtatis, & maioris devotionis? Si hoc ſecundum, cuivis apparet, frigere Conſequentiam hanc, *Ergo licitè, etiamſi fiat quauis de cauſa.* Si primum illud, expectamus probationem ſiue ab authoritate, ſiue à ratione. Prætereà defecit notabiliter Leander, non admonens; diè intermiſsionis ex gratia voluptatis in vnaquaque hebdomada non debere eſſe vltra diem ex gratia honeſtatis, & devotionis; neceſſeque erat præcaviſſe, ne aliquis deciperetur putans, eſſe vltra eum alium diem, atque adeò licere omittere ſingulis annis Miſſas cētum, & viginti.

35 Dixerat in quæſtione 16. antecedenti Leander, poſſe Capellanum prętermittere in anno Miſſas quatuor, aut etiam ſex pro intentione fundatoris; poſſeque eas applicare proſe ipſo, vel pro aliquo valde coniuncto ſibi ad ſpecialem aliquam Dei gratiam obtinendam, non enim id negaret pius Capellaniæ inſtitutor, quantùm prudenter præſumi datur. Et ita ſentiunt Naldus, & Homobonus apud Dianam parte 4. Tractatu 4. Reſolutione 86. p. 5. Tractatu 5. Reſolutione 23. Franciſcus de Lugo ſuprà num. 70. Thomas Tamburinus Lib. 3. de Miſſa Capite 3. §. 1. num. 8. cum Peyrino, & Auerſa. Eſtque ſatis probabile, præſertim ſi ſex hæ Miſſæ non ſint vltrà alias, quæ poſſunt omitti ex cauſa honeſtatis, aut deuotionis. Vbi animaduerto, fore, vt peruersè ampliaretur hæc cauſa ad caſum, in quo Sacerdos ſtipendiarius teneretur operari Sacris per vnam ſolam hebdomadam, aut etiam per vnum ſolum menſem, nam celebrandi per ſolum iſtud tempus obligatio non eſt ex ſe nimis dura. Quæ noſtra animaduerſio colludit cum alia Antonij de Quintana-dueñas tomo, & Tractatu 2. Singularium in 18. num. 5. ne pro Capellano, qui quindecim tantùm diebus quolibet menſe ſacrificare tenetur, valeat præfata cauſa, ſiquidem iam ille habeat dies liberos ad vacationem ob honeſtatem, & reverentiam Sacrificij. Invito Lectorem ad num. 50. vbi plura de his cautionibus.

36 Secunda quæſtio, num die, quo Capellanus ex cauſa proximè dicta omittit celebrare pro fundatoris intentione, poſsit facere Sacrum pro intentione alterius, accepto ſtipendio?

Marcus Vidal in Arca Vitali titulo de Iuſt. Inquiſitione 1. reſpondet affirmativè. Movetur, tum quia, ſicut eſſet onus intolerabile, non poſſe omittere in hebdomada vnam Miſſam ex cauſa honeſtatis; aut devotionis, ſic etiam, nō poſſe offerre eam pro alio, qui largitus ſit, vel promiſerit ſtipendium. Tū quia obligatio ad quotidie celebrandum pro intentione fundatoris Capellaniæ cadit ſub præcepto affirmativo. Ergo non vrget pro ſemper. Ergo poterit Ca-

pellanus vna vice in hebdomada celebrare pro alio dante ſtipem. Tum quia, qui non tenetur elargiri aliquid perſonæ alicui determinatæ, poteſt tuta conſcientia illud elargiri ad ſuum beneplacitum. Ergo Sacerdos, qui non tenetur omnibus hebdomadæ diebus celebrare pro fundatore Capellaniæ, poterit eo die, quo ab obligatione eſt liber, celebrare pro perſona, pro qua voluerit, & ab ea accipere ſtipendium. Tum denique, quia cum poſsit Capellanus per annum celebrare ſexies proſe ipſo, aut pro patre, vel matre defuncta, poterit etiam per hebdomadam celebrare ſemel pro aliquo alio ad ſuum beneplacitum; & cum applicatio maneat ipſi libera, poterit reportare novũ ſtipendium. Hæ rationes ſunt omnino ineffícaces. Ad primam dico, non eſſe poſterius illud onus intolerabile, ſed tolerabile, & proportionatum cum conuentione, & pacto inito inter fundatorem, & Capellanum, vt quibus diebus hic celebret Sacrum, offerat pro fundatore, à quo fert ſtipendium, vel ſi aliquibus diebus celebret, & non offerat pro fundatore, ſed pro ſe, aut pro alio maximè coniuncto, ſit abſque novo ſtipendio, & abſque avara adquiſitione duplicatæ pitantiæ. Et quidem cauſa honeſtatis, aut devotionis deſervit ad omittendam vnam Miſſam in hebdomada, & non ad eam celebrandam pro alio, nedum cum ſtipendio, ſed etiam ſine illo. Rurſus cauſa charitatis erga ſe, vel erga perſonam coniunctam deſervit ad celebrandum ſexies in anno pro ſe, vel pro illa alia perſona, non autem ad celebrandum cum emolumento alterius ſtipendij. Explico exemplo mercenarij conducti per menſem ad laborandum in vinea, qui, quo die non laborare ex iuſta aliqua cauſa permittatur, quin mercedem amittat, non poteſt alteri operam ſuam locare, & lucrari novam mercedem, vt conſtat ex doctrina Leſsij, Rebelli, Reginaldi, & aliorum apud Bonacinam de Contractibus Diſp. 3. puncto 3. num. 8. Solutio aliarum rationum, quas affert Marcus Vidal, eſt iam adeò facilis ex dictis ad primam, vt opus non ſit deſcendere ad eas in particulari. Legatur Diana parte 10. Tractatu 14. Reſolutione 37.

37 Raphael Auerſa quæſt. 11. ſect. 18. §. *Inſuper* non improbat, quod ex Vidali refutavimus, ſi conſuetudine ſit receptum, tunc enim Capellani annuum ſtipendiũ computabitur, excepta ea vna Miſſa in qualibet hebdomada, ſiue cum novo ſtipendio, ſiue ſine illo celebretur à Capellano pro intentione alterius fidelis, quare vni Miſſæ non reſpondebit duplex ſtipendium. Sed talis conſuetudo, ſi alicubi extet, erit corruptela; non ſecus ac eſſet illa, qua Capellanus adſtrictus immolare per ſe, vel per alium ſingulis dieb⁹, præteriret vnum diem vnaquaque in hebdomada, quin ipſe ſacrificaret, & quin curaret litari ab alio; non ſecus item ac eſſet illa, qua Eccleſia, vel Monaſterium obligatum ad Miſſam quotidianam prætermitteret ſingulis ſeptimanis vnam, neque enim in duobus, vel pluribus Sacerdotibus militat excuſatio, quæ in vno iuxta quęſtionem anteriorem.

38 Quæſtio tertia, an Capellanus obligatus ad celebrandum per ſe ipſum quotidie, ſi in ægritudinem incidat, teneatur curare, vt alius celebret, cui ſolvat ſtipendium?

Reſpondet poſt Syluеſtrum, & Tabienam Henriquez Lib. 9. Cap. 24 §. 4. teneri. Sed communiter Authores ſentiunt oppoſitum, quando fundator non expreſsit, vel non indicavit diſponens, ne in tali Eccleſia, vel Capella deſit vllo die Miſſa; quando item conſuetudo nota, vel particularis conſtitutio Synodalis, aut iuſsio Epiſcopi non eſt in contrarium. Et meritò ita ſentitur, quia prudentiſsimè præſumitur de fundatoris voluntate, ſi ægritudo non excedat tempus duorum menſium, vt docent Cardinalis de Lugo Diſputatione 21. ſect. 2. numero 49. Dicaſtillus Tract. 5. Diſputatione 4. Dubio 21. num. 411. Auerſa quæſt. 11. ſect. 18. Verſ. *Secundò Sacerdos*, cum alijs apud ipſos, & apud Dianam parte 2. Tract. 14. Reſolut. 27. parte 5. Tractatu 13. Reſolut. 51. Si Capellanus fruatur alijs, præterquàm Capellaniæ, redditibus, vnde ſuſtentetur, & ſibi ægrotãti prouideat, videbitur forſan alicui, nimium eſſe ſpatium duorũ menſium.

Sed

Sed parcissimi illi Authores non apponunt hanc limitationem, quin potiùs Antonius de Quintanadueñas tomo, & Tractatu 2. Singularium in 18. numero 3. expressè eam excludit; quare, nec nos addimus. Poterat excogitari alia non incongrua restrictio, vt tempus duorum mensium non sit continuum, sed discontinuum. Aſt Quintanadueñas suprà reijcit & istam limitationem. Nolumusque nos nimis emungere; & ægroto Capellano sufficit suus labor. Notatque Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap 6. §. 2. num. 8. eiusmodi infirmum Capellanum non teneri ad procurandam sanitatem, vt satisfaciat obligationi celebrandi, nisi aliud expressè à fundatore sit cautum, quia non procurare sanitatem, nō est directè velle contradicere inito pacto, & quia ægritudo est impedimentū inuoluntariū valde peraccidens ad Missas. Si ęgrotus habeat Capellaniam, qua obligetur ad sacrificandum quater tantùm in hebdomada, poterit ipse, recuperata valetudine, supplere per se ipsum Missas omissas, nam infirmitas excusat sufficienter dilationem. Relinquo Lectoribus considerandum, num spatium vnius mensis morbi, & non maius concedendum sit Capellano, cui incumbit obligatio sacrificandi tantùm quater in septimana? Et ita quidē videtur Antonio de Quintanadueñas n. 4. Est etiā consideratione dignū, an quod diximus de impedimento ægritudinis possit tutò extendi ad alia, vt ad incarcerationem, necnon ad grave negotium occurrens, in quo sit necesse Capellano totos dies consumere? Eadem videtur esse in his casib⁹ ratio, quanquam Authores multi non loquantur, nisi de solo impedimento infirmitatis; & timendum vehementer est, ne, si ad alia, & alia extendatur excusatio, & plura concurrant eodem anno, prætereatur is, quin Capellanus sacrificet ex obligatione, vel non nisi paucis dieb⁹. Sed de hoc pūcto plura posteà. Antonius de Quintanadueñas num. 4. denegat diem vacationis ex causa honestatis Capellano ad quotidianum Sacrum obligato, qui ob infirmitatem, vel ob aliud impedimentum legitimum abstinuit à celebratione. Attamen si Capellanus per septimanā ęgrotaverit, & posteà sentiat se in vno die alterius septimanæ minus devotum, cur debebit nihilominus tunc sacrificare? Nam quòd litarit septimana antecedenti, non facit, vt in præsenti vno die non posset se sentire minus devotum. Res certè est dubia.

39 Post hæc scripta legi in P. Castro Palao Tract. 3. Disp. 1. puncto 6. num. 25. Capellanum obligatum, vt per se ipsum sacrificet, quantocumque tempore ægrotet, non teneri supplere Sacrificia omissa. Si enim legitimum illud impedimentum extinguit obligationem duobus mensibus, cur nō valebit pluribus extinguere, si idem impedimentum existat? Prætereà fructus Capellaniæ non dantur ob Sacra actu exhibita, sed ob eius titulum, & sub obligatione celebrandi, si fieri possit; sicut & fructus Præbendarum, Canonicatuum, Beneficiorumque aliorū postulantium residentiam non dantur ob hanc actu exercitam, sed ob eorum titulum sub onere residendi, si fieri possit; quòd si ob ægritudinem non possit, non ideo fructus illi amittuntur. Confirmatur ex distributionibus quotidianis, quas lucratur Beneficiari⁹, etiamsi longissimo quovis tēpore absit à Choro ob infirmitatem iustam, & rationabilem corporis necessitatem iuxta C. *Vnicum de Clericis non residentibus in 6.* Et quidem cum distributiones, fructusque Canonicatuum, Beneficiorum, & Capellaniarum non dentur tanquam merces, & salarium laboris impensi, sed in alimenta illorum, qui taliter laboraturi sunt, non valet in illis *l. si vno 4. §. Item cum quidam ff. locati* decernens, vt locans operas suas non recipiat mercedem pro tempore, quo eas est impeditus præstare; neque item valet *l. Si pecuniam 5. ff. de Condictione causa data*, decernens vt datum ob causam repetatur, cessante illa, etsi cesset inculpabiliter, & ob infirmitatem: neque item valet exemplum famuli ægrotantis, cui ex iustitia non debetur merces, & salarium pro tempore, quo impeditur inseruire, iuxta magis communem opinionem, de qua Covarruuias Lib. 3. Variarum Cap. 13. num. 8. Bonacina Disputatione 3. de Contratibus, puncto 4. numero. 13. Gaspar Hurtadus Disputatione 6. de Contractibus Diffi 8. nisi aliter conuentū sit, vel consuetudo regionis aliud ferat; imò, secluso vno, & altero, non tenetur

ex iustitia herus præbere expensas ad curationem necessarias, etiam moderatas, imò neque alimenta, maximè si non prematur famulus extrema, vel graui necessitate, vt contra Covarruiã suprà, & paucos alios docent Bonacina, & Gaspar Hurtadus suprà, alijque passim. Non, inquam, valet ob assignatam disparitatis rationem, & quia Ecclesia agere vult mitiùs cum suis Ministris, tractareque illos non vt famulos conductos, sed vt filios, quando per ipsos non stat, quominus præstent seruitium, ad quod sunt obligati. Et cum apud piũ herum famulus ægrotans non demereatur salarium iuxta Glossam ad *l. Arboribus 12. §. De illo 3. ff. de Vsufructu*, tametsi ex iustitia exigere non queat; multò potior est ratio de pietate matris Ecclesiæ quoad infirmum Capellanum. His tamen non obstantibus, non omnino audeo suffragari Castro Palao, si Capellanus habeat alia bona, quàm fructuum Capellaniæ, vnde commodè sustentetur; nam si non haberet, non vererer subscribere. Retardat me in priori circumstantia consensus Doctorum, qui duos menses, vel timidè, concedunt Capellano infirmo ob præsumptam voluntatem pij fundatoris; quanquam fatear, argumentum Castri Palai, aliaque à me adiuncta spernenda non esse.

40 Quæstio quarta, num Capellanus, obligatus ad celebrandum quotidie, debeat applicare pro fũdatore tres Missas, quas dicat in Nativitate Domini, & Missam, quam celebret in Cõmemoratione omnium fidelium defunctorum?

Ad primum respondeo negativè, quia, nisi aliud exprimat fundator, celebratio quotidiana intelligitur de vnica Missa in die; quanquam aliquando, vt in die Nativitatis Domini, liceant tres Missæ, quarum duas poterit applicare Capellanus pro se, vel pro alio, & accipere stipendium, si velit. Ad secundum respondet Alfonsus de Leone apud Dianam parte, & Tractatu 4. Resol. 86. posse Capellanum offerre Missam pro ea persona, quam maluerit. Sed non assequor, quo fundamento id dicatur. Maiorem speciem probabilitatis præsefert, quod ait Fraxinellus apud eundem, & Gavantus in Rubricas Missalis parte 4. tit. 15. num. 18. teneri Capellanum, & quemcumque eo die celebrantem offerre Missam pro defunctis omnibus generaliter, nam hæc est Ecclesiæ intentio in Commemoratione omnium fidelium defunctorum; & congruũ videtur, vt suffragijs omnib⁹ eius diei iuventur omnes animæ Purgatorij. Sed existimo cum Possevino Cap. 2. de Officio Curati, numero 25. cum Thoma Tamburino L. 3. de Missa Cap. 3. §. 1. num. 9. & cum Auersa quæst. 11. sect. 18. V. *Item posse*, id non esse in vsu ex obligatione; & sæpe videmus, Sacerdotes accipere stipendium pro Missis illius diei, quas singulares personæ exigunt ad suffragium particularium animarum. Et sicut Missa de festo omnium Sanctorum potest offerri Deo in honorem alicuius Sancti determinatè, ita poterit Missa de Commemoratione omnium defunctorum applicari pro aliquo defuncto determinatè. Vnde magis propendeo in eam partem, vt Capellanus teneatur offerre Missam pro speciali intentione fundatoris, nisi à Summo Pontifice, aut de eius consensu aliud fuerit decretum. Si de Missa solemni in Commemoratione omnium fidelium defunctorum esset sermo, non renuerem, debere applicari pro illis omnibus.

41 Quinta quæstio, vtrũm si fundatio Capellaniæ præscribat, vt celebretur dieb⁹ festis, intelligendi sint tantùm dies, in quibus vrget præceptum audiendi Sacrum, vel etiã dies, in quibus fit Officium de aliquo Sancto?

Respondeo, intelligendos tantùm esse priores dies, nisi fundatio aliud exprimat, quia nomine dierum festorum significantur tantùm illi dies iuxta communem loquendi modum extra Rubricas Missalis, & Breviarij Romani, in quibus non rarò appellatur festum, quando fit Officium Duplex, Semiduplex, vel etiam Simplex de Sancto. Sed alibi voce die festi solet solũ significari

dies

dies ex præcepto, vt obseruat Cardinalis de Lugo L. 1. Resp. Moral. dub. 34. Sic apud Tridēt. Sess. 24. C. 1. de Matrimonio cum dicitur, denunciationes faciendas pro matrimonio tribus diebus festiuis. Sic apud Cap. *De eo autem de Tēporibus Ordinationum*, & apud Pontificale Romanum titulo de Ordinibus conferendis, tituloque de Ordinibus minoribus, cum dicitur, has non conferendas nisi diebus festivis. Quæ exempla delibasse, sufficiat. Præterea fundatio Capellaniæ designans dies festos ad celebrationem, videtur respicere ad commoditatem fidelium in auditione Missæ diebus præcepti. Ita Dicastillus Tractatu 5. D. 4. Dub. 11. num. 411.

42 Sexta quæstio, an si fundatio postulet, vt ter v. g. in hebdomada celebretur, satisfaciat Capellanus celebrando tantùm in tribus diebus festiuis?

Respondeo, satisfacere, quia Capellanus non est obligandus vltrà voluntatē testatoris; quem suppono non expressisse, nisi vt dicantur tres Missæ in hebdomada. Et suppono etiam, non colligi ex loci circumstantia voluntatē fundatoris, vt Missæ celebrentur dieb⁹ festis; si enim Capellania sit instituta in tēplo, vbi ob occurrendum Missarum paucitati, & ob consulendum Parochianis, necessitatique eorum audiendi Sacrum dieb⁹ festis, voluerit fundator celebrari, præsumendum est intendisse, vt dotatæ ab ipso Missę dicantur diebus festis potiùs, quàm profestis. Ita idem Dicastillus suprà num. 409. Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 11. q. 6. n. 59. cum Bonacina.

43 Quæstio septima, an si in Capellaniæ institutione assignetur ad celebrationem determinatus dies, v. g. feria secunda, liceat omittere hanc feriam, & eligere aliam?

Respondeo, licere per se, quia accidentale est, designare vnam feriam prę alia, quando fundator non excludit expresse aliam, & quando non constat, habuisse specialem respectum ad feriam secundam, vt quia in ea conuenientiùs dicatur Missa de defunctis, aut quia in tali die soleat populus frequentare Ecclesiam, vt interesit Missæ, cariturus alioqui commoditate audiēdi Sacrum, si Capellanus tunc non celebret. Sic Cardinalis de Lugo Disp. 21. sect. 2. num. 43. & alij post ipsum. Qui addit, non posse facilè peccari mortaliter in omissione Missæ tali die, cùm materia sit ex se parva, præsertim si cum causa, & non multùm frequenter. Limitat Aversa, & benè, quæst. 11. sect. 18. §. *Item si*, nisi designatus dies sit festus, & à fundatore habita sit eius ratio propter publicum commodum, vel sacrum cultum; imò etsi non sit festus, dummodò fundatori fuerit particularis de eo consideratio ob alterutram ex causis proximè notatis. Ampliat è contra, & benè, Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 3. num. 34. vt si aliquo die non possit impleri in specie voluntas pia fundatoris, fas sit implere die alio penes modum magis conformem, & similem dispositioni illius, quin debeat Capellanus adire aliam Ecclesiam, si pro die designato à fundatore sit impedita ea, in qua solet sacrificare; vel quin debeat committere Sacrum alteri Sacerdoti, si ipse sit iustè impeditus.

44 Quæstio octaua, num Capellanus obligatus certa die celebrare, teneatur supplere alia die, si in priori non potuerit ob impositam generalem cessationem à diuinis?

Respondet Cardinalis de Lugo suprà num. 47. non teneri, quia absque culpa sua omisit Missam die præfixa à fundatore. Quæ ratio valet etiam, vt non teneretur Capellanus, tametsi cessatio duraret vltra duos menses. Patitur tamen ea ratio instantiam in Capellano ægrotante per tres menses, & proinde, sine sua culpa, omittente sacrificare toto illo tempore, cuius vnum mensem debet supplere iuxta Cardinalem de Lugo. Patitur etiam instantiam in casu violatæ Ecclesiæ, vbi fundator voluit dici Missam, nam hoc impedimentum, etsi euenerit absque Capellani culpa, non excusat

ipsum Capellanum à celebranda Missa in alia Ecclesia non violata, vt docet idem Cardinalis num. 42. & 47. Et quidem hoc impedimentum, & illud aliud ægritudinis tam, aut non minus sæpe possunt evenire, quàm impedimentum cessationis à diuinis; triaque ista impedimenta non sunt per se, sed per accidēs contingentia; secus ac impedimentum diei Paraſceves, in quo non debet, nec potest Capellanus celebrare instar aliorum dierum, etiam si fundatio præscribat celebrationem in omnib⁹ anni ferijs sextis; neque item debet Capellanus subrogare aliam Missam dicendam in alio die, quia nimirùm impedimentum diei Paraſceves est per se, & occurrens semel in anno, notoriumque omnibus. Fateor, inesse tantam vim exemplo Capellani ægrotantis, vt curandum non sit de discrimine præbendo inter impedimentum cessationis à diuinis, & impedimentum ægritudinis; sed satius erit, dicere, si cessatio à diuinis duraret vltrà duos menses, teneretur Capellanus supplere Missas sequentium mensium, etsi omissas absque ipsius culpa, quia tā diuturnum impedimentum est præter opinionem fundatoris, sicut & quòd Capellani ægritudo gravis perseveret vltrà duos menses: gravis, inquam, nam levis, etsi non sit præter opinionē fundatoris, sed excusare non solet à gravi obligatione iuxta *l. Quæsitum 60 ff. de Re iudicata.* Illud aliud exemplum de impedimento Ecclesiæ violatæ modicā vim continet, nam in altera Ecclesia nō violata poterit, & debebit Capellanus celebrare die designato à fundatore; neque hinc sequitur, quòd Capellano accrescat novum onus, sed potiùs quòd decrescat antiquum celebrandi in Ecclesia determinata. Secus esset, si Capellanus, ob cessationem à diuinis celebrare impeditus vno die, teneretur supplere in alio.

45 Sed aduertendum est, si vnica tantùm sit in populo Ecclesia, eaque violata, discurri oportere eodem modo in hoc casu, atque in eo alio de cessatione à divinis. Rursus aduertendum est, si fundator non habuit specialem respectum ad talem Ecclesiam, sed solummodò voluit in genere cultum Dei, & fructum Sacrificij, tunc quidem verum esse, debere Capellanum celebrare in alia populi Ecclesia, quæ non sit violata. Ast si habuit fundator specialem respectum ad talem Ecclesiam, non debet Capellanus sacrificare in alia non violata. Et in dubio de fundatoris animo, præsumendum est, non habuisse specialem respectum ad talem Ecclesiā, vt optimè notant Cardinalis de Lugo suprà num. 42. & Castrus Palaus Tract. 13. D. 1. puncto 6. num. 26. quia præsumendum est, voluisse obligare ad id, quod magis cederet in Dei cultum, & in vtilitatem propriam proventuram ex Missa. Sic si Monasterium non possit ædificari in loco destinato à testatore, præsumitur hic voluisse, vt ædificetur alibi, Cap. *Nos quidem 3. de Testamentis.*

46 Quæ dixi de impedimēto violationis Ecclesiæ, possunt (proportione seruata) ampliari ad alia impedimenta celebrandi ibidem, vt si sit interdicta, si eius claues non inueniantur, si patiatur ruinam, aut cōminetur, si desint vasa, aut ornamenta, aut materia requisita ad Sacrificium. Et sermo fuit de violatione, quam remouendi nō habeat Capellanus facultatem, nam si habeat, tenebitur vti tali facultate, vt benè docet Thomas Tamburinus Lib. 3 de Missa C. 6. §. & num. 3. Cum enim debeat ex iustitia celebrare in ea Ecclesia, debet etiam ex eadem iustitia tollere, quæ possit, impedimenta per se obstantia Sacrificio, & directè opposita cum ipso, non enim habet excusationē qui, cum possit, non removet impedimentum *l. qui potest facere 174. ff. de Regulis iuris. C. His, quibus 60. de Electione, & electi potestate* cum alijs adductis à Lara Lib. 1. de Anniversarijs, & Capellanijs Cap. 11. num. 39: violatio autem Ecclesiæ vnum est ex his impedimentis. Quando verò Capellanus careat facultate prædicta, obligabitur ex iustitia ad procurandum, vt alius removeat impedimentum illud violationis; sicut si ipse sit excommunicatus, suspensus, irregularis, interdictus, ratio iustitiæ cogit ad solicitandam exclusionē cuiuscumque ex istis impedimentis, vt potè per se obstantibus, & directè oppositis Sacrificio.

47 Nona quæstio, an Capellanus, qui ex fundatione Capellaniæ debet celebrare hoc mense Missas quatuor, & se-

quenti

quenti alias quatuor, posit hoc mense dicere anticipatè octo, similiterque posit dicere omnes octo sequenti mense?

Respondeo, posse per se dicere anticipatè, quia anticipata solutio vtilis est creditori, extinguitque debitum. Et casu quo Missæ offerendæ sint pro anima alicuius defuncti, tunc anticipatio erit maximè vtilis, vt anima quantocyùs exeat è Purgatorio, si ibi commoretur; contingetque aliquando, vt quo tempore dicantur quatuor aliæ Missæ in mense sequenti, iam anima evolarit ad Cœlum. Scripsi *Posse per se*, nam sæpe per accidens non poterit, vt si fundator voluerit celebrari qualibet hebdomada vnam Missam pro defunctis in ea hebdomada, tunc enim non licebit anticipatio, vtpote quæ fructu Missæ defraudet animas defunctorum in sequentibus hebdomadis. Eademque est ratio, si fundator voluerit, celebrari qualibet hebdomadâ vnam Missam pro viuis, nã si omnes dicantur in prima mensis hebdomada, & in ea remittatur viuis pœna debita pro peccatis eòvsque cõmissis, carebunt remedio trium Missarum in tribus sequentibus hebdomadis contra pœnam peccatorum, quæ post modùm perpetrabunt. Insuper si fundator habuit specialem considerationẽ, vt qualibet hebdomadâ dicatur vna Missa ob honorem, & frequentationem suæ Capellæ, ob populi devotionem audiendi Missam tali die, ob cultum Beatæ Virginis in celebratione de ea singulis Sabbathis, ob suffragium defunctorum singulis ferijs secundis non impeditis iuxta Missalis regulas, fas non erit, antedicere Missas. Quibus in casibus erit graviter, vel leviter peccaminosa anticipatio, provt gravis, vel levis momenti fuerit finis intentus à fundatore, & provt ipsamet anticipatio fuerit frequens, vel rara. Et inde etiam iudicandum est, an ex anticipatione resultet, necne obligatio ad restitutionem, vel in totum, vel in partem? licet per se anticipatio, cum non mutet substantiam satisfactionis, sed circumstantiam temporis, vix, aut ne vix quidem inducat obligationẽ restitutionis.

48 Infertur ex dictis decisio illius dubij, de quo Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 2. Cap. 34. num. 10. Franciscꝰ Bardi in Explicatione Bullæ Cruciatæ parte, & Tract. 4. C. 1. sect. 3. §. 2. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 3. n. 83. & Thomas Tamburinus Lib. atque Cap. 2. de Missa §. 14. num. 3. post alios, quos citant, an scilicet vtilꝰ sit, vt pro defuncto celebrentur eodem die Missæ v. g. viginti simul, vel successiuè totidem diebus? Infertur, inquam, primum esse vtilius respectu satisfactionis citiùs Deo exhibitæ, & consequenter remissionis pœnarum Purgatorij celeriùs cõparatę: sed secundum esse vtilius respectu meriti apud Deum ob huius cultum prorogatum ad longius tempus; vnde magis meretur, qui singulis diebus celebrandas curat singulas Missas. Nec plura de incidenti illatione.

49 Periculosior est, & magis restitutioni obnoxia post positio. Sed tamen ait Cardinalis de Lugo suprà n. 45. ✻ Posse excusari à mortali, qui post ponit, & differt solutionem ad hebdomadam, vel mensem sequentem, dummodò hæc post positio non sit magna, qualis non videtur esse, si mense sequenti celebrentur Missæ vtriusque mensis. Erit tamen veniale, nisi intercedat rationabilis causa. Quæ poterit etiam à veniali excusare. Vnde regulariter ille, cui datur eleemosyna, vt celebret in festivitate hodierna pro tali persona, satisfacere poterit celebrando die sequenti, vel infrà, aut etiam post Octauã. Dixi regulariter, quia quãdo petitur Missa pro aliqua necessitate præsenti, & nunc vrgẽte, pro qua desideratur subsidium præsens, non videtur posse admitti illa dilatio: quę tunc non est sola circumstantia, sed videtur pertinere ad substantiã rei, cum posteà non vrgeat ampliùs necessitas illa, pro qua Missa petebatur. ✻ Sic sapientissimus Cardinalis; cuius limitatione excitatus Arriaga tom. 7. D. 56. sect. & Subs. 2. num. 20. & 21. ait, dilationem in Missa pro defuncto posse vix fieri sine mortali peccato, nam duratio, pœnarum Purgatorij per quindecim dies v. g. non est leve damnum. Quę ratio, si efficax est, probat, & dilationẽ per vnum diem. Tunc autem heu heu multis Sacerdotibus stipendiarijs! Nec nos in præsentiarum plura de post positione. Videantur, quę dicemus in Disput. 31. de dę iusto stipendio Missę.

50 Et vt nunc absolvamus, quæ ad tempus spectant, notamus, seu potius repetimus dicta in num. 37. nempe si fundator requirat, vt Capellanus celebret quotidie per se, vel per alium, aut vt quotidie sacrificetur à Sacerdotibus alicuius Cõmunitatis, aut vt quotidie Sacrum fiat in tali templo, vel altari, tunc celebratio quotidiana erit necessariò exequenda siue per hunc, siue per illum Sacerdotem, quorum comparatione non est onus nimis grave quotidiana celebratio, vti esset respectu vnius solius, & determinati; etsi non ipse principaliter, & primariò, sed locus eligatur à fundatore, non enim allevatur onus illud ex eo, quòd obligatio quotidianæ celebrationis refundatur ratione loci electi, quippe vndecumque proveniat, gravabit æquè, nisi possit elevari substituendo alium Sacerdotem. Et posse quidem, concedit Bonacina, quando eligitur locus. Contra quem Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 3. §. 1. n. 4. & 7. negat obligationem substituendi. Videturque, debuisse etiam negare, quando fundator expressè imposuit quotidianam celebrationem sine interruptione Capellano, & hic sciens, & volens consensit; ast non negat in n. 5 quanuis fateatur, inesse Capellano facultatem ad substitutionem. Dicta de Capellani diaria vacatione extendas, velim, ad quemcumque, cui ex manuali stipendio simul dato imponeretur onus missandi singulis diebus per integrum annum, eadem namque militat ratio, & & quod disponitur per Cap. *Significatum* 11. *de Præbendis*, non est priuilegium Præbendarij, aut Capellani præcisè vt talis, sed est æqua declaratio præsumptæ, & rationabilis intentionis in iniungente sub stipendio obligationem quotidianæ celebrationis. Ita animaduertunt suprà Thomas Tamburinus num. 4. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 4. num. 109. & Tract. 6. Cap. 3. num. 37. Qui ampliat etiam ad ex stipendio manuali simul dato obligatum, vt sacrificet cõtinuè per mensem, imò & per hebdomadam tantùm. Sed est nimia ampliatio iudicio Tamburini, & meo. Non enim est onus toleratu difficile, celebrare continuè per vnum mensem solummodò, & multò minus per vnam tantùm hebdomadam.

51 Decima quæstio, num Capellanus, non celebrans in loco per fundatorem designato, peccet, tametsi alibi celebret?

Respondeo, peccare, si mutet locum sine rationabili aliqua causa, quia non implet fundatoris voluntatem in re iusta, nec obligationem à se susceptam in acceptatione Capellaniæ exigẽtis determinatum locum ad celebrationem. Si fundator principaliter respexit ad fructum ex Missæ Sacrificio, & non ad cultum specialem loci, tunc mutatio loci erit minus obnoxia peccato gravi, quia materia est minus gravis, seu non est gravis, nisi mutatio non solùm fit altaris, sed etiam templi; fit enim præiudicium Ecclesiæ, quæ ob designationem à fundatore adquisierat ius, vt Capellanus ibi, & non alibi sacrificaret. Si fundator principaliter respexit ad fructum ex Missæ Sacrificio, & ad cultum specialem loci propter venerationem alicuius Sancti, vel propter memoriam suæ familiæ, ad quam pertinet Capella, aut templum, vel propter populi commoditatem, tunc variatio loci non fiet absque peccato gravi, quia materia est grauis. Loquor de variatione frequenti, minimè verò de vna, vel altera, non quidẽ in mense, vt nimis ampliat Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 2. §. 1. num. 2. sed in anno; quæ ob paruitatẽ materiæ non sufficiet ad peccatum lethale; imò nec ad veniale iuxta Cardinalem de Lugo suprà num. 36. si cum causa rationabili fiat, nec enim cẽseretur fundator voluisse cum tanto rigore obligare suum Capellanum; qua ratione vtitur Dicastillus Tract. 5. D. 4. Dub. 21. num. 385. vt dicat, non sufficere ad peccatum veniale, etiam si absque rationabili causa fiat.

52 Variationem loci non excusat consensus hæredum fundatoris, nec enim habent illi potestatem, nisi à fundatore fit expressis verbis concessa, vt derogent voluntati eius. Excusabit nihilominus aliquando consensus solius Episcopi, non solũ si manifestè nequeat Missa celebrari in constituto loco, sed etiam quando vtilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, necessitas infirmitatis, aliaque similis causa, & ratio mutandi

tandi locum non fuerit omnino manifesta; vt si fundator designarit talem locum ob populi frequentiam ad audiendum Sacrum, sed temporum decursu nulli, aut valde pauci illuc se conferant quæsituri Missam: quo casu poterit Episcopus interpretari voluntatem fundatoris, aut dispensare in obligatione, quam imposuit, aut commutare eam in aliam omnino æqualem, vel ferè æqualem, præsertim si tertiò non sit adquisitum ius. Ex modò dictis de dispensatione quoad locum poterit quivis per se discurrere ad dispensationem quoad tempus, seu diem, & horam decretam à fundatore.

53 Si altare, in quo Capellanus debet ex fundatione celebrare, sit occupatum ab alio Sacerdote, aut alia ratione impeditum, non peccabit graviter Sacerdos, si celebret in alio altari eiusdem Ecclesiæ; & neque leviter peccabit, si instet aliquod negotium considerabile exequendum post Missam. Quæ resolutio extendenda est ad celebrationem in diversa etiam Ecclesia ab illa, quam fundator deputavit. Sed aduertit Cardinalis de Lugo suprà num. 40. expedire, vt quãdo Capellanus prævidet, fore huiusmodi impedimentum propter Missam solemnem, aut concionem, aut quid simile, præueniat aliquantulùm, ne id frequenter contingat. Si altare, aut Ecclesia designata Capellano ad Missam corruat, vel subiaceat impedimento alicui Canonico celebrationis, cessat in Capellano obligatio faciendi Sacrum ibi, quandiu altare, aut Ecclesia non reparetur, vel non liberetur eo Canonico impedimento. Num verò maneat obligatio celebrãdi alibi? Dixi iam in fine quæstionis VIII.

54 Si impedimentum sacrificandi in loco deputato à fundatore sit ex parte Capellani obligati personaliter ad celebrandum, sitque illud legitimum, & cuius continuatio non sit ex culpa Capellani, satisfaciet is celebrando alibi, v. g. in Ecclesia vrbis, adquã profectus sit ob negotiũ aliquod graue; vel in Ecclesia proxima suæ domui, ex qua ob infirmitatẽ non possit adire Ecclesiam distantiorem designatam à fundatore. Quòd si Capellanus, qui per se metipsum debet celebrare, excusetur ab hoc onere adimplẽdo tam per se, quã per alium spatio duorum mensiũ ægritudinis, impedimentivè alterius iusti, atque legitimi, præsertim quando non habet vnde sustentetur, nisi ex Capellaniæ redditibus, excusabitur multò potiùs ab obligatione faciendi Sacrum per totidem menses in Ecclesia præscripta, dummodò alibi celebret. Et in casu dubij circa excusantis causæ sufficientiam, vel in casu querelarum hæredum fundatoris, eo quòd desiderent Missas Capellani in Ecclesia designata, oportebit recurrere ad Episcopum, aut Ordinarium; cuius pro hoc, & similibus casibus potestas interpretandi voluntatem fundatoris, aut in ea dispensandi, aut commutandi obligationem de Missa apud vnam Ecclesiam in obligationem apud aliam, iusta causa interueniente, & præsertim per tempus non admodùm diuturnum, explicata iam est à nobis in num. 52.

55 Non peccat Capellanus, si relicto altari deputato ad Missam pro defunctis à fundatore eligat aliud intra eandem Ecclesiam, si tam vnum, quàm aliud sit æquè priuilegiatum ad Indulgentiam plenariam pro mortuis; peccabitq; multò minus, si eligat altare priuilegiatum, relicto non priuilegiato designato à fundatore, quia in primo casu æquivalet vnum altare alteri; & Capellanus in secundo agit meliùs causam fundatoris. Sed in vtroque casu cauendum est, ne fundator designarit altare ob specialem respectum ad ipsum præ alio, nam tunc regulariter non licebit Capellano variatio altaris. Insuper non peccat Capellanus, si omisso altari priuilegiato, quod deputatum fuit à fundatore, sed absque illo speciali respectu, celebret in altari non priuilegiato, sed cum calculo, vel nummismate, vel imagine habente æquipollentiam ad altare priuilegiatum, eo quòd Summus Pontifex concesserit Sacerdoti possidenti talem calculum, vt singulis Missis liberet è Purgatorio singulas animas.

56 Cardinalis de Lugo suprà num. 39. & Auersa q. 11. sect. 18. V. *Specialiter* cum Bonacina discordant in hoc casu, nam regulariter Indulgentia, quæ applicatur altari, solet esse magis authentica, & secura, quàm quæ applicatur alicui calculo benedicto; & fortasse minus dependet ab statu gratiæ ipsius celebrantis, vt habeat effectum. Sed contrà, tum quia Indulgentiæ applicatio

tio concessa celebranti cum calculo benedicto non apparet, vnde quoad effectum possit magis dependere ab statu gratiæ Sacerdotis celebrantis; quicquid sit, an aliæ Indulgentiæ applicandæ absque Missa magis dependerent? Et vniuersim de omni lucrante Indulgentiam quamcumque pro defuncto censet ipse Eminentissimus Cardinalis D. 17. de Pœnitentia sect. 5. num. 75. debere esse in statu gratiæ. Quòd si excipiat cũ Sà V. *Indulgentia*, num. 2. nisi opus fiat ex persona Ecclesiæ, vt Missa, aut eiusmodi aliud; nos etiam loquimur de Indulgentia per calculum cũ Missa. Tum quia saltem quando causa, & moralis certitudo Indulgentiæ in calculo benedicto fuerit tanta (vt potest esse) ac in altari, fas erit, quod diximus. Tũ quia, vt ait Marchinus apud Dianam parte 6. Tract 6. Resol. 12. Capellanus non cogitur eligere certiorem partem, sed sufficit eligere probabilem; vel non habere rationabile dubium circa priuilegiũ calculi, cum illum acceperit à fide digno; alioqui in omnibus rebus esset ambigendi locus, & de altaris priuilegio, vel Bullæ circumstantijs posset etiam quis dubitare, non secus, ac de ipso calculo. Obijcit præterea Tamburinus L. 3. de Missa Cap. 2. §. 1. num. 11. fideles esse adeò addictos ad altaria priuilegiata suprà calculos benedictos, vt prorsus per hos non præsumantur satisfacti; & quando contractus initur de aliqua re determinata, non seruari iustitiam tradita re æquipollenti. Sed contrà, quia hoc postremum verum solummodò est, quando alter contrahens est manifestè inuitus, vel ad summum si præsumitur esse, & rationabiliter. In nostro autem casu fundator non est manifestè inuitus. Quanquam autem præsumatur esse à Tamburino, sed non rationabiliter. Et tunc valet commune axioma, *Nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat*, C. *de Instit. & substit. l. Si modo*, & C. *de Donat. quæ sub modo, l. fin.* Taceo, compertam mihi nõ esse minorem illam appretiationem calculorum benedictorũ, quando adest sufficiens motivum, vt nõ dubitetur de Indulgentia ipsis applicata. Videantur Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 3. num. 8. & Diana in loco citato, & p. 4. Tract. 4. Resol. 40. necnon parte 9. Tractatu 2. Resol. 12. toties enim nobis fauet, tametsi parte 2. Tract. 14. Resol. 29. §. *Hinc à fortiori*, contrarius fuisset.

57 Illud apud omnes extra controversiam debet esse, facturum benè Sacerdotem, si impeditus celebrare in altari priuilegiato præscripto à fundatore, & carens copia alterius altaris priuilegiati (cuius procurandi obligatione tenetur) vtatur calculo benedicto, vt sic, modo, quo possit, exequatur intentionem fundatoris. Quæ ratio etiã probat, debere ita facere, si habeat eum culculum.

58 Quæstio vndecima, an Capellanus peccans grauiter in variatione altaris, aut templi, in quo debebat pro fundatore celebrare, teneatur ad aliquam restitutionem?

Bonacina Disp. 4. q. vltima, puncto 7. §. 4. num. 5. cum alijs multis respondet negatiuè. Primò, quia non priuauit fundatorem fructu Sacrificij proficui ex opere operato non minus in vno loco, quàm in alio, dignique stipendio, vbicumque offeratur. Quare Capellanus nec tenetur Missam repetere, nec restituere stipendium. Secundò, quia sicut debitor, qui non persolvit pecuniam creditori in loco debito, sed alibi, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest creditoris, sibi non fuisse satisfactum in loco debito; ita Capellanus, qui non celebravit in loco sibi designato, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest fundatoris, Missas non fuisse in eodem loco celebratas. Tertiò, quia sicut Capellanus, qui ratione Beneficij tenetur singulis annis certas quasdam Missas celebrare, si anno sequenti suppleat Missas hoc anno prætermissas, non tenetur ad restitutionem fructuum, cum solvat debitũ ad æqualitatem; ita non videtur obligandus ad restitutionem Capellanus, qui Missam alibi celebravit, nisi fortè quatenus interest fundatoris, Missam alibi fuisse celebratam. Hactenus Bonacina complexus breviter, & dilucidè quicquid pro parte negativa adduci posset. Adeã ego accedo.

59 Sed noto primò, si Capellanus reportet pro obligatione celebrãdi in tali loco stipendium maius solito, debere

debere restituere stipendij excessum respondentem Missis prætermissis, vel debere celebrare in tali loco alias Missas, quibus compenset præfatum excessum.

60 Noto secundò, restitutionem hanc medijs alijs Missis tunc locũ habere, quando non transierit occasio, aut tempus finis intenti à fundatore; nã si transijt, nihil refert celebrare ibidem alijs diebus. Exempli causa, si fundator voluit, dici Missam tali loco, & die festo propter concursum populi, cuiꝰ suffragijs, & orationibus iuvandus esset, aut propter honorem alicuius Sancti, cuius festivitas tali loco, & die agitur, nihil refert, quòd Capellanus celebret alio die, quando nec concurrit populus, nec agitur Sancti festivitas. Quare in his circumstantijs debebit Capellanꝰ restituere excessum stipendij; non quia priuavit fundatorem fructu Sacrificij, sed quia non est exequutus fundatoris finẽ, ratione cuius adimplendi accepit stipẽdij incrementum. Ita Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dub. 21. à num. 392. vsque ad 397. inclusivè, & Diana, citatis compluribus Doctoribus, parte 9. Tract. 2. Res. 15. parte. 10. Tract. 12. Res. 23. Nec dissentit Bonacina, semper enim excipit, nisi interfit fundatoris, Missas non fuisse celebratas in loco, quem ipse designavit.

61 Noto tertiò, præsumi prudenter posse de fundatoris voluntate, vt incrementum stipendij compenſetur alijs Missis, vel operibus satisfactorijs. Et compensationem per opera satisfactoria extẽdunt aliqui etiam ad casum, in quo Capellanus celebravit Missam in altari non privilegiato, cum deberet in privilegiato. Sed alij, & meritò, non putant sufficientem hanc compensationem, siquidem fundator maneat priuatus fructu Indulgentiæ plenariæ; & ideo opus erit, compensare per celebrationem in altari privilegiato, vel cum calculo benedicto. Et nonnulli existimant, sat esse orationem privilegio eius calculi recitatam. Sed refelluntur à Bonacina suprà, quia magis prodest Missa in altari privilegiato; proindeque non cõpensat ad æqualitatem, qui Missam prætermittit. Ego non negabo, sufficientem fore orationem cum calculo, si per eam applicetur Indulgentia plenaria, cuius privilegium sit in calculo indepẽdenter à Missa. Quæ compensatio non erit superabundans, vt illa altera de celebratione repetita in altari privilegiato, vel cum calculo; sed erit æqualis; tametsi absurditate careat, quod aliquando debitor teneatur ad amplius, quàm damnum secundùm se consideratum æstimetur, vt nosset, qui consuluerit Lessium Lib. 2. de Iustitia C. 15 Dub. 8. num. 49. Neque item negabo, fore satis orationem, etiã sine calculo, quando fundator solùm voluisset, celebrari tali altari, & die propter concursum fidelium, qui pro ipso funderent ad Deum preces; posset enim Capellanus, qui alio in loco celebrasset, supplere suis precibus orationes aliorum, quantùm moraliter, parùm plus, minusve, iudicare queat de numero, intensione, circumstantijsque alijs, quas haberent. Inquies, huiusmodi fructus spirituales, quanuis à petentibus Missas omnino volitos, non cadere tamen, quoad restitutionis onus, sub consideratione. Ita Tãburinus Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 9. num. 11. Cap. 4. §. & num. 3. Sed cõtra, quia si cadunt sub consideratione quoad onus culpæ, quidni quoad restitutionis, seu compensationis alicuius? Alioqui Sacerdos, qui, accepto stipendio, nõ celebravit Missam promissam in spirituale alterius bonum pro hodierno die, liber maneret à compensatione per Missam die crastino, etiamsi impotens esset reddere stipendium acceptum.

62 Ex resolutione quæstionis præcedentis decidetur facilè, quando Capellanus habeat obligationem restituendi ob antepositionem, vel postpositionem Missarum factam cum peccato gravi; decidetur, inquã, facilè, si attẽdatur, an, & quantùm interfit fundatoris, quòd Missæ dicãtur tempore, quod ipse designavit: nam si nihil interest, nullam restituẽdi contrahet obligationem Capellanus; secus, si aliquid interfit; & pro maiori, vel minori detrimento fundatoris erit Capellani obligatio ad restitutionem maior, vel minor.

63 Indidem etiam pronum est decidere, an Capellanus, qui peccat graviter, eo quòd per se ipsum non celebret, teneatur ad restitutionem, si eiꝰ vice alius celebret? Bonacina suprà §. 1. num. 2. absolutè censet, non teneri, quia tantum exhibuit per alium, quantum

tum per se ipsum exhibuisset celebrando, nec violavit iustitiam cum damno alterius, fructus namque Sacrificij ex opere operato idem est, à quocumque Sacerdote illud offeratur; obligatio autem restituendi oritur ex violatione iustitiæ cum damno alterius. Et quamuis fructus Sacrificij ex opere operantis sit maior, vel minor pro maiori, vel minori Sacerdotum sacrificantium devotione, non constat, hanc minorem fuisse in substituto. Et casu quo constaret, ad eam non affert obligationem stipendiū. Et casu quo afferret, sed non ad restitutionem sui fructus spiritualis iuxta Tāburinum suprà. Assentior Bonacinæ, si Capellanus aliquoties tantū faciat celebrari per alium Missas, quas ipse debebat celebrare per se. At si valdè frequenter faciat, non excusabo Capellanum à restitutione, nisi alteri Sacerdoti reddat tantum stipendij, quantum respondet singulis Missis ex fundatione Capellaniæ, quod solet esse maius, quàm stipendium manuale. Moveor, quia censendus est fundator velle, vt Missis ab ipso dotatis respondeat stipendium, quod ipse assignavit suprà quantitatem stipendij manualis, eo ipso quòd velit habere Capellanum fixum, obligatumque ad celebrandum per se, eaque de causa relinquat ipsi redditus excedentes taxam ordinariam pro Missis celebratis à Sacerdotibus conductitijs. Vnde Capellani omittentes sine causa infirmitatis, vel sine alio legitimo impedimento celebrare per se ipsos, quando ad id tenentur, possunt puniri à Iudice Ecclesiastico, & privari Capellania, si in eius institutione fuerit huiusmodi pœnæ facta comminatio; & præterea timeant tum gravem offensam Dei, tum restitutionem stipendij faciendam ex integro in bonum alterius Sacerdotis, cui Missas committunt. De Capellanis non obligatis ad celebrandum per se alia est ratio, & decisio, vt dicam in Dip. 31. Estque quoad priores temperandus rigor restituendæ totius quantitatis stipendij, si Capellania sit collativa, inducenseque proinde gravamen recitandi Officium divinum, nam tunc huic oneri respondet pars reddituum Capellaniæ. Vnde iuxta Thomam Sanchez in Consilijs Lib. & Cap. 2. Dub. 68. tenuitas eorum reddituum, non afferens obligationem recitandi, attendenda est respectu portionis, quæ superest post extractam eleemosynam pro Missis dicendis ex præscripto fudatoris; extractam, inquam, seu deductam in ea quantitate, quæ communiter alijs Clericis soleat pro Missis distribui; & iuxta eūdem Sanchez ibi, necnon Dubio 83. si talis Capellanus non recitet, sed tamen celebret, haud quaquam tenetur restituere fructus respondentes Missis, sed residuos alios, si qui sint. Adhæret Thomę Sanchez Pellizarius in Manuall Regularium Tract. 5. Cap. 8. sect. 4. num. 198.

64 Denique ex antedictis oritur decisio perspicua eius difficultatis, an Capellanus obnoxius sit restitutioni, si celebravit alias Missas, seu diuersæ qualitatis ab ea, quā fundator petivit? Si enim fundator petivit Missam votiuam, aut de *Requiem*, & ob obligationē dicendi talem Missam designavit stipēdium maius solito, tenebitur Capellanus restituere excessum, quando non celebret Missam petitam à fundatore. Vbi observo, sicut Capellanus peccat graviter, vel leviter, si absque rationabili causa non servat conditiones numeri Missarum, temporis, locique præscripti à fundatore, si item non celebret per se ipsum, quando hæc etiam est vna è conditionibus fundationis, ita peccare graviter, vel leviter, si absque rationabili causa non servat Missarum qualitatem præscriptam in fundatione. Et peccabit quidem graviter, quoties ex stipendij incremento per fundatorem designato colligatur intendisse imponere obligationem gravem; quoties etiā ex non adimpleta qualitate Missam sequatur scandalum grave fundatoris, aut hæredum; prętereaque quoties sequatur notabile detrimentum spirituale fundatoris; vt si hic dotasset Missam de *Requiem* in altari privilegiato ad lucrādam Indulgentiam plenariam concessam à Papa sub cōditione expressa, quod Missa, quæ in eo altari applicetur pro defuncto, sit de *Requiem*. Nam si tunc Sacerdos non dicat Missam de *Requiem*, sed aliam, fraudabitur fundator fructu plenariæ Indulgentiæ; quod est detrimentum spirituale considerabile, vt docet Ildefonsus Perez de Lara Lib. 2. de Anniversarijs, & Capellanijs Cap. 8. num. 35. P. Mendus D. 29. in Bullam Cruciatæ Cap. 4. num. 31. ait, si tenor

privilegij

privilegij Pontificij sit, *Vt quandocumq; Sacerdos aliquis Missam defunctorum in tali altari celebrauerit*, &c. tunc verba illa *Missam defunctorum* accipi posse pro *Missa applicata defunctis*. Sed certè talis acceptio est prorsus violenta; aliud enim est Missa defunctorum, aut defuncti, ac Missa pro defunctis, aut pro defuncto: quo posteriori modo si privilegij formula concepta sit, minimè exiget Pontifex Missam de *Requiem*, secus si priori, vt benè vtrumque consideravit Tamburinus infrà. Sed etsi Papa non exprimat, debere de *Requiem* esse Missam, extat Declaratio edita à Congregatione Sacra Rituum asserens, Missam pro defunctis celebratam in altari privilegiato, non suffragari, nisi sit de *Requiē*. Ita referunt Barbosa in Summa Apostolicarum Decisionum Collectanea 478. numero 1. Diana parte 4. Tractatu 4. Resolutione 233. parte 9. Tractatu 2. Resolutione 8. Quæ Declaratio si sit authentica (quod negatur à Thoma Tamburino Libro 2. de Missa Cap. 6. §. 6. numero 2. & à Diana parte 11. Tractatu 8. Resolutione 20. relinquitur sub dubio) faciatque legem vniversalem, (quod negatur à Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 9. sect. 3. num. 81.) Capellanus obligatus à fundatore ad celebrandam Missam de *Requiem* in altari privilegiato, ob respectum, qui ad Indulgentiam plenariam à fundatore habeatur, debebit celebrare ibi Missam de *Requiem*, etiāsi in altaris Indulto non exprimat Papa conditionē Missæ dicendæ. Et hæc satis circa qualitatē Missarū; trademus plura in D. 28.

65 Quæstio duodecima, quandonam Capellanus teneatur celebrare per se ipsum Missas?

Respondeo, teneri, quando in Capellaniæ fundatione dicitur, vt Capellanus personaliter celebret, aut vt celebret per se ipsum, aut vt non celebret alius, quàm Capellanus. Nam cum hęc conditio sit honesta, & iuri conformis, debet Capellanus ex iustitia servare eā; nisi excusetur ob legitimum aliquod impedimentum, quod sit distinctum ab incommoditate, & molestia, quam non vincere sit negligentia contra obligationem suam ratione stipendij. Eo autem impedimento superveniente, & durante vltrà duos menses, incumbit Capellano iuxta communem sententiam obligatio faciendi, vt celebretur per alium, cui tradat stipendium iustum, sed non tantum, quantum respondeat sibi, vt notat Arriaga Disputatione 56. sect. 2. Subs. 3. num. 24. Censetur legitimum impedimentum ægritudo Capellani; sicut & in famulo eadem sufficit, ne apud pium herum demereatur salarium per breve aliquod tempus; vt notat Petrus à Navarra Lib. & Cap. 2. de Restitutione num. 212. Qui Author, *Ob alias causas, & negotia etiam iusta, ab infirmitate*, ait, *etiam per hebdomadam, non licere Missas omittere, non enim id consentit, vel rationabile est consentire fundatorem*. Nihilominus non video potiorem rationem in impedimento ęgritudinis, quàm in alijs contingentibus primò, aut continuatis absq; culpa eiusdē Capellani. Franciscus de Lugo L. 5. Capite 11. quæstione 3. numero 34. Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 3. §. 1. num. 3. & 6. Antonius de Quintanadueñas tomo, & Tractatu 2. Singularium in 25. num. 1. citans Azorem, Laram, & Marchinum eiusdem sunt censuræ, ac ego. Verùm de hoc puncto iam suprà. Et tam de impedimēto ęgritudinis, quàm de alijs dubitari potest, an excusent, quando Capellanus culpa sua contraxerit illa, etiamsi removere illa iam non valeat? An item excusent, si Capellanus antea solitus esset non celebrare, iam tamen proponeret, non deesse suo muneri, cessante impedimento? Sed de vtroque dubio alibi.

66 Nunc observo primò, si in fundatione Capellaniæ dicatur, quòd Capellanus debet residere, assistere, vel interesse in aliqua Ecclesia, denotatur his verbis præsentia personalis: quam quia non requirunt multæ Capellaniæ, ideo vnus, idemque potest obtinere plures, quæ huius conditionis sint. Si autem in institutione Capellaniæ dicatur, quòd debet servire, vel cantare, satisfacit Capellanus per aliū, qui vice ipsius serviat, vel cantet; sed non satisfaciet, si dicatur, debere adiuvare Parochum in cantando, & alijs similibus, quia verbis istis significatur servitium personale in Choro. Ita Authores graves apud Franciscum de Lugo suprà num. 28. apud Perez de

Lara Libro 2. de Anniversarijs, & Capellanijs Cap. 7. num. 6. & apud Dianam parte 9. Tractatu 2. Resolutione 14. quibus & ipsi suffragantur. Sed potest dubitari de postrema interpretatione, si secunda sit admittenda, non enim apparet clarum discrimen. Et præterea non constat, cur servitium personale circa Chorum deberet in tali Capellano afferre annexum onus personalis servitij circa Missas. Sed huius puncti sit penes alios iudicium.

67 Observo secundò, si in fundatione Capellaniæ dicatur, debere Missam in tali templo, vel altari celebrari, non imponitur Capellano obligatio, vt per se ipsum celebret, quia eis verbis non eligitur persona, sed locus. Et quāuis dicatur, debere Capellanum celebrare in tali templo, vel altari, dummodò non addatur, debere per se metipsum, adhuc non eligitur persona, & Sacerdos determinatus ad celebrationem, industriaque eius; sed tantùm significatur obligatio Capellani, vt ipse celebret, vel curet, celebrari ab alio Sacerdote. Quanuis item dicatur, debere Capellanum celebrare tot Missas, vel institui Capellanum cum onere tot Missarum, verificantur sufficienter hæc verba, si Capellanus per alium satisfaciat obligationi tot Missarum. Et dum non enunciatur apertè, Capellanum debere esse actu Sacerdotem, vel habere ætatem legitimam ad Sacerdotium, poterit Capellania Ecclesiastica conferri Clerico quatuordecim annorum, & quę Laica sit, poterit conferri non Clerico in qualibet parva ætate constituto, vt cum Gonzalez docet Castrus Palaus Tract. 13. Disp. 1. puncto 6. num. 4. Quando autem dicitur, debere Capellanum celebrare per se ipsum, si simul non addatur, debere esse actu Sacerdotem tempore collationis, licebit in Capellanum instituere Clericum simplicem, qui intra annum possit promoveri ad Sacerdotium; eritque è potestate Episcopi, vel Ordinarij obligare Capellanum sic institutum, vt per ipsum Capellanum non stet, quominus intra annum promoveatur; nec minùs erit è potestate Episcopi, vel Ordinarij, ad Sacerdotium obligare illum, cuius Capellania petit, vt celebret per se ipsū. Enimverò Capellania tunc exigit, vt sit actu Sacerdos, quando expressis verbis fundatio id declarat; quando etiam in ea dicitur, vt ad Capellaniam præsentetur Sacerdos, aut Clericus Missam iam celebrans; quando etiam in ea dicitur per verba negativa, vt Capellania non conferatur nisi Sacerdoti; imò & quando per affirmativa dicitur, vt instituatur Capellanus Sacerdos, qui Sacrificet. Postremū id mihi magis placet cum Castro Palao suprà num. 12. & alijs, etsi non desint, quibus displiceat; atque illud etiam quod de verbis negativis diximus anteà. Mouentur autem, quia qui intra annum fieri potest Sacerdos, iudicatur habere sufficientem habilitatem, & in Iure reputatur quasi Sacerdos. Pro hac parte (quam probabilem censet Tamburinus Lib. 3. de Missa C. 4. §. 2. num. 7.) allegantur ab ipso Fagundezius, & Lotherius. Sed primus loquitur, quando institutio Capellaniæ dicat, *Eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret*: & huiusmodi Capellaniā ait, posse conferri Clerico etiam simplici quatuordecim annorum. De secundo non possum ferre iudicium, non enim habeo illum ad manus. Non apparet improbabile motivum illud. Sed desidero favētes Authores, quando verba sunt negativa.

68 Observo tertiò, quanquam in Capellaniæ fundatione dicatur, Capellanum debere celebrare diu, noctuq; Officia diuina, non ideo Capellanum præsentandum debere esse actu Presbyterum, nam præter Missam sunt alia Officia divina, de quibus intelligi commodè potest fundatio. Et ita declaravit Sacra Concilij Tridentini Congregatio super Sess. 25. Cap. 5. vt refert Franciscus de Lugo suprà numero 18. Qui Author est omnino videndus in tota quæst. 3. & Fagundez in 1. præceptum Ecclesię Libro 3. Cap. 9. ex numero 1. vsque ad 5. Nicolaus Garcia parte 7. de Beneficijs Cap. 1. ex num. 58. vsque ad 101. Perez de Lara L. 2. de Anniversarijs, & Capellanijs toto Capite 5. Castrus Palaus suprà in toto puncto 6. Thomasque Sanchez Libro 7. Consiliorum Moralium Cap. 1. Dub. 48.

69 Observo quartò, Capellanias in Ecclesijs Cathedralibus erectas, quarū redditus consistant in distributionibus quotidianis, debere cōferri Sacerdoti actuali, siquidem requirant presentiā, & celebrationē personalem,

vt

vt post alios resolvit Marchinus Tract. 3 de Ordine, parte 2. Cap. 29. num. 16. approbatque Thomas Tamburinus L. 3. de Missa C. 4. §. 1. n. 4. §. 2. n. 5. & cū alijs Barbosa ad C. *Significatum* 11 *de Præbendis*, num. 4.

70 Observo quintò, non sufficere coniecturas de fundatoris mēte, vt Capellan⁹ teneatur celebrare per se ipsum; atque adeò opus esse, quòd fundator exprimat quàm clarè. Hinc cū quidā, fundator disposuisset in hunc modū. ✻ Vt Capellani deinceps Canonicè instituantur, & infrà annum à die institutionis, & pacificæ possessionis in Presbyteros se faciant promoveri, & personaliter resideant, quinque Missas qualibet hebdomada ad dictum altare celebrent, &c. nisi legitimo impedimento fuerint occupati: quo casu celebrare per alium facere sint adstricti, alioquin pro defectu cuiuslibet Missæ 12. denarios Parisienses monetæ Flandriæ, fabricæ, & mensę pauperum dictę Ecclesiæ Parochiali dare teneantur. Nec supersedere poterit idem Capellanus, qui erit pro tempore per mensem de celebrando, vel celebrare faciendo Missas huiusmodi mediante solutione dictorū 12. denariorū, &c. nisi infirmitate notabili detētus fuerit, & salva honestate. ✻ Cum, inquam, ita disposuisset quidam fundator, & consuleretur Sacra Concilij Tridentini Congregatio, an præfati Capellani tenerentur sacrificare per se ipsos? Respondit anno 1649. die 29. Maij, non teneri, mota exinde, quòd fundator non satis declarasset. Quæ decisio valde conducet ad similes alias difficultates; & ideò ad longum transcripta à nobis est formula fundationis, prout eā legimus in Eminentissimo Cardinali de Lugo Lib. 5. Responsorum Moralium, dubio 25. vbi doctè discutit hunc casum.

71 Sextò observo, Capellanum, non obligatum ex fundatione Capellaniæ ad celebrandum per se ipsum, posse loco sui substituere quem velit ex approbatis absolutè ad celebrandum, & nō posse compelli ab Episcopo, vt per se ipsum satisfaciat oneri Missarum. Ita idē Cardinalis eodem Libro, dub. & num. 9. Diana parte 2. Tract. 14. Res. 18. p. & Tract. 4. Res. 87. parte 9. Tract. 2. Res. 14. cum permultis alijs, quos allegant.

72 Observo postremò, eum, qui manuale recipit stipendium, non obligari, vt per se ipsum sacrificet, sed poterit satisfacere per alium, nisi expressè fuerit conuentum de celebratione exhibenda per se, & non per alium. Nam quod dictum est de Capellano, valet multò magis in Sacerdote mercenario, *Qui per alium faciens, per se ipsum facere censebitur iuxta Regulam iuris in 6.*

73 Decima tertia quæstio, vtrùm Capellanus teneatur offerre Sacrificium pro intentione fundatoris?

Respondeo cum Francisco de Lugo L. 5. Cap. 11. quæst. 1. num. 13. alijsque apud ipsum, teneri, nisi aliunde clarè constet, fundatorem reliquisse Capellano liberam applicationem Missarum, intendisseque solummodò diuinum cultum in tali Ecclesia, aut altari, vel cōmoditatem populi in copia Missarum. Ratio est, quia Capellaniæ sic regulariter fundari solent, vt Missæ offerantur pro fundatoris intentione; sicut etiam dantes eleemosynam manualem, petentesque Missas vicissim, id communiter volunt, vt pro ipsorum intentione applicentur Missæ. Et quanquàm id non exprimant, censendum est, voluisse, tum quia fortissima præsumptio desumitur à consuetis, & communiter accidentibus; tum quia cum agatur, de salute animæ, præsumendum est, eos voluisse consulere sibi omni meliori modo, & non amittere fructum comparabilem ex Missis.

74 Dices, in dubio meliorem esse conditionem Capellani possidentis suam libertatem circa applicationem Missarum. Sed contrà, quia in hoc casu moraliter nullum est dubium. Si autem rebus omnibus prudenter, maturèque pensatis esset simpliciter, & absolutè, assentirer cum Auersa quæst. 11. sect. 18. V. *Quandonam*, & cum Bonacina apud ipsum. Dices rursus, lex quælibet, etsi iusta, non ligat subditum, nisi sit ei sufficienter promulgata, & intimata, seu nisi habeat claram legis notitiam. Ast onus applicandi Sacrificium est quasi lex privata, & contractus quidam onerosus, qui expressa contrahentium voluntate perficitur.

Ergo Capellanus non est obligandus ad applicationem Missę pro fundatoris intentione, quandiu de eius volũtate clarè non constet. Sed contrà, nam de voluntate fundatoris moraliter constat in hoc casu, quantùm clarè potest. Dices iterùm, hanc regulam in onerib⁹ maximè imponendis seruandam esse ex monito Eximij Doctoris Suarij tomo 4. de Relig. Tract. 8. L. 2. C. 17. n. 7. *Si voluisset, expressisset.* Addes, *quicquid adstringendæ obligationis causa dictum, id, nisi palàm verbis exprimatur, omissũ esse, intelligendum est; aut certè secundùm promissorem interpretamur, quia stipulatori liberum fuit, verba latè cõcipere,* vt habetur *l. Quicquid adstringendæ ff. de Verborum obligationibus.* Consonat textus in C. *Contra eum* ‹ 7. *de Reg. iuris in 6.* Ibi: *Contra eum, qui l. gẽ dicere potuit apertiùs, facienda est interpretatio.* Et hæc debet esse stricta, vbi tractatur de obligatione, quæ sine manifesta ratione non est inducenda. Sed cõtrà, quia in hoc casu palàm, & apertè moraliter iniungitur obligatio applicandi Missam pro fundatore, quandiu expressis verbis nõ excluditur talis obligatio. Porrò autem si alicui hæ obiectiones propositæ à Marchino Tract. 3. de Ord. p. 2. C. 27. à Pellizario in Manuali Regul. Tract. 5. C. 9. S. 4. n. 99. & à Diana p. & Tract. 6. Resol. 13. vim adhuc ingerant, posset sequi mediam viam, scilicet vt si fundationis Capellaniæ scriptura extet, & in ea non inueniatur expressa obligatio applicandi Missas pro fundatoris intentione, liber maneat Capellanus à tali onere; secus verò, si non extet scriptura, eo quòd ob antiquitatem amissa sit, quanquam iam olim consueverint dici Missę in tali templo, vel altari, tali die, vel hora. Posteriorem hanc partem efficaciùs probat nostra ratio; & priorem efficaciùs persuadere possunt rationes Marchini. Ego tamen ab hoc Authore omnino discedo; sed ad quem accedit ex parte Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 3. à numero 15. vsque ad 27.

75 Decima quarta quæstio, an Capellanus licitè possit accipere stipendium manuale pro Missis, quas ex fundatione Capellaniæ celebrat in tali templo, vel altari ad talem horam sine obligatione offerẽdi eas pro fundatoris intentione, quia clarè constet de Capellani immunitate ab hoc onere, vt si fundator expressè significarit, voluntatẽ suam esse, quòd Capellanus applicet Missas pro se, aut pro alio quocumque ad suũ placitum?

Respondet negativè Diana parte 2. Tract. 14. Resol. 80. cum tamen Res. 26. docuisset, posse Parochum sumere stipendium manuale pro Missis, quas coram suis Parœcianis debet ex officio celebrare diebus Dominicis, & festivis; Capellani autẽ libertas, vt Missam applicet pro quo voluerit, manifestior est in casu à nobis proposito, quàm sit Parochi libertas; hanc enim multi Doctores negant satis probabiliter in diebus illis. Idem Diana p. 4. Tract. 4. Res. 16. visus est Cardinali de Lugo Disp. 21. sect. 1. num. 21. mutasse sententiam, & respõdisse affirmativè ad quæstionem. Sed ad quam partem propendeat ibi ille Author, nõ claret, vt notavit Dicastill⁹ Tract. 5. Disp. 4. Dub. 23. num. 436. Idem Diana eodem Tract. Resol. 232. revocavit iterùm opinionem quoad Parochum, de quo ait, non posse sumere eleemosynam manualem pro applicatione Sacrificij celebrati ex officio, vt populus ei interfit diebus præcepti. Idẽ Diana parte 5. Tract. 14. Resol. 45. V. *Adde, quòd,* retractavit rursus sententiam quoad Capellanum obligatum dicere Missam pro sola præsentia, scribit namq; nõ posse accipere aliud stipendiũ pro applicatione valoris Missæ. Tot mutationes, transformationesque Dianæ indicant, variantes esse in hac quæstione opiniones Doctorum, ex quibus hos heri, illos hodie, alios cras sequeretur. Nos respondemus affirmativè ad quæstionem consequenter ad doctrinam Sectionis 2. & Declarationis cuiusdam editæ à S. Cõgregatione Cardinalium super Concilium Tridentinum ad annum 1630. die 13. Iulij apud Dianam parte 11. Tractatu 8. Resolut. 67.

vbi

vbi an opinionem retexat necne? Dignoſces difficulter.

76 Si opponas, ergo iam pro eadem Miſſa duplex ſtipendium refert Capellanus; quod eſt contra Decreta de Celebratione Miſſarum. Dico breviter, non reportare duplex ſtipendium pro applicatione vnius, eiuſdemque Miſſæ ad diuerſas perſonas, neque ad vnam, eandemque, nam pro applicatione vnum tantùm reportat ſtipendium manuale ab ea perſona, quæ petit applicari ſibi fructum Miſſæ aliàs dicendæ in tali loco ex obligatione Capellaniæ, cuius fundatio liberam relinquit applicationem fructus. Inſtabis, ſtipendium non datur pro Sacrificio ipſo, & fructu ſpirituali, id enim eſſet Simonia; ſed datur in ſuſtentationem Sacerdotis, vel pro eius labore extrinſeco in Miſſa dicenda. Aſt ſuſtentatio Capellani intuitu Miſſæ iam habetur per redditus Capellaniæ, & labor extrinſecus compenſatur ſufficienter redditibus eiſdem. Ergo ſi ſimul refert Capellanus manualem pitantiam, ſequitur, accipere ſuſtentationis duplex ſtipendium intuitu vni⁹, eiuſdemque Miſſæ, vel duplicem mercedem pro labore extrinſeco vnius, eiuſdemque Miſſæ, alteram à fundatore, alteram ab ea perſona, quæ petit offerri pro ſe Miſſam. Permitto, quòd ex cauſa laboris extrinſeci, & non potiùs ſuſtentationis, contribuatur Capellano pitantia manualis à perſona poſtulante applicationem Miſſæ pro ſe; ſed tamen ſupponi debet datum à fundatore ſtipendium ex alio titulo, nempe perpetuę obligationis impoſitę eidem Capellano ad dicendam Miſſam tali loco, & die: quę obligatio eſt pretio reddituum Capellaniæ çſtimabilis; ſicut obligatio Parochorum, Beneficiariorum, & Canonicorum ad celebrandas Miſſas determinata in Eccleſia, & ſtato tempore eſt onus dignum pretio reddituum ſibi aſſignatorum: ideoque in Sectione 2. docui, poſſe, per ſe, ſumere ſtipendiũ earum etiam Miſſarũ, quas ex debito celebrant. Fateor quidem, in Parochis, Beneficiarijs, & Canonicis plures eſſe obligationes, quibus reſpondeant redditus illi. Cæterùm cum obligatio ad præcisè celebrandum tali loco, & tempore non habeat pretium in indiviſibili, neque preſcriptum ex natura rei, poterit fundator deputare pretium, quod voluerit pro tali oñere, aut pretium excedens infimam, & mediam quantitatem, poteritque Capellanus præcisè adſtrictus ad celebrandum tali loco, & tempore reportare iuſtè quidquid pretij in ſuprema ſaltem quantitate deſignaverit fundator. Video, obijci aliqua poſſe contra ſtipendium ex titulo obligationis præfatæ. Sed locus diluendi ea erit in Diſputatione 31. Ariaga Diſp. 56. ſect. 1. Subſ. 3. n. 13. ait, fundatoris ſtipendium eſſe ex ſupererogatione, & quaſi ex liberalitate in caſu propoſito. Non ſum vſus ſolutione hac, quia ſi obligatio Capellani ad Sacra facienda tali loco, & tempore eſt ex iuſtitia, ex eadem etiam erit aſsignatio, ſolutioq; ſtipendij conſiſtentis in redditibus Capellaniæ.

77 Deinde oppones Declarationem editam à Congregatione Sacra Cardinaliũ anno 1625. vel 1626. tranſcriptamque à nobis in num. 17. Sed eius Declarationis genuinum ſenſum, nihil nobis officientem, patefecimus in n. 21. Quod non poſſumus præſtare circa aliam Declarationem datam anno 1627. die 9. Ianuarij, & 6. Februarij apud Dianam parte 11. Tract. 8. Reſ. 67. qui ibi optat, vt à Sacra Congregatione edatur reſolutio clara præſentis dubij, & vt Cardinalis de Lugo vel ſuam ſententiã ampliùs firmet, vel faciat, vt contraria ſuæ, & noſtræ expreſsiùs determinetur per Sacrã Congregationem. Quidquid ſit de optatis Dianę, nos dicimus, Declarationem anni 1627. ſi fide digna eſt, & authentica, nõ fuiſſe pronunciatam cõſulto, & approbante Summo Pontifice, neq; de mandato eius fuiſſe hactenus legitimè promulgatam tanquam legem obligatoriam, & vniuerſalem. Fortè fuit facta in aliquo caſu particulari, qui ex quacumque circumſtãtia variari poteſt. Et cum allegentur Declarationes oppoſitę, nõ poſſumus ex earum authoritate finem huius quæſtionis facere ſiue pro vna, ſiue pro alia parte. Non abſimiliter reſpondet noviſsimè Vidal in Arca vitali pag. 60. 278. 346. & 379. ad Declarationes alias magis celebres.

78 Quæſtio decima quinta, an Capellanus obligat⁹ ſacrificare in altari privilegiato poſsit vltrà fixum ſtipendium

fundatoris pro Missa sibi celebranda, & applicanda iuxta intentionem eiusdem fundatoris accipere aliud stipendium manuale pro applicatione Indulgẽtiæ iuxta intentionem alterius?

Respondeo, non posse, tũ quia insuetum est, accipere stipendium ob applicationem Indulgentiæ, nisi vt coniunctam cum applicatione Missæ pro intentione eiusdem personæ; nec solùm est insuetum, sed etiam contra mentem Summorum Pontificum concedentium Indulgentias. Tum quia finis petentium, aut obligantium dato stipendio ad Missas in altaribus priuilegiatis, similiterque finis Summorum Pontificum eas Indulgentias largientium est, vt tam Missarum, quàm Indulgentiarum fructus applicentur pro fidelibus, qui Missas celebrari petunt in eis altaribus, & conferunt stipem, vt ibi sacrificetur. Tum quia non est fundamentum, vt iudicetur fundator Capellaniæ minus exigere applicationem Indulgentiæ, quàm Missæ; neque item est fundamentum, vt cõferens stipendij manualis existimetur exigere minus applicationẽ Missæ, quã Indulgentiæ; & saltem dum non exprimit oppositum, verbisque apertis declarat, debemus præsumere, quòd postulet in primis applicationem Missæ, vtpote quę sortiatur infallibiliter effectum in subiecto disposito, cum tamen hæc efficacia respectu Indulgentiæ non sit omnino certa, sed aut negetur à nonnullis grauibus Theologis, aut de ea dubitetur. Legantur circa hanc quæstionem Diana parte 9. Tract. 2. Resol. 24. parte 10. Tract. 16. Resol. 70. Thomas Tamburinus Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 3. num. 49.

79 Quæstio decima sexta, num Capellanus obligatus solummodò ad dicendam Missam de *Requiem*, quin debeat dicere in altari priuilegiato, possit, si in hoc dicat, applicare Indulgentiã alteri à fundatore?

Respondeo ex P. Suarez tom. 4. in 3. p. D. 58. S. 4. n. 3. attendendũ esse verbis priuilegij, nã si concessum sit sub hac forma, *Quoties Sacerdos Missam in tali altari celebrauerit, liberabit animam à Purgatorio*: tunc poterit Sacerdos applicare Indulgentiam, cui voluerit. Si verò sub hac alia forma concessum sit, *Quandocumque Sacerdos Missam defunctorum pro anima cuiuscumque fidelis ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ Indulgentiam consequetur*: tunc necesse erit ad lucrandam Indulgentiã, vt ea applicetur pro fundatore, pro quo supponimus applicari Missam. Consulatur Diana parte 9. Tract. 2. Resolutione 5. & 25.

80 Decima septima quæstio, vtrùm Capellanus obligatus celebrare in aliquo loco, & die, sed liber ad applicationem Missæ pro quo voluerit, si non celebret loco, vel die designato, & omissio contingat ex propria culpa, teneatur restituere stipendium Missæ omisse, vel satisfaciat, celebrando in alio loco, vel die?

Respondeo cum Dicastillo Tract. 5. D. 4. Dub. 21. num. 385. teneri restituere, quia nihil confert fundatori, finique intento ab ipso, quòd Capellanꝰ sacrificet alio loco, vel die.

81 Decima octaua quæstio, an Capellenus peccet graviter contra iustitiam, si vel vnam tantùm Missam prætermittat absque rationabili causa?

Respondeo primò, peccare graviter, si stipendiũ respondens vni Missæ sit tãtæ quantitatis, quæ, si furto auferretur, sufficeret ad mortale peccatum. Nam omissio obligationis contractæ ex accepta quantitate gravi in materia iustitiæ non potest contra iustitiam non esse graviter peccaminosa, si absque rationabili causa contingat. Vnde Capellanꝰ debet sub pœna peccati lethalis restituere stipendium omissæ Missæ, vel resarcire omissionem alia Missa, casu quo per aliam Missam possit satisfieri fini fundatoris, alioqui retineretur sine titulo

tulo aliena quantitas gravis in materia iustitiæ. Nec docuit oppositum Pater Thomas Sanchez Lib. 1. de Matrimonio Disput. 5. num. 25. quicquid tanto Doctori affinxerit nescio quis apud Dianam parte 10. Tract. 15. Res. 43. Legatur numerus ille 25. & præcedens, constabitque deceptio.

82 Dices, Capellanus factus est dominus stipendij sub obligatione celebrandi semel. Sed obligatio celebrandi semel non est de materia gravi, vt probatur exinde, quòd non sit de materia gravi obligatio dicendi vnam Missam contracta per simplicem Sacerdotis promissionem acceptatam ab alio. Contrà, quia obligatio ad vnam Missam celebrandam indifferens ex genere est, vt sit gravis, vel levis penes causam, ex qua proveniat in specie, vel in individuo. Si derivetur ex accepta quantitate notabili in materia iustitiæ, erit gravis in eadem materia, non secus ac gravis est in materia religionis, quando nascitur ex iuramento, vel voto, & in materia obedientiæ, quando dimanat ex præcepto Superioris. Si verò ex simplici promissione facta homini, & acceptata profluat, erit levis.

83 Dices rursus, Capellanus, non obligatus celebrare per se ipsum, si acceperit stipendium maius communi, & manuali, satisfacit suæ obligationi committens alteri celebrationem Missæ, tradensque stipendij quantitatem, quæ sit levis in materia iustitiæ, vt si tradit regalem, & dimidium, cum tamen ipse acceperit tres, aut quatuor, aut quinque regales. At qui nemo graviùs peccat, quàm sit gravitas obligationis, qua tenetur. Ergo si solùm tenetur ad id, quod in se leve est, scilicet ad tradẽdum regalem, & dimidium pro Missæ celebratione, quam ipse omittat peragere per semetipsum, non poterit committere gravem culpam, si retineat stipendium, quin ipse celebret, & quin curet celebrari per alium, cui det totũ stipendium, vel eius partem adæquantem stipendij communis, & manualis. Contrà, nam obligatio gravis in materia iustitiæ non tam pensanda est ex materiæ exequendæ gravitate, quàm ex radicis, aut causæ, vnde oritur obligatio, vt patet, casu quo Petrus conferat tibi vnum scutum sub conditione, quòd deferas Paulo epistolam officiosam, ideòque parvi momenti; tunc enim, etsi delatio epistolæ sit quid leve ratione tam ipsius epistolæ, quàm laboris impendendi, nihilominus si omittas deportationem per te ipsum, aut per aliũ, cui mercedem multò minorem concedas, manes graviter obligatus ad scuti accepti restitutionem, eo quòd pretiũ vnius scuti, ex quo nascitur obligatio ad epistolæ delationem, sit quantitatis gravis in materia iustitię. Et ita contingit in nostro casu.

84 Respondeo secundò ad quæstionem cum Castro Palao Tractatu 22. Disp. vnica, puncto 14. num. 2. Thoma Tamburino Lib. 3. de Missa Cap. 1. §. 8. num. 16. Pellizario in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 1. n. 20. Tract. 6. Cap. 3. num. 4. 5. & 6. Hieronymo Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diffic. 10. dub. 2. num. 14. Dicastillo Tract. 5. Disp. 4. dub. 22. n. 415. post Thomam Sanchez supra, & post Fagundez in 1. præceptum Ecclesię Lib. 3. Cap. 8. num. 11. si stipendium datum pro vna Missa sit parvę quantitatis in materia iustitiæ, ita vt non pertingat ad quantitatem, quæ furto adempta sat foret ad lethale scelus, non delinquere graviter Capellanum omittentẽ eius Missę celebrationem, proindeque non teneri sub pœna peccati mortalis ad curandum, vt dicatur ab alio Sacerdote, vel ad restituendum stipendium. Ratio est, quia non apparet caput, vnde tunc graviter peccet Capellanus, neque vnde teneatur sub pœna peccati mortalis ad priorem, vel posteriorem satisfactionem.

85 Inquies, caput esse damnũ spirituale consistens in priuatione debiti fructus Missæ, quod damnum grave est. Sed contrà, quia alioqui omittens Missam teneretur non modò ad restitutionem stipendij, sed etiam ad satisfactionem pro damno spirituali, quod sequutum sit ob non dictam Missam: vnde non satis esset, reddere stipendium acceptum; sed præterea opus foret, vel reparare illud damnum, si adhuc locus remedio daretur; vel exhibere pro illo compensationem, quoquo modo posset. Et quanquam neque id vtrumque necesse sit, quando, accepto etiam magnæ quantitatis stipendio, Sacrum non fuit factum, non exhinc amittit vires nostra argumentatio ab absurdo, sed

potiùs

potiùs eas augèt, cùm neque in poſteriori caſu gravitas peccati, & obligationis metienda ſit, niſi ex magna quantitate ſtipendij, ne ſimiliter ſequatur abſurdum illud. Et quidem cum ſpirituale bonum excedat omne pretium tẽporale, qui de illo contrahit, accipiens iſtud in ſui ſuſtentationẽ, aut ex alio titulo immuni à labe Simoniæ, non præſumitur ſe obligare, ſi contractui nõ ſtet, ad reddendum pretium, ſimulque ad ſatis faciendum pro damno, ſed vel ad primum, vel ad ſecundum, caſu quo damnum integrè reſarciri queat. Nam ſi nõ queat, tenebitur determinatè ad primũ. Si autem impotens ſit ad primum, & damno ex parte ſaltem occurri valeat, tenebitur ad aliqualem reparationem, aut compenſationem. Erit adhuc, qui replicet, poteſt evenire, vt ob non oblatam vnam Miſſam, pro qua datum ſit modicum ſtipendium, obveniat grave damnum temporale promiſſario. Dem⁹ enim, te ſpopondiſſe Sacrum ad impetrationem ſanitatis, cui reſtitutus fuiſſet, qui contulit ſtipendium, ſi liberaſſes tuam fidem, aut ſi alius ex eo fine faceret Sacrum; ſed quia tu promiſiſti, nõ curavit ille de petenda alterius Sacerdotis Miſſa, dato ſtipendio: atque adeò periculoſa ægritudo diu perſeverat, aut ille moritur. Reſpondeo primò, non conſtare nobis, num damnum illud temporale impediendum re ipſa foret, celebrata Miſſa. Deinde quantitatem peccati non eſſe penſandam in hoc caſu ex gravi damno temporali, quod fortè incurritur ob pactum non ſervatum, alioqui ſi, vt ad Miſſam ſe obligavit Sacerdos, ſe ad ſolam orationem Dominicam recitandam obligaſſet accepta modica ſtipe, deliquiſſet graviter non recitata ea oratione: quod nemo concedet. Pẽſanda igitur eſt quantitas peccati ex eleemoſynæ illius quantitate; quæ cum parva ſit, exiguum etiam erit peccatum incurſum ob Miſſæ omiſſionem. Vrgebit quis etiam num, promittẽs Miſſam, accepto quantumcumque parvo ſtipendio, & in alterius vrgente neceſsitate gravi ſiue temporali, ſiue ſpirituali, tenetur habere reſpectum, ſeu attendere ad talem neceſsitatem. Ergo ſi Miſſam omittat, erit reus, & graviter ob non procuratum remedium gravis neceſsitatis, ſeu ob damnum grave ſequutum ipſius de cauſa. Fateor, teneri ad præfatum reſpectum, ſeu attentionem, ſed non ſub culpa lethali, quando ſtipendiũ eſt parvum. His omnibus replicis poteſt etiam ſatisfieri, ſi dicatur, privationem fructus Miſſæ vnius eſſe leve intra genus rerum ſpiritualium, & in materia etiam iuſtitiæ, quando huius obligatio, vt in præſenti, eſt contracta ex ſtipendio parvæ quantitatis, quanquam quadruplo minor quantitas iudicetur gravis in materia iuſtitiæ, quàm quæ iudicatur gravis in materia fidelitatis, vt docet P. Thomas Sanchez ſuprà.

86 Sunt nonnulli Doctores, qui etſi cenſeant, omiſsionem vnius Miſſæ importare damnũ ſpirituale graue, dicunt, non afferre reſtitutionis grauem obligationem, quando, qui dedit ſtipendium manuale parvum, noſcit eã omiſsionem, & cum poſsit compenſare facilè, quæſito alio Sacerdote, & collata ei exigua ſtipe, vt Sacrum faciat, non compenſat; perinde enim id eſt, ac ũ cõdonaret debitum Miſſæ, vel non haberet illud magni. Non aſſentitur Bonacina Diſput. 4. q. vltima puncto 7. §. 2. num. 6. quia Sacerdos adhuc cenſetur cauſa damni gravis. Niſi qui eleemoſynam obtulit, & novit, eſſe Miſſam omiſſam, mandaverit alteri celebrare Sacrũ, tunc enim prior Sacerdos tenetur ſolùm reſtituere pecuniam acceptã, ſub mortali, aut veniali iuxta gravem, vel modicam pecuniæ quantitatem, nam cenſetur cauſa damni ſolùm ratione pecuniæ; cum ille, qui tradidit eleemoſynam, aliunde ſibi conſuluerit ratione Miſſæ prætermiſſæ à priori Sacerdote.

87 Ego etiam cum Bonacina diſſentior, quia ſi ſemel ſupponitur, priuationem fructus debiti Miſſę vnius eſſe damnum ſpirituale grave, vrgebit gravis obligatio reſtitutionis, tametſi, qui ſtipendium tradidit, noſcat, eſſe omiſſam Miſſam, & nolit, cũ facilè poſſet, commendare alteri Sacerdoti aliã Miſſam nova eleemoſyna tradita; non enim video, cur id ſit remittere debitũ Miſſæ, vel parvipendere illud, & non potiùs velle, vt Sacerdos adimpleat ſuã obligationem; alioqui qui accipit ab homine divite quantitatem gravem, deobligaretur graviter à reſtitutione, quoties dives ſciret retentionem pecuniæ commiſſę ad emendum librum v.g. & cum commodè poſſet, nolet inſumere aliam pecuniam in libro emendo. Sed

&

& quanquam vellet insumere, dicendū est, famulum, qui accepit quantitatem gravem, non deobligari graviter à restitutione. Cuius exempli vis me movet, vt non approbem ampliationem Bonacinæ. Et sanè quòd posterior Sacerdos dicat aliam Missam ex commissione dātis novam stipem pro ea, non est damni à priori Sacerdote illati reparatio; qualis opus est, ne prior Sacerdos maneat grauatus. Taceo, contingere posse, vt non reperiatur alius Sacerdos, qui exiguâ stipe contentus assumat onus Missæ. Tunc autem prior Sacerdos necessitatē induceret elargiendi stipem in quantitate magna, sufficienteque ad peccatū lethale, si furto auferretur; cuius necessitatis inductio nō potest vacare culpa gravi.

88 Contra responsionem secundam ad quæstionem restat adhuc non despretianda obiectio desumpta ex Decretis de Celebratione Missarum cōfirmatis, & approbatis ab Vrbano VIII. Papa, in quorum §. 2. Sacra Cōgregatio Cardinalium Interpretum Concilij Tridētini *Sub obtestatione diuini iudicij mandat, & præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Sic ibi. Ergo iuxta hoc Decretum reus est peccati mortalis & restitutioni obnoxius non celebrans vnam Missam, pro qua fit præscripta eleemosyna quantitatis, quę non solet esse grauis in materia iustitię, etiam quando talis eleemosyna est congrua, vti hìc Salmanticæ sunt duo regales. Dixi *Etiam quando*, nam etsi eleemosyna sit incongrua, si tamen acceptetur, comprehenditur sub hoc Decreto, vt cōstat ex prioribus eius verbis. Ibi: *Deinde vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum:: Sacra Congregatio sub obtestatione*, &c.

89 Thomas Tamburinus suprà ait, non esse credibile, Sacram Congregationem velle obligare vltra ius naturale, & proinde graviter, vbi non adest gravis materia stipendij. Pellizarius eodem ferè modo respondet. Sed quanuis sic vincatur difficultas quoad punctum restitutionis, præsertim cum in Decreto non dicatur, *Et ad restitutionem grauiter teneantur*; ast non superatur quoad punctum peccati grauis, præsertim cum in Decreto exprimatur, *Grauiter peccent*, & cū stare possit, fauente Pellizario, vt ob damnum privationis fructus spiritualis sit lethalis omissio Missæ, quin consurgat gravis obligatio restituendi stipendium, quod modicum sit. Et hęc est sententia multorū Theologorum, sicut etiam ijdem, alijq; existimant, promittentem liberaliter alteri homini vnam Missam, ex animo se obligandi, reum esse culpæ mortalis, si fidem non servet, eo quòd inferat promissario grave detrimentum spirituale, maiusque quocumque temporali. Ita argumentātur Petrus Navarra Lib. & C. 2. de Restitutione dub. 6. num. 341. §. *Tertiò colligitur*, pag. (mihi) 162. in editione Toletana anni 1585. & Bonacina Disp. 4. de Sacramentis, q. vltima, puncto 7. §. 2. num. 6. & Disput. 3. de Contractibus q. 11. puncto 2. num. 8. Emmanuel Rodriguez in Summa Verb. *Missa*, Cap. 250. num. 5. pag. 445. in editione Salmantina anni 1610. quanuis 4. tomo Summæ, V. *Promissio*, Cap. 107. num. 4. in editione Salmantina anni 1612. post lectum Thomam Sanchez retrocedat. Petro Navarræ assentiri videtur Suarez Disp. 88. in procœmio. Potest autem eadem opinio valenter confirmari ex voto, iuramento, præceptoque Superioris de vno Sacro faciendo, si enim nō adimpleatur votum, aut iuramentum Deo exhibitum, aut præceptum, committetur mortale peccatum iuxta concordem Doctorum sententiam apud Hieronymum Garciam de Excellentijs Sacerdotij Tract. & Difficul. 3. Dub. 4. & 5. Ergo similiter, si non liberetur fides homini data de vna Missa dicenda. Nam si hæc est materia gravis respectu promissionis Deo factę, respectuve iuramenti, aut præcepti à Superiore impositi, quidni gravis etiā erit respectu promissionis, qua quis se obstrinxerit alteri homini? Obligabit quidem magis strictè votum, aut iuramentum, aut præceptum. Sed non ideo leviter obligabit promissio homini facta, si materia vnius Missę est vtrobique gravis.

90 Respondeo, paratum me esse retractare responsionem secundam ad quæstio-

quæstionem, si constet contrariam esse Decreto Sacræ Congregation's Eminētissimorum Cardinalium, illi enim, & cæteris de Celebratione Missarum maximè cupio conformare, atque adaptare meas opiniones in tota hac Tractatione. Sed videtur, posse probabiliter responderi, sermonem ibi esse de pluribus Missis, & de restitutione stipendiorum collatorum ob eas dicendas, non autem de vna sola Missa, nec de vno solo stipēdio vnius, aut duorum regalium; atque ideo loquuntur Patres Purpurati de Missis, & stipendijs in plurali, & non in singulari.

91 Cætera addita in obiectione facilem habent solutionem ex superiùs dictis. Et quidem omissio vnius Missæ promissæ alteri homini, & ab eo acceptatæ, si præcisè sistat intra sphæram materiæ promissæ, non est gravis culpa, tum quia communiter homines non intēdunt se obligare sub mortali per promissionem simplicem, & nudam factam alijs hominibus; tum quia damnum sequutum ex non adimpleta promissione simplici, & nuda vnius Missæ nō est notabile in ratione damni spiritualis incursi ab homine, & comparatiuè ad alia damna spiritualia; quo ex capite, & nō ex comparatione ad damnum temporale pensari debet res spiritualis hominibus pollicita. Præterquàm quòd damnum spirituale ex omissione vnius Missæ, cum redimi possit levi stipendio, vt aduertit Castrus Palaus suprà, cur, rogo, sit reputandum grave absolutè, & simpliciter? Imò etsi redimi non posset nisi magno stipendio, vt si omissę essent plures Missæ promissæ liberaliter, debent hæ tot esse, quot quadrupliciter superarent in stipendio materiā furti gravis, vt post Thomam Sanchez, & Fagundez suprà notant Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 2. Cap. 18. num. 5. Thomas Tamburinus suprà num. 18. & alij, eo quòd per fidem tractam in talibus promissionibus nō auferatur res aliena, sicut auferretur per iustitiam commutativam læsam; sed solummodò non præstetur quod suum est; quare vt peccetur graviter, multò plures sunt omittendæ Missæ promissæ liberaliter, quā quæ sufficerent, si essent debitæ ex iustitia, contractuque oneroso. Quanuis verò ex omissione Missarum (ex v. g. quę fuerint liberaliter promissę, incursum sit grave damnum spirituale, tamē cum in stipendio sint infra materiā quadruplicē furti gravis, vacabit ea omissio lethali culpa, siquidem non sit gravis quantitas stipendij, ex qua comparatiuè ad furtum grave, & non ex damno spirituali oportet dignosci malitia mortalis in huiusmodi promissionibus non adimpletis. Nec desunt classici Theologi, qui dicant, non oriri gravem obligationem ex simplici promissione homini facta in materia quantumcumq; notabili. Iuxta quam opinionem si temeres fidem, omittendo qualcunque numero Missas promissas, non peccabis mortaliter. Quòd si ea opinio limitetur, vt non procedat, quando promissarius subeat detrimentum considerabile ob non servatam sibi fidem: liber adhuc eris in præsenti materia à culpa mortali, tum quia penes Thomam Tāburinum suprà num. 11. 18. & 20. in promissionibus, de quibus loquimur, non teneris attendere ad damnum spirituale, quod sequetur, si eas non serves: tum quia detrimentum, de quo limitatio illa à nonnullis apponitur, videtur debere esse aliud, quàm quòd nō sit perceptum commodum ex adimpleta promissione; in nostro autem casu supponim⁹, damnum spirituale revocari precisè ad privationem fructus percipiendi ex Missis, si promissor non fefelliset fidem.

92 Iam ad confirmationem ex voto, iuramento, & præcepto occurro dicens, vnam Missam esse respectu ipsorum materiam gravem. Dubitare de hoc non licet quo ad præceptum, cum illud extet latum ab Ecclesia circa vnam Missam audiendam, vel dicendam in die festo. Hinc autem infertur à posteriori, esse etiam gravem materiam in ordine ad votum; quippe respectu voti ea reputetur gravis, de qua est, vel potest esse præceptum, quandoquidem illud obliget instar huius, vt cū Suario, Lessio, & Sanchez considerat Castrus Pala⁹ Tract. 15. Disp. 1. puncto 11. num. 7. vbi ex honestate etiam vnius Missæ cedentis magnopere in divinum cultum, (qui per votum intendatur) infert à priori idem ipsum; indicatque breviter in loco suprà allegato eandem rationem. Quæ etiam convincit, stipendiū ordinarium Missæ vnius esse materiam gravem, si votum fiat de eo erogando

ad

ad Missam ex fine divini cultus, quanuis alioqui duorum regalium votum ex fine subueniendi pauperi non versetur in materia gravi, quoniam huius finis honestas est multò minor. Dixi *duorum regalium*, nã de quatuor erogandis pauperi votum versaretur in materia graui, etsi supponatur, quatuor regales non esse per se materiam gravem respectu iustitiæ, quia ratione divini cultus, cuius causa in voto agitur, minor quantitas sufficit ad gravem materiam respectu ipsius, quàm respectu iustitiæ. Sed ex dictis convertet aliquis contra nos arma in hunc modum: ergo si Laicus petat vnam Missam à Sacerdote ex divini cultus, & non ex lucrandi fructum eius fine, saltem tam principaliter intento, Sacerdosque siue liberaliter, siue ex contractu oneroso ob acceptum ordinarium stipendium polliceatur postulatã Missam, tenebitur is graviter ad illam dicendam, vt quę in ordine ad divinum cultum intentum à petente sit materia gravis. Respondeo per instantiam in simplici ordinatione, quam faciendi Sacri ex fine divini cultus iniungat Superior subdito, & in simplici proposito, quod ex eodem fine cõcipiatur à Sacerdote de celebranda Missa, nullus enim asseret, subnasci tunc obligationem non modò sub lethali, sed neque sub veniali culpa ad Sacrum, quia scilicet non sufficit, quòd divinus cultus fuerit intentus, vt eius omissio sit peccaminosa; sed præterea opus fuisset, quòd ex obligatione gravi, vt omissio esset lethalis, & ex levi, vt esset venialis: quarum obligationum neutra datur per simplicem ordinationem, neque per propositum. Similiter autem neque per simplicem promissionem, neq; per gravatam onere stipendij ordinarij imponit sibi obligationem gravem vnius Missæ, qui dat de vna Missa fidem petenti eam ex intentione divini cultus. Ad hæc: intentio petentis non est regula obligationis gravis, vel levis in annuente, sed huius promissio, titulusque promittendi. Superest pro pleniori confirmationis, quãtùm ad votum spectat, dilutione notare, etsi per se sit materia gravis vna Missa respectu voti, posse ex intentione vouentis non resultare nisi obligationem levem iuxta generalem doctrinam plurium Theologorum, qui opinãtur, posse ex animo vouentis limitari in materia gravi obligationem ad solam culpam venialem.

93 Tandem quantùm ad iuramentum non opus est longo sermone, nã in violatione iuramenti promissorij de re etiam exigua multi sunt, qui contendunt, non posse non inesse culpam lethalem; & qui refragantur, debent profiteri violationem iuramenti promissorij de Missa vna esse mortalem, si illud sit factum in gratiam, & cultum Dei, nam tunc illud affert secum annexum votum, respectu cuius vnam Missam esse gravem materiam, iam diximus. Si promissio, cõfirmata iuramẽto, fiat homini de vna Missa, ait Thomas Tamburinus suprà num. 22. fore eo casu vnam Missam materiã levem. Sed nõ acquiesco, quia etsi promissio fiat homini, non ideo iuramentum non fit Deo, nec ideò vna Missa non censetur materia gravis respectu iuramenti, quod tam participat essentiam iuramenti, quàm si coniunctum esset cum promissione facta Deo; videturque perspicuum, exhiberi Deo gravem irreverentiam, si contẽnatur illius authoritas non exequendo Missam vnam, cum tamen exequendi eam adductus sit Deus in testem, sicut eidem irrogatur gravis irreverentia nõ servando fidem præstitam de vna Missa dicenda, nisi vovens intendat, non obligare se graviter: quæ intentio non habet locum in iuramento promissorio de re gravi, vt scitè advertunt Eximius Doctor P. Suarez tomo 2. de Religione Tract. 6. de Voto Lib. & Cap. 4. n. 12. Castrus Palaus Tract. 15. D. 1. puncto 11. num. 5. nam iuramento de re graui exequenda adducitur Deus in testem exequutionis futuræ; qua in adductione nequit dari magis, & minus; at voto de re gravi concipitur intentio se obligandi ad eam præstandam; in obligatione autem dari potest magis, & minus, etiam si materia sit gravis.

94 Quæstio postrema (quæ Moralis non est, sed Grammaticalis) vndenam dicti sint Capellani?

Respondeo transcribens verba aliquorum veterum. Vualafridus Strabo Lib. 3. de rebus Ecclesiasticis Cap. 31. inquit; *Quemadmodùm sunt in Palatijs præceptores, vel comites Palatij, qui Sæcularium*

larium cauſas ventilant, ita ſunt & illi, quos Summos Capellanos Franci appellant, Clericorum cauſis prælati. Capellani minores ita ſunt, ſicut hi, quos Vaſſos Dominicos Gallica conſuetudine nominamus. Dicti ſunt autem primitùs Capellani à capa B. Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriæ in prælijs ſolebant ſecum habere; quam ferentes, & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquijs Clerici, Capellani cæperunt vocari. Ita Vualafridus; qui obijt anno 849. Et poſt eius mortem fit de Capellis mentio in Cõcilio Triburienſi coacto anno 895. prout refertur Cap. *Concedimus* 30. de Conſecrat. Diſt. 1. ſeu potiùs in Mogũtino celebrato anno 888. Cap. 9. Author Gemmæ animæ Lib. 1. de antiquo ritu Miſſæ Cap. 127. ait, *Minores Eccleſiæ Capellæ à caprarum pellibus vocantur.* Cap. 128. *Antiqui enim nobiles Eccleſiolas in itinere de pellibus caprarum factas habebant; quas inde Capellas vocabant, & earũ cuſtodes Capellanos nominabant. Sunt etiam Capellani à capa S. Martini appellati; quam Reges Francorum in prælijs ſemper habebant, & eam deferentes Capellanos dicebant. Capẽnum dicitur domus, ad quam pauperes ad poſtulandam eleemoſynam confluunt. Inde diminutum Capella dicitur, in qua Chriſtiani pauperes ſpiritu ad poſtulandam animæ eleemoſynam conueniunt.* Sic Author ille, qui eſt Honorius Monachus Incluſus. Primam, & ſecundam etymologiam producit in medium Gulielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum L. 2. Cap. 10. num. 8. cuius hæc ſunt verba, *In pleriſque locis Sacerdotes Capellani vocantur, nam antiquitus Reges Franciæ, ad bella procedentes, capam B. Martini ſecum portabant, quæ ſub quodã tẽtorio ſeruabatur; quod ab ipſa capa dictum eſt Capella, & Clerici, in quorum cuſtodia ipſa Capella erat, indè Capellani dicebantur; & conſequenter ab illis ad cunctos Sacerdotes nomen illud in quibuſdam regionibus eſt transfuſum. Sunt etiam, qui dicunt, quòd antiquitus in expeditionibus in tentorio fiebant domunculæ de pellibus caprarum ſupertectæ, in quib⁹ Miſſæ celebrabantur, & inde Capellæ nomen tractum eſt.* Hęc Gulielmus Durandus, cui quoad priorem derivationem concordat Honorius in Sermone de S. Martino apud Cerdam infrà, & Monachus Sangallenſis Lib. 1. de geſtis Caroli Magni Cap. 4. Si ea placeat, conſulendus erit quoad vocem *Capa* cum vna, vel duplici *p* Noſter Cerda infrà Cap. 44. num. 25. cum alijs apud Virum clariſsimum D. Laurentium Ramireſium ad Chronicon Iuliani num. 343. & ad Chronicõ Luitprandi num. 110. cuius vocis vſum noto in S. Hildegardis Epiſtola ad Clerum Colonienſem; & in S. Iſidoro Lib. 15. Orig. Cap. 12. *Capennæ* nomen apud ruſticos pro tugurio, quia vnum tantũ capit. Alia etymologia circumfertur ex Papia Vocabuliſta, & alijs apud Petrum Gregorium infrà, vt dicta ſit Capella, quaſi *Capiens laon* Græcè, Latinè populum, vel quaſi *Capiens laudem.* Iſti tamen etymologi cordato cuique riſum mouebunt. Sed de nominis origine legantur Gloſſa in Cap. *Concedimus*, Azor tomo 2. Inſtitutionum Moralium Lib. 3. C. 8. quæſt. 1. Herrera L. 1. de Miſſæ ritibus, & cæremonijs Cap. 32. n. 10. Perez de Lara Lib. 2. de Anniverſarijs, & Capellanijs Cap. & num. 1. Petrus Gregorius Syntagmatis Iuris vniverſi Lib. 15. Cap. 29. num. 1. & in Capite *Conquerente* Cap. 3. num. 10. Innocentius Cironi⁹ in Paratitlis ad Decretales ad titulum de Capellis Monachorum, Gloſſarium ad Capitula Caroli Magni V. *Capella* pag. (mihi) 24. & 25. Fredericus Lindembrog. in Gloſſario Verbo *Capella* pag. 1370. Franciſcus Turturetus in Sacello Regio, ſiue de Capellis, & Capellanis Regum, Cap. 1. n. 2. & ſeqq. Barboſa de Iure Eccleſiaſtico Lib. 2. Cap. 8. numero 19. Baronius in Martyrologio ad diem 11. Iunij, Gauantus in Rubricas Miſſalis parte 1. tit. 20. pag. 79. Cerda Cap. 85. Aduerſariorum Sacrorum num. 19. Sebaſtianus Couarruuias in Theſauro Caſtellanæ linguæ V. *Capella.* Vicecomes Vol. 3. Obſeru. Eccleſ. L. 2. de Miſſ. ritib⁹ C. 28.

SECTIO IIII.

De tempore, quo ſimplices Sacerdotes tenentur ad Miſſæ celebrationem.

Vulgatior opinio de obligatione graui celebrandi quandoque, & eius argumenta.

95 SACERDOTES ſimplices teneri ad Sacrificandum aliquandò, & eſſe ſub pœna peccati lethalis obligationem hanc, defenſat cõmunis ſententia. Quæ ſolet probari primò

mò ex verbis Christi Domini Cap. 22. Lucæ, Vers. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Per quæ verba, *vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit, Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus* (quales sunt omnes, & singuli Sacerdotes) *præcepit* Christus Dominus, *vt offerrent corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini*, provt instruimur à Concilio Tridentino Sessione 22. C. 1. Quod in Canone 2. repetit inquiēs, Christum per ea verba *ordinasse, vt Apostoli, alique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum.* Secundò ex Cap. *Dolentes* 9. *de Celebratione Missarum*, vbi Innocentius III. dolenter refert, quòd sint aliqui Sacerdotes, *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno.* Et posteà addit, *Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitùs inhibemus.* Tertiò ex Sancti Ambrosij vulgatis his verbis, *Graue est, quòd ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; sed grauius, si, dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus.*

96 Quartò, quia cum Caietanus adnotasset ad articulum 10. quæstionis 82. Sancti Thomæ, contineri duas difficultates in eo articulo, vnam, * An Sacerdoti liceat totaliter à celebratione abstinere? & hanc benè solui in littera negativè:: alteram, an peccatum huiusmodi omissionis sit peccatum mortale? Et est ratio dubij, quia nec omne præceptum affirmativum, nec omne præceptum negativum obligat ad mortale: nec apparet, qua ratione charitati contrarietur talis omissio; quanuis appareat, quòd contrariatur fervori charitatis, ex negligentia enim quadam, quæ in tepore charitatis consistere videtur, talis provenit omissio. * Et cum subiunxisset Caietanus, * Breviter apparet mihi, peccatum hoc esse secundùm se veniale, vtpote oppositum non ipsi charitati, sed eius fervori. Attestatur autem huic sententiæ diversitas opinionum de licita, vel illicita hac omissione; parùm enim à licitò discedere videtur, quod creditum est à Doctoribus esse licitum. * Cum, inquam, hæc adnotasset, & subiunxisset Caietanus, deleta sunt in editione Romana facta iussu Pij V. Papæ, & in sequentibus; quod est argumentum non leve, vt colligatur, iudicio Pontificio falsam esse, & improbabilem opinionem, quæ asserit, vacare culpa mortali in Sacerdote abstinentiam à celebrando. Hinc Ambrosius Catharin[o] Libro 5. Annotationum in Commentaria Caietani inquit, * Conatus est Caietanus defendere, quòd Sacerdos absque crimine perpetuò possit abstinere ab huius Sacramenti confectione; quæ certè non tam sunt contra Thomam, quam contra Christi verba, & rationem evidentem. Sacerdotibus enim dicitur præcipiendo, Hoc facite in meam commemorationem. Ineptum est autem, quod quæstione 80. articulo 11. parte 3. ipse respondet, præceptum non cadere super id, quod ait, Facite, sed super id, quod sequitur, In meam commemorationem. Nam vt sibi perpetuò adversetur, ipsemet Euangelium exponens, & Apostolum ad Corinthios, apertè docet, illis verbis duo contineri præcepta, videlicet, vt & illud facerent, & in sui memoriam facerent. Est autem contra rationem, & in iniuriam donantis, & propriam, non vti tanto dono Dei, congruo loco, & tempore, vt Thomas docet. Et ideo seruus ille nequam arguitur, quòd non vsus fuerat, vt oportebat, accepto talento. Miror ergo, quòd dicere talia potuerit vllus sciens, quid est Eucharistia, & quid sit ingratitudo. * Sic Catharinus; cui consonat Noster Salmeron tomo 9. in Euangelia Tractatu 41. pag. 441. & 442. licet aliquantò moderatiùs loquatur.

97 Quintò, ex Concilio Tridentino Sess. 23. Decreto de Reformatione Capite 14. vbi Episcopi monentur curare, vt Sacerdotes simplices *diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent.* Sextò, ex Machabæorum 2. Cap. 4. V. 14. vbi reprehenduntur Sacerdotes *non dediti circa altaris officia, contempto templo, & Sacrificijs negletis.* Septimò, ex Concilio Toletano I. Cap. 5. dicente, *Presbyter, vel Diacon[us], vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra ciuitatē fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, vt castella, aut vici sunt, aut villæ, si ad Ecclesiam, aut Sacrificiū quotidianū non venerit, Clericus nō habeatur, si castigatus, per satisfactionē veniā ab Episcopo noluit promereri.* Concilium etiam Compostellanum anno 1056. vt testatur Baroni[us] eo anno, n. 16. sancivit, vt Sacerdotes omnes Missā quotidie celebrarēt,

& vt saltem quater in anno, iussit Concilium aliud Toletanum anno 1322. vel 1324. Constitutione 7. saltemq; semel, Concilium Ravennatense anno 1314. Rubrica 13.

98 Octauò, quia *vnusquisque tenetur vti gratia sibi data, cum opportunum fuerit*, secundùm illud 2. ad Cor. 6. V. 1 *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; & illud 1. Petri 4. Vers. 10. *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*; & secundùm illas parabolas apud Matthæum 25. ac Lucæ 19. ne talentum, aut mna in terra, aut sudario abscondatur. *Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet, Sacramenta ministrare*; *sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione huius Sacramenti Sacrificium offertur.* Ita Sanctus Thomas quæst. 82. articul. 10. in Corp. Et confirmatur hæc ratio, quia Sacerdotibus non competit solùm potestas sacrificandi, sed etiam eis ex officio incumbit sacrificare pro populo iuxta illud Pauli ad Hebræos 5. Vers. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodùm pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Peccabit ergo Sacerdos, si non exequatur suum munus sacrificandi, sicut peccat Rex, si non satisfacit suo officio regendi. Denique nonò, quia omnes fideles tenentur ex præcepto Christi sumere aliquando Eucharistiæ Sacramentum. Ergo similiter omnes Sacerdotes tenentur ex præcepto etiam Christi offerre aliquando Missæ Sacrificium. Sic pro communi sententia. Sed nihilominus

Proposita argumenta non conuincunt obligationem grauem.

99 SI attendatur præcisè ad Sacerdotis simplicis Ordinationem, potestatem, & officium, vt patebit ex responsione ad singula. Ad primum dico, verba Christi Domini, *Hoc facite in meam commemorationem*, esse quidem præceptiva offerendi corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, dirigique ad Apostolos, & ad Sacerdotes simplices successores eorũ, non tamen ad singulos seorsim, sed ad singulos, prout componunt communitatem Cleri, obligatamque proinde curare, ne in Ecclesia desint Missarum sacrificia. Quo sensu intelligo Sanctum Gaudentium dicentem Tractatu 2. in Exodum, *Voluit Christus, beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari per imaginem propriæ Passionis*; *& ideo discipulis fidelibus mandat, quos primos, & Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent*; *quæ necesse est, à cunctis Sacerdotibus per singulas totius Orbis Ecclesias celebrari, vsquequò iterùm Christus de Cœlis adueniat, quo & ipsi Sacerdotes, & omnes pariter fidelium populi exemplar Passionis Christi ante oculos habentes quotidie, & gerentes manibus, ore etiam sumentes, ac pectore, redemptionis nostræ indelebili memoria teneamus, & contra venena Diaboli dulcem medicinam sempiterni tutaminis consequamur.* Tantùm Sanctus Gaudentius. Quanquam verò in illis Christi verbis conferatur Sacerdotibus singulis seorsim potestas ad offerendum, non ideo debet sic intelligi impositum præceptum offerendi, alioquì cum potestas collata sit ad offerendum vnoquoque die, esset etiã impositum præceptum offerendi diebus singulis. Alia solutio satis accommoda exhiberi potest accepta exinde, quòd præceptum diuinum latum indefinitè, quantùmad tempus, non obliget, quoad vsque accedat temporis determinatio facta à legitima potestate, vel saltem quoad vsque non supereſſet in vita tempus aliud, quo posset impleri; quia aliter constare nequit, quando, aut quoties obliget. Et licet determinatio temporis posset dici relicta iudicio prudentum, tamen cum in hominum etiam prudentum iudicijs sit magna varietas, durum est, premere aliquẽ gravi obligatione pro hoc tempore determinato, si non constet de præcepto vt obligante pro eo. Hinc concesso, vel permisso præcepto diuino impositio singulis Sacerdotibus seorsim de celebratione, cũ tamen illud sit latũ indefinitè

quoad

quoad tempus, & ab Ecclesia hactenus non fuit præscripta temporis determinatio, & in extremis vitæ sufficeret Sacerdoti, si more Laico susciperet Eucharistiam, quanuis alioqui posset celebrare, fit, vt nunc singuli Sacerdotes seorsim nulla ex illo præcepto graventur obligatione. Nec ideo foret inutile tale præceptum, nam deserviret ad id, vt Ecclesia, quando vellet, definiret tempus obligationis. Sed vt hæc solutio meliùs calleatur, oportebit legere Cardinalem de Lugo Disputatione 20. sect. 1. num. 9. Thomam Tamburinum Lib. 2. de Missa Cap. 2. §. 16. num. 5. Ego autem in ea proponenda præoccupavi, quidquid contra eam excogitavit Arriaga Disp. 54. sect. 1. Subs. 2. num. 5. & 6. Et notes, velim, contra Franciscum Amicum Disputatione 33. sect. 9. præceptum, de quo Concilium loquitur, fuisse semper ab Ecclesia intellectum, & dictum modo, qui ab eodem Concilio declaratur; sic enim ibi ait Concilium: ast præceptum, pro quo mordicus pugnat Amicus, non innotuit expressè, neque incæpit obligare nisi post Concilium, vt ipse Amicus fatetur in numero 300. & cum ipso Bassæus in Floribus V. *Missa* 3. num. 5.

100 Ad secundum, non constare illos, qui in Capite *Dolentes* referuntur, vix celebrasse quater in anno, esse simplices Sacerdotes, & non potiùs Ecclesiarum Prælatos, de quibus initio Capitis fuerat sermo, & de Clericis minoribus: neque item constare, an comminatoria pœna suspensionis proposita in fine Capitis cadat supra omissionem celebrandi pluries, quàm quater in anno, nam multa alia peccata gravia ibi recensentur, supra quæ cadere potest; & quanuis cadat supra eam omissionem, tanquam culpam gravem, non constare, an rei culpæ illius essent simplices Sacerdotes, & non Parochi, nec Capellani, nec Canonici.

101 Ad tertium, desiderari in Operib⁹ S. Ambrosij verba illa, antecedentiaque alia, & subsequentia transcripta ab Horcala in 3. Opusculo, Tractatu 7. fol. 48. vt notat P. Vazquez D. 232. C. 1. n. 6. Theologus, si quis ali⁹, valde versatus in lectione SS. PP. Sed quia eis vtitur S. Thomas post antiquiores alios Theologos, nō sunt prętereunda sine interpretatione. Quæ quidē est omnibus difficilis. Nā si per grave peccatum non veniendi ad Eucharisticam mensam mundo corde, & manibus innocentibus intelligitur accessus cū peccato lethali, continent ea verba falsam doctrinam, dum additur, esse gravius peccatum non sacrificare; minus enim peccat Sacerdos omittens celebrationē debitam, quàm si celebret in statu peccati mortalis. Sensit difficultatem Hieronymus Grarcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 2. dub. 1. n. 15. & succumbens oneri ait, * Sed tamen quia S. Thomas affert hanc authoritatē pro sua opinione, credi debet, esse ad propositum, dicat quidquid velit Vazquez. * Sic Garcia. Ego tamen, nisi in rebus fidei Catholicæ, non assequor, cur Theologi debeamus captivantes intellectum cæcè credere. Antonius Molina in Lib. aureo de Institutione Sacerdotum Tract. 7. C. 10. §. 1. interpretatur de accessu cum peccato mortali, de quo habitus sit dolor, & facta confessio. Cæterùm sic accedere, non esse graue peccatum, provt asseritur in verbis attributis S. Ambrosio, debuisset considerare Molina. Quare conueniens interpretatio est, vt non sit ibi sermo de peccato lethali, sed veniali; ita vt sensus sit: Peccatum est grave intra venialis sphęrā, accedere ad sacrificandum cū conscientia peccatorū venialium; sed adhuc gravius peccatum est intra eandē sphæram, recedere à sacrificando ob metum peccatorum ortum ex pusillanimitate vitiosa, & culpabili, vel ex negligentia, & torpore in disponendo se ad celebrandum sine eis peccatis.

102 Ad quartum fateor, expunctam esse è Caietani Commentario opinionem ipsius de non illicita secundùm se plusquàm venialiter abstinentia à celebrando. Et licet Suarez Disp. 80. S. 1. V. *Quoniam verò* hinc inferat, significatum esse satis à Pio V. quòd sentiret, nō solùm esse minus probabilē, verùm etiā non esse dignam illam opinionem, quę passim circūferretur; & Vazquez suprà num. 6. colligat, existimatam esse improbabilem à Pio V. & Amicus suprà n. 297. esse iudicatam contrariam omnino Concilio Tridentino, cuius ipse Pius V. fuit immediatus executor; deducatque saltem Castrus Palaus Tractatu 21. Disputatione vnica, puncto 12. numero 2. necnon Dicastillus Tract. 5.

Diſp. 4. Dub. 1. num. 10. reputatam eſſe contrariam doctrinæ Sancti Thomæ; nihilominus ego, dum nō conſtet, Pium V. iuſsiſſe illius opinionis abraſionem, (& conſtare facilè non poteſt) nihil aliud contra illam video inferri conuenienter, quàm quòd diſplicuerit ei, cui commiſſa eſt editio Romana Operum S. Thomæ. Sic qui curavit editionem Antuerpienſem apud Kerbergium anno 1612. expunxit 1. parte, quæſt. 19. art. 8. V. *Ad primam rationem Scoti* hæc verba Caietani. * Non oportet, cum aliquis vult aliquid, ſeu cum Sol illuminat, primam cauſam præuia motione cooperari; ſed ſufficit, & exigitur, eam intrinſecè cooperari tali electioni, vel illuminationi; & hoc, quia cooperatio in vnoquoque eſt ſecundùm naturam vniuſcuiuſque; ſic enim diſponit omnia ſuaviter. Vnde ſiue neceſſariò, ſiue liberè cooperetur Deus, nihilominus creata voluntas liberè vtitur illa cooperatione. * Sed tamē non, quia hæc ibi deleta ſunt, aut omiſſa poſt Theologorum Societatis cum Dominicanis diſputationem aduerſus Phyſicas Prædeterminationes, quibus Caietanus ibi è diametro refragabatur, ideo cenſenda ſunt improbabilia, vel oppoſita Doctori Angelico. Quicquid de hoc exemplo ſit, opinio Caietani, quatenus per ſe nō ſit peccatum mortale abſtinere à celebrando, probatur ab alijs Dominicanis, quin in eis ſit abraſa. Nam relicto Petro de Soto, qui Lectione 13. de Miniſtro Euchariſtiæ dimittit Deo, mortale ne ſit, an veniale? Relicto etiam Bartholomæo Fumo, qui in Summa V. *Communio* num. 14. non vult præcipitare ſententiam: Franciſcus à Victoria in Summa num. 85. ſcribit. * Sed vtrùm ſit mortale, omnino abſtinere à celebratione? Caietanus 3. parte quæſt. 82. art. 10. tenet, quòd non eſt mortale. Et idem videtur ſentire Sanctus Thomas, cum non exprimat, hoc eſſe mortale. Et ita tenendum eſt, quia nullum eſt præceptum iuris diuini, aut humani de hoc. Sed quoniam defraudat Eccleſiam ſuo Sacrificio, ad quod offerendum eſt conſtitutus Mininiſter, non excuſatur à peccato. * Sic Victoria. Sed vt obiter appareat diſcordia ipſorum Dominicanorum in explicanda mente Sancti Thomæ, audiatur Dominicus Sotus in 4. Diſtinctione 13. quæſtione vnica, art. 10. Verſ. *Quæſtio præſens*, inquiens, *Sanctus Thomas apertè videtur cenſere, eſſe peccatum mortale; nam ſolùm propter peccatum veniale, de quo nemo dubitare poterat, nunquam tam ſeriò mouiſſet quæſtionem; definiſſetque adeò, quòd Sacerdos tenetur, ſaltem in præcipuis feſtis, celebrare; atque illis maximè, quibus populus communicare conſueuit; vbi cenſura peccati mortalis inſinuatur.* En pugnantes inter ſe Dominicanos circa ſenſum Sancti Doctoris. Cur ergo exteris non liceat diſcrepare nonnunquam ab ipſis Dominicanis in exponendo Angelico Magiſtro? Eſt ne magis ex huius obſequio, redigi exteros in eas anguſtias, vt deſperantes de bona interpretationis venia nō vereantur profiteri apertè ſuum diſceſſum à placito aliquo Sancti Thomæ? Omitto hæc, & Martinum Ledeſmium 1. 4. quæſtione 23. art. 10. Dubio 2. Dominicanoſque alios conſentientes cum Caietano, ac Victoria. Et concludo, eſſe nimis rigidam cenſuram Catharini contra Caietanum.

103 Ad quintum, dico, Concilium Tridentinum non imponere Sacedotibus præceptum celebrandi diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus, proindeque nullum imponere præceptum celebrandi; ſed tantùm monere Epiſcopos, vt exhortatione, conſilio, & exemplo curent, à Sacerdotibus celebrari diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus; id enim valde expedit, tum ad perfectionem ipſorum Sacerdotum, tum ad bonum Eccleſiæ regimen. Et nonnunquam oportebit, vt Epiſcopi addant præceptum; imò debebunt, ſi Sacerdotes ſint notabiliter negligentes in celebrando; cumque materia ſit grauis, poterit præceptum ab Epiſcopis latum obligare grauiter. Videatur Bonacina Diſp. 4. quæſt. vltima, puncto 7. num. 3.

104 Ad ſextum reſpondeo, in loco illo ex Machabæorum Libro 2. Cap. 4. Verſ. 14. reprehendi Sacerdotes non ſacrificantes ob contemptum; qui ſi detur in novæ legis Sacerdotibus omittentibus celebrationem Miſſæ, erit proculdubiò lethalis. Addo, referri ibi enormia ſcelera Sacerdotum vltra ceſſationem à Sacrificijs. Rurſus addo, in Teſtam. antiquo debuiſſe manè, & veſpere ſacrificari quotidie iuxta Exod 29. ac Num. 28. & nō à ſingulis Sacerdotibus ſeorſim.

seorsim. Vnde ad novi Sacerdotes non desumitur argumẽtum omnino simile; quanquam aliqui Patres, adducto in exemplum quotidiano Sacrificio veteris legis, persuadeant quotidianum in nova, non exprimentes, an à singulis Sacerdotibus sit offerendum? Legantur Primasius ad Cap. 20. Epistolæ ad Hebræos, Vvalafridus Strabo Cap. 20. de Ecclesiasticis rebus.

105 Ad septimum, in Concilio Toletano I. non iuberi, vt Presbyter veniat ad quotidianum Sacrificiũ, quod ab ipso fiat. Taceo, peccare hanc ex Concilijs Toletano I. & Compostellano probationem per excessum, nemo enim iam dicit, Sacerdotes singulos obligatos esse ad celebrandum quotidie. Et quanquàm alicubi, atque aliquando debuerint quotidie, vel quater, vel semel in anno sacrificare, vt ex Concilijs præfatis, & ex alio Toletano, atque Ravennatensi contenditur; at non ex iure, præceptoque Ecclesiastico vniuersali. Forsanque quotidiana celebratio non iubebatur nisi Sacerdotibus, qui Parochi essent, non secus ac Episcopis fuit imperata in Concilio Arausicano apud Burchardum Lib. 1. Cap. 105.

106 Ad octavum, non esse obligatorium vsum gratiæ sibi concessæ in aliorum bonum, nisi alij eo indigeãt. At in præsentiarum loquimur de Sacerdote simplici, cuius celebratio non est necessaria, neque debita alijs, & ob cuius cessationem à celebratione nõ ideo cõmunitas Ecclesiæ carebit quotidiano Sacrificio, neque Deus cultu, qui ipsi defertur per illud in Ecclesia.

107 Ad confirmationem respondeo per instantiam in potestate, & officio Diaconi, Subdiaconi, aliorumq; Clericorum, qui non tenentur ad exercitium suæ potestatis, & officij, nisi vrgeat necessitas, vt si quia omnes excusarent se se, deesset in Ecclesia celebratio Missarum solemnium; aut nisi institutio Beneficij simplicis, quo potiantur, inducat obligationem. P. Suarez D. 87. sect. 1. V. *Dico secundò*, intelligendus est in illo casu vrgentis necessitatis, cum inquit, ✻ An verò necesse sit, Missam interdum fieri cum solẽnitate? Id quæri potest. Et dicendum videtur, in primis nõ esse necessariũ, ita semper fieri, vt constat ex vsu Ecclesiæ, & ex facto etiam Christi Domini. Deinde satis esse consentaneum iuri etiam divino, vt interdum ita fiat; non enim sine causa distincti Ordines instituti sũt, Diaconatus, Subdiaconatus, &c. sed vt eorum munera exerceantur; maximè autem exercentur in his Missis solemnibus. Item hoc multùm refert ad splendorem, & solemnitatem Ecclesiasticorum Officiorum, & ad maiorem reverentiam huius Sacrificij, & ad differentiam festivitatum, vt cum maiori, vel minori pompa, & solemnitate fiant; ac denique ad populi instructionem, & devotionem excitandam. Vnde tandẽ concluditur, posse quidem alicubi esse obligationem aliquas Missas dicendi cum hac solemnitate. Sed quia de hac obligatione non est vna generalis lex pro tota Ecclesia, in diversis locis, seu Ecclesijs, iuxta diversas consuetudines, aut peculiares leges, considerandæ, & servanda erit talis obligatio; & ea suppositâ, in modo solemnitatis adhibendo servandus erit ritus ab Ecclesia institutus. ✻ Sic Eximius Doctor. Vbi transcursim observo, non esse objurgandas Religiones aliquas, in quibus ad Missas solemnes non solent adhiberi Diaconus, & Subdiaconus, non enim inde imminet periculum, vt in Ecclesia Dei deficiat solemnitas celebrandi cum Diacono, & Subdiacono, Quare quælibet Religio iuxta suum Institutum, & finem poterit laudabiliter eam vsurpare, aut omittere. Et in Nostra Societate, in qua solet omitti, (vt & in quibusdam alijs Religionibus, de quibus Leander Tractatu 8. Disputatione 5. quæst. 6.) sufficiunt ad omissionis rationem reddendam verba Sanctissimi Patriarchæ Ignatij parte 6. Constitutionum Capite 3. §. 4. *Quoniam occupationes* (ita S. Pater) *quæ ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt, ac nostri Instituti propriæ, & valde frequentes; cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc, vel in illo loco incerta, non vtentur Nostri Choro ad horas Canonicas, vel Missas, & alia Officia decantanda; quandoquidem illis, quos ad ea audienda deuotio mouerit, abundè suppetet, vbi sibi ipsis satisfaciant. Per Nostros autem ea tractari conuenit, quæ nostræ vocationis ad Dei gloriam magis propria sunt.* Huc vsque Noster Sanctus Patriarcha. Cuius verbis apprimè consonant illa Sancti Thomæ 2. 2. quæstione 91. articul. 2. ad 3.

Nobilior modus eſt prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam, & prædicationē, quàm per cantum :: & ideo quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur.

108 Sed vt eò, vnde digreſsi ſumus, revertamur, inquiet quis, Diaconum, & Subdiaconum teneri exequi aliquando ſua officia, nam Tridentinū Seſ. 23. Decreto de reformatione Cap. 13. ſtatuit in hunc modum, *Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, vt habentes bonum teſtimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac litteris, & ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi. Quiſperant, Deo authore, ſe continere poſſe; Eccleſijs, quibus adſcribentur, miniſtruant, ſciantque, maximè decere, ſi ſaltem diebus Dominicis, & ſolemnibus, cum altari miniſtrauerint, ſacram communionem perceperint. Promoti ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem, ſi per annū ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere, non permittantur.* Ex qua Tridentini authoritate, & ne Diaconi, ac Subdiaconi habeant characterem otioſum, aſſerit Leander ſuprà quæſt. 7. ineſſe eis ſub veniali obligationem exercendi interdum ſua munera. Cęterùm hanc per ſe obligationem pleriſque ignotam eſſe, perſuadeo mihi. Et Concilium Tridentinum videtur loqui de Diaconis, Subdiaconis, aliiſque Clericis inferioribus, qui adſcripti ſunt ſeruitio alicui Eccleſiæ.

109 Iam ad confirmationem abſolutè reſpondeo, cuiuſvis Sacerdotis officium eſſe ſacrificare pro populo, ſi hic indigeat opera illius. Non indiget autem ordinariè populus, vt Sacerdos ſimplex ſacrificet pro ipſo; adſunt enim alij Sacerdotes obligati aliunde, quàm ex mero Sacerdotio. Et hinc eluceſcit manifeſtè diſparitas ad exemplū Regis; qui ſi per ſe, & per alium à gubernatione ſuperſedeat, deerit populo regimen.

110 Ad nonum dico, Sacerdotes etiam eſſe obligatos ad communionem Laicam ex præcepto Chriſti ſumendam aliquando in vita, & in articulo, periculove mortis; ex præceptoque Eccleſiæ determinativo ſumendam ſingulis vitæ annis in Paſchate, ſi non poſſint, aut ſi nolint celebrare. Quare ex vno, & altero præcepto ineptè arguitur ad præceptum celebrationis, quaſi & illa non comprehendant etiam Sacerdotes. Ad argumentum itaque in forma concedo Antecedens, & Conſequentiam, ſi Sacerdotes non poſsint, aut non velint ſuſcipere communionē Laicam; nego verò Conſequentiam, ſi illi poſsint, aut velint ſuſcipere eam communionem. Vidimus, non oſtendi manifeſtè, reum eſſe peccati mortalis Sacerdotem ſimplicem nunquam celebrātem, ſi attendatur præcisè ad obligationem provenientem ex Sacerdotio; quāquàm S. Thomas 3. p. quæſt. 82. artic. 10. indicet oppoſitum; & in 4. Diſt. 13. quæſt. 1. art. 2. quæſtiuncula 1. clariùs adhuc loquatur. Sed numquid Sacerdos ille peccet venialiter? Certè

Superiora argumenta neque probant conuincenter obligationem ſub culpa veniali

111 SI Sacerdos ſimplex omitteret celebrationem non ob negligentiam, & ignaviam, ſed ob reverentiam Sacrificij, ac Sacramenti, & ob indignitatis propriæ exiſtimationem. Sicut his de cauſis S. Franciſcus initiatus Diaconatu recuſavit promoueri ad Sacerdotium. Et quidam Theodorus, de quo in Vitis Patrum, Libro 7. Cap. 33. num. 1. cum etiam eſſet Diaconus, adduci nunquam potuit, vt ſui Ordinis munia obiret. S. Marcus Evangeliſta amputavit ſibi digitum, vt redderet ſe inhabilem ad Sacerdotium, ſi fides adhibēda eſt Authori Prologi Cōmentariorum in Evangelium eiuſdem S. Marci; qui Author putatus fuit Sanctus Hieronymus, & ideo habuerunt ipſi fidem S. Iſidorus de Vita, & morte Sanctorum Cap. 84. Petrus Damiani in Serm. 1. de S. Marco, Petrus Bleſſenſis in Epiſt. 123. Philippus Abbas de Clericorum dignitate Cap. 79. S. Thomas 2. 2. quæſt. 185. art. 2. ad 3. Gloſſator ad Cap. *Siquis abſcidit* 4. *Diſt.* 55. *V. Clericus.* Sed certè Prologus ille non eſt S. Hieronymi, & abſciſsio pollicis tribuitur fabulosè S. Marco Evangeliſtæ ex cenſura Baronij in Annalibus Eccleſiaſticis anno Chriſti 45. num. 46. Maldonati in Cap. 1. Marci; atque Cornelius

à Lapide

à Lapide in Leviticum Cap. 22. V. 32. & Eusebius Nieremberg (cuius his diebus cum magna sanctitatis opinione ad Superos, vt piè creditur, translati, memoria in benedictione erit) Lib. 3. Doctrinarum Asceticarum in 2. Capite 25. propriam fuisse cuiusdã Marci Anachoretę. Et cuiuscumque fuerit, vt vacarit culpa, necessarium fuit singulare consilium Spiritus divini. Quo nisi tactus Ammonius, aurem vnam ferro sibi inculpatè secare nõ potuerit, ne crearetur Episcopus; & cum adhuc Clerus, & populus vrgeret, linguam, dixit, meam, propter quam vobis placeo, si me vlteriùs cogitis, propriis dentibus rescindã, & sic tandem sibi relictus est, vt memorat Blessensis suprà post Palladium in historia Lausiaca C. 12. latiùsque Nicephorus Callistus Lib. 11. Ecclesiasticæ historiæ Cap. 37. Socrates Lib. 4. Cap. 18. Sozomenus Lib. 6. Capite 30. Refertque S. Epiphanius in Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanũ non longè à principio, *Sanctos Presbyteros Hieronymum, & Vincentium propter verecundiam, & humilitatem noluisse debita nomini suo exercere Sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est.* Pro quorum verborum intelligentia deserviet Epistola 61. S. Hieronymi ad Pamachium contra errores Ioannis illius, nam Presbyter Hieronymus, de quo S. Epiphanius, fuit idem ipse S. Doctor: quem imitari voluit, & cæpit S. Eulogius, de quo Alvarus Cordubensis in eius vita. ✻ Quam narrationem (cõtentam scilicet in prędicitata Epistola S. Epiphanij) tum iam dictus Eulogius avida mente magis arripiens, quàm suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percuss⁹ ab intimo corde trahens suspiria, meque intuens, conuersus Episcopo dixit, si lucernę Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnę, quid nobis facere cõuenit, quos delicti onera graviter opprimunt, & affligunt? Cognoscat ergo Vestra Paternitas, interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. Sicque huiusmodi ingenio tempore Reccafredi se ipse suo ligavit arbitrio. Cuius professionis licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen vsu perfunctus, nolebat posteà statum reiectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum amissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citiùs redire promitteret. ✻ Sic S. Eulogius Martyr, motus exemplo S. Hieronymi; sed ex cuius Epistola prædicitata constat, non tam abstinuisse omnino à sacrificando, quàm in publico, & coram populo, ne solitariam vitam, cui se devoverat, perderet, si in Ecclesia Antiochena exerceret Presbyteratum. Ptæterea in Vitis Patrum narratur de duobus Sacerdotibus Monachis, nunquàm celebrasse; eorumque vnus, qui erat Abbas Mathois, dicebat, *Credo in Deum, quia forsitan non sustineam graue iudicium propter Ordinem, quam suscepi, dum oblationem non audeam consecrare; hoc enim officium illorum est, qui sine querela viuunt.* Sic in eis Vitis Lib. 5. libello 15. num. 27. & Lib. 7. Cap. 33. num. 3. anteàq; Lib. 3. num. 188. ex editione Nostri Heriberti Rosvveydi. Quod familiari Sancti Spiritus instinctui tribuit Sanct⁹ Thomas loco prędicitato in 4. Sententiarum. Et Suarez Disp. 80. S. 1. V. *Hæc res*, ait, *Hoc non debet in exemplum adduci; nam multa interdum operantur Sancti ex speciali Spiritus Sancti motione, præter communem legem, quæ nobis imitanda non sunt.* Ita Suarez. Sed nos nunc id præstamus, vt indagemus, an ex principijs intrinsecis constet de celebrandi obligatione saltẽ sub veniali? Dicunt multi cõstare, quia Sacerdos non celebrans fraudat se, & Ecclesiam fructu Sacrificiorum. Respondeti potest, Sacerdotem non teneri ad procurandum sibi, & Ecclesiæ omnẽ fructum parabilem ex Sacrificijs; alioquì quisque Sacerdos delinqueret venialiter, si quotidie non celebraret. Addi valet, fructum per sacrificia adquirẽdum posse compensari per alios virtutũ actus, & præcipuè per humilitatis, & reverentię erga Sacrificium; ex quibus actibus supponitur Sacerdos omittere celebrationem, & non ex prodigalitate spirituali, ac desidia vitiosa.

112 P. Vazquez Disput. 232. Cap. 1. num. 4. censet, procedere inconsequenter Authores, qui cum negent, esse peccatum mortale omissionẽ celebrandi, affirmant tamen, esse veniale, nam si ea omissio sit peccaminosa, erit vtique mortaliter, vtpote contra celebrandi præceptum, quod versatur in materia gravi, non minus, imò multò magis, quàm præceptum communi-

candi

candi in Paschate. Et licet iuxta plures possit Legislator præcipere, vel prohibere rem gravem sub obligatione levi, tamen nisi alicunde constet de Legislatoris voluntate imponendi tantùm obligationem levem, præsumendum est, imposuisse eam, quæ gravitati rei sit proportionata, & conformis: non constat autem in præsenti de ea alia voluntate, vt addit Arriaga Disp. 54. sect. & num. 1. Ego non vtor hac ratione aduersus illos Authores, quia dicere satis probabiliter queunt, celebrationis præceptum ex fine, vt Sacerdos non defraudet se, & Ecclesiam fructu Sacrificiorum, non versari in materia gravi, etsi ex alio fine possit versari. Sic præceptum moderandi vinum aqua ex fine temperantiæ versatur in materia levi; sed ex fine significationis Mysticæ respectu Sacrificij versatur in materia gravi. Legantur Cardinalis de Lugo Disp. 20. S. 1. num. 4. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 5. q. 1. n. 5. Dicastillus Tract. 5. D. 4. Dub. 1. à num. 17. vsque ad 22. Qui benè notat, præceptum communionis Paschalis versari in materia gravi ratione finis. Et ego noto idem ipsum de præcepto celebrationis Paschalis, casu quo Sacerdos reliqua anni parte non cõmunicet more Sacerdotali, nec in Paschate velit more Laicali communicare. Hactenus tentavimus liberare à culpa mortali, & veniali omissionem celebrãdi in Sacerdote simplici, si præcisè habeatur ratio Sacerdotij. Et sunt pro hac parte

Duo argumenta non contemnenda contra communem sententiam.

113 QVORVM primum conficitur ab Henriquez Lib. 9. C. 23. §. 2. his verbis, * Quidam probabiliter opinantur, quòd, secluso scandalo, & contemptu, non peccat mortaliter simplex Sacerdos, qui, cessante etiam impedimento, nunquam celebrat, si tempore præcepti communicet: quasi de tali celebratione non satis probetur, præceptum diuinum, vel humanum imponi huic; sed Ecclesiæ in communi; quale est præceptum de Ordine, & eius Ministris, ac de Matrimonio. Sic in fiatu legis naturæ erat in cõmuni tantùm præceptum Sacrificij ex Dei instinctu, sed sine determinatione rerum, & rituum: & in lege veteri fuit in communi præceptum cum determinatione horum. Nam si præceptum esset diuinum de celebrando impositum cuique Sacerdoti, non tam facilè in pœnam privaretur aliquis celebratione in perpetuum, vt fit per censuram, vel irregularitatem; nec excusaretur, qui humiliter à celebratione cessat ob fragilem consuetudinem peccandi; vt in simili non excusat id impedimentum, quod pendet ex propria voluntate. Nec Doctores eam obligationem sub mortali declarant imponi communiter Sacerdotibus, sed Parocho. Nec ob hanc omissionem punit Ecclesia illos. * Sic Henriquez. Cuius argumentum de tam facili per Ecclesiam prohibitione à celebrando in perpetuum ad delictorum pœnam confirmo ab opposito: Ecclesia regulariter in articulo mortis non priuat viatico criminosos, quia datur præceptum Christi Domini de communione in eo articulo. Ergo cum è contrario priuet tam ordinariè Sacerdotes in pœnam delictorum à celebratione in perpetuum, sumitur inde non leue indiciũ, vt putetur, non esse à Christo impositũ singulis Sacerdotibus seorsim præceptum de celebratione. Sed circa hoc argumentum consulantur Suarez D. 69. sect. 3. V. primo, & vltimo, Cardinalis de Lugo Disp. 16. sect. 2. num. 33. Dicastillus Tract. 4. D. 10. Dub. 2. num. 18. Et quatenus vltimo etiam supplicio plectendis ob anteacta crimina iam ferè vbique concedatur viaticum, audiãtur hæc Vincentij Fernandez de Heredia verba ad Repetitionem textus in Canonem 1. de Consecratione Dist. 2. parte 8. Dub. 1. numero 6. pag. 369. * Re meliùs perpensa, rigor hic Orbe toto Christiano iam sublatus est, adnitentib⁹ potissimùm Societatis Iesu Patribus, verè communi in omnes charitatis desidero, & patrocinio omnium: Patribus verè filijs illius, cuius insigniuntur nomine, tam Instituto, quàm opere imitatoribus, & verè laude, & veneratione eo vel maximè dignis, quippe qui eruditione, religione, & integritate perquàm eximijs novum, & quidem præclarum in moribus, & doctrina nitorem in Ecclesiam (quod propalàm ipsa confitetur) inuexerint, nunc foveant, & in dies augeant. * Hacten⁹ præclaræ

præclaræ notæ Author laudans humanissimè Societatem nostram. Sed de more illo præbendę Eucharistię afficiēdis capitali pœna, vt inducto saltem in Hispaniam industria Nostrorum, agit Franciscus Sacchinus 3. parte Hist. Societatis Lib. 1. num. 22. Digressionem hanc æqui, bonique consulat benignus Lector.

114 Iam autem è diverticulo ad viam regiam rediens efformo aliud argumentum, non parvi habendum. Si extaret Christi præceptum affirmativū de celebratione obligans singulos Sacerdotes seorsim, determinallet Christus, vel Ecclesia, pro quo tempore obligaret, tum quia præcepta affirmativa non obligant pro semper, tum quia nisi accederet Christi, vel Ecclesiæ determinatio designans tempus adimplēdi illud præceptū, fuisset inutiliter omninò, atque frustrà latum à Christo, non enim possemus scire, quando, aut quoties obligaret. Atqui neque Christus, neque Ecclesia hactenus determinavit tempus, pro quo singuli Sacerdotes seorsim teneantur celebrare. Ergo tale præceptum non extat. Ita arguit Castro Palao Tract. 22. Disp. vnica, puncto 12. n. 2. vt probabilitatem adiudicet parti, quam promovemus. Si dicatur, extare quidem, & non inutiliter, vt posse dici significavi iam suprà, argumentum non benè tornatum hoc modo incudi reddam, & construam eo modo, quo ibi. Disputavi hæc Metaphysicè, & speculativè cum Alensi, S. Bonaventura, Gabriele, Richardo, Palatio apud Suarium Disp. 80. sect. 1. V. *Propter hæc*, & apud Fagundez in 1. præceptū Ecclesiæ L. 3. Cap. 15. n. 1. cum Baptista Trovamala in Rosella V. *Eucharistia* 3. numero 36. Ioanne Chappuis in Commentarijs ad Summulam Raymundi Tract. 3. pagina (mihi) 135. licet in 133. indicet contrarium, cum Puteano 3. parte, q. 83. art. 2. V. *Crederem*, Ovando in 4. Dist. 3. propos. 4. Angle quæst. 7. de Ministro Eucharistiæ Diffic. 10. Conclus. 1. Emmanuele Rodriguez in Summa V. *Missa* Cap. 247. Conclus. 4. Didaco de Tapia quæst. & art. 10. de Eucharistia, Ludouico de S. Ioanne, & Speculo conscientiæ apud Leandrum Tract. 8. Disput. 5. quęst. 1. (sed Speculum si est liber quidam compositus idiomate Hispano à F. Minorita, & impressi Hispali anno 1543 in Tract. 3. Cap. 13. §. 10. fol. 175. v. nam, & alteram sententiam proponit, nec litem dirimit) cum Granado Controv. 6. Tract. 14. Disp. 10. numero 1. Thoma Tamburino Lib. 1. de Missa C. 6. §. 1. Cardinali de Lugo Disp. 20. S. 1. Stephano Bauny Tract. 10. de Presbyteris quæst. 4. (vbi meminit cuiusdā diplomatis Pij V. cuius scopus est, ostēdere, à Sacerdote aliquoties in anno litandū esse; sed talis Bullæ nullum ego vestigium inuenire potui) cum Ioanne Sanchez in Selectis Disput. 7. num. 16. allegante Nicolaum de Orbellis; videturque connivere Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dub. 1. num. 22. & Franciscus de Lugo Lib. & Cap. 5. qnæst. 1. n. 11.

Quidnam sentiendum sit quoad praxim?

115 IN ea quidem vix, aut ne vix contingere potest, vt Sacerdos toto vitæ cursu voluntariè, & sponte suâ non celebret, quin peccet nō modò venialiter, sed etiam lethaliter, tum ob spirituale detrimentum suę animæ in omissione voluntaria, & spontanea celebrandi per totam vitam; tum ob periculum plusquàm probabile, cui se vltro exponit succumbendi tentationibus, & labendi in gravia peccata, deficiente præsidio, & munimine celebrationum; tum ob scandalum, & perditissimæ vitæ signum, quod fidelibus præbet nunquam sacrificans, nō habens impedimenti alicuius inuoluntarij veram, vel saltem apparentem excusationem apud homines. Quòd si quispiam Sacerdos hoc tempore, ne celebret, prætenderet indignitatem propriam, & reverentiam tremendi Sacrificij, timoremque rationis reddendæ Deo de tam sacrosancta, divinaque functione, verendum esset, ne falso humilitatis, religionisque colore fallatur à Dęmone; & nisi Deus aliquo extraordinario signo, (quod non oportet ab ipso expectare) ostendat, gratam sibi esse cessationem à celebrando, minimè debet ea approbari. Ac sanè vera humilitas erit, si Sacerdos agnoscat se adeò pauperem, atq; indigentem, vt non audeat transigere vitam sine iuvamine Sacrificij, Sacramentique Eucharistici. Vera religio erit, offerre Deo Sacrificium præstantissimum filij sui, colereque, & celebrare

brare Myſteria ſacratiſsima Miſſæ meliori modo, quo poſsit.

116 Huc facit doctrina Gerſonis in Tract. de Præparatione ad Miſſam. Volui eius verba, etſi longa, hìc tranſcribere, præcidunt enim excuſationes omnes, & vt mihi fuit conſolationi legiſſe, ſic ſpero fore alijs Sacerdotibus. Ait itaque Gerſon, ✻ Interrogo me, ſi dignus ſim accedere ad Dominum, ſi ſufficienter præparatus? Hęſito primùm, tremiſco, reformido; tãdem ſic reſpondeo mihi ipſi. Interim, quantùm in me eſt, nihil, Deo propitio, mihi conſcius ſum ſuper peccato mortali, aut peccandi propoſito: peccata autem venialia, etiam non confeſſa, nequaquam obſiſtunt:: Hoc vnum ſcio, quòd apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio; quòd pietatis eius fontem nulla poteſt noſtra iniquitas evincere, vel ſiccare; quòd ſi decreverit ſalvare, nemo eſt, qui condemnet. Ipſe præcipit, vt ſperem in eo, & me totum in ſuas manus proijciam; obedio, vt poſſum. Non eſt crudelis, aut mendax. Venientem ad eum non ejiciet foras, provolutum ſuis pedibus non indignanter abijciet; ſed pręveniet me in benedictionibus dulcedinis, dum mihi diſpliceo. Spero equidem, ipſe qui cæpit, perficiet, & illuminabit abſcondita tenebrarum, ne vnquam obdormiam in morte. O anima mea, fornicata es cum amatoribus tuis, pius ſponſus iubet per os Propheticum, vt revertaris, modò etiam te ſuſcipiet. Etſi millies abſceſſeris, contempſeris, irriſeris, te venientem non repudiabit, pœnitentem non aſpernabitur. Si quis ex hominibus talia diceret, crederes, & aſpirares, & accederes. Deus ipſe hoc dicit, Deus hoc pollicetur, imò Deus hoc imperat, & tu diffidens non accedes? Igitur in ſua veritate, non in tua vanitate fidens voluntariè illi ſacrifica. Immunda es; accede mundanda ad fontem puritatis incontaminabilem. Eſuris; accede paſcenda ad panem vivificum, & indefectibilem. Ægrotas; erit hoc efficaciſsimum tuæ valetudini medicamentum. Fluxum ſanguinis pateris, nec ſanari potes à medicis, tuis ſcilicet exercitijs; tange plena fide cum muliere hęmorrhoiſſa:: fimbriam veſtimenti Ieſu, ſacroſanctam videlicet hoſtiam, vt ſaneris. Si percuſſam te ſentis à ſerpentibus perverſarum tentationum; quid reſtat, niſi vt ſerpentem Chriſtum elevatum inſpicias? Si dicis cum Propheta, quoniam vnicus, & pauper ſum ego; particeps eſto ſacroſancti huius Myſterij, habebis Chriſtum comitem fidum, & hoſpitem ditiſsimum. Cęcam te fortaſis, debilem, & claudam conquereris; memineris, quoniam tales ad cœnã magni Regis inuitantur, & intrare cõpelluntur. Lubrica ſum, inquies, & inſtabilis; ſed hic panis confirmat cor. Triſtis es, & anxia; ſed vinum hoc lętificat. Inquietant te, & turbant plurima; adhære ei, qui turbidos fluctus ſedat, qui eſt pax noſtra; qui ait, in mundo preſuram, in me pacem habebitis. Peregrinaris à Domino; ſed in fortitudine cibi huius ambulabis vſque ad mõtem Dei. Quid ergo tandem formidas, quid expaveſcis, ò anima mea? Quare, quouſque conturbas me? Spera in Deo, & liberabit te, & enutriet te, & non confundet te. Suſpirabunda fortè quæris, vbi eſt Deus tuus? In hoc certè cõuivio, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſsionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. ✻ Huc vſque Gerſon deuotiſsimè. Addo ex Petro Abbate Cellenſi Lib. de Panibus Cap. 2. *Huius mẽſæ edacitas inculpabilis, potiùs commendatur, quàm condemnatur. Abſtinere quidem his, culpa eſt, & pœna; abſorbere verò, gloria, & corona.* Ex Sancto Ignatio Martyre hortante vniverſim Chriſticolas in Epiſt. 14. *Feſtinate frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei; quando enim aſsiduè hoc ipſum agitur, expellũtur poteſtates Sathanæ.* Ex S. Cyrillo Alexandrino in Ioannem Lib. 4. Cap. 17. *Si vitam æternam conſequi volumus, ſi largitorem immortalitatis in nobis deſideramus, ad recipiendam benedictionem libenter concurramus; caueamuſque, ne loco laquei damnoſam religionem Diabolus nobis prætendat.*

117 Sed cum dixerimus, contingere vix poſſe iam, aut ne vix quidẽ, vt Sacerdos ſine iuſto impedimento ſacrificare omittens per totam vitam non peccet lethaliter, deſiderabit Lector ſcire.

✻ ✻ ✻

Quando,

Quando, & quoties Sacerdos teneatur celebrare?

S. Thomas quæst. 82. art. 10. in Corpore respondet, teneri *in præcipuis, festis, & maximè in illis diebus, in quibus fideles communicare consueuerunt.* Circa quæ verba obseruat Sotus in 4. Dist. 13. quæst. 1. art. 10. ✻ Id ergo temp? S. Thomas tantùm declarat, esse festa præcipua: sed tamen subdens, maximè in illis, in quibus fideles communicare consueuerunt, videtur non obligasse nisi in solo festo Paschatis. Et certè dies illa omnium est rei illi aptissima. Attamen hac ratione videtur præceptum nimiùm extenuasse, sanè cum nihil Sacerdotibus præ sęcularibus iniunxerit. Arbitror ergo, quòd non alluſit ad solum novum communicandi præceptum, sed ad priscorum morem, quando populus in festo Nativitatis, & Paschatis, & Pentecostes communicabat. ✻ Ex qua Soti obseruatione clarescit satis sensus S. Thomæ. Cum quo consentit Sotus, quatenus Sacerdos, secluso impedimẽto, debeat celebrare ter, vel quater in anno siue interruptè, siuè hoc die, siue illo. Hic celebrationum numerus valde benignus arrisit multis Doctoribus post Sotum, habetque suum fundamentum in Cap. *Dolentes*; & anno 1473. in Concilio apud Arandam iussum fuit, vt Episcopi minimùm ter, Presbyteri ter, aut quater divina hostia annis singulis sacrificarent, vt tradit Mariana L. 23. de Rebus Hispaniæ Cap. 19. Sanè cum deficiat Christi, Ecclesięque prȩceptũ, quo expressè declaretur numerus, videtur prudenter fuisse ternarius, vel quaternarius designatus ab illis Authoribus. Dies autem certi non definiuntur ab illis, neque qui sint interrupti potiùs, quàm continuati, neque è conuerso, quia nullum est argumentum cõuincens ad certi diei determinationem, neque ad interruptionem celebrationũ præ continuatione, neque ad hanc præ illa. Etsi enim olim ex præcepto Ecclesiæ essent determinati tres dies ad cõmunionem, & nunc Paschatis tempus sit determinatum, non tenebatur olim Sacerdos celebrare tribus illis diebus, neque nunc tenetur celebrare tempore Paschatis, sed satisfaciebat, & nunc satisfacit communicans more Laicali in Parochia propria.

118 Sed notandum hìc est, Authores, qui docent, non obligari Sacerdotem sub lethali culpa nisi ad celebrãdum ter, vel quater in anno, habere sermonem, attento præcisè Christi præcepto, admisso ab ipsis, de celebratione. Si enim respiciatur ad extrinsecas circumstantias spiritualis detrimenti, periculorum peccandi, sucumbendique tentationibus, necnon ad scandalum fidelium, neutiquam dicunt, sufficere tres, vel quatuor Missas in anno; sed expressè, aut tacitè aiunt, requiri plures Missas, totque, quot satis sint ad euitãdam quamcumque ex prȩfatis circumstantijs. Vbi digna sunt, quæ ponderentur verba hæc Suarij Disp. 80. S. 1 in fine. ✻ Censeo, moraliter loquendo, considerandа esse principia extrinseca, qualia sunt aliorum scandalum, proprium spirituale detrimentum, aut periculum liberiùs peccandi omittendo Sacrificium, vel (quod gravius est) quòd propterea omittatur, vt peccandi licentia non impediatur, & similia; & his omnibus pensatis, prudentis iudicio committendum est tempus, & modus huius obligationis. Si autem hæ rationes extrinsecę nõ intercedant, vix, credo, accidet casus moralis, in quo Sacerdos aliquoties in anno non sacrificet: quòd licet rarò faciat (vt Navarrus dixit) non peccabit mortaliter; & si bona intentione id faciat, posset etiam à veniali excusari. ✻ Sic Suarez.

119 Notandum deinde est, siue detur, siue non detur prȩceptũ Christi de celebratione impositum singulis Sacerdotibus seorsim, & siue obligatio sacrificandi proveniat ex illo prȩcepto, siue ex principijs extrinsecis præfatis, posse interuenire iustum impedimentum, ne Sacerdos vel semel celebret in anno, vt si toto eo iaceat ægrotus in lecto; & sic de similibus impedimentis, quæ solent excusare ab adimpletione præceptorum aliorum. Imò cum præceptum Christi de celebratione sit adeò expositum litigio respectu singulorum Sacerdotum seorsim, fortè sufficiet minus impedimenrum, quàm quod requiritur, vt excusetur quis ab alio præcepto certo, & explorato. Illa sunt probatiora impedimẽta, quę nec incurrũtur, nec conservantur volũtate propria. Quę verò è contra se habent, aut non excusabunt, aut non nisi per breve tempus.

Addo

Addo secundum id ob fragilem peccandi consuetudinem, de qua Henriquez transcriptus in num. 113. videtur supponere esse impedimentum excusans. Sed credo, Henriquezium loqui de excusatione ad breve tempus, nam vt ad longum non duret, tenetur Sacerdos curare, ne ipsum reddat indispositum ad celebrationem. Atque id ipsum existimari debet de negotijs, & occupationibus externis vltrò susceptis, quæ à celebrando impediant Sacerdotem.

120 Rogabit quis,

An obligatio celebrandi incipiat intra annum Ordinationis in Sacerdotem?

RESPONDEO cum Francisco de Lugo Lib. & Cap. 5. quæst. 1. n. 11. posse sine culpa simplicem Sacerdotem non celebrare toto primo anno, vt meliùs addiscat cæremonias, & ritus Missæ; & vt ad hanc maiori cum devotione, & fervore se disponat, ac præparet, ex animoque compensandi vberiùs posteà. Consentit Filliucius tomo 1. Tract. 5. Cap. 4. num. 95. Sed notans in num. 96. dilationem debere non excedere annum. Responsio confirmari potest exemplo primæ communionis suscipiendæ ex Ecclesiæ præcepto à puero, qui ad eam non tenetur statim, ac habet sufficientem rationis vsũ, vt peccet lethaliter, imò neque vt discernat spiritualem cibum Eucharisticũ à profano, & communi; sed præceptũ illud Ecclesiæ admittit aliquam latitudinem iuxta frequentem Doctorũ sensum loquentium de prima communione pueri, vt hic consequatur vberiorẽ fructum, & maiori cum notitia, ac reuerentia accedat ad Eucharistiam. Habemus præclaram probationem responsionis datæ in Sanctissimo Patriarcha Ignatio, qui per annum, & dimidium apud Vicentiam continua oratione, & contemplatione, asperrimisque corporis afflictionibus præparavit se se ad primam Missam, vt narrant Petrus Ribadeneyra Lib. 2. Cap. 11. Maffeus Lib. 2. Cap. 4. Andreas Lucas Lib. 3. C. 9. in ipsius Vita, Orlandinus in Historia Societatis Lib. 2. num. 20. Servo apud me ingentis thesauri loco libellũ scriptum partim Hispana, partim Latina lingua, cui titulus, *Memoriale bonorum desiderium, & cogitationum P. M. Petri Fabri ex P. Ignatij Socijs*; in eius fol. 3. lego hæc verba, *Anno 1537: post Paschа licentia suprà dicta* (Pauli scilicet III. Papæ) *accepta, perreximus Venetias, vt proficisceremur Hierosolymam, & cum non possemus ea vice, dispertiti sumus in diuersa loca, quia cupiebamus degere solitarij per tres menses, quin attenderemus alijs* (nempe proximis) *& vt sic melius se præpararent illi, qui non fecerant prima Sacra, disponendo se ad tantum munus. Ignatius, ego, & M. Laynez sedem fiximus Vicentiæ*, &c. Sic ibi. Sumpsit itaque S. P. Ignatius annum, & dimidium ad apparatum animi pro Sacerdotalis Ordinis diuinę Maiestati libandis primitijs; alijs verò Socijs brevius spatium præfixit. Commẽdant S. Patris factum Cardinalis de Lugo Disp. 20. sect. 1. num. 12. Arriaga D. 54. sect. 1. Subs. 2. num. 9. & 12. Aversa quæst. 10. sect. 1. V. *Ad probationem.* Attigit illud Hieronymus Garcia Tract. 3. Diff. 2. dub. 1. num. 5. Sed absolutè dicens, S. Patrem transegisse annum sine celebratione; cum tamen sit quid longè diversum, differre hanc initio ex causa melioris dispositionis, vel posteà. Olim ordinati noviter in Sacerdotes, & consecrati in Episcopos superscdebãt litare per quadraginta dies, vt notavi Disp. 4. num. 6. & Disp. 13. num. 40. quanquam Ordo Romanus sub titulo qualiter in Romana Ecclesia Ordines fiant, non extendat nisi ad octo dies, loquens de Neopresbyteris. Verba Ordinis Romani sunt, *Tollit Pontifex oblatas, & dat singulis Presbyteris nouitijs, vt inde communicent vsque dies octo.*

121 Sed cum de Neomystis sermonem habuerimus, quæret quis rursus,

An nouiter ordinati debeant post primam Missam celebrare tres alias?

NAM in Pontificali Romano in Ordinatione Presbyterorum ad finẽ commonetur Episcopus, vt ipsos hortetur, *quòd orent pro eo, & alijs, quos voluerit, iniungens eis Missas, & alia, quæ viderit expedire, quod si placet facere, poterit sub* his verbis:: *Post primam vestram Missam in tribus immediatè tunc sequentibus diebus, videlicet vnam de Spiritu Sancto, aliam*

aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, & Omnipotentem Deum etiam pro me orate. Quod illi devotè suscipiunt, & respondent, se facturos. Dico, videri non velle Episcopos imponere præceptum de tribus illis Missis; & saltem Pontifex Summus, cuius iussu Pontificale est compositum, non videtur velle, vt sub præcepto iubeant. Pōderentur verba omnia transcripta. Et ex eis etiam colligetur, liberum esse Episcopo, iniungere, vel non, tres illas Missas. Quòd si iniungat, & aliud non exprimat, censendus est, conformare se intentioni Papæ in non iubendo, sed in ordinando simpliciter tantùm. Et respectu Religiosorum exemptorum ab Episcopi iurisdictione, quos initiaverit Sacerdotio, valent multòmagis, quę dixi, nam etsi præceptum illarum Missarum, impositum ab Episcopo, posset asseri, trahere ortum à Papa, tamen quandiu hic ampliùs non declaret commissionem à se datam illi, vt præcepto ligare possit Religiosos, iudicādum est, nō conferre actu. Quòd autē Neomystæ respondent Episcopo, se dicturos tres illas Missas, nō satis est, vt affirmem⁹, ipsos manere obligatos graviter, nā ea responsio non est strictè promissio, sed simplex quædā declaratio animi, & propositi cōcepti ex decentia quadā, & honestate, vt in nonnullis alijs casibus, etiā si verba sint magis inspeciē promissoria, solēt docere Theologi, præsertim Suarez D. 86. in procœmio, & cū illo Castr⁹ Pala⁹ Tract. 22. D. vnica, punct. 14. n. 1 alijsq; relatis Hieronym⁹ Garcia Tract. Diff. & dub. 3. n. 5. Sed etsi esset strictè promissio, constat ex numero 91. subterfugi adhuc posse obligationem gravem.

122 Præstita ad quæstionem resolutio accipit authoritatē ex doctrina plurium Theologorum, qui aiunt, Clericos minorum Ordinum nō teneri ad recitandos Psalmos, aliasve preces ipsis inſūctas ab Episcopo in Ordinatione. Ita Thomas Sanchez L. 7. Consiliorum Moralium Cap. & dub. 2. num. 6. cum Michaele Palatio, & Dominico Soto, Tannerus tomo 3. D. 5. quæst. 1. dub. 5. num. 137. Castrus Palaus Tract. 7. D. 2. punct. & §. 1. num. 5. cum Valentia. Atquì Episcopi iuxta Pontificale Clericis Minorum Ordinum tam intimant septem Psalmos Pœnitentiales dicēdos semel cum Litanijs, versiculis, & orationibus, quàm Presbyteris tres Missas. Ergo si illi non obligantur ad Psalmos, neque hi ad Missas. Si cui tamen placeat sentire cum Bonacina Disp. 1. de Horis Canonicis q. 2. punct. 3. num. 2. & cum alijs apud ipsum, & Dianam p 2. Tract. 12. Res. 20. p. 4. Tract. 4. Res. 218. atq; Baldellum tomo 2. Theologiæ Moralis L. 3. D. 21. n. 10. peccare graviter, vel leviter Clericos in minoribus Ordinib⁹ constitutos, nisi recitent Psalmos, precesq; alias præscriptas ab Episcopo, placebit mihi, si consequēter discurrat de Presbyteris novitijs quoad Missas: quāquàm quoad has sit altum silentium in eis Doctoribus.

123 Et oportebit notare, præceptum Episcopi, si eisdem verbis pronuncietur, quibus in Pontificali, non fore absolutè de tribus Missis, sed de eis post primam. Vnde videtur non pariturum obligationē ad eas nisi ex suppositione, quòd prima sit dicta, ad quam illa verba non imponunt onus. Conducet etiam notare ex Gavanto in Rubricas Missalis p. 1. tit. 4. lit. O. Vers. *Neq; putes*, & ex Thoma Tamburino Lib. 2. de Missa C. 6. §. 5. n. 3. contra Saussayū in Panoplia Sacerdotali p. 2. L. 1. C. 10. art. 2. §. 3. Missas eas de Spiritu Sancto, de B. Virgine, & de defunctis nō esse celebrandas in diebus, in quibus non licet dicere Missas votiuas, & de defunctis, nam absurdum esset, celebrata prima Missa in Natali Domini, recitare eas alias in tribus festis sequentibus. Si autē post diem primæ Missæ sequantur alij, in quibus concessum sit, vel permissum alijs de causis eas recitare, tenebitur novellus Sacerdos ad talium Missarum qualitatem, quia, vt ait Tamburinus, servabitur tunc sine inconuenienti qualitas præscripta ab Episcopo, cuius iussio dimanat ex facultate data à Summo Pontifice, & proinde à potente dispensare, ne Missæ concordent cum Officio Canonico. Adhęreo Tamburino quantùm ad diem permissum, non tamen quantùm ad concessum, nisi ratio concedendi valeat respectu eiusdemmet Neopresbyteri. Exēpli gratia, dies insepulti corporis præsentis in Ecclesia concessus est, etiamsi Dominicus, vel festus non multùm solemnis, vt dicatur Missa de defuncto; poterit celebrare eā Neopresbyter, sicque exequi mandatū

Episcopi, si facturus est Sacrum coram corpore emortuo; secus si non ipse, sed alius, nā si alius, erit absurdum, vt corpore nō presente dicat Neomysta eo die Missam funebrem in eodem etiam templo, in quo corpus fuit humatum, aut in quo sepelietur. Tandem animaduertēdū est, non patere omnino clarè ex verbis Pontificalis, quòd præfatæ tres Missę offerendę sint pro intentione Episcopi. Tertia quidem videtur applicanda pro defunctis, nec tantùm dicenda est de eis, seu de *Requiem*; duæ aliæ etsi iubeātur dici de Spiritu Sancto, & de B. Virgine, non ideo sequitur, debere offerri pro intētione Episcopi imperantis earū qualitatem. Nihilomin⁹ quia videri potest, precipi eas frustrà ab Episcopo nisi ex attentione ad suum emolumentū spirituale, quod sit aliqualis compensatio, & retributio beneficij collati in Ordinatione, ideo rē in medio relinquo sapiētum Theologorū iudicio decernendam.

124 Percontabitur quis iterùm,

An Sacerdos simplex debeat celebrare die festo, quando, nisi ipse celebret, manebit popul⁹ sine Missa, quam audiat?

RESPONDEO, debere, si non excusetur iusto aliquo impedimēto, neq; sit subiturus notabile aliquod incommodum. Ratio est, tum quia, si tunc non celebret, sequetur scandalū in populo, & Sacerdos incurret notam corruptæ vitæ, pravæq; conscientiæ. Tum quia officiū Sacerdotale, vel saltē charitas obligat eo casu Sacerdotē, vt subueniat spirituali proximorū necessitati audiendi Sacrū, & ne privet illos fructu percipiendo ex Sacri auditione præcepta, cogatve illos conferre se in locum distantem ad Missam inueniendam. Tū quia forsan ipsum præceptum Ecclesiæ de Sacro audiendo obligat Sacerdotem, vt in alteri⁹ defectu Sacrum faciat, quo populus adimpleat illud præceptū. Etsi autem populus non peccaret non audiēs Missam, non sufficit id, quo minus conferetur magna, & gravis necessitas, in quà esset constitutus ob defectum alterius Sacerdotis. Ita Moure in Examine Theologiæ Moralis p. 3. C. 5. §. 8. n. 1. Emmanuel Rodriguez tom. 1. Summæ C. 247. n. 6. (nisi intelligēdus sit in sē casus sequentis) Franciscus de Lugo L. 5. C. 5. q. 1. n. 15. Dicastillus Tract. 5 D. 4. dub. 1. n. 13. Discordat Pellizarius infrà n. 9. quia præfata populi necessitas nō est gravis, vt colligitur exinde, quòd tunc Sacerdos, si esset conscius peccati mortalis, & deesset illi Confessoris copia, non posset cum sola contritione celebrare ad effectum de auditione Sacri à populo. Sed contra, nā in primis posset, si alioqui sequeretur scādalum, vel nota. Deinde secluso etiam scandalo, vel nota, posset, vt pluriū fert opinio. Tertiò, etsi non posset, est in promptu patēs discrimen ob impedimentum præcepti diuini de præmittenda confessione ante celebrationem à Sacerdote conscio peccati lethalis; quod præceptum vrget magis, quàm illud aliud Ecclesiasticum de auditione Missę à populo. At quæstio præsens, resolutioque nostra procedit, quando ex parte Sacerdotis non inuenitur notabile aliquod impedimentum, neq; ipse incurret cōsiderabile aliquod incōmodum. Ex dictis colligitur à fortiori, vel equè fortiratione contra eundem Pellizarium n. 11. obligari graviter simplicē Sacerdotē ad celebrandū, si proximus obiturus esset sine viatico, nisi ipse celebraret, nam in proximo necessitas suscipiendi viaticum gravis est, etiam si neque confessionis, neque extremæ vnctionis copia desit illi. Et arguo ad hominem contra Pellizarium, nam non negabit, necessitatem viatici sufficientem esse, vt Sacerdos conscius culpæ mortalis celebret contritus non præmissa confessione, si desit Confessoris copia. Egosaltem nullum legi, qui neget. Et Eximius Doctor Suarez D. 66. sect. 4. V. *Ergo prima*, testatur, esse ab omnibus receptam sufficientiam dictę necessitatis.

125 Vlteriùs interrogabit quis,

An si non sit Sacrū, quod audiri possit in die festo, debeat celebrare Sacerdos simplex, vt ipsemet adimpleat præceptum audiendi Sacrum?

VIDETVR enim non debere, nam vnum præceptum est distinctum ab alio, & obligatio celebrandi est magis onerosa, quàm obligatio audiendi merè Missam. Nihilominus respondeo affirmatiuè cum Angle q. 7. de Ministro Eucharistię, Diffi. 10. Conclus. 1. Quā-

do

do in 4. Dist. 13. propos. 4. Pellizario in Manuali Regularium Tract. 5. Cap. 9. sect. 1. numero 8. Francisco de Lugo suprà num. 16. Ludovico de Conceptione in Examine veritatis moralis Tractatu 5. casu 2. num. 6. contra Moure supra numero 2. quia etsi maius sit onus celebrare, quàm merè audire Sacrum; non est tamen tantum onus celebrare, vt ob præcepti de auditione Missæ adimpletionem non debeat subiri à Sacerdote, qui aliunde non patietur incommodum notabile, neque sit iustè, legitimèque excusatus à celebratione; & quia in isto casu celebratio Missæ est medium deserviens ad finem audiendi eam, estq; medium non extraordinarium.

126 Confirmo resolutionem hanc exindè, quòd Sacerdos, qui in Paschate non haberet copiam Parochi, neque Sacerdotis alterius, de cuius manu acciperet communionem annuam præceptam, teneretur celebrare ad satisfaciendum præcepto communionis annuę Paschalis. Alia etiã peti potest cõfirmatio ex obligatione Sacerdotis ad celebrandum, si constitutus in articulo, periculove mortis non haberet alium Sacerdotem, de cuius manibus susciperet viaticum, neque haberet hostiam præconsecratam, quam proprijs manibus sumeret, & ipse posset peragere ritè diuinam rem. Nec plura de obligatione simplicium Sacerdotum ad celebrandum.

SECTIO V.

De frequentia celebrationis ex deuotione, & consilio.

127 OPTANDVM profectò est, vt, exceptis diebus (de quibus in Disputatione sequenti) & secluso impedimento Canonico centuræ Ecclesiasticæ, atque irregularitatis, deficienteque obice peccati lethalis, & præcepto Superioris iustis de causis inhibentis celebrationem, Sacerdotes Sacris quotidie operentur; nisi rarè, & extraordinariè consulendum aliquib⁹ sit, vt ex reverentia, & timore intermittant vno, vel altero die celebrare, provt notat Suarez D. 80. sect. 2. V. *Dico quartò*. Ratio nostri desiderij cũ communi Theologorum est, quia sacrificare quotidie, non est prohibitum iure divino, vel humano, nullibi enim extat tale ius. Cũ igitur sacrificare quotidie, non sit malum, quia prohibitum, restat; vt vndequaque sit bonum; nã ex naturâ rei esse bonum, dubitari nõ potest, quãdoquidem cedat in honorem Dei, & in vtilitatem Ecclesiæ, congruatq; dignitati, atque excellentiæ huius Sacrificij. Quibus rationibus simul probatur, esse per se melius, atq; ideo potiùs laudandũ & cõmendandum, quòd Sacerdotes celebrẽt quotidie, quã quòd nõ celebrẽt.

128 Et vt ad quotidianam celebrationẽ excitentur Sacerdotes, eamq; ex pigritia non intermittant, legant hęc S. Bonaventurę verba Tract. de Præparatione ad Missam C. 5. ✻ Cũ Sacerdos absque peccato mortali, & in proposito bono, non habens legitimũ impedimẽtum, & non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc, quantũ in ipso est, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lętitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, & se ipsum medicina, & remedio cõtra quotidiana peccata, & infirmitates. Quia, sicut ait Ambrosius, si quotiescumq; effunditur sanguis Christi, toties in remissionẽ effunditur, debeo illum semper accipere, vt sẽper mihi peccata dimittantur: qui sẽper pecco, sẽper debeo accipere medicinam. Item privat se omnibus talib⁹ provenientib⁹ ex sacra cõmunione, quę sunt peccatorũ remissio, fomitis mitigatio, mẽtis illuminatio, interior refectio, Xpi, & corporis eius mystici incorporatio, virtutũ roboratio, contra Diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis excitatio, devotionis augmentatio, & Angelorum conuiuatio. Item non complet sibi iniunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ seruitutis Dei; & tamen scriptum est, Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Item contemnit Christi præceptum de obseruantia huius Sacramenti. Ideo Christus comminatur, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Itẽ abijcit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis, quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem, efficitur sicut aridum membrum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Vltimò, quantùm in se est, evacuat diui-

num cultum, & latriam Creatori debitam, ingratus de beneficijs. Vnde dicitur in Numeris, ſi quis mundus eſt, (ſcilicet à peccato mortali) & in itinere non fuerit (ſcilicet aliter impeditꝰ) & non fecerit Phaſe, anima illa de populo ſuo exterminabitur, quia Sacrificium non obtulit Domino in tempore ſuo. Ergo, quantùm potes, toto conatu per exercitium boni operis, lachrymarum contritionem, & devotionis flammam, expelle à te omnem tepo-rem, & negligentiam, ne inueniaris reſpuere tantorũ chariſmatum dona. ✻ Sic Doctor Seraphicus. Qui in prioribus verbis inſtitit Bedę, provt communiter ex hoc referuntur, quanquam ego in Bedæ Operibus inuenire hactenus nõ potuerim. Similia habet Thomas de Kempis Lib. 4. de Imitatione Chriſti Cap. 5. ſeu Libello de Sacramento altaris Capite 5. Sunt autem eò maioris ponderis in hanc rem verba Sancti Bonaventuræ, quò ipſe ex humilitate abſtinuit per dies multos à celebratione. ✻ Sed cum vna die Miſſam audiſſet deuotiùs, ad eius confortationem vna de particulis hoſtiæ conſecratæ, etiam per Sacerdotem diviſæ, ſolo Domini iuſſu in os eiuſdem intravit, & ipſum guſtu ſuaviſsimo ſaginavit. ✻ Vt refert S. Antoninus 3. parte Hiſt. tit. 24. Cap. 8. Porrò autem idem Sanctus Bonaventura in Lib. de profectu Religioſorum C. 77. ait, ✻ Circa Sacerdotes poteſt hæc forma teneri, vt nec nimis rarò, nec sẽper continuè, & imprætermiſsè ſacram hoſtiam ſtudeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis tam devotus ſit, quòd ſemper eadẽ devotione ferveat, quòd ſemper illud cum debita reverentia faciat, & cordis ardore, quin aliquid tepeat quãtulumcumque. Nimis etiam rarò celebrare, quamuis ex reverentia ſoleat aliquando fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumſpectus eſt homo in omnibus, quaſi non indigere videatur ſui cuſtodia, cum non proponit accedere ad menſam Chriſti. Humilitas etiam non eſt vſquequaque ſecura, propterquam diu ſe ſubtrahit, quia ſicut non eſt dignus ſæpe corpus Chriſti percipere, ita nec ſemel. Ideo non recipimus illud, quaſi digni ſimus, ſed vt illo nos ſæpe viſitante, & habitaculum cordis, & corporis noſtri ſubintrante, magis, ac magis digni efficiamur. ✻ Hactenus Sanctus Bonaventura, de cuius verbis prioribus feremus iudicium poſtea.

129 Sunt, qui movere conantur ad celebrationem quotidianam propoſito exemplo antiquiorum Sacerdotum, qui priſcis Eccleſiæ temporibus quotidie ſacrificabant ex prȩcepto. Verumtamẽ hoc præceptum nuſquam extat impoſitũ ſingulis Sacerdotibus ſeorſim, quicquid dixerint Canoniſtæ nonnulli veteres apud S. Antoninum, & apud Sylveſtrum, vt refert Suarez D. 80. ſect. 1. V. *Sed quæres*, improbando Canoniſtas illos. Prætereà Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. n. 12. eruditè probat, non fuiſſe facile privatis Sacerdotibus antiquis celebrare quotidie, ſicut modò; quicquid ſit, an tunc ex prȩcepto, vel ex devotione communicarent more Laico, quando deficiebat celebrãdi facultas. Qui illo vtuntur exemplo, adducunt duplicem textum, vnum Cõcilij Toletani I. alterum Concilij Arauſicani apud Burchardum. Sed prior textus nullatenus favet, vt in n. 105. viſũ eſt. Secundus verò loquitur de Epiſcopis, & non de reliquis Sacerdotibus, vt notavi in eodẽ n. Quòd autem Epiſcopi deberẽt ſacrificare quotidie, poteſt occaſionem nobis præbere, vt inde conijciamus, non debuiſſe Sacerdotes cæteros eiuſdẽ Eccleſiæ, nam primò in qualibet Eccleſia non erat niſi vnum altare, vt infertur ex C. *Nullus Presbyter in Eccleſia* 25. de Conſecratione Diſt. 1. notaturque à Roſvveido circa Epiſt. 12 S. Paulini, quãquam, vt probat Bellarminus L. 2. de Miſſa C. 9. & ex eodem S. Paulino in Natali 9. S. Felicis Verſu 402. comprobari poteſt, non id ſemper olim inuiolatè fuerit ſervatum. Deinde in vno altari non licebat offerre duplex Sacrificium eadem die, vt conſtat ex Concilio Autiſiodorenſi C. 10. Ibi: *Nõ licet ſuper vno altario in vna die duas Miſſas dicere*: tametſi Baſilius Legionenſis p. 1. Diſputationum variarum q. 2. Scholaſtica Capite 2. pag. 132. interpretetur limitando ad vnum, eundemque Sacerdotem; ſed ſine ſufficienti fundamento. Si igitur Epiſcopus tenebatur immolare quotidie in eo altari, ſequitur, non potuiſſe reliquos Sacerdotes pertinentes ad eandem Eccleſiam

ſacrifi-

sacrificare eadem die in illomet altari, nisi ob aliquod legitimum impedimentum Episcopus non celebrasset. Præterea Cap. 10. præcitato Concilij Autisiodorensis additur, *Nec in altario, vbi Episcopus Missas dixerit, Presbyter in illa die Missas dicat.* Cui decreto consonat Cap. *In altari* 97. de Consecratione Dist. 2. vbi dicitur, *In Altari, in quo Episcopus Missam cantauerit, Presbyter eodem die aliâ celebrare non præsumat.* Quare etsi in vno altari non essent aliunde prohibitæ duæ Missæ eadem die, tamen in altari, in quo Episcopus celebrasset, ex præcepto non esset fas alijs Sacerdotibus eadem die celebrare. Canon *In altari* approbatus est, & confirmatus à Concilio Mediolanensi III. titulo de ijs, quę pertinent ad Missę Sacrificium, his verbis, *Quod ad Episcopalis Ordinis obseruantiam in Ecclesia institutum est, id deinceps seruetur, vt quo in altari Episcopus Missæ Sacrificium fecit, ne illo die in eodem alius quiuis Sacerdos faciat, nisi illius concessu.* Plures etiam Theologi dicunt, parendum esse Canoni *In altari*, nisi Episcopus dispensationem, licentiamve saltem tacitè cõcedat; nam si ille consentiat, non fit cõtra reuerentiam ipsius, cuius de causa conditus est Canon ille, vt admonet Glossa. Idem Theologi dicunt, obtemperandum esse Canoni illi, nisi Episcopus finire non possit incæptum Sacrificium, ideoque necesse sit, vt alius Sacerdos succedat vice eius. Aliqui addunt casum iustæ cuiusvis alterius causæ; moventurque ex verbo *Præsumat.* Quidamque volunt, Canonem intelligendum esse de altari, in quo Episcopus fecit Sacrum solemne, seu Pontificale; & ex verbo *Cantauerit* sumunt fundamẽtum; sed certè non solidum, nam cantare Missam, perinde ibi est, ac eam dicere siue cum cantu (cuius in omnibus Missis fuit olim vsus, vt notat Baronius anno 418. num. 38. colligens ex Sancto Augustino Serm. 251. de Tempore) siue sine cantu, quo etiam deficiente Galli nunc vsurpant cantare Missam pro celebrare, vt obseruat Lorinus Præfatione in Psalmos Cap. 14. pag. 11. Demum multi monent, præfatum Canonem derogatum esse desuetudine pleriſque in locis. Ita Azor tomo 1. Lib. 10. C. 27. quæst. 10. Scortia Lib. 2. de Sacrificio Missæ Cap. 14. num. 6. Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 6. num. 9. Castro Palao Tract. 22. Disp. vnica, puncto 9. n. 11. Franciscus de Lugo L. 5. C. 7. q. 3. n. 32. Diana parte 10. Tract. 12. Resol. 24. Quod aduertere in transitu libuit, quãdo ad calamum venerit Canon *In altari.*

130 Pro instituto autem præsenti sunt alia indicia nõ admodùm frequentis celebrationis à Sacerdotibus antiquis, nam ordinariè vna tantùm Missa singulis diebus in vno templo peragebatur, vt noscitur ex Epist. 81. Sancti Leonis ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum Cap. 2. & concurrentibus pluribus Presbyteris vnus tantùm, & qui dignitate maior, sacrificabat, vt videre est in Epistola quadam S. Irenæi relata ab Eusebio Cæsarienſi Lib. 5. Ecclesiasticæ historiæ Cap. 24. & in Epist. 5. S. Cypriani ad Clerum de cura pauperum, & quiete plebis, necnon ex Palladio in Lausiaca historia Cap. 17. vbi de vita Abbatis Arsisij, & eorum, qui cũ eo erant in monte Nitriæ. Quæ antiquitatis monumenta collegit Iosephus Vicecomes Volumine 3. Ecclesiasticarum Obseruationum Lib. 3. Cap. 29. refertque ex Pontificali, Papã Deusdedit *constituisse secundam Missam in Clero, quia eo vsque ad instar Græcorum non cantabatur in vna Ecclesia nisi forsan vna Missa, quod magis ædificabat secundũ antiquos,* vt notat ibi eruditus Scholiastes. Probatque idem Vicecomes Lib. & Cap. 1. in primitiva Ecclesia Presbyteros non fecisse rem divinam, vbi aderant Episcopi. Et saltem ne ijs inconsultis celebrarent Presbyteri, prohibitum fuit in Concilio Carthaginensi 2. Cap. 9; & in Laodicensi Cap. 56. ne Presbyter ante Episcopum intraret Ecclesiam; & in Neocæsarienſi Cap. 13. ne extraneus Presbyter operaretur Sacris, si præsens esset Presbyter ipsius vrbis. Et quod magis mirere, S. Franciscus in Epistola 12. ad Sacerdotes sui Ordinis scribit, *Moneo, & exhortor in Domino, vt in locis, in quibus morantur Fratres, vnà tantùm celebretur Missa in die, secundùm formam S. Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes, fiat, per amorem charitatis, alter Conuentus audita celebratione Sacerdotis alterius: quia absentes, & præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus.* Sic S. Franciscus. Sed Ioanni Echio in Enchiridio locorum communium aduersus Lutherum, & alios Ecclesię hostes visum est, vel citatam Epi-

ſtolam non eſſe S. Franciſci, vel hunc loqui de vna ſola Miſſa in die Cœnæ Domini. Aſſentitur Bellarminus Lib. 2. de Miſſa Cap. 10. ad 10. obiectionem, & Poſſevinus in Apparatu ſacro agens de S. Franciſco. Sed certè poſterior reſpõſio eſt omnino contra litteram; & priorem ægrè ferunt Franciſcani, ſiquidem illa Epiſtola vt genuina Sanctiſsimi Patris agnita ſit ſemper ab eis, & ex illa S. Bernardinus Senenſis tomo 1. Sermone 20. art. 2. Cap. 7. pag. 115. nominato Authore verba depromat. Commodior interpretatio eſſet de Miſſa Conuentuali, & ſolemni, quam vnoquoque die voluerit S. Pater fore vnicam ordinariè; vel ex humilitate, & affectu reverentiæ ſuaſiſſe vnius tantùm Sacri ſingulis diebus celebrationem in Eccleſijs ſuæ Religionis, fierique eam ritu, cæremoniſque Romanis. Et in vtrovis ſenſu intellexerunt S. Franciſcum Aluarus Pelagius Lib. 2. de planctu Eccleſiæ Cap. 5. Doctor Margallus in Expoſitione tituli de Celebratione Miſſarũ in 1. p. Rubricæ, Lucaſque Vvadingus in annotatione doctiſsima ad illam Epiſtolam, quẽ laudat, & ſequitur Benedictus Haeftenus prologomeno 18. in S. Benedicti vitam §. 4. Sed crediderim cum eodem Vvadingo in Annalibus Minorum anno Chriſti 1226. num. 11. & cum Ioſepho Vicecomite ſuprà Lib. 3. Capite 29. reſpexiſſe S. Franciſcum ad morem, qui etiam tunc in multis Religioſorum domibus vigebat, vt vna tantùm Miſſa in die conficeretur. Vnde Philippus Abbas Lib. de dignitate Clericorum Capite 81. ait de Monachis antiquis, *Neque tunc temporis mos erat apud illos, vel Miſſas frequenter celebrare, vel ad ſacros Ordines paſsim Monachos ſublimari*; & Cap. 80. *per hebdomadæ dies reliquos* (à Sabbatho, & Dominica) *nulla Miſſarum ſolemnia requiſiuiſſe*. Et ex Epiſt. 86. Petri Bleſſenſis conſtat, Carthuſiẽſes Sacerdotes ſingulis diebus Miſſam non celebraſſe, quanquã iam diu à quotidiano Sacrificio non arceantur, vt diximus ſuprà num. 29. traditque Noſter Ioannes Buſſæus in notis ad præcitatam Epiſtolam, & ex illo Benedictus Haeftenus Lib. 3. Diſquiſitionum Monaſticarum Tract. 7. Diſquiſitione 2. pagina 339. Qui in prologomeno prælaudato ad S. Benedicti vitam §. 3. extenſiùſq; Vicecomes ſuprà Lib. 1. Cap. 3. 4. & 5 probant, veteres Monachos neque promotos fuiſſe ad Sacerdotium. Ex quib⁹ omnibus concludo, inefficax eſſe motiuum, quod ad quotidianam celebrationem deſumitur ex ea vt olim omnibus præcepta. Si autem vt à multis vſitata quondam ob devotionem, non refragabor, neque diſſentiet, quiſquis legerit Ioannem Stephanum Durantum Lib. 2. de Eccleſiæ Catholicæ ritibus Cap. 4. num. 5. Democharem Lib. de obſeruãda Miſſarum celebratione C. 34. Sauſſayum parte 2. Panopliæ Sacerdotalis Lib. 1. Cap. 10. art. 2. §. 1. Herreram Lib. 1. de Miſſæ ritibus, & cæremonijs Cap. 17. Bellarminum Lib. 2. de Miſſa Cap. 9. Haeftenum ſuprà pag. illa 339.

131 Adeſt præterea aliud motiuum ſatis vrgens, ſi enim quotidiana Laicorum communio melior per ſe eſt, perfectiorque, ac optabilior, quàm quę non eſt quotidiana, vt conſtat ex Concilio Tridentino Seſ. 22. Cap. 6. idem à fortiori cenſendum eſt de quotidiana Sacerdotum celebratione. Imò hęc poteſt regulariter, & indifferenter conſuli omnibus Sacerdotibus iuſtis, & aliũde non impeditis, cum tamen illa non ſit omnibus Laicis exiſtentibus in gratia, & aliunde non prohibitis ſuadenda, vt ſuppono contra Petrum Vincentium de Marzilla, Maurum de Valderas, Alfonſum de Chinchilla Benedictinos Hiſpanos, & contra Ioannẽ Sanchez, atque Ludouicum de Conceptione, alioſque apud Dianam parte 11. Tract. 7. Reſol. 15. & apud eundem Ludouicum in Examine veritatis Moralis Tractatu 2. caſu 45. Ratio enim diſcriminis eſt, tũ quia Sacerdotes habent per ſe ratione vitæ ſuæ, officij, & ſtatus maiorem commoditatem, & diſpoſitionem, vt quotidie celebrent, quàm Laici, vt quotidie cõmunicent, ſunt enim illi magis expediti à curis ſecularibus, magiſque intenti orationi, lectionique ſacræ Officij diuini; & ea ipſa, quæ in Miſſa præcedunt conſecrationem, ac ſumptionem, habent ex ſe maiorem efficaciam diſponẽdi animum ad hanc dignè exequendam, quàm meditationes piæ Laicorum præeuntes communionem. Tum quia Sacerdotes ſunt conſecrati; & deputati Miniſtri publici ab Eccleſia ad celebrãdum, offerendumq; Deo Sacrificia pro peccatis; indeque præſtò eſt illis auxilium ſpeciale diuinum, vt ſanctè conficiant,

ciant. Si autem eo non omnino vtantur aliqui, contingatque cum pari puritate celebrare frequentiùs, quàm Laici aliqui communicent, compensat maioris puritatis defectum consecratio, ac deputatio ad eiusmodi munus. Sic magis decet, vt hostia consecrata ponatur in corporalibus benedictis, quàm in linteo alio communi, pretioso çquè, ac nitido. Quo exemplo res hæc declarata est cœlitùs (provt piè putamus) Venerabili Virgini Marinæ de Escobar Fundatrici Recollectarum Birgittensium in Hispania. Tum quia, vt inquit P. Suarez D. 80. sect. 2. V. *Dico quartò*, ✠ Licet Laicis non sit regulariter cõsulendum, vt quotidie communicent; Sacerdotibus autem consulendum est, vt quotidie sacrificent, est enim id, per se loquẽdo, melius, nam munus sacrificandi non est privatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ; & ideo Sacerdos, dummodò indignus non sit, & moralem, ac humanam diligentiam adhibeat, quanuis sit imperfectus, nõ debet ab hoc sacro munere cessare. ✠ Quam rationem expressit etiam Sanct. Thomas in 4. Dist. 12. quæst. 3. artic. 1. quæstiuncula 4. ad 1. his verbis, *Sacerdos est quasi persona publica; & ideo oportet, quòd non solùm pro se, sed etiam pro alijs celebret. Sed non est eadem ratio de illis, qui non sumunt, nisi ratione sui.* Ita Angelicus Doctor. Et B. Alano de Rupe dixit Christus D. *Disparitas permagna est communicantes inter, & celebrantes. Illi solis sibi proficiunt: hi bona optima, & infinita Orbi toti distribuentes administrant. Qua causa Laici ipsa sibi abstinentia meritum adquirunt; Clerici dispendium toti faciunt Ecclesiæ, operatione diuinorum illi subtracta.* Sic refert sibi in tertia persona responsum à Christo ipse B. Alanus apud Eusebium Nierembergium Lib. 2. Doctrinarum Asceticarum in 4. C. 23. Legantur Vazquez Disp. 232. Cap. 1. in fine, Ochagavia Tract. 2. de effectibus Euch. q. 16 num. 5. Petrus de Ledesma in Summa Tract. de Euch. C. 14. Conclus. 4. Castrus Palaus Tract. 22. Disp. vnica, puncto 7. num. 1. Cardinalis de Lugo Disp. 17. sect. 4. num. 45. Dicastillus Tract. 4. Disp. 9. Dub. 18. num. 463. Arriaga Disp. 47. sect. 5. num. 29. Franciscus de Lugo Lib. 4. Cap. 9. quæst. 6. num. 84. Martinonus Disp. 35. sect. 8. n. 97. Ludovicus de la Puente tomo 1. Perfectionis Christianæ Tract. 4. Cap. 6. §. 2. Hieronymus Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tract. 3. Diff. 4. dub. 5. puncto 2. num. 19. Villalobos tomo 1. Tractatu 7. Diffic. 41. num. 2. & 3. Trullench Lib. 3. de Sacramentis Capite, & dubio 6. num. 6. & 7. Didacus de Tapia quæst. 8. de Euch. art. 12. Fagundez L. 3. in 3. præceptum Ecclesiæ Cap. 7. n. 1. Ioannes Perlinus in Conuivio sacro Dist. 5. Capite 4. num. 9. Ferdinandus Chirinus de Salazar in Praxi de frequẽtia Communionis sacræ Cap. 13. §. 6. Paulus Sherlogus in Anteloquijs ad Cãtica Canticorũ, Anteloq. 4. S. 11. n. 88.

132 Qui Theologi, alijque innumeri, quos omitto, assignant disparitatem inter Sacerdotes, & personas Laicas, vt illis regulariter conueniens sit, sacrificare quotidie, his verò quotidiana communio non sit consulenda communiter, etiamsi fiat comparatio inter illos, & has vt æquali devotione dispositos; imò etiam si illi minori deuotione sint dispositi. Vnde sine causa Ioannes Sanchez in Selectis Disput. 22. num. 45. Ludovicus de Conceptione in Examine veritatis moralis Tract. 2. casu 45. num. 16. Sauffayus p. 2. Panopliæ Sacerdotalis Lib. 1. Cap. 5. art. 1. §. 2. fugillant penè doctrinam hanc quæ certè receptissima est inter Theologos, & iuxta communem sensum fidelium. Si enim videant coniugatã fœminam communicantem singulis diebus, demirantur; non tamen si conspiciant sacrificantem quotidie Sacerdotem aliquem, de cuius devotione, & feruore spirituali tantam existimationem non habeant. Sed inquit Sauffayus, siquidem Sacerdos non tenetur operari Sacris quotidie, debet, si operatur, prospicere sibi. Fateor, debere prospicere, operando salva honestate, & debita devotione, ita vt nec mortaliter, nec venialiter peccet in exercendo diuino ministerio; sed non ita vt superet, imò neque vt adæquet devotionem, quam habere oportet Laicum, qui admitteretur ad communionem quotidianam. Vnde S. Bonaventura Lib. 2. de profectu Religiosorum Cap. 77. post expressè exceptos Sacerdotes inquit, *Vix aliquem ita religiosum videri, & sanctum, quin semel in hebdomada sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, & rarò plus suadeat, vt infirmitas*

ſuperueniens, vel ſingulariter ſolemnis feſtiuitas, vel inuſitatæ deuotionis feruor, & intemperata deſiderij ſitis pro illius ſuſceptione, qui ſolus ſufficit ardorem animæ ſe amantis refrigerare: & quia talis ardoris impetus non niſi à Spiritu Sancto infunditur, ideo legibus humanæ conſuetudinis, & ſtatutis mortalium non arctatur. Hactenus Seraphicus Doctor. Cuius verbis attexo hæc B. Alberti Magni Diſt. 6. de Euchariſtia, Tractatu 4. Cap. & num. 3. *De his, qui mulieres omni die communicant, videtur mihi, quòd acriter reprehendendi ſunt, quia nimio vſu vileſcere faciunt Sacramentum; vel potiùs ex leuitate mulierum putatur eſſe deſiderium, quàm ex deuotione cauſarum.* Quæ verba ſunt maximè notanda, & intelligenda de data communione quotidiana mulieribus indifferenter.

133 Et quidem in Societate noſtra (à cuius Gloriosiſsimo S. Fundatore frequentia Sacramentorum incrementum accepit in Eccleſia, vt in Lectione 6. de ipſius feſto recitatur, & cuius Religioſi ob liberaliter diſpenſata, & miniſtrata Sacramenta agunt feſtum Dei, & recreant amorem cordis diuini, vt apud Euſebium Nierembergium L. 1. Doctrinarum Aſceticarum in 6. Cap. 60. refertur reuelatum cœlitùs cuidam eximiæ ſanctitatis fœminæ) maturo cõſilio, ✻ Decretum eſt, modum præfinire in ſanctiſsimę vſu Euchariſtię Laicis apud Noſtros confitẽtibus concedẽdo:: Tametſi autem diuiniſsimi eius cibi vſurpatione frequenti immenſi exiſtant fructus: quia tamen niſi ea quoque in re modus adhibeatur, haud levia, nec pauca præter decorum admittere, pronum eſt, moderationem iuſtam videri, ſi Laici octauo quoque die vſurpent. Quòd ſi quem præcipua eò pietas ferat, vt aliquando etiam inter hebdomadam cupiat ſacris myſterijs frui, ei feſto, ſeu profeſto die poſſe concedi. Cæterùm vt ſingulis diebus myſteria diuiniſsima Laici ſumant, permitti nequaquam debere, niſi ſi quis fortè ita viuat, vt vita eius perpetua ad ſacroſanctam communionem præparatio videatur. Ac ne huiuſmodi quidem hominibus id concedendi poteſtatem in manu Confeſſarij eſſe oportere; ſed conſilium exquirendum, conſenſumque expectandum Rectoris, quandoquidem B. Ignatius etiã eos, quibus quotidiana diuinæ menſæ conſuetudo iam erat, quanquam non cogendos, tamẽ adhortandos aiebat, vt id rariùs factitarent. ✻ Ita ſtatutũ eſſe, gubernante Societatem R. admodùm P. Iacobo Laynio, anno 1559. enarrat Franciſcus Sacchinus Lib. 3. Hiſt. n. 6. Conſonatque 26. Regula Sacerdotum Noſtrorum, & 3. Inſtructio pro Confeſſarijs num. 8. Quamuis verò P. Dicaſtillus Tract. 4. Diſp. 9. dub. 18. num. 420. dicat, non eſſe præſenti vſu receptam cum tanta reſtrictione eam Regulam in Societate; crediderim, morem, qui nunc viget, conformem eſſe menti Legislatoris apertiùs declaratæ in Decreto memorato. Hæc ex occaſione reddendi diſcriminis inter Sacerdotes, & Laicos. Libetque confirmare illud exinde, quòd Eccleſia permittit illis, vt aliquando ter etiam in die celebrent; at his nunquam per ſe indulget repetitam communionem eodem die. Ideò autem illis permittit, quia ſunt perſonæ communes, vt advertit S. Bonaventura in 4. Diſt. 12. parte 2. dub. 3. V. *Reſpondeo dicendum.* Non igitur ex conſilio celebrationis quotidianæ in Sacerdotibus cogimur ad conſulendam Laicis indifferenter communionem quotidianam. Neque benè Ioannes Sanchez, ſequacesque alij arguunt ex illis ad hos.

134 Notare tamen oportet, ſi Sacerdos aliquis *ſentiret, per quotidianam frequentationem, reuerentiam minui, & feruorem non multùm augeri, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione poſtmodùm accederet.* Quæ ſunt verba S. Thomę ſuprà, quęſtiuncula 2. in Corp. tametſi loquatur de communione Laicorum. Eademque ferè habent S. Bonaventura in 4. Diſt. 12. p. 2. art. 2. quæſt. 2. V. *Reſpondeo ad argumentum*, Alenſis 4. p. Summę, membro 2. art. 4. §. 1. V. *Conſequenter quæritur*, vbi de Sacerdotib⁹ ſpeciatim loquitur, vt & Aureolus in 4. Diſt. 9. quęſt. 2. articulo vnico §. *Sed numquid*, atque Richardus in 4. Diſt. 12. art. 6. quæſt. 1. Hoc tamen cõſilium extendendum minus eſt ad Sacerdotes, quàm ad Laicos, quia in illis valere debent frequenter, & ordinariè pro quotidiana celebratione non intermittenda rationes expenſæ de proximo: & inter Sacerdotes extendendum minus ad Religioſos, quàm ad Sæculares, quia in Communitate erit plerumque periculum notæ apud cæteros, quibuſcum commorantur. Etſi verò

rò S. Bonaventura transcriptus in num. 128. dicat, nullum ferè esse Sacerdotē, quem continuè, & impræmissè semper celebrare expediat, loquitur Sanctꝰ Doctor, attenta præcisè devotione, & fervore spirituali, cum quo decet peragere rem divinam; nam si attendatur ad alias circumstantias, v.g. ad regulam, aut ad morem Religionis de celebratione quotidiana, existimo approbaturum, vt sine intermissione exhibeatur. Quānuis etiam occupationes in Religiosis, & in Sæcularibus Sacerdotibus tales quandoque esse possint, vt, etsi non dedeceant statum ipsorum, dissuadere videantur celebrationem vno, vel altero die, enitantur ipsi, oportet, ne desit hora, qua valere, iussis omnibus alijs curis, tractent sacrosancta mysteria. Meminerint illius celebratissimi primi Archiepiscopi Granatensis Ferdinandi de Talavera, qui cum à Regibꝰ Catholicis Ferdinando, & Elisabetha in gravibus, arduisque negotijs distineretur in aula, tamen tam quieto, compositoque animo sacrificabat quotidie, ac si in secessu cellæ viveret; significantique amicè magno Hispaniæ Cardinali, Archiepiscopo Toletano Petro Gundisaluo de Mendoza, quanta hominum inde admiratio, imò & submurmuratio oriretur, respondit, non superesse sibi aliud fulcrū, ne oneri succumberet, nisi quotidianam altaris frequentationem. Sic refert P. Ildephonsus Rodriguez parte 2. Exercitij perfectionis Tract. 8. Cap. 16. & Iosephus de Siguenza in Hist. Ordinis S. Hieronymi Lib. 2. Cap. 34. pijssimum Antistitem solitum dicere, dignum esse ingenti pœna Sacerdotem, qui vel vno die cessaret à sacro ministerio.

135 Me iudice, ad Sacerdotes melius dirigitur, quod ad Laicum abstinentem à communione prætextu accedendi postea quietius, devotius, ac reuerentius, ait Nostet Christophorꝰ Madridius Lib. de frequenti vsu Sanctissimi Eucharistiæ Sacramēti C. 7. fol. 71. ✲ Sed tu quomodò scis, te per abstinentiam, eam devotionem, & reverentiam adepturum, quam in frequētatione inuenire non possis? Cum talis denotio, & reverentia ex ipsa, vel in ipsa sumptione à Deo sæpissimè conferatur; sæpissimèq; contingat, vt quantò quis magis abstinet à cōmunione, tantò frigidior, & magis indevotus reddatur. Nimiꝰ autem irreverēntiæ timor stultus est, qui Domino se inuitanti nō credit. Vnde Ioannes Gerson in Magnificat, stultus, inquit, est timor, & reverentia minus prudens illius, qui ad Dominum se vocantem, & inuitantem nō accedit, sed procrastinat. Vnde sæpe euenit illud,

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Ait prætereà, illos, qui nolunt ad Eucharistiam accedere, nisi sint actu devoti, ac fervidi, similes esse frigidis, qui nolunt accedere ad ignem, nisi priùs sint calidi; & infirmis, qui nolunt adire Medicos, nisi priùs sint sani. Quibus ex iustitia divina sæpenumerò contingit, quod accidit Adæ; qui, cum erat in Paradiso, noluit de ligno vitæ comedere; cum verò voluit, non potuit. ✲ Plura habet idem Ioannes Gerson toto Tract. 9. super Magnificat ex Col. 874. vsque ad 942. partis 3. & Consideratione 4. de præparatione ad Missam, necnon in Regulis moralibus titulo de Sacramento Eucharistiæ, parte 2. Gabriel Biel Lect. 87. in Canonem Missæ lit. *P.* & *Q.* Ludovicus Blosius in Sacello animę fidelis p. 3. C. 16. §. 5. Nosterque Alphonsus Salmeron tomo 9. in Euangelia Tract. 41. pag. 437. Et in hoc puncto multus est, & efficax Antonius de Molina Tractatu 7. Instructionis Sacerdotum C. 10. Sanctusque Antoninus 3. parte Summæ Theologiæ tit. 13. C. 6. §. 15. proponit, atque expendit complura motiva frequentis celebrationis. Quare cōmuniter consultius est, vt Sacerdos quotidie immolet, nisi aut ęgritudo, aut obedientia, aut charitas aliud dictet, vt cōcludit idem Salmeron pag. 441. Et vt ego concludam dissuasionem cunctationis in sacrificando, refrico lectori memoriam monitionis, quam præbuit S. Petro Cœlestino, statuenti apud se ab altaris oblatione abstinere, anima sancti cuiusdam, & venerabilis Abbatis apparens ipsi, ✲ Persuasit quippe, oblationem salutarem ne omitteret. Objciente autem Petro, Sanctissimos Patres, Benedictum institutorem Monachorū sapientissimum, & Antonium illum magnum, ac Seraphicum Franciscum, cæterosq; quàm plurimos tanto se ministerio reputasse indignos; se autem vermiculum esse, ac peccatorem abiectissimum. Tum ille, quis (inquit) ò fili, vel Angelus satis hac maiestate dignus.

nus. Sacrifica, fili; ſed ſacrifica cum timore, ac reverentia. * Ita legitur in Benedicto Gonono Lib. 6. Vitarum Patrum Occidentis, Cap. 5. Vitæ S. Petri Cœleſtini.

136 Celebret itaque quotidie Sacerdos, ſed cum timore, ac reverentia; curetque, ne familiaritas, ſeu aſſiduitas pariat contemptum, ſeu minorē obſeruantiam erga tam divinā functionem. Curet, ne ad altare accedat quaſi ex ſola conſuetudine, abſque diligenti præparatione, recta vndequaque intentione, exacta attentione, vehementiq; deſiderio fructuum tanti Sacrificij. Sanctus Chryſoſtomus, vt ipſe refert Homilia 61. ad Antiochenum populum, & Homilia 3. in Epiſtolam ad Epheſios, videbat ſuo tempore *multos Laicos Dominici corporis participationem temerè ſumētes, vt à caſu, & conſuetudine potiùs, quàm cogitatione, & mente.* Sanctus etiam Bonaventura In Tractatu de Præparatione ad Miſſam Cap. 8. monet Sacerdotem, *Vide, quid deſideres, ne propter vanam gloriam, aut conſuetudinem accedas; ſicuti multi diebus iſtis abutuntur ad ſui perditionem, quod eſt datum ad ſalutem.* Sic Doctor Seraphicus. Et vtinam ad noſtrum vſque tempus non ſerpſerit idem abuſus! Illudque valde cavendum eſt Sacerdoti, ne obſtipendij lucrum ita celebret, vt ſi deficeret emolumentum temporale, deſiſteret ipſe omnino à faciendo rem divinam, quatenus habeat illud vt finē principalem, id enim vt minimum eſt peccatum veniale, & iuxta plures mortale; imò ſuadeo, ne habeat illud vt cauſam impulſivam, & motivam, qua deficiente omitteret Miſſam. Audiat gravia hæc verba S. Antonij Patavini Serm. 2. Dominicę V. poſt Trinitatem, *Aliqui Sacerdotes noſtri temporis, & (vt veriùs dicam) mercatores expandunt rete ſuæ auaritiæ ad congregationem pecuniæ. Celebrant enim Miſſas propter denarios, quos ſi ſe recepturos non crederent, minimè Miſſam celebrarent. Et ſic Sacramentum ſalutis vertunt in ſimum cupiditatis.* Salmeron ſuprà pag. 447. reddens rationem, cur nonnulli Sacerdotes, etſi quotidie ſacrificent, meliores non ſint Laicis quibuſdam rariùs communicantibus, imò interdum deteriores exiſtant, inquit, * Nonnulli Sacerdotes non intrant per oſtium; aut ſi intrarunt, non tamen proponunt ſibi ſcopum, quem deberent in ſacrificando, ſed emolumenta temporaria ſpectant, & quæſtum ex pietate faciunt; vt mirum non ſit, progreſſus nullos in via Dei facere, qui myſterijs celebrationem tanquam artificium aliquod mechanicum ad vitam corporis tuendam referunt. * Hactenus Salmeron. Legendi etiam ſunt Didacus de Guzman ex Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis parte 3. de Excellentia Sacrificij legis Evangelicæ Cap. 7. in fine, V. P. Ludovicus de la Puente tomo 4. Perfectionis Chriſtianæ Tractatu 2. Cap. 15. §. 2. Nos annectimus exhortationem, quam S. Franciſcus in Epiſtola 12. fecit ad Sacerdotes ſui Ordinis, *Rogo* (ait) *in Domino omnes fratres meos Sacerdotes, qui ſunt, & erunt, & eſſe cupiunt Altiſſimi, quòd, quandocumque voluerint Miſſam celebrare, purè faciant, cum reuerentia verum Sacrificium ſanctiſſimi corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancta intentione, & munda, non pro vlla re terrena, neque timore, vel amore alicuius hominis, quaſi placentes hominibus.* Sic S. Franciſcus; cuius verba omnium Sacerdotum cordibus infixa eſſe deberent, vt & hæc S. Methildis Lib. 5. Spiritualis gratiæ viſionum, ac revelationum, ſeu hęc Chriſti apud ipſam, *Oblatio fidelium, quam Sacerdos gaudens non amore pecuniæ, ſed purè pro animarum ſalute ſuſcipit, & mihi libens offert, multùm proficit animabus.* Ita ibi. Vtinam cum debita, ritèque peracta frequentatione tanti myſterij creſcat noſtrę ſalutis effectus! Quod votum ſit clauſula huius Diſputationis.

DIS-

DISPVTATIO XX.

DE DIEBVS, IN QVIBVS NON licet celebrare Missam.

1 TRACTAT SANCTVS Thomas de materia huius Disputationis (quæ recto ordine præcedentem subsequitur) in 3. parte quæst. 83. articulo 2. ad 2. Tractat quidem quātùm ad vnum diem; sed nos de alijs etiam mouebimus quæstionem, adiungemusque plura concernentia eandem materiam.

SECTIO I.

Non licet in feria sexta Paraſceues.

Subtexuntur adnotationes aliquæ non inutiles.

VIDAM innominati apud Emmanuelem Sà V. *Missa*, num. 23. & Author Summæ Confessorum apud Scortiā Libro 2. de Sacrificio Missæ Cap. 5. num. 9. Author Margaritæ Confessorum apud Leandrum Tract. 8. Disp. 5. quæst. 22. dixerunt, licitum esse celebrare Missā feria sexta in Paraſceve; Missam, inquā, in qua fiat Sacramenti Eucharistici cōsecratio. Cæteri autem Doctores constanter pronunciant, non esse licitam eo die publicam, nec privatam celebrationem Missę, & non fore immunem à culpa gravi. Probatur primò ex C. *Sabbatho* 13. de Consecratione Dist. 3. vbi Innocentius I. ait, *Vtique constat, Apostolos biduo isto*, id est, feria sexta in Paraſceve, & Sabbatho sancto, *& in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occultasse*: *quod vtique non dubium est, in tantùm eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Traditio scilicet ab Apostolis accepta iuxta Gloſſam Ordinariā ad Threnorum 2. V. 7. Probatur secundò ex Concilio Arausicano I. Can. vltimo, ibi, *Nec diuina mysteria his duobus diebus*, videlicet Paraſceve, & Sabbatho, *celebrantur, Canonibus quippe iubentibus, in biduo isto, id est, Paraſceue, & Sabbatho, Sacramēta penitus non celebrari.* Extat hic Canon inter adscriptos Concilio Arausicano I. parte 2. tomi 1. editionis Binianæ Conciliorum. Tertiò, ex Cōcilio Toletano XVI. Can. 8. cum enim Patres præciperent, Missas pro Rege, eiusque coniunctis celebrari quotidie, exceperunt *Paſsionis Dominicæ diem, quādo altaria denudata perſiſtunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet ſolemnia celebrare.* Horum Canonum obseruantia ad hodiernum vsque diem inuiolata floruit in Ecclesia Dei, quantùm ad feriam sextam in Paraſceve. Et hęc est quarta probatio sententiæ communis.

2 Quintam ex Sancto Ioanne Chryſoſtomo Homilia 5. in 1. Epistolā Pauli ad Timotheum addit Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationū Eccle-

Eccleſiaſticarum Libro 3. de antiquis Miſſæ ritibus Cap. 14. deſumptam ex his eius verbis, *Quid igitur hanc rem* (nempe ſuſceptionem Euchariſtiæ) *temporis lege metimur? Tempeſtiuum accedendi tempus munditia conſcientiæ faciat. Nihil habet amplius, quod in Paſcha conſummatur myſterium eo, quod continuò celebratur.* Vbi per vocem *Paſcha* intelligit Vicecomes anniuerſariam diem mortis Chriſti, non ſecus ac in eodem ſenſu vſurparunt eam Tertullianus Lib. aduerſus Iudæos, & Lib. 4. contra Marcionem, Lib. etiam de Oratione C. 14. necnon S. Ambroſius in Obitu Theodoſij Imperatoris; turſus per *Conſummare myſterium* intelligit idem ipſum, ac non celebrare Miſſam. Sed certè ſi conſideretur ſubſequentia verba, conſtabit, ſignificari à S. Chryſoſtomo Reſurrectionis diem, & Liturgiam tunc peractam. En illa, *Vnum quippe, atque idem eſt, eadem eſt S. Spiritus gratia, ſemper Paſcha eſt. Noſtis profectò, qui iam initiatis eſtis id, quod dicimus; ſiue ſexta feria, ſiue Sabbatho, ſiue Dominica die, ſiue in celebritate Martyrum, eadem litatur hoſtia, idem Sacrificiū conſummatur:: Nulla obſeruatione temporis Sacrificium circumſcribere voluit Chriſtus. Cur igitur, inquies, tunc ſolùm dicitur Paſcha? Quia tunc pro nobis Chriſtus mortuus eſt. Nemo igitur illo tempore aliter accedat, & aliter nunc. Vna virtus eſt, vna dignitas, vna gratia, vnum, atque idem corpus. Non illud hoc ſacratius, neque iſtud illo inferius eſt. Atque hoc vos etiam noſtis, qui nihil nouitatis inſpicitis præter ſecularia iſta velamina, & multitudinem ſolito lætiorem. Habent aliquid amplius dies illi, quia ſcilicet ex illis initium cepit ſalus noſtra, quia in ipſis immolatus eſt Chriſtus. Iam verò quod ad Sacramenta attinet, nihil amplius habent, nullam dignitatem, nullum priuilegium.* Hactenus S. Chryſoſtomus, cuius integra verba tranſcripſi non explendæ paginæ cauſa, ſed ne quem, vt me ante recenſionem huius Operis, fallat teſtimonium Vicecomitis.

3 Ceſſationis à conſecrando in ea feria affert quatuor cauſas Ioannes Belethus in Explicatione Officiorum diuinorum C. 97. quarum ✻ Prima eſt (approbataque à S. Thoma ſuprà) quia Chriſtus hoc die pro nobis re vera immolatus eſt, &, veritate veniente, debet ceſſare figura, ac ei dare locum. Secunda, quòd iſtiuſmodi die re ipſa Eccleſiæ Sponſus ſublatus ſit. Deſcendit enim ad Inferos. Tertia eſt, quoniam tunc temporis velum templi diſruptum eſt, & cornua altaris ſunt tranſuerſa, ita vt nobis non eſſet, vbi corpus Chriſti conficeretur. Quarta, quia Moyſes dixit in Exodo, Alius pugnabit pro vobis, & vos tacebitis; alius, id eſt, Chriſtus ✻ Sic Belethus, qui claruit anno 1162. Eaſdem rationes repetit, adiungitque aliàs Guilielmus Durandus in Rationali diuinorum Officiorum Lib. 6. C. 77. ex num. 32. Nec ſilenda eſt, quam Alcuinus L. de diuinis Officijs C. 18. & Amalarius Lib. 1. de Eccleſiaſticis Officijs Cap. 13. aſſignant. Ideo, inquiunt eiſdem penè verbis, ✻ In die Paraſceves non cantatur Miſſa, quia ipſa die Ieſus Xps ſe ipſum hoſtiam obtulit Deo Patri pro nobis, & ipſa oblatio ſufficit ad ſalutem credentium. ✻ Cæterùm ea mihi cauſa valde arridet, quæ ex verbis Innocentij I. in Can. *Sabbatho*, non obſcurè colligitur. Voluit nimirùm Eccleſia, vt fideles imitarētur Apoſtolos in mœrore, & ieiunio per biduum feriæ ſextæ, & Sabbathi; vel ſaltem voluit, repræſentare triſtitiam, & inediam Apoſtolorum: celebratio autem Sacrificij, & diſpenſatio Euchariſtiæ non congruebat ex vſu Eccleſiæ in dies mœſtitiæ, neque in eos, in quibus continuabatur, vel cōtinuatum repræſentabatur ieiunium: de quo vſu volupe erit legere Aurelianenſem Epiſcopum Gabrielem Albaſpinæum Lib. 1. Obſeruationum de veteribus Eccleſiæ ritibus in 12. & ſequentibus vſque ad 17. Ego eum morem illuſtrabo ſolummodò verbis Balſamonis in Canonem 52. Synodi Trullanæ, vbi decernitur, ſicut & in Laodicena C. 49. *Vt in omnibus ſanctæ Quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquàm Sabbatho, & Dominica, & ſancto Annunciationis die, fiat Sacrum præſanctificatorum mininiſterium.* Ad quē Canonem ait Balſamon, ✻ Statutum eſt, vt ieiuniorum dies, luctus, & compunctionis dies ſint, ad ſua vniuſcuiuſq; expianda peccata. Deo autem Sacrificium peragere, eſt panegyrim agitare; panegyrius autem, ſiue feſtivus dies nihil eſt aliud, quàm gaudium. Cum ergo nemo poſsit, mœrore, & gaudio ſimul affici, ſtatuerunt Patres, ne conficeretur Sacramentum tota Quadrageſima, exceptis Sabbatho, Dominico, & Annunciationis feſto. In ijs enim feſtum agitare, nō flere, aut ieiunare, aut genu

flectere

flectere iussi sumus. ✻ Cum Balsamone concordat Zonaras. Legendusque est Arcudius in Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis L. 3. Cap. 57. Eadem ex causa die Veneris sancto abstinebant fideles à pacis osculo, quod alijs diebus erat signum lætitiæ. Vnde Tertullianus Lib. de Oratione Cap. 14. ait, *Sic & die Paschæ, quæ communis, & quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus osculum, nihil curantes de osculando, quod cum omnibus faciamus.* Cessabatur etiam ab osculo in Sacris pro mortuis, vt pote quod esset argumentum gaudij, animæque gestientis.

4 Iam verò cum Innocentius Papa in Can. *Sabbatho* dicat, *Sacramenta penitus non celebrari*, indicare videtur, morem Ecclesiæ Romanæ fuisse, vt nulla ratione res divina perageretur in feria sexta; & tamen nunc, & iam olim ex præsanctificatis fit. Attigit difficultatem Amalarius Libro 4. de Ecclesiasticis Officijs Capite 20. his verbis. ✻ Innocentius Papa scripsit, non Missam celebrari in Parasceve, & in Sabbatho sancto; tamen celebratur Missa, quę celebrabatur ab Apostolis, scilicet per solam Orationem Dominicam. Si hoc voluit monstrare verbis suis, vbi dicit, Sacramenta penitus non celebrari, vt nullo modo celebrarentur, nemo id seruat apud nos. Sed vt populus, qui reficiendus erat ipso die, haberet in fundamentum corpus Dominicum, & nihilominus reducatur nobis ad memoriam Missa Apostolorum, celebratur eadem. Quod nō est necesse fieri in Sabbatho S, quia expectant omnes ieiuni vsque ad noctem, quādo Missa celebratur Resurrectionis Domini. ✻ Sic Amalarius minus rectè adæquans Missam imperfectā nunc, & suo tempore vsitatam feria sexta cum Apostolorum Missis; discrimen enim est magnum ob consecrationem, qua non carebant Apostolum Missæ, quanuis in reliquis similes essent. Quo loci corrigendus venit Ioannes Bohemus dicens Libro 2. de moribus Gentium Capite 12. ✻ Missam à lectione primū eo simplici apparatu, tenoreq; quo adhuc S. Paschę Sabbatho fit, celebratā ✻ in primitiva Ecclesia. Posuit nimirùm præposterè Sabbathum sanctum pro feria sexta in Parasceve. Sed vt redeam ad Innocentium; vel suo tempore neque Missa imperfecta celebrabatur in ea feria; vel per *Sacramentà penitus non celebrata* significat solummodò, quòd non fieret consecratio corporis, & sanguinis Christi. Non secus ac de Alexandrina Ecclesiá refert Socrates Libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ Capite 21. ✻ Quarta feria, & ea, quæ dicitur Parasceve, & leguntur Scripturæ, & Doctores eas interpretantur: omniaque, quæ ad Synaxim pertinent, administrantur, præter celebrationē. ✻ Alij legunt, *Consecrationem*. Transcripsit Socratem Nicephorus Libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ Capite 21. Et per Parasceven denotant quamcumque feriam sextam hebdomadariam, & non tantùm anniversariam Passionis Christi. Et hæc ad elucidationem Can. *Sabbatho*, si addamus vulgata illa Hugonis de Sancto Victore verba ex Miscellaneorum 2. Libro 5. Capite 43. *Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia de manibus tollitur. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici: differatur vsque in diem illum, quo tantus victor resurgens suam nobis victoriam nunciabit. Profundum interim teneamus silentium mœrori amicum*, &c. Legatur idem Victorinus Libro 3. de specialibus Missarum obseruationibus Capite 20. necnon Rupertus Libro 6. de divinis Officijs Capite 2. & 3. vbi eadem illa verba inuenientur, proindeque ex Ruperto mutuata ab Hugone, qui fuit tempore posterior.

5 Prohibitio celebrandi in feria sexta præfata tanti momenti est, vt iuxta Hieronymum Llamas 3. p. Methodi curationis animorum Capite 5. §. 18. incurreret irregularitatem, qui contra operaretur. Sed ego huiusmodi pœnæ vestigium nusquam comperire potui in Iure Canonico. Iuxta Ioannem Belethum Capite 67. de divinis Officijs, , præsente etiam cadavere, non licet in Parasceve celebrare Missam pro defunctis. Consentit Durandus in Rationali Libro 7. Capite 35. numero 17. necnon Gavantus in Rubricas Missalis parte 1. tit. 5. num 2. lit. X. & Emmanuel de Herrera in Cœremoniali Premonstratensi L. 3. C. 12. Iuxta Amicū D. 33. S. 10. n. 307. neque item licet ob infirmum morti proximum cōmunicādum; quanquā Peña Dominicanus, & alij Recentiores innominati apud Henriquez Lib. & C. 9. §. 6. lit. S. in Glossa contrarium dixerint. Sed quod ego non

auderem asserere, nec video approbatū ab vllo Authore, cuius scripta in lucem publicam prodierint.

6 Est tamen prohibitio, in quam cadere potest dispensatio Summi Pontificis, vtpote quæ sit solius iuris Pontificij. Et de facto in quibusdam Galliæ locis Deo dicatis sub inuocatione Virginis Deiparæ, quoties festum Annunciationis Dominicę Incarnationis incidat in diem Paraſceves, licet ex singulari priuilegio, & dispensatione Papæ omnibus Sacerdotibus eò conuenientibus celebrare, vt testantur Nicolaus Ysambertus 3. parte ad quæst. 80. Disp. 5. art. 1. Ioannesque Martinonus Disp. 40. sect. 1. num. 4. Imò Homobonus apud Barbosam de Officio, & potestate Parochi Cap. 11. num. 48. ait, posse Episcopum in prædicta circumstantia festi Annunciationis dare licentiam Sacerdotibus ad Missas celebrandas, quibus assistant fideles adimpleturi præceptum de auditione. Sed minimè assentiendum est, nam non potest inferior dispensare in lege superioris, nisi iure, vel consuetudine sit permissum; quorum tam vnum, quàm alterum desideratur in hoc casu; de quo forsan non loquitur Homobonus, sed de die Sabbathi sancti.

7 Pro Sectionis fine duas adnotationes adiungam. Prima est S. Thomæ suprà de vino inconsecrato manēte, quanuis ipsi in Officio feriæ sextæ immittatur particula hostiæ præconsecratæ. Cui doctrinæ non obstat, quod cum Guilielmo Durando Lib. 6. Rationalis Cap. 75. num. 11. obseruat Vaquez D. 232. Cap. 2. num. 19. nimirùm per mistionem illam aliquo modo sanctificari vinum, licet non consecretur. Et id dictum fuerat in Ordine Romano de Officijs diuinis, cum agitur de Ordine in die Paraſceves, per hæc verba, ✲ Sanctificatur autem vinum, non consecratum, per sanctificatum panem. ✲ De quo puncto agens Belethus Capite 99. Officiorum diuinorum ait, ✲ Est differentia inter consecratum, & sanctificatum. Consecratum dicitur, quod in consecratione, vt ita dicam, transubstantiatur. Sanctificatum verò est, quod per verborum sanctificationem efficitur sāctum sine aliqua transubstantiatione, vt aqua lustralis, quam ideo benedictam dicimus. Rursus sanctificatum dicitur, quod à tactu rei sanctificatæ efficitur magis reverendū. ✲ Hactenus Belethus

8 Sed Amalarius Fortunatus Lib. 1. de Ecclesiasticis Officijs C. 15. refert, quòd ipse inuenerit scriptum in memorato Lib. Ordinis Romani, ✲ Vt duo Presbyteri afferant post salutationē Crucis corpus Domini, quod pridie reseruatum fuit, & calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur, & inde communicet populus. De qua obseruatione (prosequitur Amalarius) interrogaui Romanum Archidiaconū, & ille respondit, in ea statione, vbi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat. Qui iuxta Ordinem libelli per commistionem panis (seu potiùs speciērum panis) & vini consecrat vinum, nō obseruat traditionem Ecclesiæ, de quo dicit Innocentius, Isto biduo Sacramēta penitus nō celebrari; &c. ✲ Sic Amalarius; & simile quid tribuit Ordini Romano Micrologus C. 19. de Eccles. Obseruationibus. Sed in Ordine nihil tale lego. Audiātur eius verba, ✲ Istis verò versiculis in finem perductis, & cruce salutata, & in suo loco reposita, duo Subdiaconi, & Presbyteri duo priores intrant in Sacrarium, vel vbi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patenā. Et Subdiaconus teneat ante ipsos calicē cum vino non consecrato, & alter Subdiaconus patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit vnus Presbyter prior patenam, & alter calicem, & defertur super altare nudatum. Tunc descendēs Pontifex ante altare inclinat se, & iterū elevans dicit, Oremus, &c. Sumit de sancta, & ponit in calicem, nihil dicens, nisi fortè aliquid secretè dicere voluerit. Pax Domini non dicit, quia non cōsequuntur oscula circumadstantium, &c. ✲ Hucvsque Romanus Ordo; quin de consecratione vini ne vnum quidem verbum proferat.

9 Nec de ea quidpiam reperio in Lib. Bernonis de quibusdam rebus ad Missæ Officium spectantibus, tametsi Salmeron tomo 9. in Euangelia Tractatu 35. pag. 367. reprobet in Bernone, quòd dixerit, vinum fieri sanguinem per immistionem cum speciebus panis in Paraſceve. Refert idem ipsum ex Petro Damiani in L. de Officijs Romanæ Ecclesiæ, & allegato Ordine Romano, Tho. Vvaldensis tom. de Sacram. C. 89. sed nec reprobādo, nec approban-

do,

do, desideraturq; Petri Damiani liber ille. Claudius Sainctes Repetitione 10. de Euch. fol. 370. tribuit Bernoni idē, quod Salmeron; & vlteriùs Petro Cātori Parisiensi, qui floruit anno 1200. Fuit forsan & aliorum eadem sententia, nā in Rubricis Missalis Muzarabici pertinentibus ad feriam sextam dicitur, * Secundùm quosdam consecratur vinum in calice. * Simile quid videtur asserere Simeon Thessalonicensis in L. de Diuino templo ad finem, cū scribit, * Pars panis pro quopiam oblata, propè diuinum panem iacens, dum illè sacrificatur, & corpus fit, statim sanctificationem & ipsa participat. * Nisi accipiēdus sit Simeon de sanctificatione, vt explicata fuit suprà à Beletho. Sed quorumcumque fuerit sententia illa, refellitur manifestè ratione S. Thomæ, conuersio namque vini in sanguinem non aliter fieri potest, quàm per cōsecrationem sub debita verborum forma. Et alioquì post iniectam particulam hostię consecratæ in calicem, si notetur defectus vini in eo, non opus esset consecrare vinum, quod denuò inijceretur, sed sufficeret commistio cum ea particula, vt conuerteretur in Christi sanguinem. Quare frustrà iuberet Ecclesia, vt consecrationis verba pronunciarentur.

10 Dominicus Soto in 4. Dist. 13. quæst. & art. 2. post adnotationem S. Thomæ addit aliam, scilicet * Rationem custodiendi hostiam in die Cœnæ in monumentis hanc esse vnicam, vt altera die sumatur, quando consecrari non potest. Sed inde cæpit in opinionē venire, quòd custodia illa esset sepulchri effigies, cum tamen Christus non expiraverit nisi sequenti die serò. * Sic Soto. Sed de his latiùs Durandus supra Cap. 75. num. 9. Ioannes autem Filesacus C. 15. de Quadragesima Christiana vult, quòd cum olim in secretiori Ecclesiæ loco ex die Cœnę asseruarentur tres lampades, de quibus Sabbatho sancto pro sacri fontis baptismate sumptus ignis per Sacerdotem renouaretur, vt ait Zacharias Papa in Epist. quæ est 142. inter alias S. Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, postmodùm mos ille ad maiorem pietatem, & deuotionem acceperit auctarium istud recondendę Eucharistiæ tanto cum apparatu, totque cum luminibus.

SECTIO II.

An in Sabbatho sancto liceat celebratio alterius Missæ præter eam, quæ publicè, & solemniter peragitur post dictas Prophetias, & Litanias?

11 NON licere, affirmant Navarrus, etsi non omnino clarè, in Enchiridio Cap. 25. num. 88. Marcellus Francolinus p. 1. de Horis Canonicis C. 30. Vazquez D. 232. C. 2 n. 24. & 25. Henriquez L. 9. C. 24. §. 3. Layman L. & Tract. 5. C. 4. num. 8. Castro Palao Tract. 22. Disput. vnica, puncto 6. num. 4. Bonacina Disputatione 4. quæstione 7. puncto 2. num. 17. Fernandez de Heredia ad Repetitionem textus in Can. 1. de Cons. Dist. 2. parte 7. dub. 2. num. 6. Reginaldus L. 29. Cap. 9. numero 170. Emmanuel de Herrera in Cœrémoniali Præmonstratensi Cap. 11. n. 26. Villalobos tomo 1, Tract. 8. Diff. 20. n. 4. Iosephus Angles q. de Valore Missę art. vlt. Diff. 3. Cōcl. 1. Hieronymus Llamas 3. parte Methodi curationis animarum Cap. 5. §. 18. Azor tomo 1. Lib. 10. C. 24. quæst. 4. etsi Lib. 2. Cap. 10. adhæsisset contrariæ opinioni; Gavantus in Commentarijs ad Rubricas Missalis parte 4. tit. 10. num. 45. Moventur hi Authores primò, quia in Cap. *Sabbatho*, & in Concilio I. Arausicano non minus prohibetur celebratio Missæ die Sabbathi sancti, quàm die Parasceves. Etsi autem prohibitio de celebratione in die Sabbathi sancti reuocata sit per contrariam consuetudinem, non tamen nisi quoad vnicam Missam, eamque solemnem ab vno dumtaxat Sacerdote peragendam in quauis Ecclesia tempore matutino. Neque obstat, Sacerdotes aliquos eo die celebrare Missas priuatim. Nam, vt ait Vazquez, neque frequenter, sed rarissimè, neque manifestè, sed occultè vllus alius Sacerdos celebrare solet eo die: vt autem censeretur introducta consuetudo, quæ iuri scripto, & traditioni antiquæ derogaret, frequentior

vsus, & magis manifestus esse deberet.

12 Secundò, quia nunc per anticipationem celebratur ante Sabbathi sancti meridiem Missa, quę olim dicebatur post mediam noctem prope auroram Resurrectionis Dominicæ; & quæ vnicè dicebatur ab vno Sacerdote in quauis Ecclesia, alioquin si reliqui omnes Sacerdotes celebrarēt tunc Missas privatas, sequeretur, aut neminem potuisse dicere Missam Resurrectionis Dominicę, orto iam Sole, aut omnibus Sacerdotibus liberum fuisse, facere duo Sacra eo die post mediam noctem: quorum vtrumlibet continet manifestam absurditatem. Ergo introducta anticipatio solùm licebit quoad vnicam Missam solemnem, qualis quondam dicebatur post mediam noctem.

13 Tertiò, quia si in animo Pontificum esset velle, aut permittere Missas privatas in die Sabbathi sancti, apposuissent Introitum pro eis, sicut apposuerunt pro Missis ptivatis in Vigilia Pentecostes, etsi Missa solemnis in hac Vigilia careat Introitu æquè, ac Missa solemnis in die illo Sabbathi sancti, neque enim lectiones, & cætera, quę præmissa sunt, appellari debent propriè Introitus; tametsi huius locum tenere, asseveret Hugo Victorinus Lib. 3. de Missę specialibus Obseruationibus C. 28.

14 His non obstantibus, amplector contrariam sententiam, quæ placuit plerisque Theologis post Maiorem in 4. Dist. 12. q. 5. §. *Dubitatur primò*, & post Dominicum Sotum in 4. Dist. 12. quæst. & articul. 2. §. *Hic primùm adnotato*. Prioris verba sunt, * In die Paraseeves Presbyter non debet celebrare, quia tunc Apostoli latuerunt propter metum Iudęorum, & quia Missa instituta est ob memoriam Passionis Dominicæ; cuius illo die est specialis memoria. Quælibet autem alia dies est conueniens celebrationi. * Hactenus Maior. Sed & Dominicus de Soto expressiùs ait, * Hinc secundò colligito, peccatum esse mortale in die Paraseeve consecrare; atque adeò privatim celebrare, nam esset contraire iustissimæ cœremoniæ Ecclesię, quæ plurimū refert. In alijs verò duobus diebus, scilicet Cœnę, & Sabbatho sancto, licet ritus etiam Ecclesiasticus habeat, vt sola vna celebraretur Missa, non tamen eius obseruantia tanti refert, quin privatim, saltem ex facultate Prælati, præter Missam solemnem, possit quispiam celebrare. * Hęc Sotus; cuius, & Maioris præsentavi verba, vt quę sint Principum huius opinionis.

15 Melior eius probatio consurgit ex plena satisfactione ad motiua aduersantis sententiæ. Quare ordine retrogrado ad tertium respondeo primò, nō constare, quòd omnis Missa priuata debeat habere Introitum. Sicut enim aliquæ sunt Missæ solemnes, quæ illo carent; quidni poterunt aliquę priuatæ illo etiam carere? Atque adeò non esse appositum ab Ecclesia Introitū pro Missis privatis in Sabbatho sancto, non est patens indicium, quòd dici non debeant in eo Sabbatho, sed quòd non debent celebrari cum Introitu, licet Ecclesię visum fuerit, privatas Missas Vigiliæ Pentecostes, cæteraque anni incipiendas cum Introitu. Respondeo secundò, privatas Missas Vigiliæ Pentecostes habuisse forsan iam olim assignatum Introitum, quia iam olim dicebantur ex institutione Ecclesiæ; at cū priuatæ Missæ in Sabbatho sancto ante meridiem nō cæperint dici ex institutione expressa Ecclesiæ, sed ex permissione, & vsu paulatim introducto, nihil mirū, si Ecclesia non deputauerit Introitum pro illis. Præterquàm quòd vt non desunt rationes, ne Missa solemnis in Sabbatho sancto inchoetur cum Introitu, sic etiam ne priuatæ.

16 Quondam post solemnem Missam Sabbati sancti celebratam tempore nocturno priuatæ aliæ, quæ dicebantur, incipiebant à Litanijs, vt tradit Micrologus de Ecclesiasticis Obseruationibus C. 53. vbi agens de Sabbatho sancto inquit, * Duodecim lectiones iuxta Romanum Ordinem legendæ sūt absque titulis ante Baptismum. Post Baptismum Presbyteri demùm possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare, quia iam renati sunt, de quibus specialiter in Missa agere debemus, nec posteà à Lectionibus, quas iam audiuimus, sed à Litania incipere solemus. * Sic Micrologus, qui scripsit circa annū 1077. vt deducitur ex eius libro Cap. 14. ac 17. Gavantus suprà n. 44. citat Gemmæ animæ Authorem L. 4 C. 118 quatenus hic Author ibi dicat, Officiū huius Missę per Kirie eleyson inchoari; nisi

nisi per Kirie eleyson intelligat cum Micrologo Litaniam. Et ipsi Gavanto, vt & Ioanni de Bustamante in Cæremoniali Lib. 4. Cap. 16. num. 13. non displicet, si Missa privata incipiatur à Cõfessione, qua finita, dicat Sacerdos Kirie eleyson de more, & reliqua cũ Vesperis vsque ad finem Missæ. Concordo cum Gavanto, & Bustamante, nam nec Litaniæ, nec Prophetiæ, nec benedictio cerei sunt pars Missæ etiam solemnis, sed pertinent ad Officium cantandum solemniter cum Choro. Vnde infertur, si Sabbatho sancto audiatur ex obligatione Missa, quia simul sit dies festus dicatus Annunciationi Deiparæ Virginis, non teneri populum assistere in Ecclesia nisi à Kirie eleyson de cãtatione in Choro post absolutas Litanias. Quod verò attinet ad patrocinium petitum ex Authore Gemmæ animæ, non consentio cum Gavanto, nam ille Author Capite (mihi) non 118. sed 117. tit. de Cœna Domini hæc habet, * In Cœna Domini, & in Paraseeve, & in Sabbatho sancto post Benedictus, Kirie eleyson, & preces, & oratio secundùm ordinem sub silentio est dicendum. * Vbi loquitur de laudibus, & non de Missa.

17 Aliqui pro privatis Missis in Sabbatho sancto præassumunt Introitum Missæ de Dominica Resurrectionis. Sed sine sufficienti authoritate. Alij dicunt Missam votivam, præsertim Beatæ Virginis, Missamque Annunciationis Virginis eiusdem, quando hoc festum incidit in diem Sabbathi sancti. Sed non benè se gerunt, siquidem is dies, cum celebretur ritu duplici, non admittat Missas votivas; & Annunciationis in Missis solemnitas, si festum incidat in eum diem, transferatur ad alium. Adde, Sabbatho sancto non legi Martyrologiũ, nec duobus diebus antecedentibus: quo significatur ab Ecclesia, debere cessare in eis Officia sacra de alijs Sanctis. Hinc à fortiori colligitur, Missas privatas, quæ celebrentur feria V. in Cœna Domini, debere esse diei currentis. Videatur Diana parte 11. Tract. 5. Resol. 32. Tract. 8. Res. 66.

18 Ad secundum respondeo primò, etsi verum esset, quòd Missa illa solita fuisset celebrari post mediam noctem propè auroram Resurrectionis Dominicæ, vt aiunt Suarez Disput. 80. sect. 4. §. *Secunda exceptio*, Fagundez Lib. 3. in 1. Ecclesiæ præceptum C. 15. num. 18. Gaspar Hurtadus Disp. 4. Diff. 2. & 4. Emmanuel Rodriguez in Summa, tomo 2. V. *Missa* Cap. 247. Concl. 3. Lessius 3. parte quæst. 83. art. 2. numero 72. Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dub. 2. num. 34. malè tamen inde deducitur, vnicam tantùm Missam tunc celebratam, vt cæterę peragerentur in die Resurrectionis Dominicæ. Nam ad seruandas Missas, post ortum iam Solem faciendas, non erat opus, vnam tantùm dici post mediam noctem circa auroram, quia etiam si plures dicerentur, possent seruari aliæ sufficientes pro die Resurrectionis Dominicę, vbi adesset frequẽs Sacerdotum copia.

19 Respondeo secundò, alienum esse à veritate, Missam Sabbathi S. fuisse olim celebratam post mediam noctem, non enim fuit celebrata nisi circa initium noctis Sabbathi eiusdem, vt cõpertum est ex Authoribus antiquis collectis à Cardinali de Lugo Disp. 20. S. 1 num. 16. de quo puncto nos in Disputatione sequenti. Ex quibus etiam liquet, Missam vtramq; Sabbathi sancti, & diei Resurrectionis Dominicæ solitam dici ab Episcopo; atque hinc probatur, priorem Missam celebratam fuisse ante mediam noctem, ne sequatur, Episcopum bis operatum esse Sacris intra eundem diem; quod tamen in nulla historia, aut Scriptore antiquo, aut rituali Ecclesiastico obseruatum legimus, vt ait Vazquez suprà num. 25. In parvis autẽ oppidis, vbi non adesset præter Parochum alius Sacerdos, si Parochus celebrasset post mediam noctem, fieret, vt aut deberet dicere duas Missas, alteram Sabbathi sancti, alteram Paschatis, aut vt populus carere deberet Missa Paschatis. Præterea cum Vesperę breves cantarẽtur post missam Sabbathi sancti, absonũ ex se apparet, cantatas eas fuisse post mediam noctem circa auroram diei Resurrectionis. Ad hæc: si post mediam noctem dicebatur Missa, quid opus erat protrahere ieiuniũ per totum Sabbathũ sanctum? Etsi enim Sacerdos, & populus prandissent, aut cœnassent, id non obstaret Missę dicendę, neq; cõmunioni accipiendæ post mediam noctem. Quas omnes rationes expendit latè, & optimè Lugo contra Vazquium, & præcitatos alios in num. 18. vt fatetur Dicastillus suprà num. 36. & consequenter

renetur fateri, expenſas eſſe optimè contra ſemetipſum in num. 34. vbi Dicaſtillus ſcripſerat, * Non dubito, quin olim prohibitum etiam fuerit, in Sabbatho ſancto celebrare, cōſtat enim ex citato teſtimonio Innocentij, cum tamen poſtea progreſſu temporis Miſſa, quæ inchoante iam die Dominica poſt mediam noctē celebrari ſolebat, diſpenſatione, & vſu anticipandi in Sabbatho ipſo celebretur. *

20 Reſpondeo tertiò, alienum etiam eſſe à veritate, poſt ſolemnē Miſſam Sabbathi ſancti non eſſe celebratas alias privatas, Micrologus enim, cuius verba ſuperiùs tranſcripſimus, docet oppoſitum. Addo nunc Authorem Gemmæ animæ, qui Lib. 4. de antiquo ritu Miſſæ Cap. 117. titulo de Lectionibus, ante Baptiſmum in Sabbatho ſancto ait, * Ante Baptiſmum duodecim lectiones ſecundùm ordinem leguntur, ſed tituli non pronunciantur. Poſt Baptiſmū præſentant Presbyteri Miſſam celebrare, qui volunt. Ad Miſſam Offertorium, & communio, & Agnus Dei non cantātur, & Ite, Miſſa eſt, non dicitur * Hęc Gemmæ animę Author, qui non eſt Honorius Presbyter Auguſtodunenſis, ſed Honorius incluſus Monachus in Anglia, & florebat anno 1080.

21 Ad primum reſpondeo primò, derogatum eſſe antiquæ prohibitioni de celebratione in die Sabbathi S. non ſolùm quoad Miſſam ſolemnem, ſed etiam quoad privatas; imò quoad has derogatum eſſe eo ipſo, quòd quantùm ad illam, tum quia quondam ſimul, aut poſt Miſſam ſolemnem poterāt dici priuatę: tum quia iam ceſſavit in particulari, & in generali ratio, ac finis precepti priſci non celebrandi die Sabbathi ſācti, ſiue ſolemniter, ſiue privatim, ratio enim, ac finis fuit, vt Eccleſia mœrens, ac lugens biduo feriæ ſextę, ac Sabbathi repræſentaret Chriſtum mortuum, ac ſepultum. Sed iam ante meridiem Sabbathi deſiſtit Eccleſia ab ea repræſentatione, vt demonſtrat Miſſa ſolemnis, quam anticipat, & cum gaudio peragit.

22 Reſpondeo ſecundò, præſentem conſuetudinem celebrandi manè Sabbathi ſancti Miſſas privatas eſſe virorum præſtantium pietate, ac litteris; eſſe non raram, neq; occultā Summis Pontificibus, Paſtoribuſq; alijs Eccleſiæ; eſſe non improbatam, vt illicitam, ſed potiùs probatam vt licitam in publica tot librorum luce à graviſsimis Theologis, quin Eccleſiaſtici Principes reclament, & quin nova lege interdicant. Igitur ſatis probabiliter, & tutò exiſtimari poteſt, veterem conſuetudinem eſſe abrogatam.

23 Opponet quis, multò communiorem eſſe conſuetudinem non celebrandi manè Sabbathi ſancti Miſſas privatas. Non poſſum negare id. Sed inficior, huiuſmodi conſuetudinem habere vim legis; ſicut eam vim non habet ſimilis alia communior non dicendi feria quinta hebdomadę maioris Miſſas privatas. Et quidem illa alia conſuetudo duplici ex cauſa potuit derivari. Prima cauſa eſt, quòd licet antiquis ſæculis Sacerdotes, ſi vellent, poſſent celebrare privatim ſub veſperum Sabbathi ſancti, apparente prima ſtella, attamen credibile eſt, non admodùm plures vſos eſſe hac facultate ob brevitatem temporis (cum finiendæ eſſent Miſſæ ante mediam noctem) ob occupationem etiā baptizandi Catechumenos, & ob difficultatem naturalis ieiunij tandiu ſeruādi. Et hinc prudenter præſumi poteſt, remanſiſſe, etiam anticipata iam celebrationis hora, conſuetudinem hodiernam, ne communiter celebrent Sacerdotes: quæ conſuetudo ſicut voluntaria erat olim, ita & talis nunc cenſeri oportet. Secunda cauſa eſt occupatio Eccleſiarum in publicis Sabbathi ſancti Officijs, ac cæremonijs, & adhuc perſeverans mœror Paſſionis Chriſti, ob quem nec luminaria accendi, nec præſens Dominus in Euchariſtia oſtendi expedit in Eccleſijs, donec myſticis cæremonijs accenſum lumen, & noviter adueniēs Dominus triumphalem eius Reſurrectionem populo ſignificent. Ob hæc in Eccleſia mos eſt, coram populo non celebrari, toto matutino tempore prædictis occupato. Et licet circa meridiem, illis iam finitis, detur commoditas celebrandi, vſus iam obtinuit, ne abſque aliqua ſpeciali neceſsitate, vt ſi Sabbathum v. g. eſſet dies feſtus, celebretur in Eccleſijs, nam cum pauci intra tam breve tempus celebrare poſſent, comitas, & humilitas omnes in omiſſione celebrandi pares feciſſe videtur.

24 Porrò autem ex dictis infertur primò, nihil obeſſe, quominus in

Oratorijs

Oratorijs priuatis celebrari posſit à quouis Presbytero Sacrum matutino tempore Sabbathi ſancti, quia in eis Oratorijs luminaria accendi poſſunt quouis tempore, & Euchariſtia biduo illo feriæ ſextæ, ac Sabbathi ſancti ſeruari poteſt iuxta præſcriptum Eccleſiæ. Infertur ſecundò, celebrari etiam poſſe in Eccleſijs matutino tempore Sabbathi ſancti, quãdo abſque perturbatione cœremoniarum, & ſcandalo fundato in ea perturbatione poſſet fieri; vt quando in Eccleſia nullus adeſſet Laicus, qui ſcandalizandus timeatur. Infertur tertiò, ante peractas Eccleſiæ cœremonias, & Officia non licere abſque ſpeciali neceſsitate, & Paſtorum diſpoſitione celebrare matutino Sabbathi ſancti tempore Miſſas priuatas in templis coram populo, quia hoc eſſet perturbare grauiter ordinem Eccleſiaſticum, reddereque intempeſtiuum Paſsionis mœrorem, & Reſurrectionis expectationem. Audito enim à fidelibus triumphali Alleluia, & triumphatore per Miſſæ *Gloriam* ſalutato, præpoſtera ipſis videri poſſet mœroris, & expectationis repræſentatio, inefficaxque ad præparatorios effectus, quos Eccleſia in animis fidelium excitare intendit. Ideoque hi iure offendi poſſent prædicta celebratione ſic anticipata. Si verò fieret poſt peracta Officia, & *Gloriam* decantatam, non deberet vllus offendi. Si tamen de facto infirmi aliqui offendendi ſint, tenentur Sacerdotes non celebrare tunc, quia ſapientibus, & inſipientibus debitores ſunt; & quæ cõmuniter non fiunt à perfectis etiam Sacerdotibus, oportet, vt ſecretò fiant ab alijs, quos excitet vera deuotio, niſi grauis aliqua cauſa exigat contrarium.

25 Infertur quartò, Superiores in Communitatibus Religioſis debere eſſe parcos in cõcedenda licentia Sacerdotibus, qui eam petant ad celebrationem ſecretam die Sabbathi ſancti, & feria quinta hebdomadæ maioris, nam vnius, vel alterius ſingularitas offendere ſolet alios, qui fortè nõ ſunt minus perfecti, nec minus auidi frequentationis Miſſarum, & ſe continent, vt ſe conformẽt conſuetudini magis receptæ. Illi verò alij, qui prætextu deuotionis, ac feruoris volunt, clam operari Sacris, curent medijs alijs orationis, ac mortificationis compenſare fructum ex celebratione comparandum. Quare in præſentiarum conſulo, quod in Societatis Noſtræ Conſtitutionibus animaduertitur parte 4. Cap. 4. §. 3. littera *B.* cum enim S. Patriarcha Ignatius iubeat, vt octauo quoque die Scholares Societatis ad communionem accedant, additur in margine, *Frequentiùs, quàm octauo quoq; die communicare, non niſi peculiares ob cauſas, & potiùs neceſsitatis, quàm deuotionis habitâ ratione permittatur.* Vt ergo ad cõmunionem vnius Scholaris, quando alij non communicant, habenda eſt potiùs neceſsitatis, quàm deuotionis ratio, & concurrere debent peculiares cauſæ; ſic in noſtro propoſito æquum videtur, vt ſi alicui Sacerdoti Religioſo permittatur celebrare priuatim feria quinta, aut Sabbatho maioris hebdomadæ, quibus diebus cæteri Sacerdotes Religioſi non aſſueſcunt facere priuatim Sacra, attendat Superior neceſsitati potiùs, quàm deuotioni eius, cui facultatem præbet, habeatque benè perſpectas, & examinatas peculiares cauſas.

26 Infertur quintò, Miſſam priuatam in Sabbatho ſancto poſſe dici ante celebratam in Eccleſia ſolemnem, vel ante tempus, in quo ſolet celebrari hæc; quæ, vt notat Coninch quæſt. 38. art. & dub. 2. num. 211. ex generali cõſuetudine nõ niſi vnica poteſt eſſe in ſingulis Eccleſijs, quę item debet celebrari poſt Nonam recitatam in Choro, vbi ad hunc detur obligatio. Loquor in illatione de priuata ante ſolemnem Miſſa non publicè, ſed ſecretò dicta, proindeque ſine perturbatione Officiorum, & ſine offenſione fidelium. Ratio illationis eſt, quia cum iam tempus Miſſæ in Sabbatho ſancto anticipatũ ſit ante meridiem, nullaque determinata hora ante meridiem deſignata ſit ab Eccleſia, habemus ſufficiens fundamentum, vt præſumamus, relictam eſſe cõmuni iuri incæptionem Miſſæ ſolemnis, & priuatarum in eo die. Commune autem ius eſt, vt Miſſæ priuatæ quocumque die poſsint dici ex aurora vſq; ad meridiẽ. Neque apparet, cur in tali die tempus earum debeat non antea eſſe, quàm poſt incæptam Miſſam ſolemnem, aut ſolitã incipi, vt attingam rurſus in num. 33. Confirmatur ex vſu piorum, doctorumque hominum, qui, ſi celebrent priuatim eo die, ſolent celebrare ſummo mane. Confirmatur etiam ex vſu Epiſcoporum

porum conferentium Ordines eo die, ſolent enim ſtatim poſt auroram, vel ortum Solis facere Sacrum in Oratorio ad conferendos Ordines, vt ab hac occupatione quantocyùs expediti valeant poſteà in Eccleſia intereſſe Miſſæ ſolemni.

27 Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. num. 23. indicare videtur, requiri iuſtam aliquam cauſam, vt ſine peccato veniali dicatur Miſſa privata ante ſolemnem. Aſſerunt id ipſum Martinonus D. 40. ſect. 1. num. 5. nonnulliique alij apud Leandrum Tract. 8. D. 5. quæſt. 28. qui cum Gaſpare Hurtado negat expreſsè. Ego dico, vix vnquam fore, vt deſit cauſa aliqua iuſta; qualis eſt, quòd celebraturus Sacerdos, aut alij audituri Sacrum maneant expediti ad functiones Eccleſiaſticas illius diei, aut ad familiares, & domeſticas. Si miniſtrandum ſit viaticum infirmo, nec poſſit, niſi in Miſſa conſecretur formula, abs dubio erit iuſta cauſa. Similiter etiam, ſi in Sabbathum ſanctum incidat feſtum Annunciationis Virginis Matris, & tempus reliquum antemeridianum poſt Miſſam ſolemnem non ſit ſufficiens ad hoc, vt populus (qui totus non poteſt intereſſe Miſſæ ſolemni) impleat præceptum audiendi Sacrum. Tunc quidē debent curare Paſtores, vt ante Officia celebrentur aliquæ Miſſæ priuatæ etiā in publico; debent, inquam, id curare, niſi conuenientius videretur, anticipare Officia, & Miſſam ſolemnem, vt poſt hanc incæptam eſſet ſatis temporis ad Miſſas priuatas. Et eſſet quidem, ſi poſſent celebrari vſque ad horam quartam pomeridianam, vt ait Sà V. *Miſſa* n. 23. caſu quo abſit ſcandalū. Sed tanta poſtpoſitio videtur nimia etiam in die Sabbathi ſancti, ſiue Sà loquatur de Miſſa ſolemni, ſiue de priuatis, iam enim ceſſauit antiqua conſuetudo celebrandi tā ſerò in Sabbatho ſancto. Forſan Sà reſpexit ad Nauarrum, qui in Miſcellaneo 76. de Oratione num. 6. dixit, * Puto honeſtam illam cauſam, qua multi Parochi protelant Sabbatho ſancto Miſſam vltra meridiem, eo quòd non poſſunt audire ante illum reconciliationes eorum, qui ob honeſtam cauſam communicare cupiunt. * Hactenus in fauorē ſententiæ, quę affirmat, licitas eſſe Miſſas priuatas in Sabbatho ſancto.

28 Sed aduertendum eſt, Authores aliquos, quos citauimus pro negante ſententia, fateri nobiſcum, licitas eſſe eas Miſſas illo die tum pro defuncto, cuius corpus ſit præſens, ſi mos ſit non ſepeliendi ſine Miſſa: quæ tunc dicenda eſt poſt ſolemnem. Ita Gauantus in Rubricas Miſſalis parte 1. titulo 15. num. 2. poſt Belethum, & Durandum citatos à nobis in num. 5. diſcordante Emmanuele de Herrera ibidem: tum ad communicādos infirmos morti vicinos. Ita Henriquez, & Layman. Quorum ſecundus addit, licitam etiam eſſe Miſſam priuatam eo die in ſacello ſecreto cum Prælati conſenſu, *Simul ti ſolemni Officio intereſſe non potuerunt, qui in priuato ſacello ſacrificari poſtulent.* Qua in additione imitatur P. Ioannem Azorium tomo 1. L. 10. Cap. 14. quæſt. 4. Et hic à fortiori ſentit, licitam eſſe celebrationem Miſſę priuatę in Sabbatho ſancto, ſi in iſtum diem incidat feſtum Annunciationis Virginis Deiparæ. Sed requirit Azor conſenſum Superioris, cuius erit videre, an expediat id concedere? Non declarat Azor, an Miſſæ illæ dici poſsint in publico? Et poſſe ſic dici, inficiantur Henriquez Lib. 9. Cap. 24. §. 3. littera *B*. Villalobos tom. 1. Tract. 8. Diff. 20. n. 4 teſtans anno 1606. Salmanticæ, & Vallis-Oleti non fuiſſe dictas ex conſultatione graviſsimorum Theologorum totius Hiſpaniæ. Cæterùm poſſe dici, & in publico, vt populus eas audiens ſatisfaciat præcepto, cum difficile ſit, omnes intereſſe vni Miſſæ ſolemni, opinio eſt multò plurium apud Dianam p. 2. Tractatu 14. Reſol. 21. parte 9. Tractatu 7. Reſol. 24. Leandrum Tract. 8. Diſp. 5. quæſtione 25. Quintanadueñas tomo 2. Tract. 1. Singulari 10. num. 2. & apud Franciſcum de Lugo L. Cap. & quæſt. 5. num. 35. Teſtanturque ex eis nonnulli, ita fuiſſe practicatum anno 1617. in Toletana Diœceſi, & anno 1639. in Cæſarauguſtana, necnon in Neapolitana Vrbe, non ſine conſilio doctiſsimorū virorum. Quod conſilium fuit datum conſequenter ad noſtram ſententiam de non prohibita iam ab Eccleſia celebratione Miſſarum priuatarum in Sabbatho ſancto. Ac ſanè ſi vetita nunc eſſet vniuerſaliter, non obſtante præviſione occurſuri ſępiùs feſti Annunciationis in eo die, nihil efficeret Epiſcopi, aut Prælati licentia, vt benè conſideravit Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. num. 20.

SECTIO

SECTIO III.

Num liceat priuatas celebrare Missas feria quinta in Cœna Domini?

29 NEGAVIT Marcellus Francolinus parte 1. de Horis Canonicis Cap. 30. Communis tamen sententia est, cuivis Sacerdoti eo die licere privatam celebrationem, quia nullo Ecclesiæ decreto, aut consuetudine habente vim legis prohibetur. Nam licet negari nō possit, consuetum esse Sacerdotibus, præsertim Regularibus, non celebrare ob sacram illam cœremoniam recipiendi corpus Christi de manu Prælati ad imitationem communionis Apostolorum de manu Christi; hæc tamen consuetudo nascitur ex deuotione, & non ex obligatione, præsertim quoad Sacerdotes in singulari, vt Doctorum, & piorum praxis ostendit; illi enim nequaquam verentur eo die celebrare, maximè quando ad cæremoniam communionis de manu Prælati restat sufficiens Sacerdotum numerus. Quare consuetudo illa non est obligatoria, siue ex eo, quòd sit omnium, siue ex eo, quòd inducta sit cum intentione obligandi; nam vt constat, non est omnium, neque incæpit, neque retinetur tanquam obligatoria, sed ob finem prænotatum, & ob nimias illius diei occupationes circa confessiones, & monumenti, seu sepulchri fabricam.

30 Etsi verò referatur à Francolino quædam prohibitio facta Romæ à Cardinali Sabellio Vicario Summi Pōtificis, ne quidam Sacerdotes celebrarent privatim feria quinta hebdomadæ maioris, & in Decretis Diœcesanæ Synodi Neapolitanę celebratę anno 1627. necnon à Persico Lib. 1. de Officio Sacerdotis dub. 6. n. 40. afferatur quoddam Decretū Congregationis Rituum vetans privatas celebrationes ea feria, adhuc Cardinalis de Lugo Disp. 20. S. 1 num. 14. inquit, non extare vllum Decretum legitimè promulgatum, quod suæ, & nostræ decisioni officere queat. Refert quidem Gavant⁹ parte 5. in Rubricas Missalis tit. 8. n. 7. Sacram Rituum Congregationem anno 1608. die 27. Septembris iussisse communionem Cleri ad Missam solemnem feriæ quintæ in memoriam, quòd Christus communicavit Apostolos. Hoc tamen Decreto non tollitur, quominus vnus, aut alter Sacerdos possit sacrificare privatim, dummodò pars maior Cleri communicet ad Missam solemnem. Forsan & de hoc Decreto Cardinalis Lugus sermonem habuit.

31 Eximio Doctori P. Suarez Disp. 80. sect. 2. V. *Superest*, arridet superior nostra decisio per se loquendo, id est, ✻ Secluso scandalo, si alicubi fortasse sit, vel propter pusillorum ignorātiam, vel propter aliquam consuetudinem. ✻ Sed certè scandalum vix sequi potest etiam in pusillis, cum hi non rarò videant, Sacra privata fieri eo die. Et vbi timeri posset scandalum, aut admiratio, quia nunquam anteà coram populo celebratæ sint Missæ privatæ eo die, poterit vel reddi facti ratio, instruique populus rudis, vel Sacra agantur in Oratorijs, & Sacellis secretis. Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 4. num. 8. scribit ✻ Si communicandi de Prælati manu consuetudo in aliquo Sacerdotum Cōuentu quasi sub præcepti obligatione vigeat, obseruanda erit, vt sine Prælati licentia privatam Missam celebrare non liceat. ✻ Sic ille; & benè. Sed communiter nō vigebit consuetudo nisi sub ordinationis simplicis vi; cui parendū erit iuxta cuiusque Communitatis stylum; & in illa, qua quisque Sacerdos vivat, sciet, petenda sit, necne licentia à Prælato? Azor tomo 1. Lib. 10. Cap. 24. quæst. 7. inquit, ✻ Vbi est ea consuetudo recepta, servari debet, nec permittendum, vt Sacerdotes privatim immolent. Oportet enim, consuetudines moribus vtentium comprobatas obseruare. Nec est, cur dicamus, eas per errorem, vel ignorantiam introductas, aut piè tantùm, non in modum legis esse servandas. ✻ Hæc Azor subscriptus à Bonacina Disp. 4. quæst. 7. punct. 2. n. 17. Sed dubito, num alicubi vigeat tam constans, tam perpetua, tamque invariata consuetudo? Nam etsi in templis non soleat peragi à Religiosis nisi Missa solemnis; at in Capellis secretis vna, aut altera privata Missa solet celebrari pro Officialib⁹ domesticis, aut pro infirmis, aut quia aliquis Sacerdos expectare nō potest ad communicandum cum cæteris.

32 Si cum feria quinta concurrat festum

feſtum aliquod, vt Annunciationis Virginis Deiparentis, provt proximè accidit anno 1655. oportebit, vt in templis priuata Sacra fiant, ne populo, obligato audire Sacrum, deſit copia, & commoditas Miſſarum. Et ita factum eſt, me diſponente in templo Methymnenſis Collegij commiſſi tunc meæ curæ, ſeruata cautione P. Vazquez Diſput. 232. Cap. 2. num. 17. Caſtri Palai Tract. 22. Diſp. vnica, puncto 7. num. 2. Quintanaduenas tomo 1. Tract. 4. Singulari 5. num. 6. Caſpenſis Tract. 23. Diſput. 3. ſect. 1. num. 49. Pellizarij in Manuali Regularium Tractatu 8. Cap. & ſect. 2. Subſ. 1. num. 108. & plurium aliorum apud Dianam parte 11. Tract. 5. Reſol. 32. vt Miſſæ priuatæ ſint finitæ ante reconditum Chriſti corpus in loco deſignato, ſeu in monumento, vt vocant, nã extunc incipit Officium Paraſceues, cũ ſtatim Veſperæ dicantur, & in Paraſceue non licet celebrare, provt dictum eſt. Filliucius tomo 1. Tract. 5. Cap. 4. q. 5. vult, abſoluendas eſſe Miſſas priuatas, antequàm ligentur campanę, decãtata *Gloria* in Miſſa ſolemni. Sed congruentior eſt terminus aſsignatus ab illis alijs Authoribus, ſiquidem vſque ad Veſperarum initium duret celebritas feriæ quintæ, & non incipiat Officium feriæ ſextæ in Paraſceue.

33 Ioannes Præpoſitus 3. parte quæſt. 83. art. & dub. 2. num. 128. notat, eſſe quidem decentius, ſed non neceſſarium, vt priuata Sacra celebrentur ante ſolemne in feria quinta. Dicaſtillus Tract. 5. Diſput. 4. dub. 2. num. 29. & 32. quanquam concedat, conueniens eſſe, attento vſu, & decentia, vt in templo, in quo Veſperę ſunt inchoatæ, non vltrà eo die celebrentur priuatæ Miſſę, negat, non poſſe celebrari in Oratorijs vſque ad tempus, in quo aliàs licet, quia non ex eo, quòd incęptæ ſint Veſperæ, ceſſat feria quinta, aut prohibemur dicere Miſſam ei reſpondentem, vt videre eſt in Quadrageſima, etſi enim cantẽtur, aut etiam cantatæ ſint Veſperæ in Choro hora decima, aut vndecima antemeridiana, adhuc fas eſt vſque ad meridiem inchoare Miſſas priuatas. Nec verum eſt, Veſperas, quę dicuntur poſt Miſſam ſolemnem feriæ quintæ, pertinere ad feriam ſextam, non enim pertinent niſi ad quintam, nam hęc, & ſexta, ac Sabbathum non ſortiuntur primas Veſperas, ſed vnaquæque ſuas in ipſa feria, vt conſtat in eadem feria quinta, quæ quamuis habeat Officium duplex, non habet primas Veſperas; quas ſi haberet, dicẽdę eſſent in feria quarta precedenti, & ritu duplici, cum tamen non dicantur, niſi Veſperæ feriæ quartæ, & ritu ſimplici. Ita Dicaſtillus, in cuius favorem addi poteſt paritas ex Sabbathi ſancti priuatis Miſsis, quas celebrare fas eſt ante ſolemnem, & ante incæptam feſtivitatem Reſurrectionis Dominicæ, durante adhuc tempore, mœroreque publico Paſsionis. Sed contra, quia Veſperæ, quæ dicuntur in feria quarta, ſunt etiam Veſperæ feriæ quintæ, vt colligitur ex Oratione *Reſpice, quæſumus, Domine, ſuper hanc familiam tuam*, &c. quæ eſt Oratio repetita in omnibus Horis Canonicis feriæ quintę. Et Veſperæ, quæ dicũtur in feria quinta, ſunt quidem feriæ quintæ, vt colligitur ex Antiphona *Cœnantibus autem illis*, ſed ſimul etiam ſunt primæ Veſperæ feriæ ſextæ. Contra rurſus, & efficaciùs, quia quantùm attinet ad celebrationem Officiorum divinorum, dies incipit à Veſperis, vt notant omnes Doctores ad Cap. 1. & 2. de Ferijs, ad Cap. *Pronunciandum* 1. de Conſecratione Diſt. 3. & S. Thomas 5. Quodlibeto, q. 13. articul. 28. in Corp. alijſque relatis, Thomas Sanchez Lib. 7. Conſiliorum Cap. 2. Dub. 37. Rurſus contra paritatem additam facit, quòd Eccleſia non anticipavit Officiũ ſolemne ferię quintæ, vti anticipavit Officium Sabbathi ſancti. Fateor tamen, paritatem eſſe valde vrgentem. Sed cuius aſſumptum negatur à Caſtro Palao Tractatu 22. Diſp. vnica, puncto 7. num. 5. à Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 8. Cap. & ſect. 2. Subſ. 1. num. 108. quia vſque ad tempus Miſſæ ſolemnis colitur realis Paſsionis Chriſti memoria; quo cultu durante nullum eſt Sacrificium celebrandum.

SECTIO IV.

Quæſtiones nonnullæ diciſæ.

34 PRIMA, an Capellanus, qui ex fundatione Capellaniæ tenetur celebrare quotidie, vel feria quinta, & ſexta,

ac

ac Sabbatho ſingularum hebdomadarum, debeat in Maiori ſacrificare feria quinta; & Sabbatho, vel ſaltem pro his diebus ſubrogare alios?

Quod ſecundum quæritur etiam de feria ſexta; non autem primum, nam certum eſt, nec debere, nec poſſe celebrare feria ſexta. Reſpondeo ad vtrumlibet negatiuè. Ad primum quidem, quia etſi ſimpliciter, & abſolutè poſsit Capellanus celebrare privatim feria quinta, & Sabbatho hebdomadę maioris; aſt communior conſuetudo eſt, eaq; laudabilis, nō ſic celebrare diebus illis; nec credendum eſt, fundatorem Capellaniæ voluiſſe opponere ſe ei conſuetudini, aut diſcrepare Capellanum ab ea. Notare tamen oportet, quòd ſi Capellanus actu celebraret, deberet offerre Sacrificium pro debito fundationis, nā tunc conſuetudo iam nō favet ipſi, & aliunde Miſſę omnes ipſius obſtrictę ſūt, vt cedant in fundatoris emolumentum: quanquam Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 5. Cap. 9. ſect. 4. n. 130. dicat, non comprehendi ſubgenerali obligatione Miſſas illorum dierum, vtpote valdè extraordinarias; ſicut ſub lege generaliter loquente non comprehenduntur caſus extraordinarij, ſed tātùm ordinarij.

35 Ad ſecundum reſpondeo etiam negatiuè, tum quia cum omiſsio celebrationis in feria quinta, & Sabbatho non provenerit ex culpa Capellani, ſed ex laudabili conſuetudine Eccleſiæ; & in feria ſexta ex eiuſdē Eccleſiæ præcepto, non eſt, cur teneatur ſupplere aliis diebus: tum quia alioqui Capellanus ſine culpa ſua ſentiret novū onus, quale eſſet obligatio non accipiendi ſtipendiū pro Miſsis in tribus aliis diebus: tū quia ſi à divinis ceſſatio ſit impoſita, & obillam Capellanus nō immolet diebus præſcriptis, minimè tenetur aliis diebus compenſare celebrationes omiſſas. Ergo ſimiliter, &c. Tum poſtremò quia privatarum Miſſarum in triduo omiſsio contingit quaſi per ſe, eſtque omnibus nota. Ergo fundator Capellaniæ cenſēdus eſt prænoviſſe illam, & non voluiſſe, vt compenſaretur per Miſſas celebratas aliis diebus. Ita Cardinalis de Lugo Diſput. 20. ſect. 2. num. 46. & 47. Franciſcus de Lugo Lib. 5. Cap. 11. q. 6. num. 61. & 62. Raphael Averſa q. 11 ſect. 18. §. *Item poſſe*, Thomas Tamburinus Lib. 3. de Miſſa Cap. 3. §. 2. n. 3. & Pellizarius ſuprà.

36 Secunda quæſtio, an Sacerdotes non celebrantes ſolemniter in Sabbatho ſancto, & quicumque alij poſsint more Laico communicare eo die?

Reſpondeo primò, fuiſſe morem antiquis ſæculis, vt in Sabbathi ſancti Miſſa celebrata poſt primę ſtellę ortum cōmunicarent, qui vellent. Quod colligo ex Euſebio Cęſarienſi in Hiſtoria Eccleſiaſtica Lib. 6. Cap. 27. vbi refert de Philippo Imperatore interfuiſſe Sacris *In die Paſchæ, id eſt, in ipſis Vigilijs, in die poſtremæ Vigiliæ Paſchatis*, & voluiſſe *cōmunicare myſterijs*. Idem ipſum ſignificat Rupertus Abbas Lib. 6. de Officijs diuinis Cap. 22 inquiens, ✻ Nunc autē è contra die ſeptima apud nos inuenitur, quia poſt meridiem corpus ſolemniter in voce exultationis, & laudis cōficimus. Hac verò die ſexta (in Paraſceve) quodammodò nō inuenitur, quia non conficitur; ſed pridie (id eſt, feria quinta) illatum, & reconditū eſt, quod hodie ſumamus. ✻ Sic Rupertus; & in fine Capitis addit, ✻ Itaque quomodò hac die, quæ eſt feria ſexta, qua Chriſti hoſtia ſalutaris à ſuis trucidatur inimicis, rectè à nobis quaſi ſepultum eſt Sacrificij decus, & cœleſte illud manna, quia hodie non inuenitur, feria quinta paravimus, & intulimus, quod hac die ſumamus, fuitque duplum, quàm per ſingulos dies colligere conſuevimus. ✻ Berno Augienſis Abbas Libello de quibuſdam rebus ad Miſſę Officium ſpectātibus ait, Cap. 1. ✻ Veraciter credi poteſt, priores Sanctos ſilentio obtuliſſe, vel communicaſſe. Quod etiam hacten⁹ in Sabbatho S. Paſchę ſolemus obſeruare. ✻ Sic Berno: conſonat q; Radulphus Tungrenſis propoſitione 23. de Canonū obſeruantia. Sed fortè loquūtur de cōmunione ſolius Sacerdotis in Miſſa. Rabanus Maurus Lib. 2. de Inſtitutione Clericorūm Capite 38. clarè effatur. ✻ Poſt Baptiſmum verò, & Litanias ſequitur ſancta Miſſarum celebratio, & com-

communicatio corporis, & ſanguinis Domini: cuius participatione quicumque fidelium ſe hac nocte abſtinuerit, neſcio, quomodò dicam illum Chriſtianum, exceptis his, qui pro capitalibus criminibus excommunicati pœnitentiã gerunt. * Eodem tempore Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis in Epiſt. ad Clerum ſuæ Diœceſis recitata ab Annaliſta Eccleſiaſtico anno 835. dicebat, * Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima præter hos, qui excommunicati ſunt, Sacramenta corporis, & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt; & in Cœna Domini, & in Paraſceve, in Vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum. * Amalarius Fortunatus L. 4. de Officijs Eccleſiaſticis Cap. 20. habet ea verba, quæ in num. 4. ſunt iam à nobis exarata. Illud autem, vt ait Amalarius, quod omnes ieiuni expectarent vſque ad Miſſam noctis Sabbathi ſancti, videtur fuiſſe propter communionem. Alcuinus Lib. de Officijs divinis, titulo de Sabbatho ſancto, ſeu Cap. 16. iuxta recenſionem Andreæ Quercetani inquit, * Sequitur ad complendam Oratio. Poſtquàm omnes comunicaverint, dicit Diaconus, Ite, Miſſa eſt. In hac nocte de Veſpertinali Synaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Miſſam, neque poſt Miſſam, quia ſecundùm Auguſtinum, & alios Doctores iſtud Sabbathum non habet Veſperam. * Hos ego Authores colligere potui, qui, vt & alij apud Haeftenum infrà n. 41. Ioanneſque Belethus Cap. 99. divinorum Officiorum teſtentur de antiquo more communicandi in Sabbatho ſancto. Indicatq; eum Oratio vltima Miſſæ, *Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes*; quæ Oratio legitur etiam in Sacramentorum libro, Authore S. Gregorio, apud Pamelium tomo 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ pag. 272.

37 Nihilominus Gavantus in Rub. Miſſalis parte 4. tit. 10. num. 38. lit. O. & num. 46. cenſet, non eſſe ſuſcipiendam Euchariſtiam ab alio vltrà Sacerdotem ſolemniter celebrantem; ad quod denotandum omittitur nunc in Sabbathi ſancti Miſſa *Poſtcommunio*, & omittebatur tempore Guilielmi Durãdi, vt conſtat ex eius Lib. 6. Rationalis Cap. 75. num. 7. Vbi inter alias cauſas aſſignat hanc, quòd baptizati non communicarent eo die, ſed ſequenti; & ante ætatem Durandi, non dicebatur *Poſtcommunio*, vt noſcitur ex Bernone ſuprà, qui vivebat anno 1014. Verumtamen cum olim, & nunc etiam dicatur Oratio ſignificans, communicaſſe alios vltrà Sacerdotem ſacrificantem, cogitari poteſt, quondam, & modò omitti *Poſtcommunionem* cauſa tantùm brevitatis. Niſi Magis placeat affirmare, omiſsionem *Poſtcõmunionis*, vel Orationis verba referri ad tempus, non in quo proferuntur, ſed ad quod repræſentandum, & commemorandum diriguntur, vt cõtingit in nonnullis alijs ritibus, & Orationibus Miſſarum. Vnde ſiue omiſſa ſit *Poſtcommunio* tempore, quo ſolus Sacerdos communicabat, ſiue dicta ſit Oratio tempore, quo non ipſe ſolus, arguitur inde inefficaciter ad ſtatum præſentem rerum.

38 Quibus conſideratis, reſpondeo ſecundò ad quæſtionem, non eſſe dandam in Sabbatho ſancto communionem Laicalem abſque magna diſcretione, ac delectu. Nam cum eo die non ſoleant nunc temporis Sacerdotes celebrare Miſſas privatas, regulariter non decebit, vt ſiue ipſi, ſiue Laici communicent more Laico; expedietque ordinariè, ne Sacerdos, vel Laicus ſit ſingularis. Ego tam vni, quàm alteri ſuaderem, vt loco Sacramentalis communionis, quæ ſine nota non fiet, adhibeat ſpiritualem. In noſtra Hiſpania videtur non fuiſſe antiquitus vſitatam communionem poſt diem Cœnæ Domini vſque ad diem Reſurrectionis, nam in Concilio Toletano IV. Cap. 7. dicitur, *Oportet, eodem die* (feriæ ſextę Paſsionis Domini) *myſterium crucis, quod ipſe Dominus cunctis nunciandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum poſtulare, vt pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem Dominicæ Reſurrectionis, remiſsis iniquitatibus, ſuſcipere meareamur; coporiſque eius, & ſanguinis Sacramentum mundi à peccatis ſumamus.*

39 Tertia quæſtio, an communio Laicalis ſit permiſſa in feria ſexta Paraſceves?

Reſpondeo primò, fuiſſe olim vſitatam.

tatam. Sanctus Dorothæus Serm. 9. de mendacio refert quendam casum, satis longũ, ex quo constare videtur. Transcribo tantùm quædam verba; *Erat autẽ Paraſceue, hora nondum ſecunda. Vt igitur ſibi ipſi perſuaſit* (Monachus) *rem illam verè vidiſſe, egreſſus eſt cum ſilentio, ac rurſus obſeruabat ad horam Synaxeos, id eſt, quando Monachi ad ſacram communionem percipiendam congregabantur*, &c. Si per Paraſceven interpretetur quis non anniuerſariam diem Paſsionis, ſed ordinariam feriam ſextam hebdomadę, non multùm contendam. Ordinis Romani de Officijs diuinis in Cœna Domini teſtimonium eſt quàm oppidò expreſsũ; ✻ Pontifex veniens ad altare diuidat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine ſuo, & ſumat de ipſis oblatis integras ad ſeruandum vſque mane diei Paraſceues, de quibus communicent abſq; ſanguine Domini. Sanguis verò eadem die penitus conſumatur. Et Schola dicat, Agnus Dei, abſque oſculo, & communionem, Dominus Ieſus cum Pſalm. & Gloria. Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primò, poſteà Diaconi, & cęteri omnes. Et ita perficiatur Miſſa pleniter ordine ſuo. ✻ In quib⁹ verbis innoteſcit, oblatas ſeruatas eſſe ex feria quinta in VI. vt cõmunicarent omnes abſque ſanguine Domini. Rurſus in Officio diei Paraſceues, ✻ Cum dixerint, Amen, ſumit de Sancta, & ponit in calicem, nihil dicens, niſi fortè aliquid ſecretè dicere voluerit. Pax Domini non dicit, quia non ſequuntur oſcula circumadſtantiũ. Sanctificatur autem vinum non conſecratũ per ſanctificatum panem. Et cõmunicant omnes cum ſilentio. Et ſic explera ſunt vniuerſa. Et poſt paululũm Veſperos dicit vnuſquiſque priuatim, & ſic vadunt ad menſam. ✻

40 Alcuinus Lib. de Officijs diuinis, titulo de Cœna Domini, ſeu C. 17. ſcribit, ✻ De eodem die legitur in Ordinibus, quòd reſeruandum ſit de corpore Domini ad communicandũ in craſtinum. Auguſtinus ad Ianuarium, Sunt, qui quotidie Euchariſtiam volũt ſumere. Et quia in Paraſceue non conficitur corpus Domini, neceſſe eſt, vt hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die. Quod tamen Romani non faciunt. In iſto enim die conſumitur agnus typicus, conſummaturque modus communicationis, & illud vetus Sacramentum per calicem, quem porrexit diſcipulis ſuis, Deo gratias agendo, quòd vetera tranſitura, & ventura noua, quę debemus expectare, vſq; in Reſurrectionem Domini. Dixit enim Dominus, Non bibam de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, & reliqua. Dehinc tranſitur ad conuiuiũ, ex quo Cœna Domini vocatur. ✻ Sic Alcuinus; ex cuius verbis liquet, vſitatam fuiſſe ſuo tempore in Germania, & Gallia communionem Laicalem feria ſexta Paraſceues; non autem Romę. Amalarius Fortunatus Lib. 1. de Officijs diuinis Capite 12. tranſcripſit Alcuinum, ✻ Panis Cœleſtis, id eſt, corpus Domini (inquit Amalarius) reſeruatur à feria quinta vſque in Paraſceuen. Secundùm Auguſtinum ad Ianuarium, Sunt, qui quotidie volunt Euchariſtiam ſumere. Valet etiã, inquit, ad hanc ſimilitudinem, quòd in primo populo vnicuique fidelium manna ſecundùm propriam voluntatem in ore ſapiat; ſic vniuſcuiuſque in ore Chriſtiani Sacramentum illud, per quod ſaluatus, ac ſubiugatus eſt mundus. Nam & ille honorando non audet quotidie ſumere; & ille honorando non audet quotidie prætermittere. Contemptum ſolũ non vult cibus iſte, ſicut manna faſtidium. In Paraſceue non conficitur corpus Domini. Neceſſe eſt, vt hi, quibus eſt voluntas communicandi, habeant Sacrificium ex priori die. Dein tranſitur ad conuiuium, ex quo Cœna Domini vocatur. ✻ Ita Amalarius. Qui in C. 15. videtur approbare magis, ſi in Paraſceue nõ ſumatur communio, niſi à celebrante. Nam ſcribit, ✻ Perculſo eſt Paſtor, oues gregis diſsipatę ſũt. Paſtores, qui videntur eſſe in Eccleſia, declinatione ſui Officij demõſtrant ſtatũ illius temporis, qui tũc agebatur apud diſcipulos Xpi. Dominus enim dixit pridie, Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiſcum nouũ. Quod manifeſtat actũ eſſe lectio, quę legitur ſecunda feria poſt Paſcha Domini, dicẽte Petro, Nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, poſtquàm reſurrexit à mortuis. Ratus ordo eſt, vt expectemus vſq; dũ Dns noſter conſecrat Sacramẽta corporis, & ſãguinis ſui in cruce, & noua ea faciat per Reſurrectionem ſuam, & ſic tandem manducemus, & bi-

bamus ſaluberrimum illud Sacramentum, non iam pranſi, quod Apoſtoli fecerunt in Cœna Domini, ſed ieiuni. Et iſto ordine poſt ſalutationem crucis oportet, ſingulos remeare ad ſua. ✲ Hactenus Amalarius; & paulò anteà ſcripſerat ex reſponſione Archidiaconi Romani. ✲ In ea ſtatione, vbi Apoſtolicus ſalutat crucem, nemo ibi communicat. ✲

41 Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus Cap. 19. ait, ✲ Nō eſt autem authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in Paraſceve vinum non conſecratum cum Dominica Oratione, & Dominici corporis immiſsione iubet conſecrare, vt populus plenè poſſit communicare. Quod vtique ſuperfluò præciperet, ſi intinctum Dominicū à priori die corpus ſeruaretur, & ita intinctum populo ad communicandum ſufficere videretur. ✲ Ita Micrologꝰ cautè legendus. Præterea Sanctus Gregorius Magnus in Sacramentorum Libro edito à Iacobo Pamelio tomo 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ pag. 256. agens de feria ſexta in Paraſceve, & de adoratione crucis addit, ✲ Quam vt adoratam habuerint, Diaconus cū Subdiacono, & Acolythis pergant in Sacrarium, vel vbi poſitum fuerat corpus Domini, quod pridie remanſerat, illudque cum calice, & patena, ſummo cum honore, & reverentia, ad altare deferant. Quo ſupermiſſo, Sacerdos ſtans ante altare dicat, Præceptis ſalutaribus moniti, &c. Pater noſter. Sequitur, Libera nos, quæſumus, Domine. Et cum dixerint, Amen, ſumet Sacerdos de Sancta, & ponet in calicem, nihil dicens. Deinde communicat ipſe, & omnis Clerus. Et fiant Miſſæ. ✲ Sic in Sacramentorum L. Durandus Lib. 6. Rationalis diuinorum Officiorum Capite 75. numero 9. hæc habet, ✲ Innocentius Papa ſtatuit, hac feriæ quintæ die corpus Chriſti ſubſpecie panis reſeruari, vt infirmi, & religioſi, quibus eſt neceſsitas communicandi, habeant ipſum; & propter Officium adimplendum, nam in duobus diebus ſequentibus non conficitur corpus Chriſti. ✲ Quibus verbis deſumptis penè ex Beletho Capite 99. divinorum Officiorum, videtur nomine religioſorum non tam intelligendos eos, qui ſunt ſtatu, quàm qui ſunt actu, ac pietate; & cum diſtinguat illos ab infirmis Durandus, denotat, neceſsitatem communicandi non debere eſſe talem, vt Euchariſtia ſuſcipienda ſit tanquam viaticum. Sancta Gertrudis Mansfeldenſis in die Paraſceves ſuſcepit Euchariſtiam, vt legitur Capite 26. Libri 4. Inſinuationum divinæ pietatis. B. Thomas Villanovanus Concione 2. in die ſancto Corporis Chriſti prodit memoriæ inſigne quoddam miraculum, quod ſua ætate contigit pro communione devotæ cuiuſdam Monialis, cui non fuerat ſeruata formula accipienda in die Paraſceues. Omitto Theodulphum Epiſcopum Aurelianenſem, cuius verba dedi in numero 36: item Regulam Magiſtri, Statuta Sancti Dunſtani, Lanfrancum, Boerium, Ordinationes Benedictinorum Bursfeldenſium, & Vallis-oletanorum, de quibus Benedictus Haeftenꝰ in Diſquiſitionibus Monaſticis Capite 3. Tractatu 7. Diſquiſ. 3. Hugo Menardus in Lib. Sacramentorum Sancti Gregorij Papæ, pag. 87. & Andreas Mendus Diſput. 12. de Ordinibus Militaribus quæſt. 11. num. 129. ex Haefreno.

42 Hinc plurimi modernorū Doctorū contendunt, veterem conſuetudinē renovari poſſe noſtro tempore. Diana parte, & Tractatu 4. Reſolutione 237. parte 6. Tractatu 6. Reſol. 19. parte 9. Tractatu 7. Reſol. 24. refert viginti, & vnum Doctores; quibus addo Franciſcum de Lugo Libro 4. Capite 9. quæſt. 5. num. 43. Auerſam de Euchariſtia q. 8. ſect. 3. V. *In primis*, Ioannem Sanctiū in Selectis D. 22. num. 20. Granadum de Euchariſtia Tract. 14. D. 10. num 2. Dicaſtillum Tract. 5. Diſp. 4. dub. 2. n. 32. Scortiam de Sacrificio Miſſę Lib. 4. Capite 29. num. 10. Quintana Dueñas tomo 1. Tractatu 4. Singularium in 6. Yſambertum 3. p. ad q. 80. D. 5. art. 1. Trullench. Lib. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 9. n. 19. Caſpenſem Tract. 23. D. 3. ſect. 1. n. 50. Amicum D. 33. S. 10. n. 309. Pellizarium in Manuali Regul. Tract. 8. C. & S. 2. Subſ. 1. n. 108. Tāburinum L. de Communione C. 6. §. 1. num. 4.

43 Contrariam partem defenſant Francolinus de Horis Canonicis C. 30. Petrus Ciruelꝰ in Expoſ. Miſſalis Rom.

L. 2. C. 66. Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij, Diffi. dub. & punct. 2. n. 10. cũ Candido, & Bauny; itẽ Pasqualig⁹ in Doctrina Mor. D. 19. S. 3. n. 15. Marchin⁹, Megalius, Gavant⁹, Barbosa, Leon apud Dianam parte, & Tract. 6. Resol. 19. Adestq; in huius partis favorem duplex Declaratio Sacræ Congregationis Rituum, quarum prima facta est anno 1606. die 9. Maij, & secunda anno 1622. die 19. Februarij. Sed non adest S. Augustinus in Epistola ad Ianuarium, vt iam notavit Vazquez Disp. 232. C. 2. num. 10. Quare S. Augustinus malè citatur à Gavanto in Rubric. Miss. parte 4. tit. 9. num. 20. lit. Y. & num. 25. quem fefellerunt Alcuini verba suprà adducta, inter quę ponũtur aliqua S. Augustini, hæc scilicet; *Sunt, qui quotidie Eucharistiam volunt sumere.* Ast hæc sola sunt S. Doctoris; & reliqua sunt Alcuini. Quid is dicat de vsu Romanorum non communicandi feria sexta in Parasceve; quid etiam dicat Amalarius, visum est suprà. Testatur q; Albertus Magnus de Euch. Dist. 3. Tractatu 2. Cap. 4. num. 2. ✻ Ecclesiam non porrigere illo die corpus, vel sanguinem ad sumptionem alicuius. ✻ Et quod dicitur in Can. *Sabbatho*, nimirùm *Sacramenta penitus non celebrari*, quodq; quoad feriam sextam permanens in suo vigore intelligitur, favet non leviter, nam dispensatio Eucharistiæ esset non modica celebratio Sacramenti. Favet, etiam, quòd in Officio feriæ sextæ non dicatur *Postcommunio*: quòd item nõ soleret distribui Eucharistia in diebus ieiunij continuandi, & mœstitiæ, vt notabam in num. 3. Vnde in Sacris pro defunctis nulla fiebat adstantium fidelium communio: quæ est observatio Albaspinæi Lib. 1. de veteribus Ecclesiæ ritibus in 17. Raynaudi contra errorem popularem de communione pro mortuis, num. 12. & 13. neque item dabatur osculum pacis, neque huius apprecatio pronunciabatur: quod vtrumque etiamnum prętermittitur in eis Sacris; & similiter in Officio feriæ sextæ; in Sabbathi autem sancti Missa etsi dicatur, *Pax Domini sit semper vobiscum*, sed osculum nõ figitur. Quare idem Albaspinæus in 14. Observatione peritè reuocat ad veterem primorum temporũ memoriam, quòd die Veneris sancto neque Missa dicatur, neque sacrificetur, neque quisquam de Eucharistia sumendi more Laico cogitet. Auxiliatur Concilium Toletanum IV. in verbis relatis num. 38. necnon XVI. in verbis adductis num. 1. maximè si Eucharistia susciperetur extra tempus Officij feriæ sextæ; alioqui altaria non persisterent denudata in ea feria.

44 Pervia omnibus sunt verba Missalis Romani in Rubricis ferię quintæ: *Hodie Sacerdos consecrat duas hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis.* Sic ibi. Si autem sanis liceret communio ex devotione in die sequenti, diminutè dictũ fuisset pro solis infirmis. Quòd si ita dictum est, quia sani non solent die sequẽti communicare ex devotione, efficax inde sumitur ratio, atque motivum, ne quis Sacerdos, aut Laicus communicãdo velit singularis esse contra præsentẽ vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem. Et hoc modo eam cõpellat Declaratio posterior Sacræ Congregationis Rituum; fateturque Vazquez Disp. 232. C. 2. num. 21. ✻ Nunc vt plurimùm in tota Latina Ecclesia obseruari, vt solus Sacerdos solemniter celebrans communicet ex pręsanctificatis; ✻ & Suarez D. 80. sect. 2. V. *Secundus dies*, ait, ✻ Nullum iam communicare feria sexta. ✻

45 Vlteriùs, si in feria sexta Paraseves fas non est Sacerdotibus celebrare, videtur, fas ipsis non fore, neq; alijs, communicare more Laico, tum quia eadem ratio militat vtrobique; tum quia sicut ex non permissa Sacerdotibus repetita celebratione in eodem die colligitur, interdictam etiam esse ipsis, & alijs iteratam communionem, infertur similiter ex denegata celebratione Sacerdotibus in die sancto Veneris incõcessam esse eis, & Laicis tali die communionem. Si dicas, non deduci benè vnum ex alio, alioqui sicut illo die non licet celebrare ob dandum etiam viaticum, ita neque liceret communicare ob providendum sibi de eo; & alioqui sicut nefas est, celebrare ante auroram, & post meridiem, ita & nefas esset, communicare more Laico. Insurgitur contra, tum quia ipsa Ecclesia exceptionem fecit disertè de viatico ex formula præconsecrata: tum quia Pasqualigus suprà num. 17. agnoscit difficultatem

cultatem in communione ante auroræ, & poſt meridiem, niſi ex cauſa viatici: tum quia ſi non ſit agnoſcenda, proueniet vel ex conſuetudine, vel Doctoribus concorditer interpretantibus, & declarantibus, prohibitionem legis de celebratione ante auroram, & poſt meridiem non extendi ad communionem; vt autem lex de non celebrando in die ſancto Veneris non extendatur ad communionem, neque iuvat conſuetudo, quin potiùs adverſatur; neque item iuuat concors ſenſus Doctorum, nam non vnus, vel alter, ſed multi refragantur. Quibus omnibus attentè perpenſis, reſpondeo ſecundo ad quæſtionem, non eſſe licitam, vel non eſſe nunc conſulendam communionem Laicalem in feria ſexta Paraſceves.

46 Sed aduerto, quod ſi in aliqua Prouincia, aut Regno ſit iam introductum communicare more Laicali in tali die, proindeque citra ſingularitatẽ fiat, vt de Germania teſtantur Dicaſtillus ſuprà, Tannerus tomo 4. D. 5. q. 10 dub. 4. n. 57. & Arriagà D. 54. ſect. 2. n. 13. nõ eſt mihi in animo damnare eos, qui ita ibi communicant illo die, quandiu non conſtet authenticè de præfatis duabus Declarationibus Sacræ Congregationis Rituum vt obligantibus vniuerſaliter, & vbique, quia præditæ ſint conditionibus ad id requiſitis. Niſi conſtare iam, perſuaſum ſit alicui ex his Dianæ verbis p. 9. Tract. 7. Reſol. 24. ✻ Suppoſitis dictis Declarationibus, ego nunc exiſtimo, in feria ſexta Paraſceves, non eſſe adminiſtrandam Euchariſtiam, niſi infirmis. Purpuratorum Patrum Oracula venerari oportet, nec ſapere plus, quàm oportet ſapere. ✻ Qui rurſus parte 11. Tractatu 7. Reſol. 22. ait, ✻ Sed quia nunc exiſtimo, cõtrariam ſententiam de prohibita cõmunione Laicorũ in die Paraſceves tenendam eſſe, ſtante Declaratione Congregationis Sacrorum Rituum. ✻ Tãtùm Diana.

47 Porrò autem quod ad Hiſpaniam attinet, non eſt introducta communio Laicalis tali die, quantùm noſcere potui; etſi enim pietate ducti nonnulli conati fuerint introducere, hactenus non habuerunt imitatores in adminiſtranda Euchariſtia die illo. Neque pauci, qui adminiſtrant exteris, ſuſcipiunt ipſi eam, aut ſuis domeſticis diſtribuunt; Benedictuſque Haeftenus ſuprà indeciſum relinquit, an Declaratio Sacræ Congregationis Rituum abroget conſuetudinem, quam habuerunt Monachi Benedictini nonnullis in Monaſterijs? & optat, vt ad Sacram Congregationem referatur dubitatio. Noſter etiam Amicus ſuprà cupit, ✻ Pro Eccleſiæ vniformitate, vt tali die vbiq; Laica communio populo prohiberetur, cum hæc ipſa à communione ceſſatio magis conducat ad Chriſti Paſſionem celebrandam. ✻ Et ego quidem vbi Sacerdotes etiam Religioſi eo die non communicant, neque Laici Religioſi, non video, cur admittendi ſint ad communionem Laici Sæculares. Nam ſi vt ſatisfaciant præcepto Paſchatis, habent dies antecedentes, & ipſos dies Paſchatis vſque ad Dominicam in Albis; ſi vt devotioni ſuę indulgeant, edocendi ſũt temperare eam iuxtà generalem nunc temporis conſuetudinem Eccleſiæ, vitareque ſingularitatem; & cum ſit, vt docet expertiſsimus Magiſter vitę ſpiritualis P. Franciſcus Arias 2. p. Profectus ſpiritualis in Appẽdice de bono Sacramentorum vſu, Capite 18. & 22. expediens pleriſque Laicis intermiſsio ex Confeſſariorum conſilio quandoque facta communionum ordinariarum (quæ quotidianæ ſint, aut frequentes in hebdomada) eſſe maximè conuenientem eam, quæ fiat in die ſancto Veneris. Monendi etiam ſunt, vt ſpiritualem communionem ſubſtituant loco Sacramentalis, piaſque meditationes de Paſſione Chriſti, ieiunium ſeuerius, caſtigationes, mortificationeſque corporis, quibus omnibus compenſabunt fructũ alioquì comparandum ex communione. Tandem inſtruendi ſunt, ſi Eccleſia ob luctum, & mœrorem de Paſſione Chriſti priuat Sacerdotes, fideleſque omnes vivos, ac defunctos fructu, quem ex opere operato tot Sacrificiorum, quot eo die omittuntur, poſſent comparare, æquum eſſe, vt ipſi eadem de cauſa patienter ferant denegationẽ acceſſus ad Euchariſticam menſam.

48 Quarta quæſtio, quanta fuerit celebritas Communionis Laicalis feria quinta in Cœna Domini?

Seu

Seu in Natali calicis, vt vocant S. Eligius Homilia 10. Paschasius Lib. de Corp. & sang. Domini Cap. 11. Petrus Blesensis in Tract. de Euch. Capite 23. Ludulphus Saxo 2. p. Vitæ Christi C. 56. Respondeo, fuisse semper celeberrimum, imò & obligatoriam quondã de præcepto, vt constat ex C. *In Cœna* 17. de Consecratione Dist. 2. ex Cabilonẽsi Concilio 2. Cap. 47: vultque Vazquez Disp. 214. C. 3. num. 25. præceptum Soteris Papæ, de quo in Canone *In Cœna*, nõ esse distinctum à præcepto Fabiani Papæ quoad communionem in Paschate, de quo in Can. *Etsi non frequẽtius* 16. & in Can. *Seculares* 19. Dist. eadem, & in Concilio Turonensi sub Carolo Magno, C. 50. quanquam S. Thomas 3. p. quæst. 80. art. 10. ad 5. videatur distinguere vnam communionem ab alia, vt observat Suarez Disp. 70. sect. 1. V. *Dico primò*. Accipiebatur autem Eucharistia de manu solemniter celebrantis tam à Laicis, quàm à Sacerdotibus, cæterisque Clericis. Et quoad vtrosque aperta sunt testimonia Ordinis Romani, atque Alcuini. Hic enim L. de divinis Officijs titulo de Cœna Domini ait, *His expletis, sequitur Oratio Dominica, Libera nos, quæsumus, Domine. Pax Domini. Et Agnus Dei.* Et *communicat Pontifex solus, & redit ad sedem suam. Et sequitur ad Commun. Dominus Iesus, postquàm cœnauit. Psalmus, Beati immaculati, ad repetendum, quantùm necesse erit. Interim cõmunicat Clerus, seu omnis populus.* Sic Alcuinus. Dedi in num. 39. verba Ordinis Romani. Andreas Sauslay in Panoplia Sacerdotali parte 2. Libro 1. C. 9. art. 2. §. 1. affert ex Sacramentario S. Gregorij hæc verba in feria 5. *Pontifex vadit ante altare, & communicat omnis populus in ordine suo.* Non lego ea in Sacramentario evulgato à Iacobo Pamelio, sed in edito ab Hugone Menardo, vbi additur, *Et seruant de ipso Sacrificio in crastinum, vnde communicent.* Idemque Menardus profert hæc ex Rubricis Missalis manuscripti S. Eligij, *In feria sexta sumit de Sancta Pontifex, & ponit in calice, nihil dicens, & communicant omnes cum silentio.* Quod vtrumque testimonium vtile erit pro notitia antiqui moris communionis Laicalis in die sancto Veneris, addique potest alijs quæst. præcedentis. Quod ad hanc pertinet, est, referri in vita S. Vvillelmi Abbatis 6. Aprilis apud Surium, porrexisse Eucharistiam omnibus fratribus die Cœnæ Domini; & in vita S. Mariæ Ægyptiacę 9. Aprilis apud eũdem Surium, solitos conuenire fratres cuiusdam Monasterij, vt communicarent in die Cœnæ Domini, quanquàm reliqua anni parte vnusquisque discedebat in loca remota, ac solitaria. Albertus Magnus in 4. dist. 13. art. 28. q. 1. ait, *In Religionibus quibusdam obseruatur in tantum, vt illa die nullus subditorum celebret, sed omnes communicent de manu Superioris.* Indicat posteà Albertus, populum non solitum accipere Eucharistiam sequentibus duobus diebus.

49 Communio feriæ huius V. id habuit olim peculiare alicubi, vt fieret post communicantium cœnam vsualem, provt scitur ex Concilio III. Carthaginensi Cap. 29. relato C. *Sacramenta altaris* 49. de Consecratione Dist. 1. ex Concilio Africano sub Bonifacio Papa I. C. 8. ex Concilio Bracarensi I. C. 16. ex Matisconensi II. Cap. 6. ex C. 29. Trullano Synodi sextę, ex S. Augustino Epist. 118. C. 6. & 7. ex Amalario Lib. 1. de Officijs Ecclesiasticis C. 12. Sed in Concilio Bracarensi, & in C. 29. Trullano abrogatur ea consuetudo, quę præcipuè viguit in Africana Ecclesia. Meminit S. Augustinus in Epistola illa 118. Cap 5. alterius consuetudinis Ecclesiæ eiusdem, quòd bis sacrificaret solemniter in feria quinta Cœnæ Dominicæ, primùm manè, secundùm vespere. Nunc in singulis Ecclesijs solemnis vna celebrari solùm potest.

50 Vbi adverto cum Marchino infrà, & Leandro Tract. 8. D. 5. q. 21. Sacram Congregationem Rituum anno 1602. die 18. Maij declarasse, non posse celebrari eiusmodi Missam, nec confici sepulchrum cum asseruatione Eucharistiæ, nec peragi Sacrum solempe die Sabbathi sancti in Oratorijs Confraternitatum, nisi de licentia Episcopi, vt colligit ex eadem Declaratione Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. C. 8. num. 6. Admoneo etiam cum Gavanto p. 4. in Rub. Missalis tit. 8. numero 9. lit. T. prodijsse ab eadem Sacra Congregatione Decretum anno 1610. die 30. Ianuarij, ne clavis capsulę, in qua ponitur Eucharistia, detur Laico, quantumvis nobili, & illustri, sed ei potiùs, qui sequẽti die est celebraturus; & hoc in omnibus Ecclesijs tam Sæcularibus, quàm

Regularibus quovis modo à iurisdictione Ordinariorum exemptis, non obstante quavis consuetudine in contrarium, vt eadem Sacra Congregatio amplius expressit in alijs Declarationibus posterioribus apud Barbosam in Summa Apostolicarum Decisionum Collectan. 335. num. 13. & de Officio, potestateque Episcopi parte 2. Alleg. 27. num. 4. Cuius Decreti observantiam desideramus in plerisque Hispaniæ Oppidis; patronique Ecclesiarum non semel litem monuerunt ob denegatam sibi clavem; audioque, causa non cecidisse quandoque, allegant namque, pertinere ad ius Patronatus, & ex tempore immemorabili esse sibi collatam. Sunt qui, vt videantur esse eius inter cæteros Laicos conditionis eximiæ, cuius habeatur peculiaris ratio in Ecclesijs, simulant acceptam clavem monumenti Dominici, præferuntque ligatam vitta serica ante pectus, nam sæpe clavigeris numeratis, qui in stationibus monumentorum occurrebant, superavit longè clauiū multitudo sacras capsellas Civitatis. Demū aduerto, singulare fuisse in Congregatione Cluniacensi, vt ad Missam diei Cœnæ Domini adhiberetur vinum mistum melle, quanquam sine speciebus, vt in eius Congregationis Statuto 11. refert V. Petrus Mauritius, cuius hæc sunt verba, * Statutum est, vt ab omni mellis, ac specierum cum vino confectione, quod vulgari nomine pigmentum vocatur, Cœna Domini tantùm excepta, qua die mel absque speciebus Antiquitas permisit, omnes Cluniacensis Ordinis fratres abstineant. * Notētur illa, *Antiquitas permisit*, committanturque cum Can. 8. Concilij Autisiodorensis, in quo dicitur, *Non licet in altario in Sacrificio diuino mellitum, quod mulsum appellatur, nec vllum aliud poculum extra vinum cum aqua mistum offerre.* Sic Concilium illud habitum anno 590. Cōmittantur etiam cum Canone 3. Apostolorum, & cum ijs, quæ dicit Paschasius Rathbertus in Epist. ad Frudegardum.

51 Quinta quæstio, an si cum feria sexta in Parasceve concurrat festum Annunciationis Virginis Matris, teneātur fideles assistere Officio feriæ sextæ ab illo tempore, quo Eucharistia ponitur in altari?

Respondeo, non teneri, vt iam dixi in Disp. 3. num. 35. repetamque in Disputatione 30. Legatur Diana parte 12. Tract. de Colloquutionibus, & scriptionibus vetitis tempore Cōclavis, Resolutione 18. Nunc obseruo, Micrologum de Ecclesiasticis Observationibus Cap. 48. scribere, * Synodaliter autē legitur statutum, vt Annunciatio, si in triduo, ante Pascha occurrat, in Sabbatho ante Palmas anticipetur, qui dies & proprio Officio caret, & per totum annum veneration S. Mariæ solet obtecundare: quæ anticipatio & omni necessaria videretur anno, dum eadem festivitas idem Sabbathum subsequitur, eo quòd duæ subsequentes septimanæ proprijs Officijs in tantum sunt occupatæ, vt tantæ solemnitati dignè nequeāt deservire: sed nos nihil in hac editione temerè canonizatum deprehendimus * Ita Micrologus. Et Ioannes Belethus de Officijs divinis Cap. 57. ait, * Si contingat dies Annūciationis in Ramis Palmarum, aut ipso die Resurrectionis, de eo penitus tacebitur; ac die Sabbatho, qui præcedit Dominicam, quam in Ramis Palmarum vocatam diximus, vniuersum Annūciationis fiet mysterium * Hæc Belethus. Iam certùm omnino est, neque anticipandum, neque postponendum, nisi de Maiorum authoritate, diem festum Annunciationis. Videatur Gauantus in Rub. Missalis parte 4. titulo 9. num. 24. loquens de quodam Episcopo, qui, propriane, an Summi Pontificis authoritate? incertum, postposuit, cū incidisset in feriam sextam. Sic scripseram, antequàm vidissem, quod ex Nostro Georgio Gobat refert Diana parte 10. Tractatu 16. Resol. 7. nempe multarum Germaniæ, Galliæ, & Belgij Diœceseon vsu receptum, vt quando id festum occurrit in hebdomada sancta, integrè transferatur vel in Sabbathum Palmarum, vel in feriam sextam post Dominicam in Albis. Quare addo, non esse hunc vsum damnandum, vbi preualuit, sed debere non introduci ab Episcopis in alijs locis, non enim habent ad id potestatem, vt contra illum Authorem probat Diana. Ac sanè cum præfatū festum institutum à Summo Pontifice

incidat

incidat sæpe in hebdomadam maiorem, quin ipse sciens, & videns moveatur ad imperandam translationem pro tota Ecclesia, signum vtique manifestum est, se nolle, vt Episcopi eam pro suis Diœcesibus disponant per interpretationem, aut dispensationem in lege vniuersali Pontificia.

52 Sexta quæstio, si die Parasceves intermitti debet Missæ Sacrificium; qui erit hoc iuge, & quotidianum?

Iuxta Danielem C. 12. & Matthęũ Cap. 6. necnon Can. *Visum* 72. de Consecratione Dist. 1. Can. *Iteratur* 71. de Consecratione Dist. 2. S. Augustinum Lib. 10. de Ciuitate Dei Cap. 20. vbi ait, *Per hoc & Sacerdos est Christus, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentũ quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium: quæ cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre.* Et ex Epist. 118. C. 2. referuntur hæc verba à Suario Disput. 75. sect. 4. V. *Prima sententia: Omnibus diebus offertur Deo Sacrificium in Ecclesia.* Respondeo cum Henriquez Lib. & C. 9. num. 6. vnius diei defectum pro nihilo reputari; cum Suario supra V. *In confirmatione*, generales loquutiones nõ excludere singularem exceptionem, quamuis non exprimant illam. Sed quòd ad S. Augustinum attinet, non lego in Epistola 118. Cap. 2. verba, quæ allegantur; sed hęc, *Per loca terrarum, regionesque variantur alia, sicuti est, quòd alij ieiunant Sabbatho, alij verò non; alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico; alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi Sabbatho tantùm, & Dominico; alibi tantùm Dominico.* Sic S. Augustinus ibi. Nec plura nos de hac Disputatione.

DISPVTATIO XXI.

DE HORA, IN QVA LICET CELEbrare Missam.

1 *DOCTRINA SANCTI THOMÆ 3. parte, quæstione 83. toto ferè articulo 2. enucleabitur in hac Disputatione, quæ recto ordine sedem habet post eam, quam finiuimus.*

SECTIO I.

Qua hora post mediam noctem liceat inchoare Missam? Qua hora regulariter?

RESPONDEO, regulariter non esse nunc licitam celebrationem Missæ ante auroram, vt constat ex præsenti vsu Ecclesiæ, ex privilegijs Pontificum, vt possit ab eo vsu deflecti, & ex regulis Missalis Romani: quo ex triplici capite, siquidẽ alia desint, dignoscendę sunt debitæ horæ celebrandi, quarum à Sacerdotibus seruandarum Episcopos habere diligẽtem curam, voluit Synodus Tridentina Sess. 22. Decreto de Obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ. Igitur in

in Rubricis generalibus §. 15. num. 1. dicitur, *Missa priuata :: quacumque hora ab aurora vsque ad meridiē dici potest.* Rursus titulo de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, §. 10. num. 1 numeratur inter defectus, *Si non sit debitum tempus celebrandi; quod est ab aurora vsquē ad meridiem communiter.* Ita ex recognitione Clementis VIII. & Vrbani VIII. concordante cum editione Pij V. titulo de ritu seruando, §. de hora celebrandi Missam, titulo de defectibus, §. de occurrētibus in ministerio ipso. Addo Concilium Toletanum celebratum ánno 1583. Actione 3. Cap. 41. decernens, *Nullus ante auroram, vel post meridiem celebret.* Item Concilium Mediolanense I. parte 2. titulo de pertinentibus ad celebrationem Missæ statuens, *Vt nec ante auroram, nec post meridiem celebrentur Missæ.* Non itaque licet regulariter ante auroram celebrare.

2 Eritque ex communi Doctorum sensu peccatum mortale, si notabili tempore ante illam fiat Sacrum; non autem si modico, vel quia præceptum de non celebrando ante auroram habeat parvitatem materiæ in termino, ante quem fas non est sacrificare, vel quia, etsi non habeat, tamen præceptū, vel consuetudo, quę designavit, vel agnovit auroram vt terminum, interpretatur hunc cum aliqua latitudine, eo quòd punctum fixum auroræ non sit facilè noscibile. Variant Doctores in determinanda temporis quantitate auroram antecedente, quæ sit materia grauis respectu anticipationis Missæ, seu potiùs respectu auroræ vt termini designati, ante quem non celebretur.

3 Censeo, tres horæ quadrantes fore materiam gravem; duos levē; & vnum plus, minusve non fore materiam peccati etiam venialis. Cum enim plerique Doctores sentiant, auroram vt terminum esse hìc sumendam nō mathematicè, sed moraliter, videtur, tres horæ quadrantes antecedentes distare notabiliter à tali termino, duos leviter, & vnum nihil quoad considerationem moralem in hac materia, in qua vel pūctum indivisibile non est præscriptum, vel est admodùm difficile cognitu in vno mense præ alio, & in vno loco præ alio. Si discordes à postrema parte censuræ nostræ, non contendam nimis, dūmodò approbes, quod secundò iudico cum Suario Disp. 80. sect. 4. V. *Secundò inquiri*, vbi citat Paludanum, & Victoriam, cum Cardinali de Lugo Disp. 20. sect. 1. num. 32. Franciſco de Lugo Lib. & Cap. 5. q. 6. num. 61. vbi citat Reginaldum, Bonacinam, Henriquez, Aversam; & communiter cum alijs Modernis apud Barbosam Libro 1. de Iure Ecclesiastico Cap. 11. num. 25. & apud Bardi parte 3. in Bullam Cruciatę Tractatu 4. Cap. 1. num. 3. Missam scilicet posse licitè inchoari ante auroram, ita tamen vt sub eius initium finiatur; quarè poterit incipi ante aurorā per dimidiam ferè horam, quod est tempus, vt Missa conuenienti gravitate, ac pausa dicatur. Ratio est, quia dummodò finis Missæ contingat initium auroræ, iam salvatur, celebrari in aurora, & ex aurora; non secus ac salvatur, non celebrari post meridiem, si initium Missę contingat meridiem; ideoque vix est, qui neget, posse inchoari Missam in fine meridiei, & absolvi post dimidiam ferè horam à meridie. Ex his sequitur, regulariter posse absque peccato aliquo inchoari Missam per tres quadrantes ante auroram, si non displiceat vltima pars censuræ nostrę antecedentis. Sed notādum est, si quis velit dicere Missam, quę duret vltrà dimidiam horam consuetā, debere nō incipere ante dictos tres quadrantes, alioqui posset exordiri proximè post mediam noctem, & dummodò protraheret Sacrum vsque ad principiū auroræ, gereret se rectè. Quod nemo concedet. Eadem notatio adhibenda est, ne quis inchoet in meridie Missam, quam prolonget per tres, aut duas, aut vnam horam integram.

4 Est autem aurora, vt advertit S. Thomas ad 4. & Scotus in 4. Distinctione 13. q. 2. art. 3. non ortus Solis, sed prima lucis irradiatio in nostro Emisphærio, primumque crepusculū. Quod in nonnullis anni temporibꝰ plus antecedit Solis ortum, in alijs minus, eo quòd incipiat, quando Sol in verticali, qui per eum transit, distat tantùm octodecim gradibus ab Horizonte Orientali; & hoc spatium percurratur ab ipso propter obliquum suum cursum in nonnullis anni temporibus, scilicet in Solstitijs, & in proximioribus ad hæc, maiori tarditate; in alijs, nempe in Æquinoctijs, & in vicinioribus ad hęc, minori: in nonnullis, vt mensis Iunij fine, &

& initio Iulij per duas horas, & ferè quadrantem; in alijs, vt mensis Martij fine, & initio Aprilis, per horam, & quadrantem. Quare crepusculum matutinum durat vt minùs per horam, & dimidiam in omnibus mensibus, excepto Martij fine, & initio Aprilis: ideoq; ordinariè per horam, & dimidiam ante Solis ortum poterit celebrari extra finē Martij, & initium Aprilis: cui horæ, & dimidiæ si addas dimidiam aliam, in qua ad exordiū auroræ absolvatur Missa, item si addas quadrantem iuxta dicta in præcedenti numero, sequitur; posse celebrari ordinariè per duas horas, & vnum quadrantem ante Solis ortum extra finem Martij, & principium Aprilis; ex quibus sicut adimendus est vnus quadrans, ita potest futè addi fini Iunij, & principio Iulij. Loquutus sum de crepusculo matutino in climate altitudinis poli à trigesimo nono vsque ad quadragesimum, & secundum (intra quam latitudinem sita est Salmantica, vbi hęc scribo, quę existit in gradu quadragesimo, & vno, minutisque viginti; Vrbesque aliæ Castellæ veteris; & novæ neque gradum hunc superant, neq; inferiores sunt illo) nam si altitudo sit ad gradum circiter quinquagesimum, erit ibi maius crepusculi spatium, nimirùm trium horarum in mensibus Maio, & Augusto, ferèque totā æstate, ac vere, vt ex P. Clavio notat Arriaga D. 54. S. 2. num. 17. Vt autem singulis mensib⁹ hora matutini crepusculi, & ortus Solis cognoscatur à Sacerdotibus, qui Castellæ veteris, & novæ incolant loca, sicq; sciant, quo tempore valeant celebrare, apponam in fine Operis tabulam elaboratam in hunc finem à P. Martino Stephano Nostræ Societatis, conformemque doctrinæ P. Clavij; quæ pro totā Hispania parùm plus, minusve deservire potest. Pro alijs verò climatibus adhibendæ erunt similes aliæ tabulæ, quæ circumferuntur, consulendaque erit doctrina P. Clavij in Cap. 3. Sphæræ Ioannis de Sacrobosco. Notandum hìc est, P. Suarium Disp. 80. sect. 4. V. *Secundò inquiri*, habere hęc verba: Hinc Gabriel supra (id est, Lect. 14. in Canonem Missæ, lit. *C.*) cum Scoto in 4. Dist. 13. quęst. 2. dicit, licitum esse inchoare Missam vna hora, & quarta parte alterius ante ortum Solis. * Sic ibi Suarius; quem de non rectè viso Scoto culpat Antonius Hiquæus post Fabrum Disp. 54. Cap. 2. num. 20. Sed Eximi⁹ Doctor optimè vidit Gabrielem, quem citat, & ex eo Scotum, nam Gabriel cū ipso vnam horam, & quintam partem horę designat. Et licet in textu Oxoniēsi lecto à Fabro, & in novissimè edito ab Antonio Hiquęo nō designètur nisi spatium vltra medietatem horæ, & quintā vnius horæ; ast in Reportatis ad 4. Dist. 13. q. 2. §. *Requiritur etiam* ex editione Lucæ Vvadingi pag. 707. exprimit vnā horam æqualem, & quintam partem alterius Doctor Subtilis.

5 Diximus, non esse licitum celebrare regulariter ante auroram, eisdemque fundamentis, quibus id probauimus, ostenditur, licitum esse è contra incipere privatas Missas statim post auroram. Et quanuis Telesphorus Papa dicat Cap. *Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris* 48. de Consecratione Distinct. 1. *reliquis* vltra hanc noctem *temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam* (numerando ab ortu Solis) *minimè esse celebrandas*; oportet explicare Telesphorum Papam de Missis solēnibus, & conuentualibus; vel si de omnibus, oportet dicere, prohibitionem illam fuisse ab contraria consuetudine abrogatam quoad privatas Missas. Et verò circa Missas solemnes, & conuentuales, horamq; celebrandi ipsas olim, legatur Suarez Disp. 80. sect. 4. V. vltimo, necnon Scortia Lib. 2. de Missæ Sacrificio Cap. 15. num. 2. nosque dicemus multa in Sectione 3. Nunc seruāda est regula præscripta in Missalis Romani Rubricis generalibus §. 15. à n. 2. vbi non designatur dies, sed Officij hora, post quam dicendæ sunt; hora autem Officij anteponi aliquantulū potest, & postponi horę diei pro cōmoditate Cleri, & populi ex rationabili causa, vt obseruat Suarez supra, & dem⁹ōstrat praxis; potestque aliquando ex graui causa, & cessante scandalo, dici Missa solemnis, & conuentualis, quin præcesserit recitatio Officij, quod respondet horæ in Choro Ecclesiarum, vbi datur obligatio canendi diuinum Officium; nam si hęc obligatio non detur, necesse non est attendere siue horæ Officij, siue horæ diei, vt ab aurora vsque ad meridiem cantentur Missæ solemnes, & conuentuales. Quod à fortiori verum est de Missis non diei, etiam si cum cantu dicantur.

cantur. * Hę enim Missæ, iuxta varias consuetudines, & devotiones, ferè indifferenter toto matutino tempore dici possunt, sicut Missæ privatæ. Ita enim habet consuetudo, neq; aliqua Ecclesiastica constitutio in contrarium obstat. * Quæ sunt Suarij verba in loco præcitato. Sed iam ex Missali Romano recognito à Clemente VIII. & Vrbano VIII. §. 15. Rubricarum generalium num. 5. *Missæ votiuæ, si solemniter celebrentur pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicendæ sunt post Nonam*, videlicet Officij recitati in Ecclesijs, in quibus Chorus est ex obligatione.

Exceptiones generalis regulæ non dicendi Missam ante auroram.

6 Prima est in nocte Natalis Christi Domini. Quam exceptionem ponit Telesphorus Papa Cap. *Nocte sancta*, confirmatque Ecclesiæ consuetudo celebrandi primam Missam statim post mediam noctem. Num verò duæ aliæ possint dici ante auroram? Tractabo in D. sequenti.

7 Secunda est in necessitatis casu dandi viaticum ægroto, nam si probabiliter, prudenterque timeatur, esse obiturum sine viatico, nisi anticipetur celebratio Missæ, poterit hæc dici statim etiam post mediam noctem, quin desideretur Prælati licentia, si quidem præceptum, seu consuetudo Ecclesiæ non celebrandi ante auroram non sit introducta cum tanto rigore, vt per illam intendat Ecclesia, ne fieri possit aliud, vrgente præfata necessitate: quæ si valet ad vnam horam, quidni ad duas, vel tres? cum non sit facta specialis prohibitio pro duabus, vel tribus, vel potiùs pro his, quàm pro vna, maximè in necessitate tam priuilegiata, qualis est viatici: ex cuius denegatione timeri magis debet scandalum, quàm ex Missa dicta post mediam noctem proximè ob eius concessionem. Ita Cardinalis de Lugo Disput. 20. sect. 1. num. 26. post Vazquium Disp. 232. Cap. 3. num. 29. Victoriam, Laymanum, & alios apud Dianam parte 2. Tract. 14. Res. 33.

8 Tertia est ratione consuetudinis contrariæ vigentis iam diu alicubi, vt in aliquibus Prouincijs Septentrionalibus, in quibus, quia Sol multò seriùs, quàm alibi, oritur, proindeque matutinum tempus est valde breue ad celebranda, & ad audienda Sacra, in vsu est, vt tempore hyberno inchoentur Sacra notabiliter ante auroram. De qua consuetudine testantur Amic. Disp. 33. sect. 12. num. 328. Arriaga Disput 54. sect. 2. num. 15. Dicastillus Tractatu 5. D. & dub. 4. num. 56. & de simili alia Belgij, ac Galliæ Aquitanicæ testatur Navarrus in Enchiridio Cap. 25. n. 85. vt operarij, & famuli queant Sacris interesse: nec damnant eas cõsuetudines, vt neque alij Authores, qui earum meminerunt.

9 Quarta est Episcopi agentis iter; ait enim Glossa ad Cap. finale de Priuilegijs in 6. *Cum altari viatico poterit Episcopus (pone, vadens ad Curiam) de manè ante campanam diei dicere, vel facere dici Missam, & pergere vias suas; & sic non impedietur in diæta: quod fieret, si haberet necesse, expectare diem, & horam solitam, & opportunitatem Ecclesiæ.* Sic Glossa communiter recepta, quin designet, quota hora ante auroram possit Episcopus ipse, vel alius coram ipso celebrare. Vbi de non video, quo fundamento Cardinalis de Lugo supra num. 27. restringat ad vnam horam ante; neque cur Dicastillus supra num. 57. asserat, Glossam attribuere Episcopis facultatem dispensandi pro aliquo casu cum alijs ex rationabili causa in lege, quantumuis Pontificia, non celebrandi ante auroram. Nullum quidem est in Glossa verbum de tali facultate. P. Vazquez supra num. 28. fatetur, Episcopos habere eam facultatẽ ex interpretatiua concessione Pontificis. P. Suarez Disp. 80. sect. 4. V. *Tertia exceptio*, ait, competere ipsis vel ex ordinario iure, vel ex consuetudine introducta sic intelligente, aut declarante legem illam. Sed siue vnum, siue alterum magis approbetur, ad rem moralem parùm interest; nisi quod Suarez, & Vazquez conuenire in eo videntur, vt possint Episcopi dispẽsare cum alijs (non per priuilegium generale, sed in particulari casu occurrente) non tantùm ex itineris, sed etiam ex cuiuslibet alterius negotij rationabili causa. Quòd si cum alijs possunt, multò potiùs secũ; quanquam Glossa non loquatur nisi de rationabili causa itineris. Quæ causa, similisque alia satis est, vt vi ordinariæ potestatis,

potestatis, quam habent dispensandi cũ suis, possint Provinciales, & Superiores locales, dare eandem licentiam suis subditis, sumereque sibi, iuxta Thomã Tamburinum Lib. 1. de Missa C. 6. §. 4. num. 6. cum Suario tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. Cap. 8. n. 18. iuncto Cap. 13. & cum Hieronymo Rodriguez in Compẽdio, Resolutione 25. num. 3. alijsque citatis, & subscriptis à Hieronymo Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij, Diff. 8. dubio 1. puncto 2. num. 3. Sufficit etiam iuxta Henriquez, & Sà, vt quilibet Sacerdos celebret ante auroram sine dispensatione, aut privilegio. Scribit enim Henriquez Lib. 9. C. 24. §. 5. ✻ Inter Episcopi prærogativas numeratur, vt ante lucẽ celebret, iter facturus :: Idem possent alij Clerici, quando ex honesta causa indigent, vt commodè iter agant. ✻ Sà verò ait V. *Missa*, num. 27. in editione antiqua, ✻ Ante auroram celebrare licet ob necessitatem, aut vrgentẽ causam, vt ob iter faciendum. ✻ Ambo sequuti sunt Dominicum Soto in 4. Distinct. 13. quæst. 2. artic. 2. dicentem, ✻ Propter causam verò legitimam, vt causa celebrandi in die festo, quando quis iter facit, licet paululò, vel ante auroram, vel post meridiem celebret, quanuis sine dispensatione id fieret, non condemnarem ad peccatum, saltẽ mortale; secus si anticipatio, vel postpositio longior esset. ✻ Sic Soto. Et in eodem sensu intelligẽdi sunt Henriquez, atque Sà, nam notabilis anticipatio sine privilegio, aut dispensatione, neque est consueta, vt cum Laymán, & Diana ait Aversa quæst. 11. sect. 15. V. *Deinde*; neque licet ob specialem vnius, alteriusve commoditatem; secus ob communem populi instituturi peregrinationem, tunc enim vna hora ante auroram celebrare, fas erit, nam cum ex dispensatione, & privilegio sæpe eo tempore celebretur, credendum est, stante ea vrgenti causa communi, nolle Pontificẽ, vt vim habeat consuetudo celebrationem ante auroram prohibens. Ita Castro Palao Tractatu 22. D. vnica, puncto 7. num. 13.

10 Quinta exceptio est ratione privilegij. Refert autem ex Paludano Dominicus Sotus supra, ✻ Papam dispensare cum Cardinalib⁹, vt ante lucanas Missas celebrent, hoc est, paulò ante auroram. ✻ Notatq; Henriquez supra, gaudere hoc privilegio, etiam quando iter non faciunt. Videantur alij Authores apud Dianam parte 5. Tract. 2. Resol. 77. parte 6. Tract. 8. Resolutione 40.

11 Sunt prætereà pro Religiosis multa privilegia, vt possint celebrare ante auroram. Paulus III. in Brevi expedito anno 1545. Presbyteris Societatis Nostrę facultatem concessit, *Missas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & etiam infra horam post meridiem, quando, & quoties, stante legitimo impedimento, moderno, & pro tempore existenti Præposito Generali id necessarium, vel aliàs in Domino expedire visum fuerit*, celebrandi. Ita in Brevi incipiente, *Inter cunctas*. Rursus Gregorio XIII. in Bulla data anno 1579. exordienteque, *Quanta in vinea Domini* indulsit maiori cum extensione Presbyteris Societatis Nostrę, vt *Missas per horam ante auroram, & infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa de Præpositi Generalis, vel cuiuslibet alterius ad id ab eo deputati licentia, celebrare valeant*. Hæc facultas, vt adtertitur in Cõpendio privilegiorũ Nostræ Societatis, V. *Missa*, §. 3. communicatur à R. admodùm P. N. Generali omnibus Superioribus Societatis, & ijs, quibus ipsi commiserint. Sed ad eius vsum opus est, intervenire causam itineris, vel alterius legitimi impedimẽti, vt constat ex tenore Bullæ, ideoque vi huius non possunt Sacerdotes Societatis pro mero suo libito celebrare vna hora ante auroram, vel post meridiem; sed debet adesse rationabilis aliqua, & iusta causa

12 Iam tamen per communicationẽ factam à P. N. Generali fruimur privilegio Bullę Sixti V. incipiẽtis, *Decet R. Pontificem*, datę die 5. Septembris anno 1586. Congregationi Oratorij in Vrbe, iuxta quod Sacerdotes omnes Societatis (vt significavit P. N. Generalis) possunt celebrare per semihoram *ante auroram*, quin necessaria sit licentia Superioris, & quin opus sit causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti. Cęterùm quia Pontifex addit in ea Bulla, *Volumus, quòd hoc Indulto parcè vtantur*, debent Nostri Sacerdotes nosse, esse etiam id sibi iniunctum.

13 Similiter per communicationem factam ab eodem P. N. Generali

li videmur gaudere privilegio Brevis dati à Gregorio XIII. die 14. Auguſti anno 1583. Sacerdotibus Ordinis Sancti Hieronymi in Hiſpania, vt pro commoditate familiarium, & ſervientium, ſicut refert Garcia eiuſdē Ordinis Tractatu 3. Diſſ. 8. dub. 1. punct. 2. n. 15. in Summa de Excellentijs Sacerdotij, poſsint Miſſam etiam per horam ante crepuſculum diei celebrare ſine ſcrupulo. Sic traditur in Compendio privilegiorum illius Ordinis V. *Celebrare*, §. 8. & quanuis ibi nō explicetur, conceſſum fuiſſe hoc privilegium per Breve, extat tamen Romæ apud Noſtros authenticum eius tranſumptum, vt teſtatur, qui M. SS. additiones ad Compendium noſtrorum privilegiorum concinnavit iuſſu P. N. Generalis poſt revocata ab Vrbano VIII. vivæ vocis Oracula. Appoſui ſupra, *Videmur gaudere*, &c. nam in eis additionibus tacetur, (niſi omiſſum ſit ex tranſcribentis incuria) P. N. Generalem voluiſſe, vt adderetur communicatio eius privilegij; ſed cum dicatur, voluiſſe, vt adderetur ipſum privilegium, videtur non alia ex cauſa, quàm communicationis.

14 P. Dicaſtillus Tractatu 5. Diſp. & dub. 4. num. 65. exiſtimat, Sacerdotes Societatis communicare in quodam privilegio celebrādi cauſa itineris ſtatim poſt mediam noctem; quod privilegium dicitur eſſe conceſſum Benedictinis. Ego hactenus in Societate non vidi vſum talis privilegij; nec eius fit mentio in additionibus illis M. SS. & niſi loquatur de conceſſo Benedictinis Congregationis S. Iuſtinæ, de quo poſteà, dubito, an tale ſit, quale refertur à Dicaſtillo; ſed vt poſt duas horas à media nocte celebrent Monachi Montis ferrati in Eccleſia ſui Monaſterij ob multitudinem confluentium ad illam: quę Bulla eſt Alexandri VI. & in ea ſub nomine Eccleſiæ poſſe intelligi quemlibet locum, vbi erectum ſit altare intra Monaſterium, probabile videtur Thomæ Tamburino ſupra num. 12. cum Peyrino; poſſeque in ea communicare alios Religioſos participantes, quanuis pro illis deſit illa cauſa multitudinis concurrentis, docet Cardinalis de Lugo ſupra num. 27. & Thomas Tāburinus num. 11. Qui à num. 8. vſque ad 15. expendit alia privilegia Mendicantium, nempe illud Gregorij XIII. conceſſum Congregationi S. Iuſtinæ, vt Religioſi, *Dum ſunt in itinere* (vti videntur etiam eſſe, qui ſunt in procinctu ad viam) *poſsint celebrare inter auroram, & mediam noctem*: illud item conceſſum vivæ vocis Oraculo à Leone X. Fratribus Minoribus, *Vt de Superiorum ſuorum licentia* (*quorum conſcientijs remittit, quomodò Fratres debeant vti hac gratia*) *poſsint celebrare illicò poſt Matutinum, & poſt meridiem, præſertim diebus, quando eſt de audienda Miſſa præceptum, quando Fratres debent ambulare, ſeu quando de via veniunt, & non poſſunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè poſsint Miſſam audire; vel honeſtè celebrare. De æſtate verò, quando noctes ſunt breuiores, etiam ante Matutinum Chori, vel infra, dummodò celebraturus illud perſe, aut cum ſocio dixerit, pro vt conſuetum eſt in Ordine, cum Prima.* In quibus verbis particulam *Præſertim* non excludere alios caſus, & *Matutini* nomine non requiri, quòd ſit finitum; imò neq; iam requiri, quòd ſit recitatum ab ipſis, ſunt, qui affirment apud Tamburinum; ad quem remitto Lectorem, & ad alium Tamburinū, Aſcanium nomine, tomo 2. de Iure Abbatum Diſp. 5. quæſito 7. Dianam parte 11. Tractatu 2. Reſ. 3. Lezanam tomo 1. Quæſtionū Regularium Cap. 21. num. 2. Azorium tomo 1. Lib. 10. Cap. 25. q. 5. Ioannem de la Cruz Lib. 2. de Statu Religionis, Cap. 5. titulo de privilegijs circa Miſſam, Ludovicum de Miranda tomo 1. Directorij Prælatorum Regularium q. 40. artic. 10. Brunonem Chaſsaing de Privilegijs Regularium parte 2. Tract. 8. Propoſitione 2. Emmanuelem Rodriguez tomo 1. Quæſtionū Canonicarum, & Regularium quæſt. 43. art. 1. 2. & 3. nam ego in materia Pontificiarū Bullarum, privilegiorum, & Oraculorum pro Religioſis didici ex aliorū periculo, non interponere meum iudicij, affirmando, vel negando, fuiſſe aliquid indultum, niſi eis lectis vſque ad apicē, & iota vnum; ſecus ac deprehendi factum ab aliquibus Authoribus, qui ex fide aliena attribuunt Bullis multa lōgè extranea à Pontificum mente, nec diſcernunt (vti iam opus eſt) inter priuilegia bullata, & vivæ tantùm vocis Oraculo conceſſa.

15 Sed non omittam dicere, Religioſorum privilegia, antiquiora Tridentino Concilio, non eſſe per hoc

revocata Sessione 22. Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ, vbi habetur, *Ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis cauent, ne Sacerdotes alijs, quàm debitis, horis celebrent:: non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.* Non sunt, inquam, revocata, tum quia, vt ait Cardinalis de Lugo suprà num. 29. Concilium ibi solùm imponit Episcopis, vt illis omnibus remedium adhibeant, & curent obseruari: vbi ergo Episcopi nõ repugnent, non est, cur Regulares amittant sua privilegia. Tum quia non sunt horæ indebitę, in quibus licet ex facultate Pontificis celebrare, vt inquit Dicastillus suprà numero 69. Tum quia in anticipatione horarum ad celebrationem à Religiosis nullus superstitioni locus timeri communiter potest ab Episcopis; quare, deficiente eo timore, non videtur Concilium præcipere Episcopis, vt caveant, ne Sacerdotes Religiosi alijs, quàm debitis, horis celebrent, Neque obstat quædam Declaratio Cardinalium Interpretum Cõcilij Tridentini dicens, *Ante diem, & horis indebitis celebrare non licet etiam vigore priuilegiorum à Sede Apostolica ante Concilium Tridentinum concessorum.* Nam de talis Declarationis authentica authoritate nõ constare, responderi potest cum Thoma Tamburino suprà num. 17. Neque item obstat, quod addit Arriaga Disputatione 54. sectione 2. numero 16. scilicet mandatum Concilij non posse esse vllius momenti, si per illud non sint revocata Religiosorum privilegia. Nam respondere in promptu est, magni ponderis, & efficaciæ fore in casu, quo videant Episcopi, dari locum aliquem superstitioni, aut gravi alij incommodo contrà decentiam Sacrificij diuinissimi, tunc enim Religiosi debebunt, non se protegere suis privilegijs.

16 Bulla Cruciatæ concedit facultatem Commissario, vt dispenset cum personis nobilibus, & quæ iuxta ipsius arbitrium qualificatę sint, quatenus possint Missas per horam, ante lucẽ, & post meridiem audire, & celebrare facere. In quibus verbis tacitè subintelligitur facultas Commissarij ad dispensandum cum Sacerdote præfatæ cõditionis, vt celebret vna hora ante lucem, & alia post meridiem. Ita Bardi supra Capite, & num. 2. Mendo Disp. 37. Cap. 12. num. 99. alijque scribentes in Bullam Cruciatæ. De illa autem conditione memorata agemus cum ipsis in Disp. 23. Et hæc de exceptione quinta ob privilegia.

17 Quæ penes multorum sententiam sic intelligenda sunt, vt anticipatio, quam concedunt, sit supra tempus, in quo sine privilegijs celebrare liceret ex iure communi, aut ex consuetudine recepta. Vnde si privilegium concedat facultatem celebrandi vna hora ante auroram, poterit inchoari Missa vna hora, & tribus quadrantibus parùm plus, minusve ante auroram, iuxta dicta in numero 3. Præcipuus Author sententiæ memoratæ est Pater Suarez tomo 3. in 3. partem, Disputatione 80. sect. 4. Vers. *Tertia exceptio*, & tomo 4. de Religione Tractatu 10. Libro 8. Capite 3. numero 6. quia privilegiũ tantùm operatur (scilicet vltra ius cõmune) quantùm sonat, & quia alioquin illud esset inutile, nihilque operaretur, si privilegiato non permittat extensionem supra tempus iure communi concessum. Respondeti potest, dari sæpe privilegia, vt certius, magisque sine scrupulo procedatur in ijs rebus, quæ etsi opinione complurium sint de iure communi; non tamen in aliorum; non secus ac ipsemet Eximius Doctor in secundo loco præcitato, numero 7. docet, non esse inutile privilegium indultum Societati de anticipatione Missæ ex licentia Superioris, tametsi hic, quà habet iurisdictionem quasi Episcopalem, posset suo iure, & sine novo privilegio præbere licentiam in particulari casu ad anticipandum ratione itineris, vel communicandi infirmum, vel alterius necessitatis non valde magnæ. Respondeti secundò potest ex eodem Suario Libro 8. de Legibus Capite 22. ex numero 3. extare plura privilegia, quę solummodò concedant potestatem, vel actionem novo modo; vel novo titulo aliquam vtilitatem moralem secum adducente in habitu saltem, & aptitudinaliter pro casu, in quo ius generale decerneret postea contrarium; & huius generis, ac qualitatis videri privilegia sermoni subiecta, cum verba nõ fonent nisi anticipationem Missæ per horam ad auroram;

quæ iure communi, vel consuetudine est alioqui prescripta vt terminus, ante quem non est celebranda Missa. Etsi vero Theologi probabiliter discurrãt in trium illorum quadrantum designatione ad inchoandam Missam ante auroram, discursus ille non est ius commune, neque consuetudo vicem communis iuris sortita, neque Pontifices habuerunt respectum ad concedendum aliquid vltrà illum. Et videtur præseferre absurditatem, vt die Iunij 22. in qua crepusculum incipit hora secunda, & dimidia noctis, possit à Religioso inchoari Missa quadrante vno ante primã noctis horam. Nihilominus sententia Suarij est admodùm probabilis, tutaque in praxi, & multorum Doctorum suffragio comprobata. Quod si Religiosus Sacerdos operetur iuxtà eam, adsintq; Sæculares, qui scandalizari possint, oportebit, vt sui facti rationem reddat fundatam in priuilegio. Si autem illi necdum sedentur, scandalum erit passiuum ex ignorantia affectata, & proinde habendum insuper à Sacerdote Religioso, maxime si sua interfit sacrificare tunc.

SECTIO II.

Vltrà quam in die horam non liceat differre Missam? Vltrà quam regulariter?

18 RESPONDEO, non esse regulariter licitum celebrare post meridiem. Responsi probationes eædem sunt, quæ alterius in sect. 1. de non licità regulariter celebratione ante auroram. Addo Motum proprium Pij V. editum anno 1566. die 29. Martij, incipientemq; *Sanctissimus in Christo Pater*, estque Bulla IV. in nouissimo magno Bullario Romano, vbi præcipitur *In virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis Pontificiæ, ac perpetuæ suspensionis à diuinis pœna districtiùs inhibetur, ne deinceps Missas vespertino tempore, licentiarum, ac facultatum, aut alio quouis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumatur.* Vlteriùs aduerto, Pontificum priuilegia, in quibus conceditur facultas celebrandi vna hora post meridiem, indicium esse tam mentis Pontificum, quàm eorum, qui talia priuilegia postulant, quatenus regulariter, & communiter, iureque ordinario non liceat celebrare post meridiem; frustrà enim precibus impetratur, quod iure communi est concessum, *l. 1. Codice de Thesauris, Capite Si Papa 10. de Priuilegijs in 6.*

19 Sed tamen Navarrus in Enchiridio Cap. 25. num. 85. scribit, ✻ Non esse suo indicio illicitum, celebrare post præteritam notabiliter horã sextam (id est, horam meridianam) tum quia non est textus, neque ratio, quæ prohibeat ieiuno, vbi sine scandalo potest, facere Missam ante nonam, id est, ante horam tertiam pomeridianam: tum quia est oblatio, & Sacrificium incruentum à Sacerdote in persona Christi oblatum, & idem, quod ea hora ab ipsomet Christo fuit oblatum cruentum:: & frequenter id feci, præsertim diebus festis, vt ego, & mei iter facientes, & post meridiem peruenientes ad loca intenta, satisfaceremus præcepto. ✻ Ita doctissimus, iuxtaque pijssimus Navarrus; & ex eo Emmanuel Sà in editione priori ait, V. *Missa* num. 27 ✻ Ante auroram celebrare licet ob necessitatem, aut vrgentem causam, vt ob iter faciendum; &, si absit scandalum, licet etiam hora nona, scilicet tertia hora post meridiem. ✻ Concordant Martinus Alfonsus de Vivaldo in Candelabro aureo inquiens 1. parte numero 151. de Sacramento Eucharistiæ, ✻ Imò (quod plus est) quod ait Navarrus, posse quemlibet Sacerdotem absque vllo priuilegio Missam celebrare, etiam post meridiem vsque ad horam nonam, quæ durat à meridie vsque ad tres horas post meridiem. Quam opinionem vltra rationes, quas ibi tradit, amplector, quia rationi videtur esse conformis. ✻ Consonant Pitigianus, Llamas, & Salzedus citati à Leandro Tractatu 8. Disputatione 6. quæstione 9. à Diana parte 11. Tractatu 1. Resolutione 10. Vers. *Ex his*; fauent etiam Hieronymus Columbus L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia Cap. 72. numero 17. Franciscꝰ Ovandus in 4. Distinctione 13. propos. 11. atque Noster Tannerus tom. 4. D. 5. q. 9. dub. 4. n. 61. non esse condemnandũ peccati

peccati mortalis, qui privatim, citra scandalum, celebraret ad horam tertiã pomeridianã. Hi Authores scripserunt post Navarrũ, & ex antiquioribꝰ Theologis adducũtur alij à Raphaele Aversa q. 11. S. 13. §. *Quintò ex*, à Dicastillo Tract. 5. D. 4. dub. 5. num. 75. qui in num. 78. propendet penè in sententiam Navarri, eamq; non admodùm improbabilem censet Azor tomo 1. Lib. 10. C. 25. quæst. 2. Audiatur vnus Scotus inter veteres, qui in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. §. *Tertium principale*, num. 18. ait, *A principio diei vsque ad nonam Missa congruè celebratur:: Terminus celebrationis, scilicet hora nona, colligitur ex consuetudine Ecclesiarum: & ille terminus maximè attenditur in diebus ieiuniorum, quando regulariter in Ecclesijs Collegiatis consuevit circa horam nonam Missa de ieiunio celebrari.* Sic Doctor Subtilis. Legatur Alexander de Arioſtis in Summa Confeſſorum Lib. 3. tit. de Clericis, pag. 624.

20 Cæterùm etſi fateamur, Miſſarum celebrationem olim peractã fuiſſe hora nona, quæ eſt tertia poſt meridiem, imò & ſeriùs (de quo in Sectione ſequenti) tamen iam regulariter non licet, eò vſque differre, obſtat enim conſuetudo contraria multis abhinc annis vigens, obſtant ſemel, & bis Rubricæ Miſſalis Romani approbantes eam conſuetudinem; & cum in eis Rubricis dicatur, Miſſarum debitum tempus eſſe ab aurora vſquè ad meridiem; & in Concilio Tridentino Seſsione 22. Decreto de obſeruandis, & evitandis in celebratione Miſſarum moneantur Epiſcopi cavere, *Ne Sacerdotes alijs, quã debitis, horis celebrent*, videtur Concilium reputare, alias à debitis eſſe regulariter eas horas, quæ ſunt ante auroram, & poſt meridiem, & quę excluduntur per Miſſale Romanum. Vnde nullus non Epiſcopus graviter puniret Sacerdotes frequenter celebrantes horã tertia pomeridiana. Et populus offenderetur, atque ſcandalizaretur videns, aut ſciens celebrationes tam ſerotinas, ac veſpertinas.

21 Stet itaque, Miſſam regulariter non eſſe celebrandam hora tertia pomeridiana, imò neque ſecunda; illa enim, & hæc hora longè diſtant à meridie, qui eſt terminus regulariter præfixus Miſſæ, vltra quem non licet ordinariè, eam celebrare. Sed eſt terminus non ſumptus rigidè, atque exactè pro puncto meridiano Solaris altitudinis, provt de aurora diximus. Quare admittit aliquam latitudinem, & extenſionem vltra illud punctum; ſic declarante conſuetudine Eccleſiæ, quæ meridiem præfixit vt terminum. Imò huiuſmodi terminus admittit maiorem latitudinem, quàm aurora; ſic concorditer cenſentibus cunctis Theologis, motis exinde, quòd, vt ſapienter ait Cardinalis de Lugo Diſputatione 20. Sectione 1. num. 41. * Terminus ille meridianus olim non erat; imò Miſſa dicebatur poſt meridiem, & aliquando poſt nonam. Poſteà verò quia hora fortaſſe prandij cæpit anteponi, & minus patienter ſuſtinebatur ieiunium, cæpit etiam anteponi hora celebrandi: aliquali tamen libertate retẽta, præſertim cum non omnes ita tempeſtiuè prandere vellent; ſed aliquando vel propter negotia, vel propter feſtivitatem oporteret, quòd Officia longiùs protraherentur; ideo antiqua illa libertas tardiùs celebrandi non fuit omnino reducta ad terminum indiviſibilem. At verò terminus auroræ ſemper fuit præfixus; neque enim ſcimus, vnquam licuiſſe celebrare tempore nocturno, niſi ex ſpeciali privilegio: ideo aurora minus moraliter accipitur, quã meridies: ad quem cum homines ſponte ſua, & ob propriam commoditatem ſe induxerint, potuerunt ſibi illum terminum ſtatuere cum aliqua maiori latitudine. * Sic Eminentiſſimus Cardinalis.

22 Sed continuò ſciſcitabitur quis, quanta poſsit eſſe latitudo ſine peccato etiam veniali, & ſine ſpeciali aliqua cauſa vltra libitum Sacerdotis celebraturi? Mihi videtur, poſſe eſſe ad duos horæ quadrantes parùm plus, minuſve. Idque aſſero poſt lectos, & expenſos plures ex Authoribus, quos adducit Diana parte 2. Tractatu 14. Reſolutione 34. parte, & Tractatu 4. Reſolutione 105. parte, & Tractatu 5. Reſolutione 58. Tractatu 13. Reſolutione 7. parte 10. Tractatu 12. Reſolutione 26. & quos affert Leander Tractatu 8. Diſputatione 6. quæſtione 11. agentes de hoc caſu. Ratio eſt, quia vnus horę quadrans parùm plus, minuſve non eſt latitudo ſufficiens ad peccatum veniale reſpectu auroræ vt termini.

Ergò cum iuxta dicta paulò ante terminus meridiei possit accipi maiori cum latitudine, videtur, duos horæ quadrantes parùm plus, minusve fore, vt non sufficiant ad peccatum veniale. De Antecedenti dixi in Sectione proximè elapsa. Et consequēter ad discursum inibi factum, celebratio Missæ vltra duos quadrantes facta pro mero libito Sacerdotis non erit immunis à peccato veniali; si autem fiat vltra tres quadrantes, non erit immunis à lethali. Si horologia discordent, poterit Sacerdos conformare se tardiori, quia probabiliter indicat meridiem, dum non constat esse malè compositum, aut ex industria retardatum, sicut solet fieri in magnis solemnitatibus ea de causa, vt maior sit ob expectationem concursus ad Missam solemnem, & ad concionem. Tunc quidem si horologium nimis retardetur, & cum sit re apte hora v. g. prima post meridiem, sonet duodecimam, non licebit Sacerdoti inchoare Missam hora verè prima in alia Ecclesia, vbi festivitas non agitur, neque populus confluit. Ast vbi agitur, licebit, vt posteà notabo.

23 Rursus quæret quis, an latitudo, concessa à nobis in termino meridiano, sit ad finiendam Missam, vel etiam ad inchoandam? Respondeo, esse etiam ad inchoandam, vt iam animaduerti in Sectione vicina. Vnde Missa incipi poterit ex mera Sacerdotis volūtate, & sine peccato aliquo hora duodecima, ac dimidia inchoante. Hactenus de hora, vltra quam regulariter, & cōmuniter debet non differri incæptio Missæ.

Exceptiones generalis regulæ non dicendi Missam post meridiem.

24 IN raro aliquo casu posse dici Missam post meridiem, docet Suarez Disp. 80. sect. 4. V. *Quocirca* his verbis, * Si festum sit solēne, & Missa publica, & concio non finiātur vsque ad vnam, vel duas horas post meridiem, tunc posset Missa priuata inchoari post finitum solemne Officium, maximè ne aliqua pars populi Missa priuetur, iuxta doctrinam Leonis Papæ Epistola 81. ad Dioscorum Cap. 2. Idemque permitti potest, si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi in die festo, paulò post meridiem, dummodò vnius horæ tempus nō excedatur. Quod significavit Soto supra; & fauet consuetudo, imò est regula Missalis, in qua non sine causa additur illa particula Cōmuniter. * Ita Eximius Doctor. Cōtra quem aduertunt Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 1. num. 24. Arriaga D. 54. sect. 2. num. 14. particulam illam *Communiter* non haberi in Missali edito à Pio V. neq; in reformato à Clemente VIII. Et Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dub. 5. num. 82. dubitat, num habeatur? Sed immeritò, nam extat in Missali Pij V. & Clementis VIII. titulo de defectib⁹ §. 10. num. 1. Decisio Suarij in primo casu est etiam multorum aliorum Doctorum; seruaturque passim in praxi, vt Missa priuata inchoetur post concionem, etiam si hæc finiatur hora prima pomeridiana, quia cum tunc duret Missa solemnis, nihil mirum, si illud tempus reputetur idoneum ad Missam priuatā. Imò paulò post Missam solemnem inchoari etiam posse priuatā, docet Suarez, consentitque Vazquez D. 232. C. 4. num. 37. ast refragatur Bonacina D. 4. q. vltima, puncto 9. n. 6. vbi requirit licentiam Episcopi ad hanc postpositionem vltra tempus Missæ solemnis. Sed frustrà, nam necessitas populi expectantis, vt audiat Sacrū die illo festo, ac solemni, excusat sufficienter à petitione licentiæ. Et præterea laberetur temp⁹, abiretque populus, interim dum nuncius adiret Episcopum, rediretque inde.

25 Decisio Suarij in secundo casu plures etiam habet patronos tā ante, quā post ipsum, vt videre est in Castro Palao Tractatu 22. Disput. vnica, puncto 7. num. 14. in Francisco de Lugo Libro 5. Cap. 5. quæst. 7. num. 78. in Thoma Tamburino Lib. 1. de Missa, Cap. 6. §. 4. num. 23. Probantque tum ex consuetudine, tum ex eo, quòd ratione itineris, vel similis alterius necessitatis, causæve iustæ licet aliquantò anteponere Missam auroræ; quæ est terminus admittens minorem latitudinem, quàm meridies. Ergo eadem ratione itineris licebit postponere meridiei Missam per horam. Ego fateor, licere postponere per maius temporis spatium, quàm sit illud, per quod anteponere auroræ Missam licet. Sed

vna

vna hora videtur esse valde magnum spatium, maximè si hora computanda sit vltra duos quadrantes, post quos à meridie fas esse dixi inchoare Missam ex mero libito Sacerdotis, & absq; causa aliqua necessitatis. Insuper si Sacerdoti simplici liceret ratione itineris incipere Missam vna hora post meridiem; frustrà inter Episcoporum prærogatiuas recenseretur hęc ab Authoribus cõmuniter, quòd Episcopi possint ratione itineris celebrare, vel facere celebrari coram se vna hora post meridiem. Nisi dicatur, hanc prærogatiuam valere pro quouis die indiscriminatim; cum tamen Sacerdos simplex possit solùm pro die festo. Cęterùm multi Authores non restringunt simplicis Sacerdotis potestatem ad solum diem festum. Nisi itẽ dicatur, Episcoporum prærogatiuam deseruire, vt vltra horam permissam cuiuis simplici Sacerdoti ratione itineris, possint Episcopi, vrgẽte eadem itineris ratione, postponere per aliam horam, atque adeò exordiri Missam hora secunda, & semis-pomeridiana. Sed hęc extensio apparebit ex se se nimia; & similiter respectu Religiosorum, quibus Pontifices Summi concesserunt priuilegium, vt per horam post meridiem celebrare valeant itineris, vel alterius legitimi impedimenti causa; provt Sacerdotibus Societatis indulsere Paulus III. & Gregorius XIII. quanquam Arriaga D. 54. sect. 2. num. 20. Francisc⁹ de Lugo Lib. & Cap. 5. quęst. 7. n. 79. Gavantus in Rubricas Missalis parte 1. titul. 15. num. 1. lit. Y. non vereantur admittere, posse Sacerdotes nostros, stante ea causa, celebrare ex hora secunda.

26 Priuilegio præfato dato à Paulo III. & Gregorio XIII. vti possunt Superiores Societatis, & ij, quibus ipsi commiserint; opusque est ad licitum eius vsum, vt adsit causa itineris, vel iusta alia, nec sufficit merum arbitrium Superiorum, siue Prouincialium, siue localium. Porrò autem circa postpositionem Missæ non est [quod sciam] facta generaliter in Societate communicatio aliorum priuilegiorum, qualia sunt duo concessa Benedictinis, & præsertim Congregationis S. Iustinæ, vt queant ob causam itineris, vel ob iustã aliam celebrare vsque ad nonam inclusiuè, numeratam ex Solis ortu.

27 Quorum priuilegiorum occasione notat Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 1. num. 42. post Francolinum, non esse vniuersaliter verum, sed tantũ in Æquinoctijs, nempe die 24. Septembris, & die 21. Martij, nonam numeratam modo dicto coincidere cum hora tertia post meridiem; nam in Solstitio hyemali, propter diei breuitatem, scilicet die 22. Decembris, nona attingit solùm ad horam secundam post meridiẽ cum quadrante; in Solstitio autem æstiuo, nimirùm die 22. Iunij, propter maiorem diei longitudinem, attingit vsq; ad horam tertiam post meridiem cum tribus quadrantibus, quippe nona occupet dimidiam partem temporis fluẽtis à puncto meridiei vsque ad occasum Solis. Hęc adnotatio vtilis est Religiosis, qui prædictis priuilegijs concessis, siue ante, siue post Concilium Tridentinum, à quo non sunt reuocata anteriora iuxta probabilem sententiam in Sectione antegressa, vti possint, & velint, conducit enim, vt sciant, quo tempore fas sit ipsis ratione itineris, vel alterius iustæ causæ celebrare Sacrum post horã etiam tertiam, & quo tempore non liceat post horam secundam cum quadrãte. Dicastillus supra dub. 5. num. 74. & 84. ait, curandum non esse multùm de hac adnotatione, quia nona in eis priuilegijs sumenda est moraliter, sicque accipienda pro tertia pomeridiana, non secus ac aurora, & meridies sumuntur moraliter provt termini Missarum. Iudicent alij de exempli efficacia.

28 Interim dum ego moneo, priuilegia concessa ante Motum proprium Pij V. anno 1566. cautè esse practicanda, ne Missæ vergant in vespertinas. Ita Pellizarius Tract. 8. C. & sect. 2. Subs. 1. num. 99. cum Naldo, dicunt namque, ea esse abrogata per illum Motum proprium. Moneo etiam, vi priuilegiorum post concessorum posse probabiliter Sacerdotes Regulares differre Missam ad horam v. g. vltra totum illud tempus pomeridianum, in quo eis liceret, si non essent priuilegiati. Valet enim & hic opinio Suarij, complurium-que aliorum, de qua in Sectione superiori. Et hæc satis de priuilegijs Regularium ad post positionem Missę, ob causam datam in num. 14.

29 Inter occasiones licitas postponendi Missam meridiei omittenda nõ

est memoria necessitatis moribundi, qui aliàs decedet sine viatico, est enim maximè privilegiata; proindeque ad viaticum tunc ministrandum poterit à Sacerdote ieiuno celebrari Sacrũ quacumque hora post meridiem, si absque Missa non valeat provideri ei de viatico ob defectum formularum præconsecratarum. Quæ facultas conformis est doctrinæ num. 7. & conformior rationi, quò postpositio Missę ad meridiem vsitatior quondam fuit, quàm antepositiò ad auroram. Patrocinanturque expressè Franciscus de Lugo Lib. & C. 5. quęst. 7. num. 77. Arriaga D. 54. sect. 2. numero 20. qui citant Auersam, & alios.

30 S. Thomas ad 3. addit alios casus irregulares, seu extraordinarios celebrationis post meridiẽ, imò & post nonam horã ab ortu Solis, vt patet ex cõtextu. Verba S. Doctoris hęccine sũt, *Potest tamen tardari, maximè quando sunt Ordines faciendi, & præcipuè in Sabbatho sancto, tum propter prolixitatem Officij, tum quia Ordines pertinent ad diem Dominicum, vt habetur in Decreto Dist. 75. Cap. Quod à Patribus. Possunt tamen celebrari in prima parte diei propter aliquam necessitatem, vt dicitur de Consecratione Dist. 1. Cap. Necesse est*, &c. Sic S. Thomas. Et quoad primum casum de die Ordinationum ait Layman Lib. & Tract. 5. C. 4. num. 4. nihil obstare, quin hodie etiam possit in die Ordinationum cantari solemne Officium Missæ post nonam horam ab ortu Solis. Sentit id ipsum Navarrus apud Suarium D. 80. S. 4. V. *Quo circa*, & antiquiores alij apud eundem Laymanum. Nihilominus cum Suario existimo, morem illum antiquum esse iam omnino abrogatum, & debere non revocari propria cuiusque authoritate. Mirorque, Laymanum eius sententiæ fuisse post visum Pij V. Motum proprium, cuius mentionem ipse facit num. 3. & nos supra retulimus verba omnino inhibentia vespertinas Missas. Non igitur iam seruandum est, quod tradebatur in C. *Quod à Patribus* 4. Dist. 75. in C. *Ordinationes Presbyterorum* 7. ibidem.

31 Quoad secundum casum de die Sabbathi sancti existimo similiter, non esse iam licitum celebrare Missam siue privatam, siue solemnem post horã nonam ab ortu Solis. Olim in Sabbatho sancto celebrabatur circa noctis principium, vt constabit ex Sectione proxima; sed iam diu cõsuetudo illa obsolevit, & Missa solemnis, quæ sub noctis initium celebrabatur, dicitur per anticipationẽ matutino tempore, atque ante meridiem. Hugo Victorinus Lib. 3. de specialibus Missarum obseruationibus Capite 21. testatur, *Modernorum debilitatẽ ad epulas festinantem tempus præuenisse constitutum*, cum tamen *verè antiqui, iam ferè transacto die Sabbathi, Officium hoc celebrarent*. Quod Hugonis testimonium intelligendum est de aliquarum Ecclesiarũ vsu, non autem de omnium, siquidem ætate S. Thomæ, qui centum propè annis posterior fuit Hugone, retineretur alicubi vetus mos celebrandi sub noctis initium.

32 Tertius casus subiunctus à S. Thoma pertinet non ad postpositionem, sed ad antepositionem Missæ. Et in Cap. *Necesse est* 51. de Consecratione Dist. 1. (quod Caput adducitur à Sãcto Thoma) supponitur vsus dicendi Missam prima diei parte, quin constet, sic vocari ibi spatium temporis, quod antecedit auroram: fortè sic appellatur tertia hora ab ortu Solis respectiuè ad sextam, & nonam, quatenus tertia hora esset prima diei pars deputata ad celebrandas Missas in diebus solemnibus: multòque minus constat, celebrationẽ Missæ ea prima diei parte fuisse propter aliquam necessitatem. Legatur Caput 2. Epistolæ 81. S. Leonis Magni, ex quo desumptum est à Gratiano C. illud *Necesse est*, & innotescet sensus verborum S. Leonis. Vult certè S. Leo, vt si Missa celebrata sit parte prima diei coram his, qui primi aduenerint, & posteà ratione festivitatis solemnioris ingens multitudo populi conueniat, iteretur Missa. Quare necessitas, de qua ibi habetur sermo, non est ad Missam in prima diei parte, sed ad iterationem Missæ in alijs diei partibus. Non subticebo hic, Pium V. in Motu illo proprio, quem citaui, mentionem facere consuetudinis quarundam Ecclesiarum dicendi *Missas media nocte, & seu in aurora Natiuitatis, ac de mane Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, & forsan aliarum festiuitatum*. Pius autem prohibet vespertinas Missas, ad quas occasionem arripuerant ex illis alijs, & nec reprobat, nec approbat illas alias, vt admonent Vazquez D. 232. C. 3. num. 33. Amicus D. 33. sect. 12. numero 326. & manifestum erit legenti

totum

totum Motum proprium. Vnde minus benè scripsere Suarez Disp. 80. sect. 4. V. *Sed quæres primò*, & Tannerus tomo 4. D. 5. quæst. 9. dub. 4. num. 64. Pium V. vetuisse omnes nocturnas, vel matutinas Missas.

33 Casibus allatis à S. Thoma adiungit alium P. Henriquez Lib. 9. C. 24. §. 6. & cum eo Layman supra, Fagundez in præceptum primum Ecclesiæ Lib. 3. C. 17. num. 19. necnon Leander Tract. 8. D. 6. quæst. 13. de die funebri Regis, aut Principis, tunc enim propter funus licebit inchoare Missam longè post meridiem, si Officium defunctorū sit ante inceptum, quia hoc initiato, cēsetur & illa inchoari. Sed securius erit, incipere Missam in meridie, tametsi postea interrumpēda sit iustis exequiarum, & absoluenda valde serò. Atque ita in funere Regum factum fuisse Salmanticæ, finitamque esse Missam hora quarta post meridiem, asseverat Henriquez supra in glossa, littera *A*. Et ita practicari, æquum esset, quando Academia magnificè impendit exequias mortuo Regi, aut Reginæ, aut Principi. Hoc tamen anno 1658. die 31. Martij in celeberrima festivitate actionis gratiarū pro nativitate desideratissimi Principis Philippi Prosperi (quē Deus multos annos servet!) incæptæ simul sunt in Scholarum atrio maximo solemnes Missæ Vniversitatis, Collegiorumque quatuor Maiorum ad horam secundam, & absolutæ sunt paulò post horam quartam, interposita elegantissima Oratione gratulatoria, concentibusque Musicis gratissimis.

34 Sed cum de Principibus inciderit sermo, notent Magnates, quæ ait Dominicus Soto in 4. D. 13. quæst. & art. 2. circa finem, ✻ Sunt Magnates (sic ille) qui habent privilegium, vt eis per horam à meridie celebretur. Neque verò ita multùm grave est, quādoquidem in primitiva Ecclesia etiam tardiùs celebrabatur. Attamen quòd hoc fiat ad inseruiendum delitijs eorū, qui noctes, aleis, & crapulis vacando, in dies vertunt, diesq; dormiendo, in noctes, non potest non esse vituperio dignum. ✻ Hucvsque Sotus, quem imitatur Petrus Matthæus in annotatione ad Const. 2. Pij V. & quia in Regis Catholici Curia multi abvtebantur huiusmodi privilegijs, revocavit ea Sixt⁹ V. per suum Nuncium, vt prodit memoriæ P. Suarez Disput. 80. sect. 4. V. *Quòd autem.*

SECTIO III.

De hora celebrandi antiquitus.

35 S. Telesphorus Papa, qui anno 142. sedem Apostolicam Romanam tenuit, scripsit in Epistola ad omnes vniuersaliter C. 2. *Reliquis temporibus (à nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris) Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrādæ.* Referuntur hæc verba à Gratiano Can. *Nocte sancta* 48. de Consecratione Dist. 1. Non constat ex eis clarè, an Telesphorus quasi de novo decreverit horam tertiam ab ortu Solis, vt ex illa, & non anteà posset celebrari, an solummodò supponat frequentiorem vsum iam receptum non sacrificandi ante illam, faciatque exceptionem anniversariæ noctis natalitię Christi Domini? Posterius id indicat Damasus in Lib. Pontificali dicens de Telesphoro, ✻ Hic fecit, vt in Natali Domini nostri Iesu Xpi noctu Missæ celebrarentur; cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare, quia ea hora Dominus noster ascendit in crucem. ✻ Similia habet Anastasius Bibliothecarius in vita eiusdem Thelesphori. Sed prius illud innuitur ab Amalario Libro 3. de Ecclesiasticis Officijs C. 42. his verbis, ✻ Memoratus Papa Telesphorus scripsit, quo tempore primo diei liceret Missam celebrare. Legitur in gestis Pontificalib⁹, dixisse memoratum Papam, vt ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare. ✻ Consonat Vvalafridus C. 23. de Ecclesiasticis rebus; & Luitprandus C. 9 de Vitis Pontificum Romanorum ait, ✻ Ante horam diei tertiam, Missā celebrari prohibuit. ✻ Et quidem initio nascentis Ecclesiæ nulla fuit præfinita hora ad sacrificandum, & siue noctu, siue interdiu divina Liturgia peragebatur, provt occasio se offerebat, & per Gentilium in Christianos tyrannidem, persequutionesque licebat, vt Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationū Ecclesiasticarum, Lib. 3. de Missę antiquis ritibus C. 1. confirmat luculentis testimonijs.

De

36 De Missis solemnibus, & conuentualibus solùm, an etiam de priuatis loquatur Telesphorus? Indecisũ relinquunt multi Theologi, & Canonistę. Sed certè de omnibus indiscriminatim videtur loquutus, nam rationes valent ęquè pro omnibus, vt notavit Vazquez D. 232. C. 3. num. 30. & tempore illo primitivę Ecclesię, quotquot poterant fideles, conueniebant ad Missas singulis diebus; nec introducta erat diuersitas accidentalis Missarum in solemnes, & priuatas, vt nunc viget. Quare quod modò celebretur ante horam tertiam siue in multorum, siue in paucorũ præsentia, siue in publico templo, siue in priuato sacello, siue in summo altari, siue in minori, siue cum cantu, siue sine illo, fatendum ingenuè est, opponi decreto Telesphori, aut vsui illi antiquissimo, contra quem iam diu prævaluit consuetudo nunc etiam iustis de causis obseruata in tota Dei Ecclesia.

37 Antiquissimus ille vsus retentus per longa sęcula fuit, quoad Missas solemnes, seu quoad eas, quibus frequens populꝰ præsens futurus erat. Vnde lucem accipit C. *Et hoc* 52. de Consecratione Dist. 1. cuius verba à Gratiano, Burchardo, & Ivone tribuuntur S. Augustino, sed sunt Theodulphi in Epist. ad suos Compresbyteros num. 45. & 46. *Missæ* (inquit Aurelianensis Antistes Theodulphus) *quæ per dies Dominicos peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia Canonicè fiunt, abstrahatur, quia pessimus vsus est apud quosdam, quòd in diebus Dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus, mox vbi Missam celebrare, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt, vt per totũ diem à primo mane ebrietati, & commessationi potiùs, quàm Deo deseruiant. Admonendus est populus, vt ante publicum peractum Officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationem audituri conueniant; & Sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas nisi tam cautè ante secundam horam celebrent, vt populus à publicis solemnitatibus nõ abstrahatur. Sed siue Sacerdotes, qui in circuitu Vrbis, aut in eadem Vrbe sunt, siue populus, vt prædiximus, in vnum ad publicam Missarũ celebrationem conueniant.* His ex verbis redditis sine hiatibus, quibus laborat collectio Gratiani, constat hora tertia pro solemnibus Missis ætate Theodulphi florentis ad annum 835. simulque perspicitur, priuatas alias, & peculiares fuisse tunc celebratas valde mane. Sed & anno 540. Concilium Aurelianense 3. Can. 14. decreuit, *De Missarum celebritate in præcipuis dumtaxat celebritatibus id obseruari debebit, vt hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quò facilius intra horas competentes, ipso Officio expedito, Sacerdotes possint ad vespertina Officia, id est, in vespertino tempore conuenire: quia Sacerdotem vespertinis Officijs ab Ecclesia talibus præcipuè diebus nec decet deesse, nec conuenit.* Vbi Concilium Aurelianense, dummodò in diebus festis Sacerdotes auspicentur Missam ab hora tertia, videtur permittere, vt siue seriùs, siue citiꝰ rem diuinam faciant alijs diebus.

38 S. Sidonius Apollinaris L. 5. Epist. 17. ad Eriphium scribit, *Conueneramus ad S. Iusti sepulchrum; sed tibi infirmitas impedimento, ne tunc adesses: processio fuerat ante lucana, solemnitas anniuersaria, populus ingens sexu ex vtroque, quem capacissima Basilica non caperet, & quamlibet cincta diffusis crypto-porticibus. Cultu peracto Vigiliarum, quas alternante mulcedine Clerici, Monachique psalmicines concelebrauerant, quisque in diuersa secessimus, non procul tamẽ, vtpote ad tertiam præsto futuri, cum Sacerdotibus res diuina facienda.* Ioannes Savaro in notis ad hunc locum adducit S. Gregorium Turonensem, qui in Vita S. Nicetij Lugdunensis ait, *Facta quoque hora tertia, cum populus ad Missarum solemnia conueniret.* S. etiam Gregorius Romanus Papa I. in Homilia 37. inquit de S. Cassio Antistite Narniensi, *In oratione se cum magna cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus Sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam vsque produxit.* In Prato spirituali C. 27. dicitur quidam Sacerdos accusatus, quòd die Dominica celebraret *nunc hora tertia, nunc hora nona, vt sibi visum fuisset, neque seruaret solemnem, ac legitimum ordinem sanctæ oblationis.* Quæ expostulatio supponit horam tertiam fuisse præscriptã. De eadem hora intelligendus est Sanctꝰ Gregorius Turonensis, cum in Lib. de Vita SS. PP. C. 11. ait de S. Monegunde, *Venit ad vicum Vrbis Turonicæ, cui nomen est Euena, in quo B. Medardi Suessonici Confessoris reliquiæ continentur, cuius & Vi-*

gilię

gilię ea nocte celebrabantur; in quibus illa attentè excubans in oratione, hora debita cũ reliquo populo ad Missarum accessit solemnia. Hanc eandem horam tertiam prę-terijsse, vt pote designatam pro Missarũ solemnibus in die Dominico, subintelligendum est in eodem S. Gregorio Turonensi Lib. 1. Miraculorum S. Martini C. 5. referente modum, quo S. Martini transitus fuerit ostensus S. Ambrosio, *Cui* (inquit) *celebranti festa Dominici diei istá erat consuetudo; vt veniens Lector cum libro non anteà legere præsumeret, quàm Sanctus nutu iussisset. Factum est autem, vt illa Dominica, Prophetica lectione iam lecta, ante altarium stante, qui lectionem B. Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret. Quod videntes multi, cum nullus eum penitus excitare præsumeret; transactis ferè duarum, aut triũ horarum spatijs, excitauerunt dicentes; iam hora præterijt, iubeat Dominꝰ Lectori lectionem legere, expectat enim populus valde iam lassus*, &c. Sic ibi. Quapropter meritò Durantus Lib. 2. de ritibus Ecclesiæ Catholicæ C. 7. num. 1. & Sauaro suprà existimant, in Can. *Non liceat* 12. Dist. 44. horam tertiam *Sacram* appellari, quia sacris Missarum solemnijs dicata erat. Et quod nunc solemnis Missa in festis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octauas succedat post tertiam decantatam in Choro, sapit morem illum antiquum.

39 Telesphorus duas causas exhibet celebrandi ab hora tertia. Prior est; *Quia & eadem hora Dominus crucifixus est*, linguis scilicet Iudæorum; vt interpretantur S Thomas ad 3. Belethus C. 50. de Officijs diuinis, & Micrologus C. 58. de Ecclesiasticis Obseruationibus; atque de huiusmodi crucifixione explicant non sine S. Augustini, & veterum aliorum exemplo S. Marcum C. 15 V. 25. dicentem, *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*; de crucifixione autem manibus militum accipiunt S. Ioannem Cap. 19. V. 14. narrantem eam ex hora sexta: Cæterùm ego dubitare non possum, quin Marcus, & Ioannes loquãtur de eadem vera, & reali crucifixione manibus militum. Quo autem pacto cõciliandi sint Marcus, & Ioannes, quatenus vnus hora tertia, & alter ex sexta ipsam referant, tractant Baronius anno Christi 34. ex num. 162. Torniellus in Annalibus anno mundi 4084. ex num. 19. Salianus in Annalibus anno Christi 34. num. 51. Petauius Lib. 12. de doctrina temporum C. 19. Suarez tom. 2. in 3. p. D. 40. sect. 6. Maldonatus in C. 27. Matthæi V. 45. Toletus in C. 19. Ioannis annotatione 7. & 8. Iansenius in Concordia C. 142. Barradas in Concordia Lib. 7. C. 13. & 20. alijq; Euangeliorum Interpretes, & qui non minus diuinis, quàm humanis litteris excultꝰ maior est nostro elogio D. Laurentius Ramirez de Prado in Pentecontarcho C. 38. Nobis satis est in præsentiarum dicere, Christum fuisse affixum cruci hora tertia desinente iuxta Marcum, & sexta inchoante iuxta Ioannem.

40 Posterior ratio S. Telesphori est, *Quia eadem hora tertia Spiritus Sanctus super Apostolos descendisse legitur*, videlicet C. 2. Act. V. 16. vbi de hora tertia incipiente censeo sermonem esse. Cui rationi assentiuntur Rupertus Lib. 10. diuinorum Officiorum C. 18. S. Thomas ad 3. & alij. Addique potest ex Isychio ad C. 9. Leuitici Lib. 2. *Agentibus Apostolis sanctum mysterium, & Dominicam Cœnam celebrantibus, aduenisse Spiritum Sanctum.* Imò Demochares C. 4. & 5. de Sacrificio diuino Missæ, Iosephusq; Vicecomes Volumine 2. Ecclesiasticarum Obseruationum Libro 1. de Missæ ritibus C. 16. latè contendunt, primam Missam celebrari cæptam ab Apostolis in die Pentecostes: quo de puncto consulantur Herrera Lib. 1. de Origine, & progressu Cœremoniarum Missę C. 16. Iacobus Pamelius tom. 1. Liturgicon Ecclesiæ Latinæ ex pag. 34. eruditissimusque P. Raynaudus per integrum Opusculum recenter editum de prima Missa.

41 Micrologus suprà assignat & hanc rationem, *Quia inter reliquas Passionis horas tempori Dominicæ Resurrectionis, siue Natiuitatis propinquior esse videatur hora tertia.* Ex Concilio Aurelianensi, & ex Theodulpho supra transcriptis habemus duas alias causas pro Missis saltem solemnibus non differendis vltrà horam tertiam in diebus festis, nimirũ vt Sacerdotes, absoluto citiùs Missarum Officio, possint commodiùs ad Vesperas conuenire, & vt populus possit meridiano tempore, seu hora sexta prandere, si ex tertia interfuerit solemnijs Missarum, & prædicationi. Nunc ad tertiam anticipantur Missę tum ob maiorem

ſorem numerum Sacerdotum; tum ob minorem deuotionem fidelium, qui nō vt olim, frequentarent eas, poſtpoſitis priuatis laboribus, ſi tantùm ab hora tertia inchoarentur; tū ob alias circumſtantias magna ex parte variatas. Quare ab aurora communiter incipiunt. Et non antea, atque de nocte, quia neque Sacerdotes, neque cæteri fideles eſſent ordinariè tam conuenienter diſpoſiti nocturno tempore, ſomnoque vix excuſſo ad operandum, vel intereſſendum diuiniſsimo Sacrificio; & quia ex conuenticulis antelucanis timeri plerumq; poſſent abuſus, ſuperſtitiones, multaq; alia incommoda; & quia æquum eſt, vt præſtantiſsimus Chriſtianæ Religionis cultus exhibeatur Deo in eis horis, quæ magis aptæ ſint, vt publicitùs, & deuotè peragatur; quales proculdubiò ſunt diurnæ. S. Thomas ad 4. præbet myſticam hanc cauſam, *Quia ipſe Chriſtus eſt præſens in hoc Sacramento; qui dicit Ioannis 9. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari: quandiu in mundo ſum, lux ſum mundi.* Adiungit Suarez D. 80. S. 4 V. *Supponendum eſt*, aliam, * Quia hoc Sacrificium eſt legis gratiæ, in qua diuina claritas illuſtriùs communicatur.*

42 Excepit Teleſphorus noctē anniuerſariam Nativitatis Dominicæ ob tantæ feſtivitatis honorem, & ob tā læti myſterij memoriam. Poſt aliquot ſæcula celebratum fuiſſe primo diluculo propter aliquam neceſsitatem coram frequenti populo, perſuadent ſibi multi ex Can. *Neceſſe eſt* 51. de Conſecratione Diſt. 1. Sed iā dixim⁹ in S. proxima nihil inde probari. Nihilo magis probatur ex Can. *Conuenit* 13. de Conſecratione Diſtinct. 5. ex Concilio Aurelianenſi III. C. 28. ex Vaſenſi I. C. 2. ex Capitulis Græcarum Synodorum collectis à Martino Bracarenſi C. 37. ex S. Cypriano in Epiſt. 63. vbi fit mentio de Miſsis matutinis. Nam ſic vocantur per contrapoſitionem ad veſpertinas: & vt ab his diſcernantur, ſufficit, quòd hę celebratæ ſint ex ſexta, & vltra, illæ verò ex tertia hora vſque ad ſextam. Meliùs probatur ex Theodulpho adducto in n. 37. vbi meminit priuatarum Miſſarum ante horam etiam ſecundam, necnon ex Lib. Sacramentorum S. Gregorij, qui in Natali S. Ioannis Baptiſtæ præſcribit Miſſam ſub hoc titulo, *In mane primâ*, id eſt, *In prima aurora*, ſeu *In prima Miſſa de nocte*, vt habet Pamelius in margine tomo 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ pagina 311. & poſteà S. Gregorius deſignat Miſſam in die. Amalarius Lib. 3. C. 38. de Eccleſiaſticis Officijs inquit etiam, *Beatus Ioannes Baptiſta legitur in Euangelio Lucæ repletus eſſe Spiritu Sancto ex vtero matris. Quapropter in exordio lucis diei, quaſi in exordio Natiuitatis, Sacrificiū Deo offertur in honorē eius ad laudem Creatoris, qui illum dignatus eſt honorare ex vtero matris.* Amalarij verbis inſtitit Hugo Victorinus Lib. 3. de ſpecialibus Miſſarum Obſeruationibus C. 6. Idem Amalarius C. 41. eiuſdem Libri ſcribit, *Quod ſuperiùs prætulimus de Natiuitate Ioannis, quæ habet ſuā miſſam in initio lucis, hoc & in iſta* (Chriſti Domini) *retinemus, quamuis multùm diſtet inter ſeruum, & dominum.* Durandus Libro 7. Rationalis C. 13. num. 2. & 3. Radulphuſque infra teſtantur de vſu aliquarum Eccleſiarum quoad Miſſam S. Ioannis Baptiſtæ in ortu diei. Conſtat præterea ex Lib. Sacramentorum S. Gregorij pag. 190. & 327. Radulphoque Decano Tungrēſi propoſitione 23. de Canonum obſeruātia ad finem, in feſtiuitate S. Ioannis Euangeliſtæ celebratam fuiſſe vnam Miſſam primo diluculo, vt & in feſtiuitate S. Laurentij: concordatque Amalarius Lib. 4. C. 40. quantùm ad vtrumque diem. De Miſſa Reſurrectionis Domini in mane apud aliquas Eccleſias loquitur Pius V. relatus ſuperiùs: & Suarez D. 80. ſect. 4. V. *Secunda exceptio*, atque Vazquez D. 232. C. 3. num. 32. aiunt, eſſe vſu receptum in aliquib⁹ Eccleſijs, etiam Romæ, ſolemnem Miſſam ea nocte iam prope auroram cantari. Videātur, quæ de iſta Miſſa obſervabo in Diſputatione ſeq.

43 Non expreſsit Teleſphor⁹ quouſque ex hora tertia poſſent celebrari Miſſæ, ſed tantùm dixit, non eſſe inchoandas ante eam horam. Et quidē olim poſt meridiem, ſeu horam ſextam, imò & poſt nonam ſæpe incipiebāt Miſſæ. S. Thomas in Corp. ait, *Quia Dominica Paſſio celebrata eſt à tertia hora vſque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei ſolemniter hoc Sacramentum in Eccleſia celebratur.* Quare Angelici Doctoris tempore celebrabantur regulariter Miſſę ſiue ſolemnes, ſiue priuatæ ex tertia hora vſque ad nonam. Quod etiam innoteſcit

teſcit ex coætaneo Rege Alfonſo Sapiẽte l. 47. & 48. tit. 4. Partita 1. atque ex paulo antiquiori S. Hildegardi L. 2. Viſione 6. num. 38. & Innocentius IV. Papa anno 1254. apud Bzovium cõtentus fuit caviſſe, ne Græci horam nonam tranſgrederentur in celebrando. Severꝰ Minoricenſis in Epiſtola ad omnes meminit Miſſæ cæptæ celebrari hora circiter ſeptima. Ita apud Coccium in Theſauro Catholico Lib. 6. art. 8. pag. 697. traditq; Coccius, Severum ſcripſiſſe, vel vixiſſe anno 408. S. Ambroſiꝰ Serm. 8. in Pſalmum 118. ad V. 62. inquit, *Plerique ſunt eiuſmodi dies, vt ſtatim meridianis horis adueniendum ſit in Eccleſiã, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc vtique paratus aſsiſte, vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini Ieſu, in quo remiſsio peccatorum eſt, poſtulatio diuinæ reconciliationis, & prorectionis æternæ.* Ætate igitur S. Ambroſij inter horam ſextam, & nonam fiebant Sacra pleriſque diebus, nempe in omnibus, qui non erãt dicati ieiunio, neque ſolemni alicui feſtivitati. Hinc ad noſtra tempora emanavit, vt in feſtis Simplicibꝰ, & in ferijs per annum cantetur Miſſa poſt ſextam in Choro decantatam.

44 Cæterùm in diebus ieiunij fuit antiqui moris, vt Miſſa non celebraretur niſi ex hora nona, tamdiuque protraheretur ieiunium, præſertim in Quadrageſima, quandiu veſpertinum Officium eſſet abſolutum, vt compertum eſt ex Can. *Solent* 50. de Conſecratione Diſt. 1. (qui Canon eſt Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis in Epiſtola ad Compresbyteros num. 39. attamen à Gratiano tribuitur Concilio Cabilonenſi, & à S. Thoma 2. 2. quæſt. 147. art. 7. adſcribitur Chalcedonenſi, ſed neque in vno, neque in alio reperitur) item ex Bracarenſi 1. Can. 16. 2. Can. 9. Gerundenſi Can. 3. Sancto Ambroſio in verbis immediatè antecedentibus ad ea, quę proximè exaravi, Heliodoro, & Chromatio in Epiſt. ad S. Hieronymũ, S. Paulino in Natali 7. S. Felicis, Sancto Epiphanio, & Authore Vitæ Macarij Romani apud Cerdam ad C. 14. Libri Tertullianici de Oratione num. 156. Petro Bleſſenſi Serm. 11. in Quadrageſima, S. Bernardo Serm. 3. de Quadrageſima, Micrologo C. 49. de Eccleſiaſticis Obſeruationibus, Ruperto L. 10. de Officijs C. 18. Petro Abaelardo in Epiſtola 8. ſeu in Regula Sanctimonialium pag. 105. Authoreque Regulæ Monachorum tom. 9. Operum S. Hieronymi, C. 34. & ex alijs relatis à Cerda in Aduerſarijs C. 138. num. 5. ab Albaſpinęo Lib. 1. de veteribus Eccleſiæ ritibus in Obſeruatione 14. à Ioanne Fileſaco in Quadrageſima Chriſtiana C. 5. ab Heriberto Roſvveydo in Onomaſtico ad Vitas Patrum Verb. *Hora nona*, pag. 1043. & à Baronio Cap. 7. in notis prævijs ad Martyrologium, & tomo 1. Annalium, anno Chriſti 34. num. 61. Vnde derivatum eſt ad hodiernum vſque tempus, vt poſt Nonam Eccleſiaſtici Officij cantetur Miſſa in diebus ieiunij, & in Quadrageſima dicantur poſt Miſſam Veſperæ ante prandium.

45 S. Ambroſius in loco citato ſignificat ſatis clarè, non longè fuiſſe finem diei poſt communionem in diebus ieiunij. Concilium Bracarenſe 11. in Can. illo 9. horam decimam non recuſat ad inchoandum Sacrum in die anniuerſaria Cœnæ Domini. Berno Augiẽſis in S. Vdalrici vita apud Surium Iulij 4. refert de ipſo, ✻ Quodam tempore ad Monaſterium Campidonenſe veniens tanta infirmitate tenebatur, vt non niſi inter aliorum manus ſuſtentatꝰ quoquàm poſſet greſſum movere, vel quid cibi pro recreatione virium percipere. Tunc ſub omni celeritate Auguſtam remittitur; oleum ab eo conſecratum defertur. Quo in ipſa ſanctæ Pentecoſtes Vigilia hora diei nona delibutus, in tantùm per gratiam Dei contra ſpem omnium ſubitò convaluit, vt ſe reficeret cibo, ac cum fratribus veſpertinæ ſynaxi incolumis intereſſet, totãque inſtantis feſtivitatis diem ſpirituali iucunditate celebraret. ✻ Quæ narratio abundè oſtendit, quàm ſero in Vigilia Pentecoſtes perageretur publicè Sacrificium Miſſæ.

46 Sed & in Vigilia Paſchę multò tardiùs fuit peractum, ſaltem ad noctis principium, vt ex Ordine Romano de Officijs divinis in titulo *Ordo in nocte Sabbathi ſancti*, ex Rabano Mauro de Inſtitutione Clericorum Lib. 2. C. 37. & 38. Hugone Victorino Lib. 3. de ſpecialibus Miſſarum Obſervationibus C. 21. probat Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. num. 16. Ego addo Canonem *Quod à Patribus* 4. Diſt. 75. Gratianum ſub finem Cap. *Solent* 50. de Conſecratione Diſt. 1.

Diſt. 1. Prudentium in Ode ad accenſionem lucernæ, Alcuinum Lib. de Officijs diuinis tit. de Sabbatho ſancto Paſchæ, Amalarium Lib. 1. de Eccleſiaſticis Officijs C. 12. 16. & 31. Lib. 4. C. 20. & 40. Rupertum Lib. 6. de Officijs diuinis Cap. 22. & 32. Lib. 7. Cap. 11. Gemmam animæ de antiquo ritu Miſſæ Lib. 4. C. 117. Authorem Anonymum vitæ S. Theodoſij Cœnobiarchæ C. 5. in Actis Sanctorum apud Ioannem Bollandum 11. Ianuarij, Authorem incerti nominis de vita S. Vldarici Auguſtanorum Vindelicorum Epiſcopi C. 4. vbi refert, fuiſſe ex hora diei nona incæptum Officium Sabbathi ſancti; additq; * Miſſarum verò ſolemnijs ſolemniter cum Veſpera peractis, corporeque Chriſti diſpenſato, & ſacris veſtibus depoſitis, eo die menſâ appoſita ad refectionem cum magna multitudine conſedit, & omnibus abundanter refectis cũ gaudio ad manſiunculas redire permiſit. * Sic ibi. Et ex antecedentibus confirmatur diſpenſatio corporis Chriſti populo facta in feriâ quinta, & ſexta hebdomadæ maioris, ſicut & ex verbis tranſcriptis innoteſcit in Sabbatho ſancto. Id quod obſeruatu dignum eſt pro Diſputatione præcedenti. Rurſus addo Concilium Rothomagenſe pag. 147. Hugonis Menardi infrà, Ioannem Belethum de Officijs diuinis C. 99. Guilielmum Durandum in Rationali Lib. 6. C. 78. num. 2. & 3. Radulphum Decanum Tungrenſem Propoſ. 23. de Canonum obſeruantia, S. Thomam in præſenti ad 2. & ad 4. necnon ſuper 4. Sent. Diſt. 13 quæſt. 1. art. 2. quęſtiũcula 4. in Corp. Scotum quæſt. 2. art. 3. n. 18. §. *Tertium principale*, Richardum de Mediavilla art. 2. quæſt. 3. Paludanum quæſt. 2. art. 2. num. 8. Tabienam V. *Miſſa*, §. 5. Gabrielem Lectione 14. in Canonem Miſſæ lit. *A.* & *C.* Claudium Saincteſiũ Repetitione 10. de Euch. C. 2. fol. 370. Hieronymum Llamas 3. parte Methodi curationis animorum C. 5. §. 18. Gavantum in Rub. Miſ. parte 4. tit. 10. n. 1. & 45. Ioannem Fileſacum in Quadrageſima Chriſtiana C. 15. pag. 496. Ioſephum Vicecomitẽ Volumine 2. Eccleſiaſticarum Obſeruationum L. 3. de Miſſæ ritibus C. 30. & Volumine 3. L. 3 C. 6. licet in C. 16. ad finem addat, Miſſam celebratam in pervilegio Dominicę Reſurrectionis imperfectam fuiſſe, & ex præſanctificatis; quod abſque vllo prorſus fundamento excogitatur; vt & quod ibidem ab eodem dicitur, necnon à Saincteſio ſupra de matutina alia Miſſa imperfecta, & ex præſanctificatis in eodem Sabbatho; quędam enim Ruperti verba Lib. 6. de divinis Officijs Capite 32. quæ Vicecomiti anſam dederunt, intelligenda ſunt de matutino Sacrificio in die Reſurrectionis, vt ipſe contextus demonſtrat.

47 Confirmo principale intentum, tũ exinde, quòd celebratio Miſſæ ſuccedebat in Sabbatho ſancto poſt Baptiſmum miniſtratum; hic autem hora nona ſolemniter miniſtrabatur, vt multis oſtendit Vicecomes Volumine 1. Eccleſiaſticarum Obſeruationum Libro 1. de Antiquis Baptiſmi ritibus Cap. 26. alijſque antecedentibus: tum etiam exinde, quòd ieiunium in Sabbatho ſancto ſoluebatur, quã ôſeriùs, ad mediam noctem, vt non minus copiosè comprobat Fileſacus ſuprà pag. illa 496. & duabus ſequentibus; ſi verò fideles expectaſſent celebrationem Miſſæ poſt mediam noctem, continuarent poſt hanc ieiuniũ per aliquot horas; quod certè fuiſſet nimis prolixum. Dixi *Quantò ſeriùs*, nam temporum decurſu vti Officium Eccleſiaſticum fuit anticipatum multò ante mediam noctem, ita & comeſtio. Vnde apud Ivonem parte 4. C. 42. legimus, in Concilio Arauſicano 1. C. 2. decretum eſſe, *Vt in Sabbatho ſancto, hoc eſt, in Vigilia Paſchæ, ieiunium ante noctis initiũ niſi à paruulis, aut infirmis non ſoluatur*; & in Concilio Claramontano ad annum 1095. ſtatutum eſt, *Vt in Sabbatho ſancto protraheretur ieiunium circa noctem*; quanquam iam tunc iudicarint Patres, ſatis eſſe, ſi ante horam nonam matutinam non celebraretur eius diei Officiũ, nam & hoc decreverunt, vt noto apud Baronium illo anno, num. 27. & 32. Id quod iuſſum etiam fuit in Concilio Rothomagenſi, ſi credimus Hugoni Menardo ad Librum Gregorianum Sacramentorum pag. 89.

48 Ex his omnibus non immeritò mirabitur quis, P. Suarium tomo 2. in 3. p. Diſp. 46. ſect. 2. V. *Ad aliud fundamentum*, & tomo 3. Diſput. 8. ſect. 2. V. *Tertius dies eſt*, S. 4. V. *Secunda exceptio*, Vazquium Diſput. 232. C. 2. n. 24. Sauſſayum parte 2. Panopliæ Sacerdotalis Lib. 1. Cap. 9. art. 2. §. 3.

Hiquæum

Hiquæum in nota marginali ad Scotum in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. num. 18. §. *Tertium principale*, & in Commentario num. 152. & 153. Binium in notis ad Epistolam Telesphori Papæ, & alios memoratos in Disp. confini num. 18. dixisse, non fuisse inchoatam Missam ante dimidiam noctem. Id certè est cõtra tot Scriptorum Ecclesiasticorum nubem, qui non solùm de Prophetijs, & alijs cœremonijs, sed etiam de Missa ante primum gallicinium loquuntur, & contestantur. Neque opponas S. Hieronymum dicentem ad C. 25. Matthæi V. 6. *Reor, traditionem Apostolicam permansisse, vt in die Vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere nõ liceat, expectantes aduentum Christi; & postquàm illud tempus transierit, securitate præsumpta festũ cunctos agere diem.* Et in Ordine Romano asseritur, esse iuxta Canonum sanctiones, ne populus dimittatur de Ecclesia in Vigilia Resurrectionis Domini ante mediam noctem. Non, inquam, obijcias, nam hinc neutiquam deducitur, non fuisse peractam Missam ante mediam noctem; imò ego inferam oppositum, si enim ad mediam noctem fiebat populi missio, iam priꝰ interfuerat Sacro. Neq; rursus opponas, Christum non surrexisse ante dimidiam noctem: quo fundamento videtur motus P. Suarez in Vers. illo *Secunda exceptio.* Contrà namque est, quòd iuxta eundẽ Suarium Christus non surrexit vsque ad auroram paulò post initium lucis diei Dominici, & tamen non eo vsque differebatur Missa. Neque verisimile est, Ministros Ecclesiæ, & fideles cœteros mansisse in Ecclesia ex initio noctis Sabbathi vsque ad auroram diei Dominici, imò & vsq; ad ortum Solis, continuasseque plerosque ieiunium ex posteriori vespere sancti diei Veneris vsque ad matutinum tempus diei Dominici, imò ex posteriori vespere sancti diei Iovis, ab eo enim ✻ Vsque ad Sabbathum nõnulli serui Dei imitantes Apostolos ieiuni permanebant; aliqui verò contenti erant pane tantùm, & herbis, atque leguminibus, seu sicera, ✻ vt testatur Alcuinus Lib. de Officijs diuinis C. 17. Quare omnes fateri debemus, solemnitatem Christianæ Resurrectionis anticipatam fuisse per aliquot horas; & sicut nunc retracta est ad matutinum tẽpus Sabbathi, ita olim ad noctis principium, quanquàm resurrectio Christi contigerit in aurora diei Dominici, vel prima hora post mediam noctẽ, vt multi Patres significant.

49 De vespertinis Missis quondam vsitatis ratione Ordinum conferendorũ egimus iam suprà quantùm satis est. Legendusq; est Micrologus Cap. 29. Ecclesiasticarum obseruationum. De alijs vespertinis in Sabbathis singulis, & post epulas habitis ab incolentibꝰ Thebaidem, & ab Ægyptijs, qui finitimi sunt Alexãdrinis, extat notitia apud Socratem Libro 5. Hist. Eccles. Capite 21. Sozomenum Libro 7. Capite 19. Nicephorum L. 12. Capite 34. De alijs etiam vespertinis in die Cœnæ Domini loquuti sumus in numero 48. Disputationis superioris. Nec quicquam, quod momenti sit, addendum occurrit. Ex Actis Apostolorum Capite 2. V. 42. & 46. colligi potest, vespertino tempore sacrificatum esse ab Apostolis, siquidem tunc primi fideles sumebãt Eucharistiam. Ex eisdem Actis Capite 20. V. 7. inferri potest, celebratum esse à S. Paulo vel paulò ante mediam noctem, vel paulò post. Legantur S. Augustinus in Epist. 86. ad Casulanum Presbyterũ, & Pater Lorinus ad eum locum. De nocturnis sacris Christianorum sermo est Prudentio in Hymno de S. Laurentio. De antelucanis cœtibus ad eadem sacra Tertullianus agit in Lib. de Corona militis Cap. 3. necnon Plinius Iunior Lib. 10. Epist. 101. Tandem de Missis valde diluculò inchoatis à Leone Papa III. instituam sermonẽ in D. succedẽti.

50 Et hæc, qua diligentia potuimus, collegimus de hora celebrandi antiquitus, speramusque, fore non ingrata studiosis antiquitatis Ecclesiasticæ. Quos monitos volumus in fine Disputationis, vt de hora nona ab ortu Solis intelligant Theologos veteres, dum hi dicunt apud Vazquium D. 232. C. 4. num. 34. & 35. tempus idoneum celebrationi esse vsque ad horam nonam, præsertim in diebus ieiunij. Nam etsi Vazquius n. 39. & 40. necnon Hiquæus in 4. Scoti Dist. 13. q. 2. art. 3. n. 154. conẽtur, eos interpretari de Nona Officij Ecclesiastici recitata, vel cantata in Choro valde ante horã tertiã pomeridianã, ast illi loquuti sunt pro suæ etatis more de horã nona diurna, seu de tertia pomeridiana, vt cõpertum erit legenti

ipſos; & quę ijdem, alijq; apud Azoriũ tomo 1. L. 7 Cap. 22. quæſt. 1. & 2. & apud Benedictum Haeftenum Lib. 10. Diſquiſitionum Monaſticarum Tract. 1. Diſquiſ. 2 ſcribunt de hora nona, & de veſpertina ad refectionem in diebus ieiunij. Præterea cum de aurora loquantur vt de temporis termino, à quo licet auſpicari Miſſas, quidni de nona vt de temporis termino, vltra quem non liceret producere niſi in Quadrageſima? Et cur pro priuatis Miſſas haberent curam Nonæ Officij Eccleſiaſtici cantati in Choro valde ante nonam temporis? Imò videntur, nõ potuiſſe habere, tum quia alioqui cenſerent, priuatas Miſſas debuiſſe finiri multò ante meridiem, vel Nonam Officij publici Eccleſiaſtici debuiſſe cantari multò poſt meridiem. Si hoc ſecundum, Nona Officij, & temporis coinciderent. Vnde nihil deſeruiret diſtinctio propoſita à Vazquio inter vtramque Nonam pro interpretandis illis priſcis Theologis. Si primum, eſt valde alienum ab illorum mente, vt qui diſertis verbis pronuncient, poſſe ordinariè celebrari vſque ad meridiem, & in diebus ieiunij vſque ad Nonam, tanquam tempus poſterius meridie.

DISPVTATIO XXII.

DE VNIVS TANTVM MISSAE celebratione ſingulis diebus ab vno Sacerdote.

VERSABITVR HÆC DISPVTATIO *circa Sancti Thomæ doctrinam 3. p. quæſt. 83. art. 2. ad 2. ad 4. & ad 5. meque tacente, res ipſa loquitur, quàm apta connexione ſuccedat poſt præcedentes.*

SECTIO I.

Vnius tantùm Miſſæ celebratio ſingulis diebus regulariter nunc permiſſa eſt cuilibet Sacerdoti.

REGVLARITER nunc non licet Sacerdoti ſæpiùs, ſed ſemel in die celebrare Miſſam. Nam Alexander II. Papa Capite *Sufficit Sacerdoti* 53. de Conſecratione Diſt. 1. edidit Decretum, quod huiuſmodi eſt, *Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit. Non modica res eſt, vnam Miſſam facere; & valde fœlix eſt, qui vnam dignè celebrare poteſt.* Innocentius III. Cap. *Conſuluiſti* 3. de celebratione Miſſarum, & Honorius III. C. *Tereferẽte* 12. titulo eodem inſiſterunt verbis Alexandri II. Ait namque Innocentius, *Excepto die Natiuitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſsitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die vnam miſſam ſolummodò celebrare.* Honorius verò III. inquit, *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare Miſſam ſufficiat, nam & valde fœlix eſt, qui celebrat dignè*

nè vnam; *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Syporina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Habetur ex hoc C. aperta prohibitio, quã exprimit verbum *Mandamus*, etsi neget I. Bernardus Diaz in Practica criminali Canonica C. 30. & cum Honorius vtatur verbis C. *Sufficit Sacerdoti*, videtur & illud C. sic communiter fuisse olim acceptum, vt contineret prohibitionem; quanquam fatear, in eius verbis dici potis, quid sufficiat, quàm quid deberet non fieri, quin aliud posset fieri licitè: & similiter in C. *Tereferente*, non omnino clarè significetur celebrationis plurium Missarum prohibitio. Colligit & hanc Scortia Libro 2. de Missæ Sacrificio C. 16. §. 1. exinde, quòd Alexander existimet, præsumentes contrarium nõ evadere damnationem. Sed certè Alexander sic existimat de celebrantibus vna die plures Missas pro pecunia, aut adulationibus Sæcularium, quin declaret, existimari sic à se de celebrantibus ex devotione, & non ex cõmodo temporali, aut vano aliquo fine. Nã post verba suprà transcripta sequuntur hæc, *Quidam tamen pro defunctis vnã faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecunijs, aut adulationibus Sæcularium vna die præsumunt plures facere Missas, non æstimo euadere damnationem.*

2 Quicquid sit de verborum cortice, vsus Ecclesiæ, & consuetudo multis abhinc annis, necnon communis Theologorum consensus cõfirmant indubitanter prohibitionem expressam in Vvilielmi Episcopi Parisiensis ad Galonis Cardinalis Constitutiones additionibus circa annum 1101. in Odonis Episcopi etiam Parisiensis Synodalibus Statutis ad annũ 1187. in Concilio Lõdinensi, anno 1200. in Oxoniensi, anno 1222. in Constitutionibus Ioannis Episcopi Tusculani, anno 1287. in Concilio Ravennatẽsi II. anno 1311. Rubrica 9. in Cõc. Tolet. ano, an. 1324. apud Biniannam editionem Conciliorũ p. 2. tomi 3.

3 Eius prohibitionis transgressio est mortalis ob materiæ gravitatem; sicut mortalis est etiam transgressio præcepti, ne Laici communicẽt sæpe in eodem die. Vtrumque præceptum eò respicit, vt repetitione diurna Sacrificij Missæ, & communionis Eucharisticæ ab eodem Sacerdote, & Laico non vilescat Missæ Sacrificium, & Sacramentum Eucharisticum. Præterea, vt ait Suarez Disp. 80. sect. 3. V. *Primò certum est*, * Supposita hominũ fragilitate, & cura, ac solicitudine humanarum rerum, vix possunt homines dignè ad vnum Sacrificium se præparare, & ideo vt maiori cum reverentia sacrificent, meritò eis præscribitur, vt semel tantùm vno die sacrificent. * Sic Doctor Eximius.

4 Pœna transgressionis non est statuta in Iure Canonico. * Sed quia tale facinus in conspectu populi grave solet iudicari; idque aliquando avaritiæ causa à pauperculis, & parùm doctis Sacerdotibus perpetratur, non debent Ecclesiastici Iudices illud leve reputare; sed attenta facti notorietate, populique scandalo, personæque perpetrantis moribus, & qualitatibus consideratis, sic in hoc errantes corrigere, vt cæteri pœnæ metu à similibus cohibeantur. * Ita sapientissimus Ioannes Bernardus Diaz suprà, & post ipsum Bonacina D. 4. de Sacramentis q. vlt. puncto 7. in fine, citatis alijs. Vnde cum Diaz, & cum Machado ait Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellẽtijs Sacerdotij Diff. 2. dub. 5. n. 1. punitionem huius delicti pertinere ad Ecclesiasticos Iudices Ordinarios; refertque ex Alfonso de Leone, sacræ Inquisitionis Tribunal posse de eo cognoscere: consentitque Quintanadueñas tom. 1. Singul. Tract. 4. Singulari 10. n. 4. Latet me, an aliquando directè cognoverit? Nec cõtinetur inter cætera delicta reservata Iudicio Sacræ Inquisitionis, quantũ scire possum ex edicto quotannis lecto. Si alicubi id dicarit, aut in posterũ nonnunquã de illo iudicet, erit ob suspicionẽ, quam de hæresi ingeneret, vel ob Summi Pontificis concessionẽ, cuius ego notitiã nõ habeo.

SECTIO II.

Prisca exempla non vnius tantùm Missæ celebratæ regulariter eodem die ab vno Sacerdote.

5 SED licet hæc ita sint, ast antiquioribus tẽporibus celebratio pluriũ Missarum eodem die ab vno Sacerdote non fuit insolita. S. Cyprianus in Epist. 63. scribit, *An illa sibi aliquis contempla-*

tione blanditur, quòd etſi mane aqua ſola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, miſtum calicem offerimus? Quibus ex verbis colligit Iacobus Pamelius, cõſueviſſe quoſdam offerre mane, & veſperi. Concilium Toletanum XII. celebratum anno 681. Canone 5. qui refertur C. *Relatum eſt nobis* 11. de Conſecratione Diſt. 2. redarguit quoſdam Sacerdotes, *Qui non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumerent, quot Sacrificia in vno die viderentur offerre; ſed ſi in vno die plurima Deo Sacrificia offerebant, omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendebant; & in ſola tantùm extrema Sacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumebant.* Hęc ibi. Nec reprehenditur ob multas Miſſas in vno die celebratas, ſed quia in ſingulis ſacram communionem non percipiebant. Concilium Salegunſtadienſe coactum anno 1022. C. 5. decrevit, *Vt vnuſquiſque Presbyter in die non amplius, quàm tres Miſſas celebrare præſumat.*

6 Leo III. Papa, qui gubernavit Eccleſiam ab anno 796. vſque ad 816. celebrabat aliquando ſepties, aliquando novies vna die; vt tradunt Vvalafridus Strabo de Eccleſiaſticis rebus Cap. 21. Gemma animæ de Miſſæ ritu antiquo Libro 1. Capite 114. Guilielmus Durandus in Rationali Officiorum divinorum Libro 4. Capite 1. numero 26 Tranſcribo verba Vvalafridi, * Fidelium relatione virorum in noſtram vſque peruenit notitiam, Leonem Papã, ſicut ipſe fatebatur, vna die ſeptem, vel novem Miſſarum ſolemnia ſæpiùs celebraſſe. Bonifacium verò Archiepiſcopum, & Martyrem ſemel tantùm per diem Miſſas feciſſe. Qui & non longè ante noſtra fuerunt tempora, & ambo tam ſcientia, quàm gradu præcipui. * Sic Vvalafridus. Ex cuius teſtimonio conſtat, Leonem illum Papam non fuiſſe I. ſed III. nam I. valde longè vixit ante tempora Vvalafridi, quippe tenuit Apoſtolicam ſedem ab anno 440. vſque 461. qui annus valde præceſſit annum 849. in quo deceſſit Vvalafridus. Idcirco Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis anno 816. num. 54. ait, ſpectare ad Leonem III. eo defunctum anno, quæ Vvalafridus ſcribit. Notatio hæc detegit deceptionem Duranti Libro 2. de Eccleſiæ Catholicæ ritibus C. 7. num. 9. Martinoni Diſp. 40. ſect. 1. num. 8. Thomæ Hurtadi parte priori Reſolutionum Moralium Tractatu 2. Capite 7. Reſolutione vltima, num. 426. qui anſam arripientes ex Epiſtola 81. Leonis I. ſeu Magni attribuunt ipſi, quòd ſepties, ac novies celebraret, quando videbat, Baſilicam vnam capere non poſſe multitudinem populi confluentis. Cavendum etiam eſt, ne eidem Leoni I. affingatur, quòd ſacrificaret primo mane ante horam tertiam matutinam. Non enim fuit niſi Leo III. vt compertum eſt ex Amalario Lib. 3. de Eccleſiaſticis Officijs C. 42. & L. 4. Cap. 40. ait namq; in priori loco, * Vidi Leonem Apoſtolicum diluculò intrare ad Miſſam, neſcio, vtrùm cauſa neceſsitatis intercedente hoc ageret, an ſola poteſtate? * Ita Amalarius coætaneus non alterius Leonis Papæ, quàm III. & defunctus aliquot annis poſt 831. Nec mirùm, ſi Leo III. exordiretur Miſſam diluculò, præſertim diebus, quibus ſacrificaturus eſſet ſepties, aut novies, Compertum etiam eſt ex ſuperiori illo Vvalafridi teſtimonio, S. Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, & Martyrem non ſæpiùs, ſed ſemel tantùm litaſſe eodem die, etſi primum aſſeveretur à Vazquio D. 232. C. 5. n. 43. ex fide Vvalafridi.

7 S. Vdalricus Epiſcopus Auguſtanus circa annum 940. * Miſſas tres, aut duas, aut vnam, ſecundùm ſpatium temporis cantare quotidie non deſijt, ſi infirmitas corporis, aut aliquod ſtudiũ bonũ ei non ſubtraxit, * vt ex eius vita narrat Baronius tom. 10. Annal. Eccleſ. anno Chriſti 940. n. 6. Et in eiuſdẽ vita apud Surium tom. 4. de probatis Sanctorum Hiſtorijs Iulij 4. lego, * Quòd dũ quadã die ipſe venerandus Pater cũ Conrado diuæ memoriæ Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopo ad prandiũ apud S. Afrã Martyrem conſediſſet; poſtquam conſumptis cibis ab vtriſque diſceſſum eſt, quædã cauſa extitit, qua prædictus Pontifex aduirum Dei mittere debuiſſet; ad quẽ cum legatus ipſius veniſſet, inuenit eũ ſacro altari aſſtantẽ, ac ſalutarẽ hoſtiã Dño immolantem. Quo peracto nũcium audivit, atq; abſoluto redire ad dominum ſuum permiſit. Cumque reuerſus interrogaretur, cur tamdiu moratus fuiſſet? reſpondit, quia virum Dei tamdiu expectaſſet, donec ter Miſſarum ſolemnia peregiſſet. At ille ipſum verbum ab ipſius ore arripiens,

Miſſarum

Missarum, inquit, solemnia celebravit. Tunc quasi subridendo intulit: ecce verò nullus saturior ad mensam altaris hodie accessit. Sed vtrumnam ioco, an seriò hoc protulerit, tamen verum fuit, quod dixit. Cibavit namque Dominus illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum, ita vt rectè cum Psalmista possit proclamare, & dicere, Eructavit cor meum verbum bonum. Et iterùm, Poculum tuum inebrians quàm præclarum est. * Baronius supra ex Vita eiusdem S. Vdalrici transcribit hæc verba num. 4: * Cum ille totam noctem in Dei laudibus ibi, (id est, in Agaunensi loco) permaneret, & manè cum radius Solis primùm latitudini terræ lucem diffunderet, Missam de sancta Trinitate celebravit. Qua expleta, cum alteram statim venerationi diei Dominicæ congruentem celebrare cæpisset, duodecim Clerici cum multitudine populi advenientes, ministerij sui celebrationem audientes perstiterunt. *

8 S. Libentius Episcopus Bremensium ægrotans in festivitate S. Bartholomæi duas celebravit Missas, finitoque pro more Psalterio eadem die gaudens ad Dominum migravit anno 1033. vt narrat Albertus Krantzius L. 4. Metropolis C. 11. S. Aibertus Monachus duas in die celebrabat Missas, vnam pro vivis, alteram pro defunctis. S. Norbertus in die Sabbathi vnam Beatæ Mariæ, alteram defunctorum, vt constat ex prioris Vita apud Surium 7. Aprilis, & ex posterioris C. 13. apud eundem, Iunij 6. Obijt S. Norbertus anno 1134. S. Aibertus Syncronus fuit Summorum Pontificum Paschalis II. & Innocentij II. vt noscitur, ex eius vita, proindeque floruit post Alexandrum II. qui Pontificatum inivit anno 1061. Quare mirum est, SS. Albertum, & Norbertum celebrasse bis eodem die post Alexandri II. Decretum. Fortè tunc nō invaluerat tanquam obligationem inducens.

9 Et ante eiusmodi Decretum anno 800. in formula fraternitatis inter Monasteria Sangallense, & Augiense dicitur, * Quandocumque frater aliquis obierit, & loco, vel senioribus ibidem commorantibus annunciatum fuerit, eo die Presbyteri tres Missas, & cæteri fratres pro eo Psalterium, ac celebrationē Vigiliæ decantent, communisque oblatio ab omnibus fiat. * Et inferiùs, * Semel in anno sub die 18. Kal. Decembris commemoratio omnium simul fiat pro annuali videlicet singulorū defunctorum memoria, ipsoque die Presbyteri ternas Missas, & cæteri fratres Psalterium decantent, ac celebratio Vigiliæ, communisque oblatio ab omnib⁹ fratribus fiat. * Ita apud Benedictum Haeftenum L. 8. Disquisitionum Monasticarum Tract. 1. Disquisitione 4. pag. 792.

10 In C. *Presbyter* 2. Dist. 91. (qui Canon repetitur sub eodem principio, & 1. loco in titulo de Celebratione Missarum, tribuiturque Nannetensi Concilio à Gratiano, & Agathensi à Gregorio IX. Papa, cum tamen in editis non reperiatur) dicitur, *Presbyter manè, Matutinali Officio expleto, pensum seruitutis suæ, canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque, persoluat: ita tamen vt posteà horis competentibus, & signis designantibus iuxta possibilitatem aut à se, aut à Scholaribus publicè compleantur. Deinde peractis horis, infirmis visitatis, si voluerit, ad opus rurale exeat ieiunus, vt iterùm necessitatib⁹ peregrinorum, & hospitum, siue diuersorum commeantium, infirmorumque, ac defunctorum succurrere possit vsque ad statutam horam pro qualitate temporis, & opportunitate.* Vbi quod Presbyter maneat ieiunus, vt subuenire possit necessitatibus, explicatur ab Antonio Rubio in Assertionibus Catholicis contra Erasmum L. 5. Errore 9. fol. 138. de subuentione per Sacrificium, & à Margallo in Expositione tituli de Celebratione Missarū, per iteratam oblationem Sacrificij. Quę secunda explicatio singularis est. Nam in textu non supponitur Presbyter celebraturus, antequàm exiret ad opus rurale; olimque in diebus profestis multò serius, quàm nunc Sacrum fiebat, vt visum est in anteriori Disputatione; quare post reditum ex agro posset Presbyter litare hora tertia pomeridiana, & tardi⁹ in diebus ieiunij cōmunis, etiamsi nulla peregrinorum, aut infirmorum necessitas occurreret. Fateor tamen, probabilē esse intelligentiam Margalli; ideoque nolui omittere exemplum hoc repetitæ celebrationis prisco ęvo: atq; ita mihi suasit post familiarē consultationē Doct. D. Ioan. Rodriguez Armenteros, qui vt est antiquior Antecessor in Pri-

maria Salmanticenſi Canonum Cathedra, ita in eorum penitiſsima notitia nulli ſiue præſentium, ſiue veterum Profeſſorum ſecundus. Poſt hæc ſcripta inueni conſentire cum Maragallo Speculum conſcientiæ Tract. 3. C. 13. §. 9.

11 Sunt & alia exempla. Belethus C. 71. de Officijs diuinis ſcribit, * In Circumciſione duo ſimul facta cõcurrunt, parturientis ſcilicet, & partus, propter Octauas. Vnde ſanè eſt, quòd eo die duas Miſſas celebrare debeamus, primam de Beata Virgine, aliam de Octauis, &c. * Durandus L. 6. Rationalis C. 15. num. 16. tantùm ait, celebrari duas Miſſas. Non declarant, an ab eodem Sacerdote. Sed ex ijs, quę paulò poſt adnotabimus, colligitur, poſſe ſic intelligi. In die S. Ioannis Baptiſtæ tres Miſſas fuiſſe olim peractas ab vnoquoque Sacerdote, vulgatiſsimum eſt, traditurq; inter alios à Petro Galeſino in notationibus ad Martyrologium Romanũ 9. Kal. Iulij, Petro de Ribadeneyra in eius feſto, & à Paulo Roterigio in Triumpho veręglorię vtriuſque Ioannis Curru 1. Laurea 29. num. 183. indicareque videtur Baronius inquiens in Martyrologio, * Olim Latini tribus Miſsis huiuſmodi celebritatẽ agere cõſueverunt, vt Ordo Romanus, Albinus Flaccus, & Amalarius teſtantur. * Quod eatenus verum eſt, quatenus prima dicta ſit in Vigilia, ſecunda in exordio lucis, tertia in die. Ita laudati à Baronio, Author Ordinis Romani in S. Ioannis Natali, Albinus Cap. 30. non tam clarè, Amalarius clariſsimè L. 3. Cap. 38. de Officijs Eccleſ. Hugo Victorinus L. 3. de Miſſæ ſpecialibus obſervationib⁹ C. 6. Durandus in Rationali L. 7. C. 13. num. 2. & 3. Radulphus de Rivo propoſitione 23. de Canonum obſeruantia. Triplicis Miſſæ, quarum vna eſt in Vigilia, formula extat in Libro Gregoriano Sacramentorum apud Pamelium tomo 2. Liturgicon Eccleſiæ Latinæ ex pag. 310. necnon in S. Hieronymi Comite, ſiue Lectionario, pag. 39. Sanct⁹ Vdalricus Antiſtes Auguſtanus ſacrificavit ſemel, & iterùm in die S. Ioannis Baptiſtæ, vt refert incerti nominis Author in eius Vita C. 27. & Berno Abbas in eiuſdem S. Vita C. 23. addit, * Bis, ſicut ea die ſtatutum eſt, ſacra Miſſarum ſolemnia celebravit. * Vnde infertur contra Azorem tomo 2. L. 1. C. 25. & contra Antonium de Herrera L. 1. de Origine, & progreſſu Cœremoniarum Miſſę C. 18. tertiam Miſſam S. Ioannis nõ fuiſſe celebratam in die proximè ſequenti ad eius diem feſtum natalem. Azor allegat Ordinem Romanum dicentem, * In Natali S. Ioannis ideo tres Miſſæ celebrantur, id eſt, vna in Vigilia eiuſdem, duę in diebus ſequentibus, quia tribus triumphis refulſit inſignis, id eſt, officio Præcurſoris, Baptiſtę miniſterio, & quia Nazaræus ex vtero matris permanſit. * Sed ego nõn lego niſi * Duæ in die Nativitatis eius. * Prętereà in S. etiam Ioannis Evangeliſtæ feſto duplex Miſſa fuit quondam facta, vna de mane, altera de die, vt in numero 42. Diſputationis prędictis adſtruxi ex probatis Authoribus, ſimulque in feſto S. Laurentij. Prudentius in Peri-ſtephano Carm. 12. canit de Pontifice Romano,

Tranſtyberina priùs ſoluit ſacra peruigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Nam in die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli operabatur Sacris Pontifex primò in Baſilica S. Petri, ſecundò in S. Pauli, antequàm à S. Gregorio inſtituta fuiſſet commemoratio S. Pauli in Miſſa S. Petri. Notaturq; in Sacramentario Gregoriano publicato à Menardo pag. 112. * Quando Apoſtolicus duas Miſſas celebrat vna die, inter eas nõ lavat os, niſi poſt Officium: ſed abſque interuallo finita priore incipitur altera. *

12 Micrologus C. 58. de Eccleſiaſticis Obſeruationibus indicat, duas Miſſas ab eodem Sacerdote fuiſſe ſæpe peractas, cum inquit, * Quidam ſatis aptè in hoc ieiunio (hebdomadæ Pentecoſtes) duas Miſſas cantant, vnam ad Tertiam ſolemniter, cum Gloria in excelſis, vt feſto Spiritus ſancti ſatisfaciant, alteram poſt Sextam pro ieiunio, ſicut feſto S. Thomæ ſatisfaciunt in ieiunio hyemali, & feſto S. Matthæi in ieiunio autumnali. Item S. Marco in Litania maiore, & Annuntiationi S. Marię in Quadrageſima, videlicet vt prior Miſſa feſto, ſecunda verò ſatisfaciat ieiunio. * Sic Micrologus. Et ſaltem quando vnus tantùm aderat Sacerdos, videtur vtriq; ſatisfeciſſe Miſſę. Nunc autẽ in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ à diuerſis Sacerdotib⁹ in occaſionib⁹ ſimilibus.

Ad

13 Ad hæc: Resurrectionis Dominicæ die bis celebrare permissum erat iuxta Concilium Oxoniense anno 1222. inhibetur enim ibi, *Ne Sacerdos quispiam Missarum solemnia celebret bis in die, excepto die Natiuitatis, vel Resurrectionis Dominicæ.* Et Scotus in Reportatis ad 4. Dist. 13. quæst. 2. V. *Respondeo, quòd*, ait, *In die Paschæ, & Natalis potest bis vti Sacerdos; sed non censetur non ieiunus pro prima.* Non loquitur autem de Missa prima, quæ fuerit celebrata in Sabbatho sancto post nonam horam, & circa principium noctis præcedentis diē Dominicum, vt ipse inquit in Scripto Oxoniensi super 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. §. *Tertium principale*, num. 18. nam talis Missæ celebratio, vtpote ante mediā noctem diei Dominici, & celebratio alterius in hoc die non sufficeret, vt dicecetur Sacerdos sacrificare bis eodē die. Quare etsi affirmet Vazquez D. 232. C. 2. n. 15. in nulla historia, aut scriptore antiquo, aut rituali Ecclesiastico legi, quòd idem Sacerdos bis, primùm in aurora, deinde consueta hora, litarit die Resurrectionis Dominicæ, lectum à nobis, & obseruatum est in Concilio Oxoniensi, & in Scoto. Nunc in nonnullis Ecclesijs permanet vestigium præfati moris antiqui, siquidem, vt iam dixi in D. superiori n. 42. offertur Sacrificiū solemne valde manè in die Resurrectionis Dominicæ. Author innominatus vitæ S. Vdalrici C. 4. narrat, ipsum in die Paschali post Primam celebrasse vnam Missam de S. Trinitate, adstantibus paucis Clericis, & post Tertiam, frequenti populo, cantasse aliā solemnem de festo. S. hic Episcopus toties erat assuetus iterare in die Sacrū, vt non videatur respexisse specialiter ad festum Resurrectionis Dominicæ in duplici illa Missa.

14 Tandem Vvalafridus Strabo loco præcitato scribit ante Alexandri II. sanctionem, * Diuersitas quędā inter Sacerdotes oboriri solet. Quia est talis, qui semel tantùm in die Missā celebrare velit, nimirùm credentes, idē mysterium Passionis Christi cunctarū necessitatum esse generale subsidium; quia vnus, qui dominator, & iudex est vivorum, ac mortuorū, semel pro peccatis nostris mortuus est; ad multorum exhaurienda peccata. Alius bis, ter, vel quoties libet, eadem mysteria iterare in die congruum putat, credentes tantò amplius Deum ad misericordiam flecti, quanto crebriùs Passio Christi commemoratur. Et fortasse consuetudinem suam inde confirmandā existimat, quia Romanorum vsus habet, duas, vel tres interdū vnius solemnitatis facere Missas, vt in Nativitate Domini Salvatoris, & aliquorum festis Sanctorum. Siquidem Telesphorus nonus in Ordine Romanæ Sedis Episcopus in Natali Domini noctu tres Missas celebrari constituit. Et re vera non esse absurdum crediderim, si dum plures in vna die faciendæ sunt Missæ, vnus Sacerdos duas, vel tres, necessitate persuadente, vel volente, celebret potiùs, quàm quasdam dimittat. Ad hoc accedit, quòd totius Ecclesiæ vsus habet, sæpius Missas agere pro vivis, pro defunctis, pro eleemosynis, & alijs diversis causis; quod etiam Officia his attributa testantur. In diebus itaque publica celebritate conspicuis, aut illæ diversarum rerum necessitates sunt intermittendæ, aut concurrentibus sibimet, publica obseruatione, & priuata necessitate, vtriusque expletio suis est discernenda Officijs, vel (quod superiùs commemoravimus) vna oblatione diverse causę sunt explendę: Itaque vnusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet, vt nec sępius offerentes æstiment, Deum aliter petitiones non posse discernere: nec semel hostias per diem immolātes putent, suę fidei subtilitatem potiùs, quàm superiorum devotionem divinis acceptam. * Hactenus Vvalafridus Strabo, qui dicitur obijsse anno 849. & iam est cautè legendus.

15 Vt & cum in C. 22. scribit, * Esse quosdam, qui semel in die communicare, etiamsi pluribus interfuerint Missis; pro dignitate Sacramentorum sufficere credant: esse verò alios, qui sicut in vna, sic in omnibus, quibus affuerint Missis, in die communicare velint. Quorum neutros culpandos existimo. Quia sicut Augustinus ait de his, qui quotidie communicant, & illis, qui rariùs, istos reverentia sanctarum retrahit rerum; illos verò amor salubrium invitat Sacramentorum. * Sic ille. Nec imitandus est Georgius Abbas, qui semel, & iterum communicavit in festo Resurrectionis Domini, referente Prato spirituali C. 127: quia, vt ait S. Vincentius Iustinianus L. de perfectionis

nis gradibus C. 3. *Altaris ſacroſancta myſteria non frequenter ad libitum, ſed ſanctitatis interueniente munditie ſemel tantùm in die valent aſſumi.* Videantur Alenſis p. 4. quæſt. 11. membro 2. art. 4. §. 2. Sanctus Thomas 3. p. quæſt. 80. art. 10. ad 4. & in 4. Sent. Diſt. 12. quæſt. 3. art. 1 quæſtiuncula 4. ad 1. Vaſquez Diſput. 214. C. 3. num. 30. Suarez D. 69. ſect. 4. Verſ. *Dices ſaltem.* Ex quibus primus perſtrinxit breviter rationes prohibitionis his verbis, * Non eſt licitum ſimplici perſonæ pluries ſumere in die, nec communi, ſine neceſsitate. Et hoc propter plures cauſas: quæ ſunt defect⁹ debitę reverentię, prę ſumptio proprię dignitatis, & inſufficientia gratitudinis. Ad hoc enim, quòd quis ſumat corpus Chriſti dignè, requiritur cogitatio excellentiæ Sacramenti, vt ex hoc excitetur ad ſumendum cum reverentia; requiritur etiam reputatio propriæ indignitatis, vt ex hoc excitetur ad ſumendum cum timore; requiritur nihilominus conſideratio divinę beneficentiæ (quæ maxima eſt, & multiplex apparet in beneficio huius Sacramenti) vt ex hoc excitetur ad ſumẽdum cum gratiarum actione. Qui autem dignè ſumit corpus Chriſti, debet ſumere cum reuerentia, & timore, & gratiarum actione, quæ ex tribus dictis proveniunt, & etiam debet ſe reputare inſufficientem in reverentiæ exhibitione, & gratiarum actione, & deficientem in timoris affectione. Si ergo hęc requiruntur in ſũptione, quantumcumque ſit rara, neceſſe eſt, oppoſita contingere in ſumptione bina, vel trina, ſi in vna die accederet, ſcilicet defectus reverentiæ debitæ, præſumptio propriæ dignitatis (nullo enim modo ſumeret quis bis in die, niſi præſumeret ſe dignum aliquo modo) & inſufficientia gratitudinis, ſeu actionũ gratiarum. Propter hæc ergo illicitum eſt, & non permiſſum in Eccleſia, pluries in die ſumere. * Hactenus Alenſis ſapientiſsimè; cuius rationes attigit Biel Lect. 87. in Canonem Miſſæ lit. *R.* deſeruiuntque ęquè, ne Sacerdos celebrando ſumat in die pluries, niſi favẽte ſpeciali privilegio, vel niſi ſuadente neceſsitate, quà ipſe eſt perſona communis, & publica. Tam autem pro Sacerdote, quàm pro Laico facit etiam ea ratio myſtica, quam in C. *Sufficit Sacerdoti* 53. de Conſecratione Diſt. 1. aſsignat Alexander II. Papa, quòd ſcilicet vnica in die ſumptio ſiue Sacerdotalis, ſiue Laicalis exprimat ſufficienter Paſſionem Chriſti, & mortem, quæ, cùm vnica fuerit, totum tamen mundum redemit. Relegatur numerus 45. Diſputationis 20.

SECTIO III.

De tribus Miſsis olim, & nunc celebratis ab vno, eodemque Sacerdote in Natali Domini.

Vbi de priuilegijs quibuſdam ad tres, vel ad duas Miſſas in alijs diebus.

16 HACTENVS de priſcis exemplis, quæ antiquata iam ſunt. Viget tamẽ alia ſatis antiqua conſuetudo, & à S. Hieronymo in Comite, ſeu Lectionario, à S. Gregorio in Libro Sacramentorum, in Antiphonario, & in Homilia 8. Venerabiliq; Beda In Homilia de Nativitate iam olim conteſtata celebrandi ter in die Nativitatis Chriſti Domini: quem diem excipit Innocentius III. in C. *Conſuluiſti*; ſed non exprimit ad trinam in eo celebrationem. Allegari ſolet C. *Nocte ſancta* 48. de Conſecratione Diſt. 1. vbi Teleſphorus Papa inquit, *Nocte ſancta Saluatoris Domini Miſſas celebrent Presbyteri.* Cœterũm neque ſignificatur, fore tres, neque duas; ſed ad C. ſenſum ſatis eſt, ſi ſinguli Presbyteri ſuam celebrẽt Miſſam nocte illa, cum tamen alijs temporibus Sacrum nõ ſit faciendum ante horam diei tertiam. Qui eſt ſcopus C. illius; in quo non dicitur, vt Presbyter, ſed vt Presbyteri celebrent, neque exprimitur numerus trium Miſſarum; & hæ reſpectu plurium Presbyterorum poſſunt eſſe multæ, etſi ſinguli vnã tantùm exequantur.

17 Præfata conſuetudo non eſt præceptiva, ſed permiſsiva tam reſpectu ſimplicium Sacerdotum, quàm Parochorum, nec fideles tenentur audire tres Miſſas. Sed aduertendum eſt cum Pellizario in Manuali Regularium Tractatu 5. C. 9. ſect. 1. num. 23. obligatũ iri per accidens Parochum ad tres, vel

ad

ad duas, si, nisi ipse ter, vel bis sacrificet, notabilis pars populi non poterit vni Sacro interesse, neq; satisfacere præcepto. Porrò autem trium Missarum prima Conuentualis dicenda est *Post mediam noctem, finito Te Deum laudamus in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus, & Prima; tertia verò in die post Tertiã, vel vbi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur.* Ita præscribit Missale Romanũ in Rubricis generalibus titulo 15. numero 4. Cæterùm si privatim celebretur, possunt omnes tres Missę dici in nocte, & omnes tres in die, vt post Suariũ Disp. 80. sect. 4. V. *Tertiò inquiri potest*, docent plures, & ante ipsum Margallus in Expositione tituli de Celebratione Missarum, necnon Tapia Augustinianus q. 8. de Eucharistia, artic. 10. suffragaturque praxis Sacerdotum timoratæ conscientiæ, & præstantis doctrinæ. Quare immeritò Nuñus Cabezudus 3. parte quæst. 83. art. 2. pag. 971. dixit, improbabilem esse opinionem Suarij, (quem vocat semper *Illum Modernum*) & praxim tantùm esse aliquorum Sacerdotum idiotarum. Sed *Ille Modernus* (cuius nomen celeberrimum est vbique gentium) traxit post se sexcentos alios, eiusque sententia in ipsa etiam Romana vrbe sub oculis Pontificis est hodie vsu adeò recepta, vt non possit de illius veritate dubitari iudicio Cardinalis de Lugo Disp. 20. sect. 1. n. 25. Raphaelis Aversæ quæst. 11. sect. 15. V. *Admittitur*, Ludovici Caspensis Tract. 23. D. 3. sect. 2. n. 61. præsertim vbi magnus est Sacerdotum numerus, & parvus altarium, vt notat Gavantus in Rubricas Missalis parte 4. tit. 3. num. 6. Hinc incassum, & quasi contra impetum fluminis Fagundez in 1. Præceptum Decalogi Lib. 1. C. 34. ex num. 12. adnititur firmare contrariam opinionem. Quòd si C. *Nocte sancta* loquatur de tribus Missis, habetur potiùs ex eo (vt videtur intelligere Rabanus Lib. 2. de Institutione Clericorum. C. 31.) celebrandas esse omnes in nocte, seu saltem ante horam diei tertiam. Amalarius Fortunat. in præfatione secunda ad Libros de Ecclesiasticis Officijs vocat secundam in Natiuitate Domini *Missam de nocte*, quãquàm Lib. 3. C. 41. dicat, Authorem Officij statuisse celebrari manè eã Missam; & L. 4. C. 40. repetit, fieri manè eandem Missam. Sed Alcuinus Lib. de Officijs diuinis in principio tradit, Romanos suo tempore solitos peragere nocte tres Missas de Nativitate. S. Bernardinus in Seraphim Quadragesimali Serm. 33. parte 1. ait, *Quilibet Sacerdos celebrat nocte Natiuitatis tres Missas.* Sed fortè nomine noctis totum diem Natalem Christi significat, vt & alij antiqui, quos omitto. S. Thomas, dum ad 4. ait, *Specialiter tamen in nocte Natalis Domini Missa celebratur*, & non Missę, intelligẽdus est de vsu sui temporis, vel de Missa Conuẽtuali, seu solemni. Quo etiam in sensu accipiendo est ad 2. vbi trium Missarum Conventualium tempora designat in nocte, in aurora, & in luce clara: vt & Rex Alfonsus l. 49. tit. 4. Part. 1.

18 Quanquam omnes tres nocte, aut die legantur, non est mutandum aliquod Missarum verbum, * Quia verba non semper referuntur ad tempo, in quo dicuntur; sed ad tempus, pro quo repræsentando, & commemorando dicuntur, * vt animaduertit Suarez suprà: & confirmatur ex Missa Sabbathi sancti, in qua ad mane iam anticipata dicuntur verba significantia noctem. Qui nolet celebrare tres Missas, sed duas, aut vnam siue in nocte, siue in die, posset eligere quas, aut quamcumque vellet; & qui non posset dicere Missas festivitatis, posset pro sua devotione dicere Missas de Beata Virgine, aut de defunctis etiam. Ita Suarez, nam privilegium non est limitatum, vt recitetur vna Missa præ alia privatim; quanquam Gavantus suprà iudicet, non esse dicendam solam primam nisi coniunctam cum Matutino solemniter cantato de more; & in die dicendam esse poti tertiam, quã secundam solam, quia tertiæ Oratio concordat cum Officio.

19 Obseruandum hìc est, non licere Sacerdoti in nocte, aut die Natiuitatis Christi plusquàm vnam communionem Laicalem, si ipse more Laico communicare velit, non celebrando vllam Missam. Quare post vnam communionem Laicalem non potest bis, neque semel celebrare, neque potest è contra post vnam, aut duas celebrationes communicare instar Laici bis, vel semel. Et ratio est, quia privilegium eius festivitatis non dat facultatem ad communicandum pluries quomodocumque, sed celebrando solummodò. Sic cum Cardinali de Lugo Disp. 20. sect. 1. n. 43.

frater

frater eius Franciscus de Lugo Lib. 4. Cap. 9. quæst. 5. num. 46. vbi allegat Dianam, & Quintanadueñas. Consonāt Leander Tract. 8. D. 5. q. 31. Pellizarius in Man. Regularium Tract. 5. C. 3. n. 100. Arriaga Disp. 20. sect. 3. num. 21. Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa C. 6. §. 3. num. 6. novissimèque iterū Diana parte 11. Tractatu 4. Resol. 43. contra Hieronymum Columbum L. 4. de Angelica, & Humana Hierarchia C. 70. num. 14. vbi ait, Sacerdotem cōmunicantem in Missa, cui ministret more Diaconi, vel Subdiaconi, posse bis celebrare in Nativitate. Hinc ego rogat, an posset ante professionem, aut post celebrare bis, vel semel Sacerdos Societatis, qui festo Nativitatis Christi emissurus erat professionem solemnem quatuor votorum, proindeque acceptaturus communionem Laicalem de manibus admittentis, prout fit in Societate iuxta eiusdem Constitutiones parte 3. C. 3. quanuis iste ritus non sit de professionis essentia, vt ibidem notatur in additione marginali littera *A.* omittendusque sit, quando Sacerdos emittit vota simplicia biennij, ne impediatur sacrificare anteà, aut post, vt habetur in Ordinationibus Præpositorum Generalium Cap. 19? Respondi negativè cum Quintanadueñas tomo 1. Singularium Tract. 4. Singulari 9. & cum Pellizario in Manuali Regularium Tract. 3. C. 1. num. 23. suadens simul, ne inconsulto P. Generali, aut Provinciali admitteretur professio sine eo ritu, & ne in alium diem à designato transferretur.

20 Occasione trium Missarum in Nativitate monet Cardinalis de Lugo suprà, posse Sacerdotes in Regno Valentiæ bis celebrare die Commemorationis omnium defunctorum, ratione privilegij à sede Apostolica concessi, essēq; in more positum respectu Sacerdotum Sæcularium, testatur Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 10. n. 3. scribens in eodem Regno, non revocans ad expressum privilegium, sed ad implicitum Summi Pontificis scientis, & consentientis. Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 2. dub. 5. numero 6. extendit privilegium, aut vsū Valentinum ad tres Missas. Credendū magis est Ægidio Trullench quoad Sacerdotes Sæculares, nam quoad Regulares S. Dominici in Regno Valentiæ ait Petrus de Ledesma Tract. de Euch. C. 19. Concluſ. 7. pag. 237. & Emmanuel Rodriguez in Summa tomo 1. Capite 247. Concluſ. 5. pag. 431. gaudere privilegio ad trinam celebrationem, participareque in illo cæteros Religiosos, quibus est communicatio privilegiorum cum PP. Dominicanis; sed extra Regnum Valentiæ debere non extēdi. Marcus de los Huertos apud Leandrum suprà quæst. 42. & apud Garciam suprà affirmat, Monasterium Pampilonense S. Dominici frui simili privilegio, aut eodem per extensionem. De Diœcesi Torrosensi asseverat Garcia, habere in consuetudine inueterata, vt quilibet Sacerdos liteat bis eo die.

21 Eadem occasione ego adverto, Paulum III. Papam anno 1549. in Bulla incipiente *Licet debitum* concessisse, vt Sacerdotes Societatis Nostræ versantes *In Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terris, & Provincijs alijs remotissimis, à quibus non patet aditus ad sedes Apostolica, vt bis eodem die Missam celebrare diuersis in locis valeant, quia in numerosis populis illarum regionum tanta est Sacerdotum raritas, vt vnus plurium curam populorum suscipere debeat.* Sic ibi. Et hoc privilegio vti posse communicātes nobiscum in alijs, probabile est cum Portello, & Thoma Tamburino Lib. & C. 1. de Missa §. 2. num. 6. contra Fagundez, cum Peyrino, & Lezana tomo 1. Quæstionum Regularium C. 21. n. 14. contra Suarez, si communicantes degāt in locis illarum regionum, de quibus loquitur Pontifex, Missionum causa.

22 Redeo ad tres Missas in Natali Domini: quarum dicendarum causas motivas proponit S. Thomas ad 2. his verbis, *In die Natiuitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Natiuitatem: quarum vna est æterna, quia quantùm ad nos est occulta. Et ideo vna Missa cantatur in nocte, in cuius Introitu dicitur, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquā Lucifer in cordibus nostris, vt dicitur 2. Petri 1. Et propter hoc cantatur Missa in aurora, in cuius Introitu dicitur, Lux fulgebit hodie super nos. Tertia est Christi Natiuitas temporalis, & corporalis, secundùm quam visibilis nobis processit ex vtero Virginali carne indutus, & ob hoc cantatur tertia Missa in clara luce, in cuius Introitu dicitur,*

Puer

Puer natus est nobis. Licet è conuerso possit dici, quòd natiuitas æterna secundùm se est in plena luce, & ob hoc in Euangelio tertiæ Missæ fit mentio de natiuitate æterna. Secundùm autem natiuitatem corporalem, ad litteram natus est de nocte, in signum quòd veniebat ad tenebras infirmitatis nostræ. Vnde & in Missa nocturna dicitur Euangelium de corporali Christi natiuitate. Hactenus Angelicus Doctor. Sed & Hugo de Sancto Victore Lib. 3. de specialibus Missarum Obseruationibus C. 5. Authorq; Glossæ in C. *Consuluisti*, alias reddunt causas petitas ex significatione tẽporis, quod fluxit ante legem, & sub lege, & quod nunc decurrit, estque tempus gratiæ, ac lucis plenæ. Tandem pro Missa prima in nocte Natiuitatis fuit motiva causa, iuxta Amalarium L. 3. C. 41. de Ecclesiasticis Offic. * Recordatio Angelorum, qui nocte illa cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, * Et iuxta Rabanum Maurum Lib. 2. de Institutione Clericorum C. 31. * Vt ea hora fideles quoque Sacramentum corporis, & sanguinis Christi perciperent, qua eum inter homines misericorditer natum scirent. *

SECTIO IIII.

De casibus, in quibus irregulariter celebrari potest pluſquam semel in die ab vno, eodemque Sacerdote.

23 INNOCENTIVS III. in Cap. *Consuluisti* excipit causam necessitatis, vt Sacerdoti nõ sufficiat semel in die vnam Missam solummodò celebrare. Non est Pontifici sermo magis de duplici, quã de triplici, aut multiplici Missa, etsi interrogatio Episcopi Vvigorniensis fuerit, vtrùm Presbyter duas Missas in eadem die celebrare valeat? Vnde iudice Didaco de Tapia q. 11. de Euch. art. 5. Suario D. 80. sect. 3. V. *Vt autem*, Petro de Ledesma Cap. 19. de Euch. pag. 240. aliisque Modernis communiter contra plures ex Antiquis apud Cenedum Collectanea 175. ad Decretales num. 4. & apud Gregorium Lopez in Glossa ad l. 50. titulo 4. Partita 1. necnon apud Dionysium Cisterciensem in 4. Dist. 8. quæst. & art. 3. parte 1. dubitatione 2. si suadeat causa necessitatis, fas erit celebrare non tãtùm duas, sed etiam tres, aut quatuor Missas, requisita quidem maiori causa ad tertiam, quàm ad secundam, & graniori adhuc ad quartam, quàm ad tertiam.

Aliqui casus omnino non approbantur.

24 NON est causa necessitatis paupertas Sacerdotis subleuanda per repetitæ celebrationis stipendium; obstat enim Caput *Sufficit Sacerdoti*. Ibi: *Qui verò pro pecunia :: vna die præsumunt plures celebrare Missas, non existimo, euadere damnationem*, peccati scilicet venialis ex pravo illo fine, vt commentatur Vazquez D. 232. C. 5. n. 43. addens, si de damnatione peccati lethalis intelligendus sit Innocentius, revocandum id esse ad antiqui præceptum prohibens, de quo tamen nõ constat. Sed certè Innocentius videtur loquut⁹ de peccato posteriori, nam pro pecunia repetere celebrationem iudicatum fuit quid grave tã ab Innocentio, quam ante ipsum in Ecclesia; voxque *Damnatio* ita significat prolata absolutè.

25 Colligitur ex eodem Cap. non esse causam necessitatis, si post cõsumptas species Sacramentales, & ante purificationẽ sumptam adveniat in Ecclesiã magnus aliquis Princeps Sæcularis auditurus Sacrum in die etiam festo, & desit alius Sacerdos, qui celebret, Nam repetita celebratio videtur fore tunc pro adulationibus Sęcularium; talis autem celebratio damnatur in Cap. *Sufficit*. Ibi: *Qui verò pro :: adulationibus Sæcularium vna die præsumunt plures celebrare Missas, non existimo, euadere damnationem*. Dices, eam repetitam celebrationem non esse nisi pro devotione, & decentia Principis Sæcularis. Sed contra, quia huius devotioni (quę tunc indiscreta erit) & decentiæ præponderat obseruantia consuetudinis Ecclesiæ in celebratione præscriptã. Et quid refert, quod Princeps non audiat illa die Sacrum? Nam si inculpabiliter venit tardè, non peccavit; si culpabiliter, iam peccatum commissum est, nec tolletur

per

per auditionem Miſſæ, ſed per pœnitẽtiam, vt ait Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. num. 45. quę tamen ratio nõ eſt omnino conuincens, vt conſtabit ex nonnullis caſibus, de quibus infrà, & qui à Cardinali de Lugo admittuntur, inſtatur enim manifeſtè in eis. Quare vrgẽtior ratio eſt ea alia à nobis aſsignata; niſi quis adhuc contendat, æquum eſſe, vt ad repetitam celebrationem, in die præſertim feſto, moueret non minꝰ deuotio Regis Hiſpaniæ, aut Galliæ, non audituri alioqui Sacrum, vt ſupponitur, quàm ſpiritualis conſolatio populi alicuius, multitudiniſve magnæ peregrinorum, pro quibus duobus caſibus dicunt communiter Doctores fas eſſe iterare Miſſam. Nõ abſimiliter, ac de Principe Sæculari, ſentiendum eſt, quando adueniat Cardinalis, aut Epiſcopus aliquis. Et *cum cuilibet Sacerdoti, quacumq; dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare Miſſam ſufficiat*, vt aſſeritur Cap. *Te referente*, videtur etiam ob quemlibet Sacerdotem, quacumque dignitate præfulgeat, non eſſe iterandam celebrationem Miſſæ. Vnde à fortiori diſplicet nobis Sà dicens abſolutè V. *Miſſa* n. 24. poſt Silueſtrum, & Maiorem, illum V. *Miſſa* 1. quæſt. 7. §. *Septimò ſi eodem die* hunc in 4. Diſt. 12. & poſt eos Becanus Cap. 25. de Sacramentis p. 2. quæſt. 3. num. 2. repeti poſſe Miſſam, * Cum aduenit (privatus) qui Miſſam in feſto non audivit. *

26 Diſplicent etiam, qui inquiunt id ipſum, quando Parochianus petit Miſſam pro defuncto. Alexander C. *Sufficit*, non improbavit *quoſdam, qui pro defunctis vnam faciebant Miſſam, alteram de die, ſi neceſſe eſſet.* S. Thomas ad 2. ait poſt ſermonem immediatè habitum de tribꝰ Miſsis in die Natiuitatis ab eodem Sacerdote, *Sicut etiam in alijs diebꝰ, in quibus occurrunt plura Dei beneficia vel recolenda, vel expetenda, plures Miſſæ celebrantur in die, puta, vna pro feſto, alia pro ieiunio, vel pro mortuis.* Videtur loqui Angelicus Doctor de duplici Miſſa ab eodem Sacerdote; & non declarat, an ſolùm in caſu, quo deſit alius Sacerdos. Eodem ferè modo loquitur Rex Alfonſus Sapiens l. 50. tit. 4. Partita 1. proximè poſt annum 1255. quo tempore & florebat S. Thomas, & iteratio Miſſarum minoribus de cauſis, quàm modó, vſu veniebat. Nihilominus iuxta præſentem Eccleſiæ morem concurrentia duorum Officiorum eodem die non eſt iam cauſa neceſsitatis, quanquam vnus ſolus Sacerdos adſit, hic enim poteſt dicere Miſſam, cuius potior detur obligatio, & aliam, cuius levior detur, omittere, vel differre in diem ſequentem. Si feſtum ſit valde ſolemne, non oportebit dicere in eo Miſſam de *Requiem*; ſi tam celebre non ſit, & aliunde poſſet occurrere neceſsitas dicendi Miſſam de *Requiem*, abſurdo vacaret omiſsio Miſſæ de feſto. Hinc ſi ex duobus Sacerdotibus vnus ægrotaret, non liceret alteri celebrare bis, etiãſi in templo, cui ſeruiunt, conſuetum foret, facere duo Sacra, quia particulari huic conſuetudini prævalere debet vniuerſalis de non iteranda celebratione ab eodem Sacerdote: præterquàm quòd particularis conſuetudo minimè foret de duplici Miſſa ab eodem Sacerdote, ſed à duobus, ſi eorum copia habeatur.

27 Non eſt cauſa neceſsitatis corpus defuncti ſepeliendum, quanquã extet conſuetudo, aut conſtitutio Synodalis, vt ſepeliatur defunctus cũ Miſſa. Nam ſeruanda eſt talis conſuetudo ſine præiudicio præcepti generalis, ſeu quando adeſt Sacerdos, qui non ſacrificavit. Et rarò continget, vt Sacerdos non præmoneatur de corpore tumulando; & tunc poterit, & debebit expectare, vt celebret, præſente corpore, niſi iudicetur, conſuetudinem memoratã, aut conſtitutionem nõ obligare in præſentiarum, cum iam ſæpe ſæpiùs fiant vbivis funera veſpertino tempore.

28 Non eſt cauſa neceſsitatis benedictio nuptiarum, quia hæc differri poteſt in diem ſequentem. Quòd ſi ſequens dies ſit prohibitus ad benedictiones nuptiales, non obinde honeſtatur Sacri repetitio, non enim illa digni sũt coniuges intempeſtiuè petentes nuptiarum benedictionem, vt inquit Caſtro Palao Tract. 13. D. vnica, puncto 7. n. 9. Si autem fingatur, ex dilatione magnum detrimentum ſequi, & Sacerdos adhuc ſit ieiunus, non videt Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 1. num. 47. cur hic caſus non comprehendatur ſub neceſsitate, quam iura excipiunt. Sed cõtra, quia tunc poterit admonere Parochus, forelicitum omittere benedictiones nuptiales, eo quòd præceptum, ne ipſe celebret bis, præponderet præcepto illarum

illarum benedictionum. Multi existimant, non esse peccatum lethale, omittere etiam sine causa benedictiones illas; sed tantùm esse veniale; iuxta quos nec veniale foret in circumstantijs propositis. Quid verò sentiendum est, si ex dilatione, aut omissione benedictionis sequatur magnum detrimentum, ingensve populi perturbatio, aut scandalum, aut querimonia? Respondeo, sentiendum esse, quòd tunc liceat Sacerdoti celebrare secunda vice, si omnino desit alius Sacerdos, quia arbitrio prudentum hęc est sufficiens causa necessitatis. Ita Coninch quæst. 83. art. 2. dubio 3. numero 216. & cum eo, aliisque, Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 5. quæst. 5. num. 58. quin ad hunc casum limitent, vt fecit Cardinalis de Lugo, repetitam Missam, sed extendant prædictarum circumstantiarum ratione ad aliquos alios ex adductis casibus.

Approbantur alij casus.

29 CAVSA necessitatis est, quam proponere videtur Sanctus Leo I. in Epist. 81. ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum Cap. 2. his verbis, *Vt autem in omnibus obseruantia nostra concordet, illudquoque volumus custodiri, vt cum solemnior festiuitas conuentū populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere Basilica simul vna non possit, Sacrificij oblatio indubitanter iteretur, ne his tantùm admissis ad hanc deuotionē, qui primi aduenerint, videantur hi, qui postmodùm confluxerint, non recepti; cum plenum pietatis, atque rationis sit, vt quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, vt quædam pars populi sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato Sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint. Studiosè ergo Dilectionem tuam, & familiariter admonemus, vt quòd nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoque cura non negligat, vt per omnia nobis & fide, & actibus congruamus.* Quibus in verbis relatis ex parte à Gratiano Capite *Necesse est* 51. de Consecratione Dist. 1. Sanctus Leo agit de pluribus Missis ab eodem Sacerdote dicendis, vt multi censent, nam à diversis dici posse, siue conueniret, necne, numerosior populus, indubitatum erat. Sed adhuc iuxta dicta in num. 130. Disp. 16. contendi valet, S. Leonem non agere, nisi de iterata celebratione in festis solemnioribus à diversis Sacerdotibus, quia moris foret in Ecclesia Alexandrina, vt vna sola Missa perageretur vnoquoque die in quolibet templo, aut in omnibus eiusdem oppidi. Ambiguus proculdubiò est Sancti Leonis sensus; & ideo propter tāti Pōtificis authoritatem, concedentis satis verosimiliter tunc repetitam celebrationem ab eodem Sacerdote, & propter ingentem populi concurrētis deuotionem, ac similium dierum celebritatem, putarem eo casu (inquit perdoctus Coninch supra num. 216.) etiam modò licere secundò celebrare, quia illa lex S. Leonis non potest verè dici contrariā consuetudine abrogata, cum casus ille rarissimè occurrat, nam in eiusmodi solemnitatibus communiter est abundantia Sacerdotum. Ita Coninch, non declarans, vt neque plures alij, an id possit fieri in solo die festo, in quo sit obligatio audiendi Sacrum. Et confirmatur data resolutio, nam si Parochus potest bis celebrare, quando Parochiani omnes nequeunt ad eandem Ecclesiam conuenire ob distantiam eorum inter se, quidni, & quando eadem Ecclesia non capit omnes illos? Antecedens autem est in confesso apud Doctores. Consequentiam suadet paritas rationis

30 Sed opponet quis, non esse op repetita celebratione ab eodē Sacerdote in casu præsenti, restat enim aliud medium facilius, vniversalius, & vsitatius, minoribusq; incōmodis expositū, videlicet facere Sacrū in altari portatili ad fores Ecclesiæ. Fateor, restare hoc medium; sed & illud aliud est eligibile, præsertim, si populi deuotio esset audire Missā intra ipsam Ecclesiam ob alicuius imaginis inibi venerationē, aut si inclementia Cœli non permitteret dici Missam, audire ve sub dio.

31 Obijciet rursus quis, neutro medio opus esse, quia etsi totus populus non existat intra Ecclesiā, poterit pars extra manens habere sufficientē præsentiam humanam, & moralem ad Missam intrò celebratā. Non nego, superesse & hoc medium, si ratione Cœli, aut soli nō suboriatur impedimentum. Est tamen eligibile alterutrum aliud iam propositum; postremoque huic non facilè acquiesceret multorum deuotio.

32 Æqualitas rationis me mouet, vt admittam, ſuperuenientibus multis peregrinis, qui aliàs Sacrum audire non poſſent die feſto, facturum rectè Sacerdotem, ſi Sacrum repetat, vt ſatisfaciat devotioni ipſorum, tollatq; ſcrupulos de Miſſa non audita, nam caſus iſte eſt eiuſdem neceſsitatis cum proximè expenſo, & vterque eſt accidentaliter, raròque occurrens. Caſtro Palao ſuprà num. 9. notat, fidelium multitudinem ſuperuenientem debere eſſe ingẽtem, nec ſufficere, ſi numerum decimum, vel vigeſimum attingat. Certè multitudo deberet eſſe ingentiſsima, vt ex vno caſu ad alium conueniens illatio fiat. Et quando ea aduenirent, Incæpta Miſſa, ſed ante Offertorium, melius foret, repetere ab initio Miſſam, quàm proſequi ipſam, & celebrare poſteà ſecundã, quia maioris momenti, grauioriſque eſt præceptum de non celebrando bis, quàm de non reſumenda Miſſæ parte, quæ præcedit Offertorium. Ita Dicaſtillus Tract. 5. D. 4. Dub. 3. n. 47.

33 Cauſa neceſsitatis eſt, ſi Parochus habeat duas Parochias in diuerſis oppidis, & ob ipſarum tenuitatẽ careat coadiutore, deſitq; ordinariè alius Sacerdos, qui celebret. Colligunt aliqui ex C. *Vnio noſtræ* 10. quæſt. 3. ex C. *Qui plures* 21. quæſt. 1. ex C. *Dudum* 3. aut 54. de Electione, & electi poteſtate. Sed in his textibus nihil dicitur de multiplici celebratione. Certiùs adducitur Canon 19. Concilij Emeritenſis congregati era Hiſpana 704. ſeu anno Domini 666. vbi ab Hiſpanis Patribus ſtatutum eſt, vt cui ob paupertatem ipſarum plures Eccleſiæ eſſent creditæ, in illis ſingulis ſingula Sacrificia Dominicis diebus deberet offerre. Ratio eſt, quia vterque populus habet ius, vtà cõmuni Parocho audiat Miſſam in diebus feſtis, & in ſua Parochia; durumq; eſſet, obligare gentem vnius oppidi, vt alterius Parochiam diſtãtem adiret auditura Sacrum. Imò Suarez D. 80. S. 3. V. *Vt autem*, cenſet, ſi in vtraque Parochia ſit ſufficiens populi multitudo, nõ eſſe hoc limitandum ad dies feſtos, & ad neceſsitatem præcepti audiendi Miſsã; quia ſatis eſt gravis cauſa, quòd populus non ſolùm alternis diebus, ſed etiã ſingulis non priuetur ſuo Sacrificio, & opportunitate audiendi Miſsã. Sequuntur Ioannes de la Cruz Dominicanus q. 2. de Sacrificio Miſſæ, dub. 3. Concluſ. 2. multiq; alij recenſi à Diana p. 10. Tractatu. 16. Reſol. 22. & à Franciſco de Lugo L. & C. 5. q. 4. n. 44. hanc ſentẽtiam Eximij Doctoris, etſi à Nuño Cabezudo 3. p. q. 83. art. 2. ſingularitatis, & improbabilitatis notetur pro ſuo erga *Modernum illum* (vt vocat) affectu. Sed *oportet, candidos non tam ad reprehenſores reſpicere, quàm etiam eos, qui laudes eius magno imitandi ſtudio decantarunt, quorum multò plures inuenire eſt.* Quæ verba dicta ab Euſebio L. 15. Præparationis Evangelicę C. 1. cum ageret de obiurgatoribus Ariſtotelis, quadrant aptè ad cauſam Suarij. Qui monet, fore optimũ conſilium, ſervare conſuetudinem, cuius magna vis eſt in his rebus. Attendẽdum etiam erit conſtitutioni Synodali; aut conſulendus erit Epiſcopus; debetq; conſiderari, num vtrobique pars non exigua incolarum confluat ad Miſſam? ſi eius audiendæ in diebus profeſtis copiam habeat; nam ſi non confluat, ceſſat cauſa neceſsitatis, ſicut prudenter aduertit Cardinalis de Lugo L. 1. Reſpõſorum Moralium dub. 12. n. 3.

34 Porrò autem cum aſsignatio duarum Parochiarum vni Sacerdoti fiat ab Epiſcopo, ſi hic non obliget expreſsè ad coadiutorem, videtur eo ipſo æqui, bonique habere, vt vtrobique celebret dieb⁹ ſaltem feſtis, quicquid ſit, an aliquando adeſſet alius Sacerdos, qui gratis in vna celebraret, aut quòd aliquando ipſe Parochus poſſet ſine diſpendio congruæ ſuæ ſuſtentationis invitare alium Sacerdotem dato ſtipendio, vt faceret Sacrũ in vna? Si Sacerdos vni Eccleſiæ præfectus ægrotaret, aut abſit, poſſe alium oppidi vicini Parochum celebrare in ſua, & in aliena Parochia, caſu quo nõ inueniatur ſimplex Sacerdos, qui defectum ſuppleat, docet Caſtro Palao ſupra num. 9. & Dicaſtillus ſũpra n. 39. addens, poſſe à Clerico non Parocho dici duas, vel tres Miſſas, vbi magna fuerit Sacerdotum penuria. Ego quidẽ pro vno, aut altero die infirmitatis, aut abſentiæ Parochi non video eſſe tantam tationem, vt Parochus vicinus bis celebret, quanta eſt, vt Sacerdos præpoſitus duabus Eccleſijs faciat Sacrum diebus feſtis in vna, & altera, quia in poſteriori hoc caſu neceſsitas communitatis eſt habitualis; in priori autem eſt tranſiens, & extraordinaria; videturque

videtúrque, non esse necesse, providere ijs, qui semel, aut iterùm per accidens non audient Sacrum, & ob eos mutare ritum adeò iam strictè obseruatum sacrificandi semel; sicut non est necesse, providere ijs, qui in pagis, vbi vnus tãtùm est Parochus, non possunt aliquando audire Sacrum, eo quòd vnicum celebretur; possent autem semper, si Parochus bis, aut ter sacrificaret. Nihilominus ob paritatem illius casus, in quo magna hominum multitudo concurrit ad aliquam solemnitatem; & illius etiã, in quo perplures peregrini superueniunt, non improbo quod aiunt Castro Palao, & Dicastillus de celebratione duplici à Parocho vicino. Illud autem, quod inquit Dicastillus de Clerico non Parocho, valde probabile est In Prouincijs, vbi ob hæreticorum oppressionẽ, & difficultatem celebrandi, multis simul Catholicis confluentibus, audirent pauci Sacrum diebus festis, si Sacerdotibus, qui rari ibi sunt, non liceret pluries celebrare in domibº priuatis. Valde etiam probabile est, licere diebus profestis, si ingruat magna persecutio, aut si Catholicorum afflictiones, & ærumnæ solatio Sacrificij Missæ, cui intersint, aut sacra communione, quam accipiant, videantur sublevandæ.

35 Cæterùm cum in isto casu, & alijs superiùs propositis debeat non sumi tam purificatio calicis, quàm ablutio digitorum nisi in vltima Missa, vt inferiùs notabimus, infertur, Parochũ præfectum duabus Ecclesijs non posse die cœnę Domini celebrare in vtraque, alioquì cogeretur feria sexta in Parasceve celebrare secundum Officium, sumereque præconsecratam particulam immissam vino, postquàm in primo Officio sumpsisset alteram particulã præconsecratam, vino etiam immissam. Inquies, posse in priori Officio omittere vsum calicis, & nõ immittere vino particulam. Sed contra, quia id contra Ecclesiæ morem, & ritum est. Si tamen incautè Parochus die Cœnæ Domini celebrasset vtrobique, nec possit sine scandalo, aut nota nõ facere vtrobique Officium feria sexta in Parasceve, licebit in priori Officio huius feriæ non immittere vino particulam, nam omissio istius cœremoniæ postponẽda est sumptioni præconsecratæ particulę vino immissæ, quam sumptionem non præcesserit similis alia, vi cuius fractum sit ieiunium. Legatur Diana parte 11. Tractatu 5. Resol. 33. vbi refert plures Authores agentes de isto casu; possentque addi alij. Deinde infertur, gessisse se nimis animosè quẽdam hominẽ doctum, & religiosum, de quo Arriaga D. 44. sect. 3. Subs. 4. num. 41. D. 54. sect. 3. num. 22. dum ob aduentum Principis imperauit Sacerdoti, vt inieiunus celebraret, ne Princeps careret optata auditione Sacri, quin aliunde timeretur graue scandalum, & quin ipsi Sacerdoti imminteret infamia. Et addo id, nam si Capellanus Magnatis alicuius violasset casu ieiunium, & ex non celebratione coram Principe sequeretur scandalum, aut admiratio, vel occasio sinistrè suspicandi de Capellano, affirmat cum Ludouico à S. Ioanne Pasqualigus in Doctrina Morali D. 111. S. 5. num. 25. fas ipsi fore operari Sacris. Sed certè vix moraliter contingere potest, vt, si ille de inadvertentia sua in comedendo, aut bibendo certiorem faciat Magnatem, non evitetur quoduis incommodum.

36 Causa necessitatis est viaticum conferendum infirmo, qui, si secundò Sacerdos non celebret, priuaretur tanti Sacramẽti subsidio, quod moribundo homini necessarium dicitur in C. *Siquis*, in C. *De his verò* 26. quæst. 6. Ac sanè cum in C. *Consuluisti* doceamur, ex causa necessitatis posse ab eodem Sacerdote celebrari sæpiùs in die, non determineturque ibi, quę, & qualis futura sit ea causa necessitatis, supereſt, vt determinetur arbitrio prudentis, *lege* 1. *ff. de iure delib. Cap. De causis* 4. *de Offic. & potestate iudicis delegati*; nullus autem videtur esse casus, in quo ad arbitrium prudentis potior queat esse causa necessitatis, quàm in viatici indigẽtia; maioris enim momenti ex se apparet (ni fallimur) quã de Missa prouidere ingenti hominum multitudini conuenienti ad aliquam solemnitatem. Si ergo in isto casu, alijsque supra admissis licita est Missæ iteratio ab eodem Sacerdote in eodem die, quidni licebit in casu, in quo, nisi fiat illa repetitio, decedet infirmus sine viatico? Itaque licere asserendum est cum Francisco de Lugo L. C. & q. 5. n. 47. cum Leandro Tract. 8 D. 5. q. 34. cum Dicastillo Tractatu 5. D. 4. Dub. 3. num. 43. & 45.

cum Castro Palao Tract. 22. D. vnica, puncto 7. num. 9. qui allegant copiosã Doctorum phalangem contra Vazquiũ D. 232. C. 5. num. 50. Gasparem Hurtadum, & Ioannem de Cruce, & si qui sunt alij apud Leandrum. Favet nobis expressè Rex Alfonsus Sapiens leg. 30. tit. 4. Partita 1. Ibi, *Vel si non præexisteret consecratum corpus Dñi ad communicandos infirmos, ne aliquis obiret sine communione.*

37 Sed inquit Vazquez, præceptum communicandi ægrotum non obligat, nisi quando secundum ritum Ecclesiæ commodè ei de Sacramento provideri potest; atq; maioris momenti est, hanc legem non celebrandi bis, provt moribº hoc tempore recepta est, obseruare, quàm ægrotum communicare. Confirmatque à simili de ieiunij lege ante celebrationem; quo soluto non licet immolare ad dandum viaticũ moribundo. Respondeo, ritum de vnica in die celebratione à Sacerdote nõ proponi ab Ecclesia tam rigidè, vt aliquando non liceat omittere obseruantiam illius, saltem scilicet in casu Parochi habentis duas Parochias; quo ex casu satis probabiliter infertur, licitũ esse in hoc alio casu, quem tractamus; imò in hoc casu videtur vrgere fortior ratio, maximè si moribundus impeditus sit recipere aliud Sacramentum, conscinsque sit peccati lethalis, de quo attritionem solam concipiat. Confirmatio assumit exemplum, quod neque est apud omnes constans, vt videre est in Palatio super 4. Dist. 8. D. 5. pag. 268. Ioanne Maiori in 4. Dist. 9. q. 3. §. *Quintò arguitur*, Margallo in Expositione tituli de Celebratione Missarum, Pasqualigo D. 111. Doctrinę Moralis sect. 7. & in alijs apud ipsum, quibus cum negat illud; neque caret disparitate, quãuis constans esset. Non, inquam, caret disparitate, nam quod pransus, aut potº celebret, vt ministret viaticum moribundo, non possumus inferre ex aliquo casu æquè, aut minus vrgente, in quo Ecclesia concedat, vel permittat celebrationem fracto ieiunio; ast quod Sacerdos bis sacrificet, vt moribundo prębeat viaticũ, possumus deducere ex alijs casibus minus, vel saltẽ non magis vrgentibº, in quibº disponit Ecclesia repetitam celebrationem.

38 Cardinalis de Lugo D. 20. S. 1. n. 44. patrocinatur sentẽtiæ, cui no adhæremus. Notat tamen, fore, vt rarissimè, aut nunquam contingat causa necessitatis ad celebrandum secũdò pro viatici administratione, quia si Sacerdos iam accepit Sacramentum, & purificationem, vel etiam ablutionem, non poterit, vt potè ieiunus, iterùm celebrare. Si verò non accepit Sacramentum, potest, & debet partem suæ hostię reseruare, quam ad infirmum deferat. Solùm ergo potest fingi, quòd accepta hostia, & nondum accepta purificatione nunciatur ei de periculo ægroti, & nõ sint aliæ particulæ consecratæ in Ecclesia: & tunc abstineat à purificatione, & iterùm celebret. Qui casus magis est Metaphysicus, quàm Moralis. Sic Purpuratus Pater. Cęterùm eius pace casus est Moralis, seu potest esse non raro cõtingens. Demus, Parochum teneri celebrare tali hora, ne populus in die festo careat auditione Sacri, vel ob aliam grauem causam, quæ frequens esse potest. Demus etiam, ægrotum existere ruri, aut in vrbe hæretica, quem in locum deferre Eucharistiã ex loco, in quo Missa celebratur ad præscriptam horam, nõ caret magnis incommodis. Tunc secunda Missa peragenda in domo ægroti necessaria esset ad ipsi ministrandum viaticum. Vt vt sit de frequenti, vel rara contingentia huius casus, præterecundũ non est sine discussione quod interierit Cardinalis Eminentissimus de obligatione non progrediendi ad secundã Missam pro viatico etiam administrando, si in priori Missa Sacerdos sumpsit iam purificationem. Quod conceptis verbis præcauent similiter Paludanº in 4. Dist. 8. q. 2. art. 1. n. 9. Ioannes Maior in 4. Dist. 12. q. 5. Ioannes Altensaig in Lexico Theologico V. *Missa sicca.* Castro Palao suprà n. 9. Nuñus Cabezudº 3. p. q. 83. art. 2. pag. 970. Arriaga D. 54. S. 3. n. 21. Amicus D. 27. S. 2. n. 14. Fagũdez L. 3. in 1. præceptum Eccles. C. 16. n. 8. Tannerus tom. 4. D. 5. q. 10. dub. 4 n. 69. Martinonus D. 40. S. 1. num. 12. agentes de hoc determinato casu. Et quotquot tractant de adductis hucvsq; in quibus fas est secundò celebrare, advertunt vniversim, non posse repeti Sacrificiũ, si purificatio iam fuerit suscepta: advertuntq; id tanquã quid indubitatũ. Legatur Ioan. Angelus Bossius in Moralibº varijs tom. 3. Titul. 10. n. 27.

Sed

39 Sed Francisco de Lugo suprà num. 48. Thomæ Tamburino L. 1. de Missa Cap. 6. §. 3. num. 3. Dianæ parte 11. Tract. 7. Resol. 21. & mihi videtur, posse de doctrina illa dubitari in casu indigentiæ viatici. Nam in eiusmodi casu probabile est, posse Sacerdotem nō ieiunum celebrare primò; probabile etiam est, posse ieiunum immolare secundò. Rogo igitur, cur probabile non erit, posse non ieiunum celebrare secundò? Quòd enim concurrat celebratio secunda cum defectu ieiunij, non videtur, manifestè obstare, si non obstet, quando non concurrit. Agnosco, dici posse, defectum ieiunij esse distinctum, & novum impedimentum ad celebrationem secundam; pluspque esse sacrificare, nō obstante hoc impedimēto, & altero celebrationis primæ, quàm solummodò litetur, non obstante altero primæ celebrationis. Sed adhuc insisto quærens, cur defectus ieiunij sit impedimentū, quod superari queat in celebratione prima ordinata ad viatici ministrationē, & nō in secūda ad idē directa?

40 Præterea argumentor sic, si Sacerdos pransus, vel potus incidat in articulum, periculumve mortis, absitque alius, qui legitimè ministret ei viaticū, desitq; formula præconsecrata servata in Tabernaculo, nec haberi queat denuò consecrata, nisi ipse Sacerdos cōstitutus in articulo, periculove mortis eam consecret; tunc tali Sacerdoti licet celebrare in illomet die, vt docent Arriaga D. 44. sect. 3. Subs. 4. num. 41. Franciscus de Lugo Lib. 4. C. 6. quæst. 6. num. 38. C. 7. quæst. 7. numero 80. Cardinalis de Lugo Disput. 15. sect. 3. num. 69. Pasqualigus in Doctrina Morali Disput. 111. sect. 7. cum Zambrano, Laymano, Granado, & Castro Palao. Quod si licet, addam ego, incumbere obligationem, si Sacerdos ille non impediatur ratione ægritudinis, aut instātis periculi, quia tenetur recipere viaticum modo, quo possit; cumque possit celebrando, tenebitur ad id. Ergo tunc defectus ieiunij non obstabit celebrationi ordinatæ in eum finem, vt Sacerdos sibi provideat de viatico. Enimverò Sacerdotē, qui manè celebravit, posse eodem die, si deveniat in articulū mortis, accipere viaticum, licet non teneatur, docet S. Vincentius Ferrerius Sermone 2. de Assumptione B. Virginis Mariæ his verbis, *Secundus dies* præparationis ad mortem *est communio: etiamsi illa die celebrauerit, adhuc est communicandum. Hoc tamen non est ex necessitate faciēdum, sed de congruitate.* Sic S. Vincentius. Et Margallus in Expositione tituli de Celebratione Missarum videtur affirmare, ✻ Quòd Sacerdos etiam pransus post meridiem potest clanculùm adire Ecclesiam, & non indutus vestibus sacris consecrare, ne moriatur infirmus sine Eucharistia. ✻ Allegat Margallus Scotum in 4. Dist. 9. quæst. 3. sed non est nisi Maior in §. *Quintò arguitur.* Et nec Maior, nec Margallus audiendi sūt quoad illud de consecratione sine Officio Missæ, & sine vestibus sacris. Iam igitur si Sacerdos potest inieiunus sacrificare prima vice, vt de viatico subueniat sibi, quidni etiam secunda? Quòd si vt sibi, quidni etiam, vt alteri? Nam necessitas æqualis est vtrobique, & reuerentia Sacramento debita non magis periclitatur celebrāte, secunda vice, Sacerdote inieiuno, vt sumat ipse viaticum, quàm vt alteri administret illud. Imò in neutro casu periclitatur reverētia Sacramenti, quippe viatici necessitas, seu potiùs summa vtilitas honestat celebrationem secundam Sacerdotis pransi, vel poti. Vnde si Concilium Salegunstadiense C. 4. non est veritū concedere, vt Presbyter postquàm bibisset aliquid, celebraret Missam, necessitate cogente; quęnam potiori iure necessitas respici potuit à Concilio, quàm ea, de qua nunc est sermo?

41 Argumentor rursus, articulus, periculumve mortis est causa sufficiens iuxta plures graves Theologos, nempe Gasparem Hurtadum D. 10. de Euch. Diff. 2. Martinum Bresserum L. 3. de Conscientia C. 8. n. 100. Pasqualigum in Doctrina Morali D. 109. S. 5. cum alijs apud ipsum, & apud Franciscū de Lugo L. 4. C. 9. q. 4. n. 22. vt moribundus accipiat viaticum non ieiunus vespere, etiamsi manè alia de causa Eucharistiam sumpserit ieiunus. Ergo pariter erit causa sufficiens, vt Sacerdos prouideat ei de viatico celebrans secūdò non ieiunus, quamuis ex alio fine iam priùs litarit ieiunus. Atque id æquum videtur, vt Ecclesiæ favor erga moribundum sit perfectus. Confirmatur, Sacerdoti præscribitur ab Ecclesia ieiunium ante Missam non tam ob

consecrationē, quàm ob cōmunionem, quā in Missa ipse susceperus est. Atqui communio non præmisso ieiunio licita est vt susceptasecundò, quando vrget mortis articulus, aut periculum. Ergo & licita erit vt administrata in celebratione secunda.

42 Num hæc reapse probabilia sint, vel tantùm in speciem? Dijudicent alij. Ego adhuc non ausim, nisi alij præeant, aut sequantur approbando, dicere, Sacerdotem inieiunum posse celebrare secundò in eadem die, vt Eucharistiam administret moribundo, qui non poterit aliter sumere viaticum, nisi Sacerdos inieiunus sacrificet secundò in eadem die.

43 Ast non ideo generaliter sentiendum est, illicitam esse in omni casu celebrationem etiam secundam à Sacerdote non ieiuno. Duplex enim restat casus, in quo licet, seu in quo datur causa necessitatis. Primus est, quando moriente Sacerdote post hostiæ, & sanguinis consecrationem, aut etiam post solius hostiæ, adest tantùm alius, qui iā celebravit, solvitque ieiunium per purificationem, & ablutionem in Missa, aut etiam per potum, cibumve communem sumptum post Missam, tunc enim hic alius poterit, & debebit reliquam dimidiam Missam celebrare. Secundus est, quādo Sacerdoti post vel solius hostiæ consecrationem venit in memoriā, se iam eo die celebrasse sumendo purificationem, & ablutionē in Missa priori; tunc enim tenebitur prosequi secūdam Missam inceptam. De quibus duobus casibus agendum erit latiùs in Disp. 29.

44 Adijcio alium Cardinalis celebrantis paulò ante mediam noctem Natalis Christi Domini in Pontificio sacello coram Summo Pontifice, nam etsi manè fecerit Sacrum, sumpseritq; purificationem, atque ablutionem, & hora solita prandrit (quod vetitum esse, ait immeritò Gavantus in Rubric. Miss. parte 4. tit. 3. num. 5.) non idcirco prohibetur celebrare secūdò in præfato sacello ante mediam noctem; sed dispensat Summus Pontifex in secunda illa celebratione eodem die, & in ieiunij lege, quin ideo liceat Cardinali post mediam noctem celebrare tres Missas; sed duas, casu quo nec in Missa ante mediam noctem sumpserit vllam ablutionem, nec posteà comederit, neque biberit, vt cavet benè Dicastillus Tract. 4. Disp. 9. Dub. 17. num. 410. & 411. Nisi velis cum Cardinali de Lugo D. 15 sect. 2. à num. 55. Pontificem non dispensare in aliqua re ex illis, sed in anticipatione diei sequentis pro eo loco, & nocte.

45 Quicquid de hoc sit, dispensatio in lege ieiunij ante celebrationem Missæ concedi potest à Pontifice vltrà casum articuli, periculive mortis, non secus ac potest in lege ieiunij ante susceptionem communionis Laicæ vltrà eundem illum casum. Et de facto scimus Iulium III. dispensasse cum Imperatore Carolo V. propter debilitatem stomachi, Paulumq; V. cum pia quadam fœmina Lemovicensi propter totius corporis tremorem, quo corripiebatur non sine periculo vitæ, cum comedebat; tremori autem illi compescendo vnicū erat remedium sumptio Eucharistiæ, vt de Carolo V. tradunt, qui eius scribunt vitam; & de Lemovicensi muliere P. Martinon D. 35. num. 64.

46 Pro complemento Sectionis operæ pretium erit discutere duorum, aut trium Theologorum dicta huc pertinentia, ac singularia. Et in primis Martinus Ledesmius 1. 4. quæst. 24. art. 2. cum retulisset ex Paludano varios casus, in quibus Sacerdoti fas esset litare bis, addit, verba hæc maximè notanda, ✻ Tamen ponit vnū, quod destruit istos casus, nempe quòd talis Sacerdos sit ieiunus. Qui non erit, aut rarò, quia quādo mane celebrat, sumit lotionem, quia nescit alium venturum. Ergo posteà non poterit celebrare. Alij autem antiqui Doctores, non ponunt illud. Ideo videtur, quòd antiquitus non erat tanta restrictio in Ecclesia in his, sicut nunc. ✻ Sic Ledesmius. Sed certè Paludani cautio de ieiunio Sacerdotis, & de non sumpta purificatione, neque ablutione est omnium aliorum antiquorum, vt Durandi Lib. 4. Rationalis C. 1. num. 26. Regis Alfonsi Sapientis l. 50. tit. 4. Partita 1. Patrum Concilij Oxoniensis anno 1222. Gabrielis in Canonem Missæ Lect. 87. lit. *R.* Silvestri V. *Missa* 1. quæst. 7. Et quia prolixitatis nimiæ foret recensere cæteros, audiatur Innocentius III. C. *Ex parte* 5. de Celebratione Missarum inquiens, *Semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum*

totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne, si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret. Quem in textum cõgerit ordinarios Barbosa, aliosque extraordinarios. Et ante Innocentium III. Ioannes Belethus in Explicatione divinorum Officiorum C. 51 dixit, *Altera quæstio est, possit ne Sacerdos celebrare secundam Missam, in eo casu, quo in præcedenti, dum manus abluerat, aliquãtulùm aquæ degustauit? Certè enim & illud vetitum esse, sciendum est.* Ita Belethus. Hinc S. Thomas 3. p. q. 75. art. 2. in Corp. & Richardus Mediavillanus in 4. Dist. 11. art. & quæst. 1. probant in Eucharistiæ Sacramento non manere substantias panis, & vini, quia alioqui non liceret post vnam consecratam hostiam, aut speciem sumere aliam, nã per sumptionem vnius hostiæ, aut speciei frangeretur ieiunium vel Ecclesiasticum, vel etiam naturale. Similiter Gabriel Lectione 35. in Can. Missæ lit. *S.* & Suarez D. 45. sect. 4. V. *Argumenta verò* notant, abstinere debere à secunda celebratione Sacerdotem, qui paulò ante consecrationem calicis temperasset vinum aqua, quoniam hæc tam brevi tẽpore non conuersa in illud per activitatem naturalem illius, & proinde neque in sanguinem Christi per consecrationis verba proximè subsequuta, solveret sumpta ieiunium naturale. Quod enim ea aqua sumeretur per modum vnius potus cum sanguine, & ex præcepto Ecclesiæ, non faceret, vt licita esset secũda celebratio, vt ait Araujus 3. parte quæstione 74. articulo 8. Dubio 2. pagina 282. post Vázquium Disp. 178. C. 3. num. 26. Nam in feria sexta Parasceves sumitur per modum vnius vinum cum hostia consecrata, & ex præcepto Ecclesiæ, idemque contingit, quando palato adhæret forma, aut particula calici, infunditurque aqua, aut vinum ad separationem, & simul cum aqua, aut vino traijcitur in stomachum forma, aut particula: nec tamen licet postea aliam hostiam sumere, eo quòd per vinum, aut aquam fractum sit iam ieiunium naturale. Similiter etiam S. Thomas in 4. Dist. 11. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula 1. ad 2. confirmat, aquam in calice admistam vino non remanere in propria natura, quia alioqui *calix cõsecratus non esset tantùm potus spiritualis, sed etiam corporalis, & ita nõ liceret post primam sumptionem sanguinis iterùm sumere.* Ita S. Thomas. Quid? quòd Soter Papa (sicut habetur Volumine 1. Conciliorum) decrevit, *vt nullus post cibum, potumque, siue quodlibet minimum sumptum Missas facere præsumat*; Et Concilĩu Toletanum VII. Can. 7. (referturque C. *Nihil contra* 7. quæst. 1.) *post cibum, potumve quemlibet minimum sumptum, aut post cibi, potusve quamlibet minimum sumptum*, vt in Originali Loaysę; & Bracarense II. C. 10. *vt si quis non ieiunus, sed quocumque iam cibo præsumpto, oblationem consecrauerit, continuò ab officio suo priuatus, à proprio deponatur Episcopo*; & Eutychianus Papa apud Burchardum Lib. 5. C. 35. & apud Ivonem parte 2. C. 45. *vt nullus accipiat Sacrificium post cibum, aut post aliquam paruissimam refectionem, nisi pro viatico.* Quæ Decreta, cum antiquissima sint, ostendunt, viguisse ab initio Ecclesiæ eandem obseruantiã, ac nunc. Quare minus benè Ledesmius asseruit, non fuisse quondam tantam restrictionẽ in non celebranda secunda Missa post sumptam in prima lotionem, per quam fractum fuisset ieiunium naturale.

47 Magis rationabiliter dici posset, non fuisse olim adeò vsitatum, vt Sacerdotes celebrantes vel purificarent calicem, & abluerent digitos, vel sumerent purificationem calicis, & ablutionem digitorum. Fortè quando etiam non habebãt deliberatum animum sacrificandi secundò, abstinebant à purificatione, & ablutione, vel ab earum sumptione ob occasiones, quæ inopinatò occurrere possent, & movere ad secundam Missam; tametsi fatear, Innocentium III. in Cap. illo *Ex parte* videri obligasse iam antiquitus ad sumendum vinum perfusionis, quandocumque Sacerdos litaret absque animo iterãdi Sacrificium, & sic intellexit Innocentium Paludanus in 4. Dist. 12. quæst. 1. art. 5 num. 26. nisi dicatur, verbum *Debet* in C. *Ex parte* non fuisse acceptum vt inducens obligationem, sed tãtùm vt significans decentiam, vti sæpe aliàs, de quo consulãtur Castrus Palaus in Tract. 7. D. 3. puncto 1. n. 9. & anteà in Tract. 3. D. 1. puncto 9. numero 2. Thomas Tamburinus in Methodo expediẽdæ Cõmunionis C. 1. §. 6. num. 53. Barbosa de Dictionibus vsufrequentioribus in 77. Nunc temporis intelligitur vt obli-

obligationem importans.

48 Ex dictis colligitur contra Fagundez in 3. præceptum Eccleſiæ L. 3. C. 7. num. 11. ſi Sacerdos in prima Miſſa nō ſumat purificationem, nec ablutionem, fore, vt adhuc maneat ieiunus ad ſecūdam Miſſam, nam comeſtio, & bibitio ſpecierum conſecratarum panis, & vini non ſolvit ieiunium ſiue Eccleſiaſticum, ſiue naturale, quippe corpus, & ſanguis Chriſti ſub eis ſpeciebus non ſunt cibus, & potus corporis, ſed animæ, vt ait Rex Alfonſus Sapiens in loco præcitato, atque adeò expreſsè docet, ſalvum perſiſtere ieiunium ſola ſuſcepta Euchariſtia. S Bonaventura in 4. Diſt. 12. parte 1. art. 2. q. 1. exhibet eandem rationem non ſoluti ieiunij per Euchariſtiam, additque aliam deſumpt*ex corpore Chriſti interiùs contento, quod tantùm eſt cibus mentis.* Richardus de Mediavilla in 4. Diſt. 12. art. 4. quæſt. 2. proponit hoc argumentum, * Omne, quod nutrit, ſolvit ieiunum. Sed ſumptio ſpecierum conſecratarum nō ſolvit ieiunium, aliàs enim nunquam eſſet licitum Sacerdoti duas Miſſas in die celebrare. Ergo illę ſpecies nō nutriunt* Cui argumento reſpondet ſic, * Loquendo de ieiunio, pro cuius abſolutione abſtinere debet Sacerdos à celebrando, Maior nō eſt vera niſi de nutrimento conſueto, vel de nutrimento, cuius exiſtentia naturalis eſt. * Hactenus Richardus, & ratio, quam aſsignat, optima eſt, nam ieiunium etiam naturale non frangitur niſi per cibum, aut potum communem, aptumque per ſe reficere, & nutrire ſine ope miraculi. Paludanus in 4. Diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. num. 19. etiam ait, * Non eſt ſimile, quod dicitur de ſpeciebus, quia non eſt prohibitum ante communionem ſumere aliquid, niſi quod eſt aliquid ſeparatum ab ipſa Euchariſtia. Species autem non ſunt ſeparatæ ab ipſa Euchariſtia, nec vna Euchariſtia eſt alius cibus ab alia, ſed vnus, & idem numero quoad rē contentam, & eiuſdem rationis Sacramentalis quoad rem continentem. * In his verbis videtur Paludanus militare contra Fagundez.

49 Sed in alijs, quę habet art. 1. num. 10. ſtat apertè pro eo. Inquit enim, * Ieiunio naturæ, quod ſolvitur per omnem cibi, & potus ſumptionem qualemcumque, debet eſſe ieiun⁹, qui dignè vult communicare, vel celebrare:: Excipitur tamen caſus, quando licet, ſecundò celebrare, ſecundò enim celebrans non eſt ieiunus ieiunio naturæ, quia ſpecies ſumptę nutriunt, & ſic ſolvunt ieiunium naturæ, ſed non ſolvunt ieiunium Eccleſiæ. Aliter in diebus ieiuniorum vel nō liceret communicare ſemel comedenti, vel non liceret communicanti etiam ſemel comedere, quia cōmunio cum alio cibo eſt duplex comeſtio, & nutritio. * Hucvſque Paludanus Dominicani Ordinis Theologus inſignis; cuius cum legi verba, magnopere gaviſus ſum, decrevique præſentare ea Lectori, ne Fagundezij dictū inſimularet de novitate. Et quidem, quantùm ego perpetua lectione comperire potui, vix vlla extat in ſcriptis Authorum Societatis opinio circa res morales, quæ nō habeat antiquum, aut modernum Patronum aliquem ex religioſiſsima, & ſapientiſsima Patrū Prædicatorum familia. Vnde qui apud indoctum vulgus vult Authoribus Societatis concitare odium ob novitatū terricula, & ſpectra, prodit ſatis, quàm ſit peregrinus in lectione veterum, & modernorum. Vt omittam, ſi deſit priſcus, aut recens fautor ex Schola vna, adeſſe ex alijs probatis in Eccleſia Dei; multoſque modernos indifferentes, ne dicā pleroſque, Noſtrorum opinionib⁹ ſubſcribere in libris poſteà evulgatis. Vt item omittam, novitatis crimen nō eſſe vllius momenti apud ſapientes, ſi ea ſit benè fundata, & ſervet ſarta tecta decreta, ac præcepta Eccleſiæ, concordemque Patrum, & Theologorum ſenſum in materijs, quas ipſi pro dignitate, deditaque opera examinarint.

50 Revertor ad Fagundezium, & Paludanum. Contra quos addo Humbertum S. R. Eccleſiæ Cardinalē Epiſcopum Sylvæ candidæ in reſponſione ſcripta Conſtantinopoli adverſus Nicetam cognomento Pectoratum, vbi ait, non ſolvi ieiunium Eccleſiaſticum per celebrationem Miſſæ; & neque naturale ſolvi per ſpecies Sacramentales, aduertunt Margallus in Expoſitione tituli de Celebratione Miſſarum, Palati⁹ in 4. Diſt. 8. Diſput. 5. §. *Cæterùm ipſa*, pag. 264. vt & ex recentioribus Michael Sanromanus Lib. 3. Expeditionū ſpiritualium Societatis Cap. 18. §. 1. Diana parte 11. Tract. 6. Reſolut. 15.

&

& nescio quis alius apud ipsum. Sed prę omnibus audiendus est Tertullianꝰ, qui in Libro de Oratione Cap. 14. ait, *Similiter de stationum diebus, nō putant plerique, Sacrificiorum orationibus interueniẽdum, quòd statio soluenda sit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obsequium Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? Nō ne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio Sacrificij, & exsecutio officij.* Quibus in verbis reprehendit quosdam, qui dicebant, non interueniendum sacris Missarum in diebus ieiunij, ne sumpta Eucharistia (vt quotidie fermè sumebatur in primitiva Ecclesia) ieiunium frangerent; quanuis in fine connivens scrupulo, & insciętiæ illorum, sed nō consentiens, permittat, vt gestent in domos suas Eucharistiam, quam post transactum ieiunij tempus sumant. Atque ita declarat hunc locum Noster I. Ludovicus de la Cerda, & post ipsum Georgius Ambianas Capuccinus.

50 Demum Theologi tam antiqui, quàm moderni expressè aiunt, aut supponunt, Sacerdotem naturaliter ieiunum sacrificare secundò, si in Sacro primo abstinuit à purificatione, & ablutione bibenda, nullusque scripsit, Ecclesiam dispensare in præcepto de ieiunio, quando concedit repetitam celebrationem, si in prima non sit hausta purificatio, neque ablutio; neque item assertum abaliquo fuit, fore reum contra legem ieiunij ante Eucharistiæ susceptionem, qui secundò celebraret, aut communicaret, si primò non sumpsisset quidpiam aliud præter species Sacramentales. Et alioqui Sacerdos cum vel in prima, vnicave Missa perueniret ad potum specierum Sacramentalium vini, non esset ieiunus naturaliter, vt qui antea edisset species Sacramentales panis. Num verò per comestionem magnę quantitatis harum specierum, quibus quis se aleret, frãgeretur ieiunium Ecclesiasticum? Dicam alibi. Illud interim certum videtur, fore, vt finì præcepti de ieiunio Ecclesiastico multũ detraheretur. Et hic sit finis Disputationis

DISPVTATIO XXIII.

DE

LOCO AD MISSÆ CELEBRATIONEM.

1 *PERTIVS ARTICVLVS Q. 83. Instituitur à Sancto Thoma de domo, & vasis sacris, in quibus peragendum est Missæ Sacrificium. Tradit autem S. Præceptor in corpore articuli, & in responsionibus ad octo obiectiones doctrinam vberẽ explicandam à nobis in hac Disp. & in quatuor alijs sequentibus.*

SECTIO I.

Ecclesia consecrata, aut benedicta, vel locus designatus ad diuinum cultum est regulariter necessarius ad celebrationem Missæ.

DEBET regulariter Missa celebrari in Ecclesia, templove consecrato, aut benedicto, vel in loco ad diuinum cultum deputato ab Ordinario. Probatur primò ex Paulo 1. ad Cor. 11. V. 22. dicente, *Numquid domos non habetis ad mãducandum, & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent. Quid dicam vobis? Laudo vos, in hoc non laudo.* Quibus verbis vtitur Sanctus Basilius, vt respondeat huic quæstioni (quæ est 310. in Regulis brevioribus) ✻ Numquid in communi domo Dominica cœna debeat celebrari? ✻

Res-

Responsum autē est huiusmodi, ✠ Quē admodùm ratio non permittit, vt vas vllum commune in Sācta inferatur, eodem modo etiam vetat, sancta in domo communi celebrari, cum ex iussu Dei in veteri Testamento nihil isto modo fieri permittatur, Deut. 12. Cum autem Dominus dicat, Plusquàm templum est hìc. Et Apostolus item, Numquid domos non habetis, &c. sanè admonemur, non debere nos neque communem cœnam in Ecclesia manducare, aut bibere, neque Dominicam in priuata domo in contumelia habere; extra quam, si quis, cum necessitas poscat, locum, ædemve elegantiorem deligat in tempore opportuno. ✠ Isychius etiam Lib. 2. in Leviticum C. 8. vtitur eisdem verbis, cum inquit, ✠ Propter quod Eliæ, secundùm LXX. editionē, carnes mane, panes autem vesperi deferebant corui supernè, præfigurare hoc mysterium Domino volente, quod intus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare coqui, & comedi, alibi verò nequaquam. Propter quod Paulus Corinthijs precipiebat, Conuenientibꝰ autem vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare, &c. Et hoc ideo, vt illic absolutè mystica cœna debeat celebrari. ✠

2 Secundò ex S. Clemente Epist. 3. & Cap. *Hìc ergo* 14. de Consecratione Dist. 1. cuius Canonis is tenor est, *Hìc ergo, id est, in vita præsenti positos, oportet vos agnoscere voluntatem Dei, vbi agendi, & sacrificandi locus est: quoniam in alijs locis sacrificari, & Missas celebrari non licet, nisi in his, in quibus Episcopus iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet Ciuitatem, consecrata fuerint. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda.* Ex S. Anacleto Epist. 1. ✠ Deo sacrificantes perfectè, non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab omnibus venerari. Ipsi autem, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait namque authoritas legis diuinæ, Vide, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominꝰ Deus tuus. ✠ Ex S. Sylvestro C. *Nullus Presbyter* 15. de Consecratione Dist. 1. vbi ait, *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in consecratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij.* Canonem hunc nō esse efficacem ad probationem assumpti, neq; esse Sylvestri, sed Hormisdę, dixit Vazquez D. 232. C. 1. num. 1. & 8. eique fidens Arriaga D. 54. sect. 4. num. 30. Certè Vazquez loco huius Canonis legit alium, qui est Hormisdæ, & 25. & eiusdem initij in eadem Dist. continetque prohibitionem erigendi altare in Ecclesia consecrata, nisi Episcopus permittat. Item ex Felice IV. Epist. 1. C. 1. *De Ecclesiarum enim consecratione, & de Missarum celebrationibus non alibi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sūt nota nouī, ac veteris Testamenti præcepta:: Iudæi loca, in quibus Domino sacrificabant, diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in alijs, quàm in Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hæc faciebant; multò magis, quibus veritas patefacta est, & gratia, & veritas per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, &, prout meliùs possumus, ornare, eaque diuinis precibꝰ, & sanctis vnctionibus suis cum altaribus, & vasis, vestibus quoque, & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuctè, & solemniter sacrare, & non in alijs locis, quàm in Domino sacratis ab Episcopis, & nō à Chorepiscopis, qui sæpe prohibiti sunt, nisi; vt prædictum est, summa exigente necessitate, Missas celebrare, nec Sacrificia offerre Domino, debemus. & hoc, si summa necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in sacris Canonibus, Sacrificia in domibus offerri, prohibita sunt; sed in tabernaculis, diuinis precibus à Pontificibus dicatis, & in mēsis Domino sacratis, & sacra vnctione à Pontificibus delibutis, pro summa, vt præfixum est, necessitate, & non pro libito cuiusquam, & pigritia agatur. Satius ergo est, Missam non cantare, aūt non audire, quàm in illis locis, vbi fieri non oportet; nisi, vt sæpe dictum est, pro summa contingat necessitate, quoniā necessitas non habet legem:: Et sicut nō alij, qua sacrati Domino Sacerdotes debent Missam cantare, nec Sacrificia super altare offerre; sic nec in alijs, quàm in præfatis Domino sacratis locis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licebit:: Quòd autem .: oblationes in domibus offerri non debent, in Concilio Laodicensi C. 58. prohibitum habetur. Ita: Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, & Presbyteris.* Hæc ex ea Felicis IV. Epistola, quæ in compendium redacta

redacta dedit Gratianus C. *Sicut non alij* 11. de Consecratione Dist. 1. & ad longum C. *Tabernaculum* 2. ibidem.

3 Tertiò ex multis Concilijs, Laodicensi iam citato, Carthaginensi II. C. 9. Triburiensi C. 4. relato Cap. *Missarum* 12. de Cons. Dist. 1. Aurelianensi C. 3. relato C. *Vnicuique* 33. de Cons. Dist. 1. Cabilonensi sub Carolo Magno C. 49. Aquisgranensi sub Ludouico C. 84. Parisiensi sub Ludouico, & Lothario Lib. 1. C. 47. Lib. 3. Cap. 6. Moguntino sub Arnulpho Imperatore Cap. 9. Turonensi celebrato Andegavi anno 1448. C. 6. Metensi C. 5. in editione Biniana Conciliorum parte 2. tomi 3. pag. 116. Trullano Can. 31. relato Cap. *Clericos* 34. de Cons. Dist. 1. Tridentino Sess. 22. Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.

4 Quartò ex Missalis Romani Rubricis de defectibus titulo 10. num. 1. vbi dicitur, *Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit; si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo.*

5 Quintò ex Iustiniani Imperatoris Constitutione novella 58. *Vt in priuatis domibus*, & 131. *de Eccles. titulo §. Si quis in sua domo*: ex Theodulpho Episcopo Aurelianensi in Epist. ad Clerū suæ Diœcesis transcripta à Baronio anno Christi 835. n. 10. ex Capitularibus Caroli Magni L. 5. C. 230. L. 6. C. 101. 198. & 205. ex Capitulis Caroli filij Ludouici anno 876. Cap. 7. pag. 414. iuxta editionem Iacobi Sirmondi: ex Rege Alfonso Sapiente l. 4. & 5. tit. 10 Partita 1. Omitto multos Patres Græcos, & Latinos collectos à Coccio in Thesauro Catholico Lib. 6. art. 17. Et quanquam in plerisque authoritatibus allegatis requiratur Ecclesia consecrata, vt in ea celebretur Sacrum; tamen sufficere benedictam, vsus iam diu obtinuit, quia consecratio tot Ecclesiarū, quot vbique iam diu sunt, non poterat non esse difficilis; imò sufficere locum non benedictum, sed qui authoritate Superioris deputatº sit ad diuinum cultum, idem vsus obtinuit ob maiorem fidelium deuotionem, maioremq; Missæ celebrandæ, & audiendæ commoditatem.

6 Rationes autem, cur ad celebrationem Missæ opus sit regulariter loco consecrato, aut benedicto, aut ad diuinum cultum designato à legitimo Prælato, plures sunt, & videndæ in S. Thoma 1. 2. quæst. 102. art. 4. 2. 2. q. 83. art. 3. & 3. p. quæst. 83. art. 3. Suario D. 81. sect. 1. & 2. ac 3. Scortia L. 2. C. 13. ferè per totum, & præsertim numero 2. Sed principalis ratio ea est, quòd spectet ad reuerentiā, honoremq; tanti Sacrificij, & ad fidelium deuotionem, vt non peragatur in loco profano, & communi ad alia humana ministeria. Audiatur S. Basilius Sermone 2. de Baptismo C. 8. inquiens, * Nobisquoque periculum est malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maximè, si Sacerdotij mysteria in locis prophanis celebraverimus, propterea quòd ea res iudicium haberet contemptus in celebrāte, offendiculumquoque generaret pro varietate affectionū multifariàm, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem. Si verò quisquā obijciat, Quid igitur est, quod Apostolus dixit, Volo viros precari in quouis loco, ob id, quod Dominus ipse potestatem dedit adorādi Deum in omni loco, vbi dixit, Neque Hierosolymis post hac, neq; in monte isto adorabitur Pater. Hoc dicendum est, quòd illud in omni loco nō comprehendit eos locos, qui humanis vsibus, rebusque immundis, & prophanis deputati sunt; sed dilatat, ac deducit adorationem Dei ab arcto Hierosolymæ ambitu in omnem totius orbis locum. * Ita S. Basilius. Et hæc satis pro iure communi non celebrandi nisi in templo consecrato, aut benedicto, vel in loco ad Dei cultū specialiter deputato: quod ius habet exceptiones aliquas declarandas in progressu Disputationis; & ideo supra notanter dixi, *Debet regulariter*, &c.

7 Dominicus Sotus in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. V. *Circa hoc ergo* scribit * Imò verò vbi nullus sit contemptus, vel scandalum, vix arbitror, posse contingere peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam, * locumque specialiter deputatum, aut permissum à Papa, vel Episcopo. Quòd si verbum prædicti Canonis *Nullus Presbyter* 15. de Consecratione Dist. 1. * obijcias, vbi priuationem Sacerdoti comminatur celebranti extra Ecclesiam consecratam. Respōdetur, illud in primis intelligi in primitiua Ecclesia, dum omnes

nes Ecclesiæ consecrabantur. Quando verò iam mos ille cessavit, quęcumque honesta necessitas excusabit, si tamen debita reverentia seruetur. * Sotum sequitur Ludovicus Lopez in Instructorio Conscientiæ tomo 2. C. 76. V. *Cæterùm accessorium*, pag. (mihi) 300. addita limitatione, * Si non fiat contra expressum præceptum Episcopi, cui super hoc providere Concilium Tridētinum mandat, vt prouideat vt Legat à latere. * Sequitur etiam Sà V. *Missa* num. 20. dicens, *Extra necessitatem si fiat, & absit contemptus, & scandalum, non est peccatum mortale.*

8 Discedendum tamen est à tribus his Authoribus, tum quia celebratio in loco communi est contra præceptum latum in Canonibus superiùs transcriptis, & de re gravi, nimirùm de celebrationis loco, non profano, neque communi, quin constet, eiusmodi præceptum ex Legislatorum mente, & voluntate restringi, ne obliget graviter, etsi versetur in materia alioqui gravi. Tum quia in C. *Nullus Presbyter* 15. de Consecratione Dist. 1. S. Syluester cōminatur pœnam depositionis celebranti nisi in locis ab Episcopo consecratis; quæ pœna supponere debet culpam non levem, vt & similis alia comminata in Concilio Parisiensi prędicitato Presbyteris facientibus Sacrum in domibus cōmunibus, & hortis. Persuadentque sibi aliqui, interdictos esse ipso facto ab ingressu Ecclesię qui celebrant, aut celebrare faciunt extra locum sacrum. Mouenturque ex C. *Episcoporum* de Priuilegijs in 6. Sed in hoc textu non est sermo nisi de celebratione in loco interdicto per Ecclesiæ censuras. Tum quia Concilij Tridentinum, cum inter alia iniunxisset Episcopis, *Ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicatà Oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi*, concludit, *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorū Ordinarijs ita proponuntur, vt non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam vt delegati sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inuiolatè seruanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorū arbitrio constituentur, fideles populum compellant; non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.* Sic Tridentinum. Si autem celebratio extra Ecclesiam, aut deputatum specialiter locum non contineret culpam gravem, quando abest necessitas, vel facultas à legitimo Superiore concessa, neutiquam Tridentinū finalibus verbis Decreti sui comprehēderet talem celebrationem, neque tam magnis pœnis castigari iuberet.

9 Quare etsi admitteremus, antiquorum Canonum vim esse mitigatam, quatenus non obligarent iam sub culpa lethali; attamen novum hoc Tridentini Decretum sufficit nobis, vt refragemur tribus illis Authoribus. Præterquàm quòd eisdem adversatur praxis, & sensus communis fidelium, ac Theologorum, authoritasque S. Basilij in duplici testimonio iam allato frustrà Felix IV. Papa sępiùs inculcasset casum necessitatis ad excusandam in loco non sacro celebrationem: inaniter etiam tempore Constantij fuissent ab Hæreticis Catholici accusati, quòd in magna quadam Ecclesia Synaxis habita sit, priusquàm dedicaretur, vt constat ex S. Athanasij ad Constantium Apologia, si celebratio extra peccatum grave exhiberi posset indifferenter in quocumque loco vel semel tantùm ex mera Sacerdotis, aut aliorum deuotione. Cum igitur iure communi celebrandum regulariter non sit nisi in Ecclesia consecrata, aut benedicta, aut in loco specialiter ad cultum Dei designato, videamus, oportet,

SECTIO II.

Quis possit consecrare, aut benedicere Ecclesiam, vel deputare locum.

10 ATQVE in primis Episcopus potest consecrare Ecclesiam in sua Diœcesi; sed propria authoritate nō licitè in aliena. Vnde meritò S. Laurentius Antistes Dublinensis, vt traditur in eius Vita C. 20. recusauit consecrationem in aliena. Nullus Episcopus potest committere consecrationem simplici Sacerdoti, nisi solus Romanus, ex cuius facultate vtatur Sacerdos chrismate benedicto ab Antistite aliquo.

aliquo. Constant hæc omnia ex C. *Piæmentis*, ex C. *Frigentius* 16. quæst. 7. ex C. *Nemo Ecclesiam* 9. de Consecratione Distinctione 1. ex C. *Tua fraternitas* 2. ex C. *Aqua* 9. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris.

11 Vt consecratio fiat, non requiritur dies Dominicus determinatè, sed vel hic, vel quivis alius, etiam priuatus, seu ferialis; vt dicitur Cap. illo *Tua fraternitas*. Debet Patronus Ecclesiæ consecrandæ assignare dotem ad eius conseruationē; quæ assignatio si omissa sit, tenetur Episcopus supplere ex propriis bonis iuxta C. *Cum sicut* 8. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Exemplum pro non consecranda Ecclesia sine dote legatur in S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis vita Lib. 2. C. 16. apud Surium Decemb. 4. De dote Ecclesiæ consecrandæ videatur Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. num. 3. Lib. etiā 2. de Iure Ecclesiastico C. 2. num. 20. & in antecedentibus, ac subsequentibus notentur alia huc spectantia.

12 Benedictio lapidis primarij, & Ecclesiæ, ac cœmeterij præstari potest ab Episcopo, & à simplici Sacerdote, cui ipse committat. Ritus autem tam consecrationis, quā benedictionis describuntur in Pontificali, Ritualiq; Romano. Cœlites beati consecrarunt aliquando Ecclesias, vt constat ex Roberto Gaguino Lib. 3. de gestis Francorum in Dagoberto, ex Vincentio Bellovacensi in Speculo historialia Lib. 23. Capite 36. & 37. Antonio de Yepes in Chronico Benedictino, Centuria 2. anno Christi 644. C. 2. Item ex Surio in vita S. Eduardi Regis Angliæ die 5. Ianuarij; Baronio in tomo 8. anno 610. n. 11. necnon ex Hartmanno in Annalibus Eremi Deiparæ apud Helvetios, & Bzovio anno 1432. num. 152. tandemq; ex relatione de Dedicatione Basilicæ S. Michaelis in monte Gargano apud Surium die 29 Septembris.

13 *Possunt nostri* Religiosi *facere benedici, aut consecrari Ecclesias Societatis cum cœmeterijs, & primum lapidem poni per quoscumque Episcopos, si Diœcesani vltra quatuor menses id facere distulerint.* Ita ex privilegio Pauli III. in Bulla *Licet debitum* concessa anno 1549. refertur in Compendio Privilegiorum Societatis V. *Ecclesia* §. 1. Gaudentque simili privilegio Honorij IV Minores, & Ioannis XXII. Fratres Carmelitani. Rursus *Per facultatem Minoribus à Leone X. datā possunt omnes Præpositi, ac Rectores Nostri cœmeteria, Ecclesias, & Oratoria Societatis, pro eiusdem Societatis vsu tantùm, solemni benedictione benedicere; (sed non publicè, nec nisi Ordinarij abessent, aut id grauatè facerent)* vt limitat Generalis Noster in Compendio illo V. *Benedicere* §. 1.

14 Deputatio loci, in quo nec consecrato, nec benedicto celebrare liceat, pertinet ex Iure communi ad Episcopum. Nam Capite *Missarum* XII. de Consecratione Distinctione 1. habetur, *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Verbo *Permiserit* innuitur, adnotante Francisco de Lugo L. 5. Capite 6. numero 3. cum Zerola, Selva, & Fagundez, satis esse, quòd Episcopus sciat, & non repugnet. Capite *Hic ergo* 14. dicitur, *In alijs locis sacrificari, & Missas celebrari non licet, nisi in his, in quibus Episcopus iusserit.* Capite *Clericos* 34. præcipitur, *Clericos, qui ministrant in Oratorijs, quæ intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci illius hoc facere. Si quis verò hoc non obseruauerit, deponatur.* Concilium Tridentinum in verbis supra exaratis, & Rubricæ Missalis supra etiam adductæ supponere videntur eandem potestatem in Episcopis, cuius ad vsum nusquam significatur, prærequiri necessitatem, causamve vrgentem. Vnde sufficeret merum arbitrium, gratiaque Episcopi, vt docet Suarez Disputatione 81. Sectione 3. Vers. *Secundo obseruandum est.* Et hæc de Iure communi: quæ intelliguntur de Episcopo intra propriam tantùm Diœcesim, vt contra Sylvestrum ponderat optimè Suarez in loco supra citato.

15 At Paulus V. anno 1615. die 10 Martij abstulit Episcopis, reservavitque sedi Apostolicæ eam potestatem quoad concedendam licentiam celebrandi in Oratorijs, quæ in domibus privatis ad divinum tantùm cultum sint etiam destinata. Et quanquam anno 1618. die 30. Iulij cum quibusdam limitationibus restituerit Episcopis potestatem ad illam licentiam; tamen Vrbanus VIII. denuò se-

mel, atque iterum ademit absolutè, vt videre est in Diana parte 9. Tractatu 1. Res. 42. Quæ prohibitio viget nunc in Hispania, minimè verò in Germania, vt testatur Arriaga Disputatione 54. S. 4. num. 27. Sed non extenditur ad Oratoria publica habentia per se ostium patens ad viam communem, siue sint seiuncta, siue coniuncta domibus priuatorum, siue item ostium sit apertum semper, ac celebratur in eis, siue aliquando claudatur ex industria dominorum, ne ingrediantur alij, quàm quos ipsi voluerint, vt cum Pasqualigo addit Diana supra Resolutione 11.

16 Vlteriùs Episcopi, & Prælati Religionum possunt multa alia circa locum, vt in eo celebrare liceat, etsi nec consecratus sit, nec benedictus, nec destinatus solummodò ad cultum diuinum. Sed de ipsorum potestate siue ex Iure communi, siue ex priuilegio Pontificio agemus, postquàm expenderimus omnia, quæ pertinent ad Ecclesiam vel consecratam, vel benedictam, prout est locus habilis ad celebrationem.

SECTIO III.

An Ecclesia, in qua celebrandum est, debeat non esse violata? Quisnam possit reconciliare eã, si fuerit violata? Et quomodo? Quidnam comprehendatur nomine Ecclesiæ, & loci capacis, vt violetur?

17 GRAVE peccatum per se est, celebrare in Ecclesia violata, aut polluta, aut exsecrata, nisi priùs reconcilietur, aut nisi reiteretur cõsecratio, vel benedictio, quia id prohibitum est Ecclesiastico præcepto, vt constabit ex Canonibus postmodùm referendis; tale autem præceptum, cum sit in materia gravi, spectanteq; ad Sacrificij cultum, & Ecclesiæ reverentiã, obligat graviter. Vnde *qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione pollutã :: scienter celebrare præsumit :: in hoc temerariè agit*, vt dicitur C. *Is qui* 18. de Sententia excommunicationis in 6. subiungiturque ibi, *Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in Iure) laqueum non incurrit.* Aliqui volunt, incurrere saltem mediatè, quatenus iuxta C. *Episcoporum* 8. de Priuilegijs in 6. incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ; quare si posteà celebret in Ecclesia siue violata, siue non violata, manebit irregularis. Sed certè in eo C. pœna suspensionis ab Ecclesiæ ingressu nõ imponitur nisi celebrantibus in loco interdicto; quo nomine non intelligitur locus violatus, alioqui fas esset celebrare in Ecclesia violata non reconciliata, quoties interdictum suspenditur.

18 Scripsi, *graue peccatum per se est*, quia per accidens propter necessitatem potest de consensu Episcopi celebrari citra culpam vllam in Ecclesia violata nondum reconciliata, vt docet S. Thomas ad 2. nec enim Iura adimunt Episcopo hanc potestatem. Debet tamẽ necessitas esse maior, quàm quæ sufficeret, vt Episcopus daret licentiam celebrandi in loco non sacro, quia priuatio sanctificationis externæ maius impedimentum est, quàm mera eius carẽtia negatiua. Cæterùm tanta posset esse necessitas, vt absque licentia Episcopi fas foret facere Sacrum in templo violato, si nimirùm Episcopus longè distaret, & alioqui moriturus esset sine viatico infirmus. Ita Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. C. 10. n. 4. addens numero 5 licitum esse in Ecclesia Parochiali polluta baptizare, & seruare Eucharistiam pro infirmis. Diana parte 11. Tract. 8. Resol. 23. approbat vnum, & alterum. Rursus fas est, quod dixi, si alioqui populus auditurus non esset Sacrum in die festo ob defectum alius tẽpli. Ita cum Suario, Fagundez, & Cardinali de Lugo Franciscus de Lugo Lib. 5. C. & q. 6. num. 42.

19 Scripsi, *graue peccatum per se est*, quia per accidens propter inceptũ iam Canonem Missæ potest, & debet Sacerdos prosequi hanc, si contingat, violari Ecclesiam tunc temporis. Ast si ante Canonem inceptum cõtingat, omittenda est Missa, vel interrumpenda, quoúsque Ecclesia, si consecrata non fuerat, reconcilietur breviter. Quod in D. 28. magis firmabitur à nobis, & in-

nuitur

nultur C. *Si Ecclesia* 10. de Cõsecratione Ecclesiæ, vel altaris, vbi legitur, *Si Ecclesia non consecrata, cuiuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lauetur, ne diuinæ laudis organa suspendantur.*

20 Quo ex textu colligitur, neque opus esse, vt aqua benedicatur ab Episcopo, neque vt expectetur licẽtia eiusdem; quanuis in casu non adeò vrgenti debeat simplex Sacerdos eam expectare, vel saltem decens sit, vt expectet iuxta Cardinalem de Lugo Disp. 20. sect. 2. num. 61. & Aversam q. 11. sect. 14. V. *Ecclesia violata.* Sic enim vt minus præscribitur in Rituali Romano, vbi ponitur ritus reconciliandi Ecclesiam, & cœmeteria, notaturque, requiri in Sacerdote simplici facultatem ab Episcopo ad vnam, & alteram reconciliationẽ. Hinc cum in illo casu vrgenti possit simplex Sacerdos sine recursu ad Episcopum reconciliare Ecclesiam, tenebitur ad id per se, vel per alium Sacerdotem præsentem, si ad manum habeatur, aut facilè haberi queat Rituale Romanum, in quo extat brevis formula reconciliationis; tenebitur, inquam, ne inchoata Missa omittatur; quod cum in alijs occasionibus sit graviter prohibitum, si evitari possit, erit etiã in hac. Vnde displicet mihi Thomas Tamburinus dicens Libro 2. de Missa Cap. 7. §. 5. num. 2. esse solùm peccatum veniale in hac occasione, quia Sacerdoti privato non præcipit Ecclesia reconciliationem. Sed videtur Ecclesia præcipere implicitè, & indirectè ob rationem nostram.

21 Iam verò si Ecclesia fuerit consecrata, spectat ad Episcopum reconciliare eam aqua per ipsum benedicta sale, cinere, & vino. *Simplex autem Sacerdos, tantùm ex priuilegio sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare.* Ita docemur in Rituali Romano. Et tunc *aqua debet esse ab Episcopo ad hunc vsum ritè benedicta*, vt ibidem aduertitur, nisi Summus Pontifex in hoc etiam dispenset. Vnde audiendus nõ est Sà V. *Ecclesia* num. 20. cum ait, posse Episcopum committere Presbytero reconciliationem Ecclesiæ consecratæ. Et vltra authoritatem Ritualis Romani facit contra Patrem Sà Cap. *Aqua* 9. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Verba sunt expressa, *Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine Prouinciæ Bracarensis (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus.* Sic ibi.

22 Sed Pater Sà sequutus est Victoriam Dominicanum in Summa de Sacramentis numero (mihi) 90. folio 73. dicentem, ✠ De modo autem, quo Ecclesia debet reconciliari, postquàm fuerit polluta, distinguendum est, quia vel Ecclesia est consecrata, aut dedicata; & sic à solo Episcopo est reconcilianda, nisi ipse, vel Papa alteri commiserit; potest autem committi Clerico cuicumque. Si autem Ecclesia non fuerit consecrata, sed solùm benedicta, potest à simplici Sacerdote reconciliari. ✠ His duobus Authoribus suffragatur in prima editione Sylvius apud Dianam parte 2. Tractatu 15. Resolutione 6. & improbabile non esse dictum Patris Sà; asseverat Trullench L. 3. de Sacramentis C. 8. dubio 15. num. 7. Imò Sylvius testatur de praxi, non contradicente, quin potiùs consentiente Pontifice. Reclamat tamen Diana, praxim potiùs esse in contrarium. Certè Authores, quos recensent ipse Diana, ac Castro Palao Tract. 22. Disp. vnica, puncto 8. num. 13. & quibus idem subscribunt, sunt communiter in contrarium. Addo Sylvium in 2. editione, & in 3. apud Basseum in Floribus V. *Sacrilegium* 1. num. 8. Addo etiam Hermannum Busenbaum è nostra Societate in Medulla Theologiæ Moralis Lib. 6. Tract. & Cap. 3. dub. 4. §. *Addo* 3. quo loci monet, præsumendum esse de Ecclesiæ consecratione, si celebretur festũ Dedicationis. Monuerat que olim Sà n. illo 20. præsumendum etiam esse, *Si vnus testis affirmet, aut extent consecrationis signa.*

23 Compendium priuilegiorum Societatis V. *Ecclesia* §. 2. inquit, *Possunt omnes Præpositi, ac Rectores, etiam aqua per eos benedicta, præsertim in locis remotis vbi Episcopum aquam benedicentem per duas diætas*, id est, per

quadraginta milliaria, vt cum Syluestro, & Mandosio advertit Bruno Chassaing parte 2. de Privilegijs Regularium Tractatu 7. Cap. & propos. 4. & per quatuordecim Ieucas, vt notāt Rodriguez infra, & Barbosa de Officio, & potestate Episcopi parte 2. Allegatione 18. num. 64. *adire non possunt* (quod extendit idem Barbosa cum alijs, quando Episcopus abest morte, renunciatione, depositione) *liberè, & licitè reconciliare nostras Ecclesias, cœmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, sanguinis, seu seminis effusione, seu alias quomodolibet pollutas, seu polluta, quoties opus fuerit. Concessit Leo X. Minoribus.* Non declarat Compendium, an hoc privilegium, cōmunicatum omnibus Societatis Superioribus à Nostro Generali, extendatur ad Ecclesias consecratas; & Diana parte, ac Tractatu 4. Resolutione 91. sub obscurè loquitur, citat tamen duos Authores, qui existimant, extendi. Id quod conceptis verbis affirmant etiam Henriquez, Abila, Cardinalis de Lugo, & Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 6. quæst. 12. num. 96. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 7. num. 109. Emmanuel Rodericus tomo 1. quæstionum Regularium quæst. 19. articulo 6. Busenbaus supra, Gaspar Hurtadus Disput. 4. de Sacrificio Missæ Diff. 7. Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. Capite 10. num. 14. Chassaing supra cum Ioanne de la Cruz, Portello, Novario, & Graffis, consentiuntque alij passim; renuente clarè Diana parte 11. Tractatu 8. Resolutione 23. seu potiùs Garciâ apud ipsum. Sed de reconciliatione Ecclesiæ etiam consecratæ loquutus est Leò X. provt compertum erit legenti Bullam, quæ est 6. Leonis X. in Bullario Regularium apud Rodericum pag. 268. incipitque, *Religionis honestas.* Ibi: *Ecclesias, Oratoria, & loca quæcumque recepta, & recipienda, nondum consecratas, seu consecrata,* &c. Quòd si privilegium non extenderetur ad Ecclesias etiam consecratas, nulla esset eius necessitas, neque aquæ per Episcopum benedictæ, quando ille non distaret vltra duas diætas. Nam plurium Authorum, quos allegant, sequunturque Chassaing supra, Arriaga Disputatione 54. sect. 5. Subs. 2. numero 40. & Amicus Disputatione 33. sect. 12. numero 345. communis sententia agnoscit in simplici Sacerdote potestatem reconciliandi cum aqua à se benedicta, & sine licentia Episcopi Ecclesiam nondum consecratam; nisi dicatur, concessum fuisse privilegium ad tollendos scrupulos, & ob varietatē opinionum.

24 Non sufficit ad Ecclesiæ reconciliationem, quòd Missa celebretur in illa, quia nusquam in Iure Ecclesiastico extat talis modus reconciliationis. Inquies, extare in C. *De fabrica* 24. de Consecratione Dist. 1. vbi dicitur, *De fabrica verò cuiuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, etsi in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo Sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, si per eam minimè iactatur aqua exorcizata, quia in cōsecratione cuiuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus sancti arrha non ponitur, celebritatem scimus tantùm esse Missarum: & ideo si qua Sanctorum Basilica à fundamentis fuerit innouata sine altaris motione, sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius consecratio sanctificationis implebitur. Si verò Sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum depositione, & Missarum solemnitate reuerentiam sanctificationis accipiet.* Sed contra, quia in hoc C. alibi accuratè expendendo, non agitur de reconciliatione Ecclesiæ, sed an hæc iterùm consecranda sit, necne, in casu ibi proposito.

25 Inquies rursus, Episcopum absentem, vel impeditum posse concedere licentiam, vt celebretur in Ecclesia polluta. Ergo quia hæc per celebrationem reconciliatur. Sed retorqueo argumentum, nam si polluta sit Ecclesia, quæ anteà fuerit consecrata, excedit potestatem Episcopi concedere Sacerdoti simplici licentiā, vt eam recōciliet, quanquā non vt in ea celebret. Ergo quia per celebrationem non recōciliatur. Respondeo absolutè, Episcopi licentiam non esse argumentum reconciliandæ Ecclesiæ, siue non consecratę, siue consecratę, per celebrationem; sed tantùmmodò esse argumētum potestatis in Episcopo dispensandi ob vrgentē causam in lege Ecclesiastica prohibente celebrationem in Ecclesia violata. Non tamen ob hanc dispensationem non debet postea reconciliari Ecclesia. Idemque asserendum, quando Sacerdos prosequitur Missam, contingente violatione Ecclesiæ post cæptum Canonem.

Et

26 Et quidem si celebratio sat est ad Ecclesiæ pollutæ purificationem, cur omittenda est Missa, contingente violatione ante inchoatum Canonem, cum tam facile foret purificare Ecclesiam, prosequendo Missam? Cur tot ritus, & cæremoniæ statutæ sunt ad templorum reconciliationem? cum vnum Missæ Sacrificium præstantiori modo eam efficeret, siue Sacerdos celebret bona, siue mala fide, siue violatio sit occulta, siue publica; nam nec mala fides minuit dignitatem, sanctitatemque Sacrificij, nec violationis notorietas est obex insuperabilis à virtute eiusdē Sacrificij. Plura aduersus Castrum de lege pœnali L. 2. C. vltimo post 3. Conclusionem, & aduersus Patrem Sà Verb. *Ecclesia* num. 19. aliosque multos à Fr̃cisco de Lugo relatos L. 5. C. 6. q. 12. num. 98. qui eis adhæserunt approbantes reconciliationem Ecclesiæ per celebrationem factam bona fide, vt plerique, & mala etiam, vt Sà, dicam in Disputatione 25.

27 Vt Ecclesia violetur, debet esse consecrata, aut benedicta, vel saltē debet esse deputata permanenter ab Episcopo ad publicam Missæ celebrationem, vt colligitur ex C. *Si Ecclesia* 10. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, indicatque Azor tomo, & Lib. 3. C. 31. q. 4. quod, notante Laymano L. Tract. & C. 5. n. 1. fieri interdum solet, antequàm Ecclesiæ ædificatio omnino perfecta sit, ac proinde antequàm Ecclesia consecretur, aut benedicatur. Hinc Secularium Oratoria privata, etsi sint tãtùm destinata ad diuinum cultum, & in eis Missa dicatur ex licentia Episcopi, vel Papæ, non sunt violationis capacia, quia nec Ecclesiarum, nec locorum sacrorum nomine significantur, nec diuinum Missæ Officium peragitur ibi publicè, nec sunt prohibita redire ad profanos vsus. Quibus de causis, vt latè tractat Petrus Gambacurta Lib. 4. de Immunitate Ecclesiarum C. 1. à num. 3. non gaudent immunitate, aliisque Ecclesiasticis privilegijs.

28 Dubium est de Oratorijs publicis, Eremitorijs, aut Confraternitatum, & Hospitalium Capellis seiunctis omnino à templo, erectisq; authoritate Episcopali ad publicam Missæ celebrationem, quin conuerti possint in vsus profanos; sed quæ non sint consecrata, nec benedicta, & in quibus debent non sepeliri corpora fidelium, dubium, inquam est, an habeant, necne, capacitatem, vt violentur? Et videtur quidem habere. Primò, quia sunt, & vocantur loca sacra, atque religiosa, argumento textus *Ad hæc* 4. de Religiosis domibus, intelliguntur que nomine Ecclesiæ, vt ex Suario tomo 5. de Censuris D. 33. S. 1. num. 5. refert Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 60. quanquam ego in eo Suarij numero nullum de Oratorijs publicis verbum legam. Secundò, quia fruuntur immunitate Ecclesiastica, vt cum multis docent Suarius tomo 1. de Religione Tract. 2. Lib. 3. C. 9. num. 2. Thomas Sanchez L. 9. de Matrimonio D. 15. num. 39. Castrus Palaus Tract. 11. D. vnica, punct. 6. num. 19. Diana parte 6. Tract. & Resol. 1. favetque dilucidè C. *Ecclesiæ* 9. de Immunitate Ecclesiarum, his verbis, *Ecclesiæ, in qua diuina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo iure privilegium immunitatis adimitur, quia obsequijs diuinis dedicata, nullius est temerarijs ausibus profananda.* Nam etsi sermo sit de Ecclesia; sed eadem ratio est de Oratorijs publicis; imò hæc nomine Ecclesiæ etiam significantur. Si ergo fruuntur immunitate Ecclesiastica, habebunt etiam capacitatem ad violationem. Et confirmatur ex C. vltimo de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, vbi decernitur, Ecclesiam non consecratam debere purificari, si cuiuscumque semine fuerit, aut sãguinis effusione pollnta. Tertiò, Oratoria publica destinata sunt ad vsum sacrum, & diuinis obsequijs sunt dedicata ex authoritate Episcopali, nequeuntque redire ad profana ministeria. Igitur apta nata sunt, vt violentur. Quæ Consequentia probatur tum exẽplo Ecclesiarum, in quibus nondum cõsecratis, imò nec benedictis datur capacitas ad violationem; tum quia deputatio ad publicum vsum sacrum, & diuina obsequia, ex authoritate Episcopali, æquivalet benedictioni, vt aiunt Sanchez supra, Basilius Legionensis L. 10. de Matrimonio C. 10. num. 5. Castrus Palaus supra, punct. 1. num. 2. Quapropter P. Suarez supra num. 3. miratur, quomodò aliqui Moderni dixerint, subiectam non esse pollutioni Ecclesiam non consecratam, nec benedictam.

29 Nihilominus idem Suarez tomo 3. in 3. p. D. 81. sect. 4. V. *Quintò violatur* dixerat, *Hi casus non habent locum in Oratorijs, vel similibus locis, quæ nec consecrata sunt, nec benedicta, quia Iura citata tantùm loquuntur de Ecclesijs. Ecclesiæ autem nomine solùm significatur templum consecratum, aut benedictum.* Sic ille ibi. Et addo, violationem esse rem odiosā, ac pœnalem; proindeque restringendā, & non ampliandam. Ampliatur autem, si nomine Ecclesiæ violabilis intelligatur locus non consecratus, nec benedictus; si item intelligatur Oratorium etiam publicum. Me iudice, vtraque sēntentia est probabilis; sed secūda est probabilior; testaturque Layman, solere nunc obseruari in praxi: & quæ sit in vnaquaque regione, attendi debere, monet prudenter Auersa quæst. 11. S. 14. V. *Decimò tandem.*

30 Ad fundamenta primæ respondeo; ad primum, in re violationis, vtpote odiosa, non venire nomine loci sacri, & religiosi, atque Ecclesiæ, nisi locum consecratum, aut benedictum.

31 Ad secundum, ex immunitatis privilegio, quo gaudere Oratoria publica, concedo, non sequi capacitatē violationis, plura enim loca fruuntur illo privilegio, non autem hac capacitate; & templum ipsum, adhuc dum est pollutum, conservat privilegium illud, vt & dum est interdictum, vti obseruat Castrus Palaus supra num. 5. & 6. cum alijs, quos refert. Quanquam verò ob C. *Ecclesiæ* amplietur immunitas ad Oratoria publica, quatenus nomine Ecclesiarum largè appellentur, non ideo ex laxa illa appellatione arguendum est ad capacitatem violationis, nam immunitas est res favorabilis; at violatio est res odiosa. Addo, non constare in Capite *Ecclesiæ* non esse sermonem de Ecclesia benedicta. Sed replicabis, si esset sermo de Ecclesia benedicta, gauderet immunitate, antequàm diuina Officia celebrarentur in ipsa. Ita obijcit Cardinalis de Lugo supra, num. 6. Sed ipsemet paulò post enervat hanc obiectionem, cum enim doceat, opus non esse ad Ecclesiæ immunitatem, & ad capacitatem violationis, vt diuina Officia cæperint celebrari, inquit verba illa C. *Ecclesiæ, In qua diuina mysteria celebrantur*, intelligenda esse non de celebratione actuali, sed de aptitudinali iuxta regulam Logicæ, quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem. De hac tamen solutione iudicent Canonistæ, quibus id genus subtilitatum Logicarū non solet gratum esse. Planiùs responderi posset, non reddi pro immunitatis causa celebrationem diuinorum mysteriorum. Confirmatio accepta ex Capite vltimo de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris probat quidem, Ecclesiam, non consecratam, reconciliandam esse, si violetur; non tamen Ecclesiam non benedictam. Et quicquid sit de Ecclesia, præsertim in qua Officia diuina inchoata sint, etsi nondum fuerit benedicta, patet satis ex dictis disparitas ab illa ad alia loca, quæ propriè, & strictè eo nomine non appellantur.

32 Ad tertium, nego Consequentiam, cuius prior probatio æquè anceps est; nisi quis putet, potiorem esse rationem in Ecclesijs non consecratis, nec benedictis, vt habeant capacitatem ad violationē, eo quòd strictim, & propriè illis competat nomen Ecclesiarum. Posterior probatio inefficax est, nec enim benedictioni æquivalet deputatio loci ad sacrum vsum etiam publicum, & diuina obsequia, alioqui superfluè, & vanè vltra eam deputationem instituta esset benedictio.

33 Cœmeterium, quod sit benedictum, capax est violationis, & ante reconciliationem nullus in eo est sepeliendus. Quando cœmeterium est contiguum Ecclesiæ, violata hac ob causam ibi contingentem, polluitur etiā illud; sed non è contra. Ita in terminis decidit C. vnico de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris in 6. per hæc verba, *Si Ecclesiam polluit sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius cœmeterium, si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum. Vnde antequām reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri. Secus, si remotum fuerit ab eadem. Non sic quoque in casu conuerso sentimus, vt videlicet polluto cœmeterio (quāuis Ecclesiæ contiguo) debeat Ecclesia reputari polluta, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur. Non vnum, sed plura cœmeteria esse noscuntur, quæ quanuis sibi cohærentia, pariete tamen medio seiunguntur. Ideoque violato eorū altero, alterum (licet de vno ad aliud per portam intermediā habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.* Ex hac decisione liquet, cur institutus tantùm sit

ordo

ordo reconciliandi cœmeterium violatum, siue Ecclesiæ contiguum sit, siue separatum, vbi Ecclesia non est polluta, quia nimirùm potest violari solummodò cœmeterium etiam contiguum Ecclesiæ, & quia si hæc violetur, illud etiam violatur; vti pariter si hæc reconcilietur, illud etiam reconciliatur. Liquet etiam ex eadem decisione, corrigendum esse Dominicum Sotum, cum in 4. Dist. 32. quæst. vnica art. 3. Conclusione 3. scribit, nullam esse in cœmeterijs violationem. Videatur Thomas Sanchez L. 9. de Matrimonio D. 15. num. 40 in fine.

34 Qui Author num. 41. eodem modo discurrit de claustris Religiosorum, ac de cœmeterijs, si claustra sint benedicta, & destinata sepeliendis, siue Religiosis, siue Sæcularibus. Videndusque est à num. 22. vsque ad finē Disputationis, tractat namque pro solita sua perspicuitate, eruditione, ac maturitate, quodnam spatium intelligatur nomine Ecclesiæ, vt inde cognoscatur, quando ista violetur ob causam in eo contingentem.

35 Nos breviter dicimus cum tanto Doctore, significari eo nomine quidquid pertinet ad interius Ecclesiæ corpus, à tecto interiori vsque ad pauimentum, & à summa ara vsque ad parietem oppositum. Ex quo deducitur primò, comprehendi nomine Ecclesiæ Capellas constitutas intra templum, quanquam addantur post huius consecrationem, aut benedictionem. Secundò, Chorum, tam qui est distinctus scabellis, atque intercluſus super pauimētum templi, quàm qui est à terra elevatus. Tertiò, locum organorum. Quartò, propylæa circumducta intrinsecùs per templi summitatem ad puluerem tecto excutiendum. Quintò, lineam, quam in Ecclesiæ liminibus attingunt valvæ à parte interna, & non ab externa relicta foris, dum portæ clauduntur, vt notant Suarez D. 81. sect. 4. V. *Quintò violatur*, Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. Cap. 10 num. 16. Arriaga Disputatione 54. sect. 5. Subs. 2. num. 37. Tannerus tomo 4. D. 5. quæst. 10. dubio 2. num. 32. qui addit, si templum habeat duplices ianuas, comprehendi tantùm interiores. Sextò è contra deducitur, non comprehendi sacristiam; nisi eius vice deserviat vna ex Capellis Ecclesiæ, vt asservetur sacra suppellex, & vt Sacerdotes induant, exuantque se sacris ornamentis. Septimò, nec cameras Ecclesiæ adhærentes ad seruitia ipsius, vel ad habitationem ministrorum, aut Religiosorum. Octauò, nec cameras instar odeæi ex aduerso arę maximę ad Sacrum audiendū exædificatas, præsertim si tales cameræ habeant aditum per domos Sęcularium coniunctas templis. Alicubi cellulæ illæ solent simul esse Capellæ deputatæ ad diuina celebrāda, aut solent deseruire vice Chori, quin à domibus Sæcularium vllatenus dependeant. Et tunc comprehendentur nomine Ecclesiæ. Nonò, nec turrim tēpli, seu campanile, nec exteriorem partem tecti, in ò nec interiorem, si templum insuper habeat fornicem lateritium, aut inferius tabulatum. Et tunc superficies fornicis, aut tabulati obiecta oculis versantium in solo Ecclesiæ comprehendetur huius nomine. Decimò, nec speluncam, aut cryptam subterraneam, nisi in ea celebretur Missa, aut sepeliantur mortuorum corpora. Vndecimò, nec confessionarij partem intra concavum parietis Ecclesię, si sermo sit de parte, in qua Sacerdotes assuescunt excipere confessiones fœminarum, eaque pars sit diuisa pariete intermedio, aut re alia fixa, & immobili ab ea parte, in qua mulieres solent genuflecti ad confessiones. Et hęc ferè ex P. Sanchez, quem imitatus est Castrus Palaus Tract. 11. D. vnica, puncto 1. n. 2. discordatque in paucis Basilius Legionensis Lib. 10. de Matrimonio Cap. 10. num. 3.

SECTIO IIII.

Exclusa vna causa inducente violationem Ecclesiæ, proponuntur aliæ.

36 ECCLESIA non violatur per consecrationem, aut benedictionem factam ab Episcopo excommunicato, non tolerato. Ita post Hugolinum apud Barbosam Lib. 2. de Iure Ecclesiastico C. 4. num. 25 Eximius Doctor P. Suarez Disp. 81. sect. 4. V. *Quartò violatur*, Lessius 3. parte. q. 83. art. 2. num. 83. Alterius, & cum ipso Gibalinus Disquis. 7. de Censuris

quæst.

quæst. 5. propos. 1. Consectario 4. numero 12. Barbosa in loco citato, quanquàm non in parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. n. 28. alijque multi posteriores Suario contra plerosque veteres Canonistas, Summistas, & Theologos, quia nusquam in Iure Canonico decernitur talis violationis causa; & quia consecratio, aut benedictio vel est inualida, vel est valida? Si primum; violatio debet supponere præcedentem consecrationem, aut benedictionem validam, vt notavimus in Sectione superiori. Si secundum, repugnat in terminis, vt valida consecratio, aut benedictio sit ipsamet violatio. Addo confirmationem ex C. *Ecclesijs semel* 20. de Consecratione Dist. 1. vbi statuitur, non reconsecrandam esse Ecclesiam, quę ab Episcopo hæretico fuerit consecrata. Ibi: *Sicut infans à qualicumque Sacerdote in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti semel baptizatus non debet iterùm baptizari; ita nec locus Deo dicatus iterùm consecrandus est, nisi propter eas causas, quas superiùs nominauimus, si tamē fidem sanctæ Trinitatis tenuerint, qui eum consecrauerint.* Eademque videtur esse ratio, ne debeat reconciliari. Quod si reconcilianda non est Ecclesia, quæ ab Episcopo hæretico fuit consecrata. Ergo nec quę ab Episcopo excommunicato non tolerato; ac proinde per talem consecrationem neutiquam Ecclesia contraxit violationem.

37 Dices primò, *Ecclesia, quæ pactione consecrata fuerit, potiùs excecrata, quàm consecrata dici debet.* Quæ sunt verba C. *Ecclesia* 1. quæst. 4. ergo similiter. Respondeo, si quid probatur ex adducto C. illud esse, quod per Episcopum Simoniacum non consecretur Ecclesia, minimè verò, quod violetur. Et quòd non consecretur, si forma debita adfuit, sed exsecretur, dictū est per exaggerationem in odium criminis Simoniæ, vt docet Suarez D. 37. de Censuris sect. 1. num. 27.

38 Inquies secundò, Ecclesia violatur, si excommunicatus non toleratus sepeliatur in ea, nam in C. *Consuluisti* 7. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris iubetur, *Reconciliari cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit.* Et in C. *Sacris* 12. de Sepulturis dicitur, *Si contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorū corporibus discerni poterunt, exhumari debere, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari. Quòd si discerni non poterunt, expedire non credimus, vt cum excōmunicatorum ossibꝰ corpora extumulentur fidelium: cum licet nō obsit iustis sepultura nulla, vel vilis, impijs tamen celebris, vel speciosa non prosit.* Sic ibi. Et licet hi duo Canones, & alius similis, qui est *Ad hæc* 5. de Privilegijs, & excessibus privilegiatorum, loquātur generaliter de quibuslibet excommunicatis; at post Concilium Constantiense coarctandi sunt ad non toleratos, nempe ad denunciatos publicè, ac nominatim, & ad manifestos Clerici percussores, sicut hos solos tenemur vitare post illud Concilium. Coarctandi etiam sunt ad eos excommunicatos non toleratos, qui post mortem non sunt absoluti ob non præstita contritionis signa in morte, nam, si absoluantur, poterunt sepeliri in Ecclesia, & sepulti non debēt exhumari, vt notant Stephanus de Abila parte 5. de Censuris Disp. 7. Dub. 4. Conclusione 4. & Martinonus D. 99. sect. 6. num. 60. Tunc sic: Ergo similiter violabitur Ecclesia per consecrationem, aut benedictionem factam ab Episcopo excommunicato non tolerato. Respondeo, argumenta à paritate esse parum efficacia in subiecta materia pœnarum Ecclesiasticarum. Hinc tu ipse negas, violari Ecclesiam per excōmunicati vitandi, aut schismatici celebrationem in ea, iuxta C. *Anobis* 2. de Sacramentis non iterandis, & per sepulturam hominis personaliter, nominatimque interdicti, quanquam argumentū à paritate videatur non minorem vim habere in duobus his casibus. Legesis Dianam parte 11. Tract. 8 Resolutione 22.

39 Et operæ pretium erit, vt sciatur, verti in dubium à Gibalino supra validitatem consecrationis factæ ab Episcopo excommunicato vitādo, quia consecratio est actus iurisdictionis, quā aufert excommunicatio. Ast non esse nisi potestatis Ordinis existimare oportet cum communi Doctorum. Videat Lector Cap. *Quod sicut* 28. de Electione §. *Præterea*, Cap. *Aqua* 9. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, vbi expressè dicitur, esse Ordinis Episcopalis. Fortè addubitavit Gibalinus, eo quòd

Papa

Papa in Cap. illo *Aqua* toleret, habeatque ratam consecrationem, vel reconciliationem Ecclesiæ factam à simplici Sacerdote; quæ tolerantia, seu ratihabitio nihil prodesset, si consecratio, vel reconciliatio nõ esset è potestate iurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis. Ast hæc ratio infirmata iam olim est à Glossa ad illud C. V. *Toleramus*, & ex Glossa à Palatio in 4. Dist. 13. Disp. 1. Concluſ. 4. quatenus tolerantia misericors Papę id tantùm præstiterit, vt in Ecclesijs illis perinde liceret celebrare, ac si re ipsâ, & verè fuissent consecratæ, vel reconciliatæ, cum tamẽ neque fuerint, neque in posterum sint. Etsi verò Ordinis Episcopalis sit consecratio, vel reconciliatio Ecclesiæ, committi potest simplici Sacerdoti à Summo Pontifice, eoque solo, vti & quòd conferat, administretque Confirmationis Sacramentum, etsi ordinaria potestas confirmandi sit potestas Ordinis Episcopalis: de quo vltra alios ordinarios consulendus est D. Ioannes de Solorzano Pereyra L. 3. de Indiarum Gubernatione Cap. 18. ex num. 31. vsque ad 36. & in Politica Indica Libro 4. Capite 18. pagina 662. & 663.

40 Vbi cum bona Lectoris venia insinuabo obiter, quod magis latè adstruxi anno prętèrito in M. S. resolutione ad instantiam Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Ioannis Delgado promoti ex Episcopatu Salmantino ad Archiepiscopatũ Burgensem, cũ enim confirmatus fuisset Archiepiscopus, & per Vicarium in possessione esset, sed nondum accepisset pallium, quæsivit à me pro sua humanitate, liceret ne sibi in Archiepiscopatu Burgensi, quò proficisci parabat, ministrare Sacramentũ Confirmationis? Nam in C. illo *Quòd sicut* §. *Prætereà* inter prohibita Archiepiscopo ante acceptum pallium non refertur chrismatio frontis, cum tamen confectio chrismatis exprimatur. Nihilominus respondi negativè, quia chrismatio vnum est ex munijs potestatis Ordinis Episcopalis; vetita autẽ vniversim sunt Archiepiscopis munia huiusmodi ante acceptum palliũ, vt ex prædicto C. & §. colligunt passim Doctores, & speciatim de chrismatione Azor tomo 2. Lib. 3. Cap. 34. quæst. 5. & 6. citans Hostiensem Libro 1. Summæ in Rubrica de authoritate, & vsu pallij §. *Quid sit pallium*, imò & transcribens quædam eius verba, sed non omnino fideliter, nã originalia sunt hæc, * Videtur ergo, quòd Archiepiscopus aliquid suprædictorum exercere no possit sine pallio:: Quod puto verum de his, quæ sine Missa expediri non debent, sicut est Ordinatio, & consecratio; secus in alijs, sicut in frontis chrismatione, cœmeterij benedictione, calicis consecratione, & similibus, quæ abipsis cum stola tantùm expediri consueverunt. In talibus enim consuetudo seruãda est. * Quibus in verbis potiùs stat contrà, quã pro Azor, & pro nobis. Cæterùm mors, quæ ante festinatum è Salmantica discessum obrepsit, quanquam magno virtutum, egregiè que factorum vadimonio paratum inuenerit, abstulit nobis præclaram siue vnius, siue alterius partis probationem ab exemplo Antistitis, vt præstantissimi pietate, sic & litteris. Num verò in aliena Prouincia fas sit Archiepiscopo ante susceptum pallium exercere ex commissione Episcopi, vel Capituli sede vacante functiones Ordinis Pontificalis? Tractant Hostiẽsis supra, §. *Et quo loco*, Quarantæ in Bullarij Summa Additionator, V. *Archiepiscopi authoritas* in 32. pag. 84. Sed relicta hac digressione, regredior ad pollutionem templi per sepulturam.

41 Et notandum est primò, exhumari debere corpus hominis personaliter, nominatimque interdicti, si in Ecclesia fuerit sepultum, discernique possit à corporibus aliorum non interdictorum, nam etsi non violet Ecclesiã, ast Can. *Sacris* prædicto iubetur, quod diximus, simulque, ne Ecclesiasticę sepulturæ tradatur. Inquies, Canonem eum non loqui nisi de excommunicato. Sed contrà, quia loquitur de quibusuis præcisis ab Ecclesiæ vnitate, quales etiã sunt interdicti personaliter, atque nominatim. Audiantur initialia verba Canonis, *Sacris est Canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis, vt careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs ab Ecclesiastica vnitate præcisi nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* Sic ibi. Fatebor tamen cum Glossa in Cap. *Si ciuitas* 17. de Sententia excommunicationis in 6. V. *Sepeliri*, eum, qui neque sit excommunicatus, neque interdictus, non debere extumulari, si in loco interdicto fuerit

sepultus

ſepultus contrà Iura Eccleſiaſtica, quibus id vetatur. Quia neque in Can. *Sacris*, neque alibi video ſtatutum id, neque eſt effectus Interdicti localis. Conſentio cum Gibalino D. 7. de Cenſuris q. 2. propoſ. 3. num. 32. in hoc, quod dixi, me fateri; diſſentio autem ab eo in annotatione principali. Sed favent mihi Suarez tomo 1. de Relig. Tract. 2. Lib. 3. Cap. 2. num. 13. Layman Lib. Tract. & Cap. 5. num. 8. Franciſcus de Lugo Lib. 5. C. 6. quæſt. 10. num. 66. Si quiſpiam roget, quid fiet, caſu quo oſſa excommunicati, aut interdicti non poſsint diſcerni ab alijs ibi ſepultis? Reſpondeo cum Suario D. 12. de Cenſuris ſect. & num. 4. & cum Gibalino ſupra, reconciliandum eſſe locum, ne maneat inhabilis ad divina Officia, & ad ſepulturam fidelium.

42 Notandum eſt ſecundò, violari Eccleſiam per ſepulturam pagani, vt declaratur Cap. *Eccleſiam* 27. de Conſecratione Diſt. 1. & per ſepulturã infidelis, vt etiam deciditur C. *Eccleſiam* 28. eadem Diſt. Nomine autem infidelis non intelligitur Catechumenus, neque hæreticus; non primus, quia præſumitur habere fidem, & Baptiſmũ flaminis; non ſecundus, quia profeſſus eſt in Baptiſmo veram fidem, quamuis poſtmodùm ea careat. Quare non polluet Eccleſiam ſepultura vtriuſvis. Infantes filij infidelium decedentes ſine Baptiſmo veniunt etiam nomine infidelium; ideoque ex ipſorum ſepultura polluetur Eccleſia. Infantes filij fidelium, obeuntes ſine lavacro ſacro, poſtquàm iam ſunt editi, & nati, ſignificantur etiam nomine infidelium; quatenus non habent, neque vnquam habuerunt fidem habitualem, licet differant à filijs infidelium, eo quòd illi, & non hi, cenſeantur deputati ad Baptiſmum. Vnde ſequitur, Eccleſiam violari illorum, & horum ſepultura; ſequitur, inquam, contra Hugolinum, & Pacem Iordanũ, negantes de filijs fidelium, vt refert Diana parte 11. Tract. 8. Reſol. 22. Attamen ſi filij fidelium moriantur, antequã naſcantur, & baptizentur, tunc ſepulti cum matre nõ polluent Eccleſiam, quia tunc reputantur vnum corpus cum matre. * Quòd ſi ex negligentia, vel malitia contingat, matrem mortuam habentem in vtero filium vivum ita ſepeliri; ratione homicidij polluceretur Eccleſia, ſi, dum mater ſepelitur, infans in ipſa Eccleſia occidatur, quia quoad hoc non reputatur filius pars matris; ideo illud eſt verum homicidium; ſicut etiam patet à ſimili in aborſu. * Ita P. Suarez D. 81. ſect. 4. V. *Quintò violatur.* Quem intelligo de negligentia graviter culpabili, vel de malitia gravi in non aperiendo vtero matris, vt infans non occidatur per ſepulturam in Eccleſia.

43 Notandum eſt tertiò cum Laymano ſupra, & cum Cardinali de Lugo D. 20. ſect. 2. num. 57. necnon cum Franciſco de Lugo ſupra quæſt. 11. num. 69. ad violationem Eccleſiæ per ſepulturam excommunicati vitandi, & infidelis mortui ſufficere factũ ipſum, etſi contingat, abeſſe culpam, quia bona fide ſepulti ſint in Eccleſia.

SECTIO V.

Expenduntur cætera cauſæ inducentes violationem Eccleſiæ.

44 POLLVITVR Eccleſia homicidio, etiamſi hoc fiat ſine ſanguine. Ita conſtat ex C. *Propoſuiſti* 4. de Conſecratione Eccleſiæ, vel altaris, ex C. *Simotum* 19. de Conſecratione Diſt. 1. Tale homicidium debet eſſe voluntarium, & iniurioſum, vel irreligioſum, peccaminoſumq; lèthaliter. Quapropter homicidio merè caſuali, aut per ebrietatem, vel amentiam facto, aut in infantia, aut in ſomnis, aut in defenſionẽ ſui, vel Reipublicæ cum moderamine inculpatæ tutelæ non polluitur Eccleſia; neque item, etſi refragẽtur Barboſa parte 2. de Officio, & poteſtate Epiſcopi Allegatione 28. n. 15. nece præter præviſionem, & intentionem ſequuta ex alia re graviter etiam illicita, cui navetur opera, non enim eſt voluntaria, neque peccatum mortale in genere homicidij: imò neque nece alterius ab eo, quem formaliter, aut virtualiter intendebas interimere, involuntaria enim eſt omnino occiſio illius perſonę, vt aiũt Fagundez in 2. præcep. Eccliæ Lib. & C. 4. num. 15. Baſæus in Floribus Theologiæ practicæ V. *Sacrilegium* 1. num. 7. Franciſcus de Lugo ſupra quæſt. 7. n. 44. Iniuria homicidij,

aut

aut Irreligio consideranda est respectu hominis occisi, vel respectu loci sacri. Hinc si quis in Ecclesia se ipsum necet, consentiat ve, se occidi ab alio, vel reus à iudice ibidem suspendatur, polluitur Ecclesia, in quam redundat iniuria, aut irreligio; præterquàm quòd reus habet ius, ne ibi puniatur.

45 Si causa mortis extra Ecclesiam data sit, v. g. contusio membrorū, & mors intra sequatur, non violatur Ecclesia, quia tunc non intra hanc, sed extra fit re vera homicidium, quà peccatum est, & occidentis actio iniuriosa erga occisum. Rursus non violatur Ecclesia, si è contra accidat, vt causa mortis intra eam detur per cōtusionem v. g. lethalem, vel per propinationem veneni, quod alter ibi hauriat, vel per strangulationem, aut suffocationem ibi inchoatam, & mors extra sequatur, quia tunc re vera homicidium completur, & consummatur extra Ecclesiam; pœna autem violationis ob homicidium restringenda est ad homicidium completum, & consummatum, ampliandaque non est ad homicidium, quà peccatum est præcisè, & actio iniuriosa: alioqui cur non ampliabitur ad causā per se sufficientem homicidij, quamuis miraculosè, aut naturaliter impediatur postea mors? cur item nō ampliabitur ad causam, quę solum sit moralis in ordine ad homicidium, quod in Ecclesia mandetur, aut consulatur, etiamsi alibi ab alio physicè fiat? cur præterea non ampliabitur ad casum, quo quis in templo existens emittat sagittam, interficiatque alium existentem in foro? quamuis violari Ecclesiam, concedendum sit; si è cōtra accidat, vt positus extra eam, emissa sagitta, necet manentem intra. Nostrā hanc sententiam de non violanda Ecclesia, nisi mors intus eveniat, docent Suarez D. 81. sect. 4. V. *Hæc quæstio.* Panormitanus, Azor, Præpositus, Reginaldus, quos citat, & sequitur Diana parte, & Tract. 6. Resolutione 26. quibus associo Amicum D. 33. sect. 12. n. 335. Petrum de Ledesma C. 20. de Eucharistia pag. 259. Non igitur Suarez tam singularis est in hac sententia, quantùm innuit Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 7. num. 114.

46 Dices cum Cardinali de Lugo D. 20. sect. 2. num. 53. & cum eius Fratre Francisco de Lugo Libro 5. Cap. 6. quæst. 7. num. 47. si causa culpabilis, & exterior mortis posita sit in templo, parùm referre additius irreuerentiam, & valde materiale esse ad intentum Ecclesiæ, proindeque ad violationem, quòd anima separetur à corpore extra templum. Respondeo, non parùm referre, neq; valde materiale esse, attenta stricta interpretatione Canonū in hac materia pœnali, quòd mors intra Ecclesiam sequatur. Dices rursus cum Arriaga D. 54. sect. 5. num. 32. homicidium patrari moraliter in proposito casu intra templum. Respondeo, non esse id verum de homicidio completo, & consummato.

47 Violatur Ecclesia effusione humani sanguinis, vt habetur C. vnico de Ecclesiæ Consecratione in 6. Cap. *Si Ecclesia* 10. de Consecratione Ecclesiæ. C. *Ecclesijs* 20. de Consecratione Dist. 1. & C. *Ecclesijs* 3. Dist. 68. C. etiam *Tuarum* 11. de Privilegijs, necnon C. *Cum illorum* 32. de Sententia excommunicationis, tandemque Concilio Coloniēsi anno 1536. parte 9. C. 17. Dixi *humani sanguinis*, nam effusus sanguis alterius animalis non sufficit ad pollutionē Ecclesiæ, etiamsi peccetur graviter cōtra iustitiam domino animalis debitam. Neque item sufficit effusus sanguis cadaveris humani, quia huiusmodi sanguis non est rigorosè, & propriè humanus, nec enim homo mortuus est rigorosè, & propriè homo: Canones autem præcitatos debemus interpretari strictè, cum sint pœnales.

48 Doctores communiter tenent, sufficere, si fiat in Ecclesia percussio hominis inferens effusionem sanguinis, quamuis effusio nō fiat intra, sed extra Ecclesiam, eo quòd vulneratus discedat quàm citissimè ex ipsa. Reddit rationem Suarez supra V. *Secūdò violatur*, quia effusio, quantùm est ex parte actionis iniuriosę, iam est facta in Ecclesia. Sed hæc ratio retorquetur contra Suarez, & contrà sententiam, quam cum illo amplexati sumus in numero 45. Meliùs argumentatur idem Doctor Eximius ex C. *Proposuisti* 4. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, vbi propter vulnera dicitur violari Ecclesia, quin fiat mentio effusi sanguinis; ideoque etsi in alijs Canonibus fiat, debent intelligi cōuenienter ad hunc. Sed adhuc respondeti potest, in hoc per vul-

nera

nera denotari eas læsiones, quę afferunt vel mortem, vel effusionem sanguinis in Ecclesia, sicut ab aduersarijs intelliguntur percussiones illæ solæ, quæ important vnam, vel alteram absolutè: nam vulnus sine effusione sanguinis non profanat templum. Sanè non est, cur potiùs illi alij Canones explicandi sint habito respectu ad hunc, quàm hic habito respectu ad illos alios: imò communi modo significandi, quoties dicitur inferri vulnus in aliquo loco, nihilque aliud additur, denotatur sanguis ibi effundi.

49 Ac sanè cum in Canonibus initio numeri adductis assignetur violationis causa effusio sanguinis in Ecclesia, & violatio sit pœna, rationi equùm videtur, vt pœna hæc non amplietur ad quidpiam aliud, quod non sit sanguinis in Ecclesia effusio, vti à nemine ampliatur ad contusionem membrorum, etsi latè dicatur vulnus, & sæpe maius sit peccatum, magisq; nociva, quàm vulnus. Quare existimo, probabile valdè esse, stando rationi, non violari Ecclesiam, nisi intra ipsam contingat effusio sanguinis; siue sanguis decidat in pauimentum, parietesve templi, siue recipiatur in vase aliquo: id enim est, quod parùm interest, quippe vtrovis modo effusio accidat in Ecclesia. Ita Diana supra Resol. 47. licet cum formidine, quia videt, contrariam opinionem probari communiter à Doctoribus; & hac de causa in parte 11. Tract. 2. Resol. 58. revocat, quod antèà insinuarat; repetitque retractationem Tract. 8. Resol. 23. Sed sine metu favet Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 28 num. 24.

50 Opponet quis, si homo vulneretur extra Ecclesiam, & sanguis postea intra eandem effluat è vulnere, nō polluetur Ecclesia. Ergo quòd effusio eveniat in Ecclesia, est valde peraccidēs ad eius violationem; & solùm attendēdum est, quòd in ea fiat percussio, vi cuius, vt actionis iniuriosæ, profanatur magis templum, quàm per sanguinis contactum. Respondeo, effusionem sāguinis in Ecclesia non esse peraccidens ad violationem, sed esse insufficientem sine percussione in eademmet Ecclesia. Cuius ratio colligitur ex dictis; coincidítque cū ratione supra reddita, ne violetur Ecclesia, si mors intra ipsam contingat, sed causa data sit extrà.

51 Vbi noto, fuisse immeritò prohibitum à Parocho quodam, ne corpus defunctum S. Engelberti Antistitis Colonien sis, & Martyris poneretur in Ecclesia Suelmensi proximè post occisionem, prætexente Parocho contaminationem Ecclesiæ ex sanguine Martyris, vt narratur in vita S. Engelberti L. 2. Cap. 3. apud Surium die 7. Nouembris. Noto, inquam, fuisse immeritò prohibitum ob illum prætextum, cum enim S. Engelbertus vulneratus non sit intra Ecclesiam, timenda non erat violatio ratione sanguinis effluentis ex ipsius corpore. Vt omittam, sanguine cadaveris humani non pollui Ecclesiā, etiamsi intra hanc percutiatur illicitè cadaver vsque ad sanguinis effusionem, neque huiusmodi sevities est homicidium, vt cum Archidiacono, Felino, & Covarruvia notat Gibalinus Cap. 4. de Irregularitate, quæst. 1. num. 14. Cæterùm Author vitę S. Engelberti reprehendit Parochum, eo quòd potiùs dicetur Ecclesię sanguine Martyris. Quod dictum est magis piè in speciem, quàm verè, nam si Martyr vulneretur in templo, decidatque ibi sanguis, violatur templum ratione actionis iniuriosæ erga Martyrem, & irreligiosæ erga templum. Videantur Barbosa de Officio, & potestate Episcopi parte 2. Allegatione 28. num. 29. Raynaudus de Martyrio per pestem parte 2. Capite 6. numero 23.

52 Effusio sanguinis, quæ sit violationis causa, debet procedere ex percussione voluntaria, graviter culpabili, & iniuriosa siue homini percusso, siue loco sacro, aut quę sit potius irreligiosa contra hunc. Quæ conditiones deficiunt in percussione facta per non turpem iocum, aut per ludum. Advertit autem Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dubio 7. numero 117. percussionem posse graviter iniuriosam esse in honore, non tamen in corpore; & tunc, etsi sanguinis effusio sit copiosa, non pollui Ecclesiam. Adhibet exemplum, * Si quis in rixa, & per contemptum, aut iram, sufficienterque adverters, virum grauem, & honestum manu percutiat in naribus, alapamve impingat, vnde copiosa fiat sāguinis effusio; tunc illa quidem percussio mortalis est, & grauissima quantùm ad læsionem honoris, non

tamen

tamen quantùm ad læsionem corporis; ideo non violabitur Ecclesia. ✻ Ita Dicastillus. Et quidem quòd percussio in naribus, multam sãguinis copiam deriuans, non sit de se gravis læsio in corpore, neq; violet Ecclesiam, quando etiã est lethaliter peccaminosa ob affectũ se extendentem ad maius malum, vel ob notabilem iniuriam contra decorũ personę, docet Diana p. & Tract. 6. Resol. 24 cũ Graffio, Soto, Sà, Capua, Fagundez, ac Marchino. Cæterũ Sotus, citatus ex Fagundezij fide L. 3. in 1. præcep. Eccles. C. 14. n. 19. in 2. L. & C. 4. n. 18. non favet, loquitur enim de effusione per nasum in rixa puerorum, vt videre est in 4. Dist. 13. q. 2. art. 3. V. *Ait quartò S. Thomas*; pueri autem communiter nõ peccãt mortaliter in tali rixa. Sà V. *Ecclesia*, n. 13. inquit, *Nec secundùm quosdã pollui tur Ecclesia, si quis alteri nares percutiat, vnde multus sanguis effluat; quia non est grauis percussio, nec insignis iniuria.* Quib' in verbis exaratis in suum vsũ à Castro Palao Tract. 11. D. vnica, punct. & n. 1. respexit, ni fallor, ad Victoriam Dominicanum dicentẽ n. 90. Summæ, *Ecclesia violatur in duobus casibus: Primus est, si in Ecclesia effundatur sanguis. Et hoc intelligẽdum est graui effusione, nã si pugno percusserò aliquem in naribus, & fluat sanguis etiam in magna quantitate, non polluitur Ecclesia. Et etiam intelligitur de effusione iniusta.* Sic Victoria; cui ego assentiar, si effusio sanguinis fiat ex contusione narium, vel ex leuissimo vulnere; quale sufficit in eis, & in auriculis, vt multus effluat sãguis. At si magna pars nasi, aut auriculæ amputetur cultro, vel ficca, vel ense, non dubito, quin violãda sit Ecclesia. Dices, abscissionem auriculæ non sufficere, vt ab abscindẽte incurratur irregularitas. Sed contra, tum quia à Suario D. 44. de Cẽsuris S. 2. n. 8. & à multis alijs idnegatur; tũ quia etsi concedatur, attamẽ minus quid sufficit ad violationem, quã ad irregularitatẽ, nam ad illam satis est vulnus cum effusione sanguinis; sed nõ ad hanc, quippe requiratur mutilatio membri, quale propriè non esse auriculam, asserit communissima sententia apud Gibalinum C. 4. de Irregularitate num. 6. & 46. quæstionis 1.

53 Vlteriùs polluitur Ecclesia per effusionem humani seminis, vt traditur C. *Significastis*. de adulterijs, & stupro, C. *Si Ecclesia* 10. de Consec. Ecclesiæ, vel altaris, C. *Ecclesijs* 3. Dist. 68. C. *Ecclesijs* 20. de Consec. Dist. 1. C. *Simonum* 19. ibidem, C. vnico *Si Ecclesiam* de Consec. Ecclesię, vel altaris in 6. Cõcilio Coloniẽs. an. 1536. p. 9. C. 17. Ipsũ effusionis nomen, vsurpatũ in CC. præcitatis *Si Ecclesia, si Ecclesiã*, denotat, debere esse pollutionem consummatam, proindeq; non sufficere vnius, aut alterius guttæ distillationem; nam *verbum effusionis nomen largitatis ostendit*, vt dicitur C. *Reuertimini* 16. q. 1. aduertitque Glossa ad Cap. *Cum illorum* 32. de Sententia excommunicationis. Quo simili argumẽto moventur communiter Doctores apud Dianam parte 11. Tract. 2. Resol. 58. vt dicant, ad violationem Ecclesię non sufficere modicam sanguinis emissionem; tametsi, quæ minor sit seminis, sufficiat, provt docet Fagundez in 1. Ecclesiæ præceptum L. 3. C. 14. num. 21. imò Pax Iordanus allegatus, & approbatus à Diana supra censet, satis esse actum completum emissi seminis etiam modici, eo quòd iura non loquantur de seminis, sicut de sanguinis effusione, solùm enim dicitur in eis, pollui Ecclesiam semine. Sed profectò Pax Iordanus, & Diana non attenderunt ad CC. *Si Ecclesia, Si Ecclesiã*, in quibus effusio seminis cõceptis verbis traditur

54 Debet item ea esse lethalis peccaminosa, nam gravis pœna, seu potiùs damnũ grave violationis Ecclesiæ supponat, necesse est, gravem culpam. Debet item esse voluntaria vel directè, & in se, vel indirectè, & in causa, quia si nec vno, nec altero modo sit volũtaria, non erit lethaliter peccaminosa, vt si cõtingat in vigilia coactè, aut si sit pollutio personæ fatuæ, amentisvè. Bonacina de Matrim. q. 4. punct. vlt. n. 19. existimat, Ecclesiam non pollui per seminis effusionẽ in somnis, quę sit merè voluntaria in causa graviter illicita, v. g. in ebrietate, ex qua inter dormiendũ sequutura prævidetur pollutio. Quam sẽtentiã tenet expressè Henriq. L. 9 C. 27. §. 5. cũ alijs citatis tũ ab Henriq. in margine, tum à Bonacina, sic arguente; pollutio, eo ipso quòd fit in somnis, non est libera, & consequenter non habet secum adnexam aliquam loci sacri irreuerentiam, ob quam Ecclesia pollui debeat. Sed hæc ratio parvi momenti est, nam etsi pollutio contingat in somnis, habet sufficientem libertatem, vt tunc imputetur culpæ, quando prævidetur in causa illicita. Ductus alia ratione as-

sentior Bonacinæ cum Tannero tom. 4. D. 5. q. 10. dub. 2. n. 29. Cardinali de Lugo D. 20. sect. 2. num. 54. & cum Francisco de Lugo L. 5. C. 6. q. 9. num. 58. quia nimirùm pollutio, prævisa quidem, sed prêter intentionem sequuta in somnis ex ebrietate, non est mortalis in genere luxuriæ, seu contra castitatem, nec enim hæc obligat graviter ad illam impediendam per remotionem ebrietatis.

55 Sed dicet non nemo, ergo per mortem illatam in Ecclesia, voluntariam tantùm in causa graviter illicita, in qua sit prævisa, violabitur Ecclesia, siquidem tale homicidium sit peccatum in genere iniustitiæ, seu contra iustitiam, obligat namq; hæc virtus ad non occidendum alterum, & ad avertẽdũ quidquid potest alteri nocemparare. Quę sequela est contra doctrinã superiùs à nobis traditam cum Suarez D. 81. S. 4 V. *Secundò violatur*, Tannero supra n. 27 Cardinali de Lugo in illo n. 54. Francisco de Lugo q. 7. n. 44. Arriaga D. 54 S. 5. n. 32. Fagundez in 1. præcep. Ecclesiæ L. 3. C. 14. n. 15. de inflictione vulneris lethalis intra Ecclesiam à dante operam in honesto ludo, aut repręsẽtationi v. g. Dicet etiam, quidnã erit, si quis vigilans consentiat delectationi turpi morosę, ex qua prævideat, provẽturam esse pollutionem inter dormiẽdum? Nam in hoc casu non valet ratio Cardinalis de Lugo. Respondeo in primis, doctrinam illam nostrã permanere salvã, quando prævisum non fuerit, sequuturam esse mortẽ ex inhonesto ludo, aut repræsentatione, quia eo casu mors nõ erit voluntaria etiã indirectè, & in causa. Responderi secundò posset, neq; in casu, quo sit prævisum homicidium, violari Ecclesiã, quia etsi in foro poli, & revera occisio eo casu sit actio in genere iniustitię; at apud homines, seu in foro soli nõ reputatur talis esse. Quod idẽ dici posset, quando non modò fuisset prævisum homicidium, sed etiã intentum. Et posset simile quid dici, quãdo contingeret in somnis pollutio, quæ pręvisa fuisset, & intẽta in delectatione turpi morosa, & à fortiori in ebrietate.

56 Nihilominus si pręvisum sit, & intentum homicidium, imò etsi non sit intentum directè, sed prævisioni accesserit negligentia gravis, culpaque Theologica mortalis in cavendo periculo illius, non auserim affirmare, non induci violationem Ecclesiæ, nam tale homicidiũ erit voluntariũ simpliciter, quando pręvideatur, intendaturque, & voluntariũ secundumquid, culpabileq; mortaliter, quando pręvideatur, nõ adhibendo sufficiẽtem cautionem, vt vitetur; estq; peccatum grave in genere iniustitię contra alterũ, intendere eius occisionem, & omittere cautionẽ prędictam. Quare sicut irregularitas cõtrahitur non solũ ex homicidio voluntario simpliciter, sed etiam ex voluntario secundũ quid, seu etiam ex eo, quod non est omnino casuale, & fortuitũ, sed pręvisum in causa, quin adhibita fuerit sufficiens diligentia, ne sequeretur: ita similiter discurri debet circa violationẽ Ecclesiæ ex homicidio, & ex effusione sanguinis, supponendo cũ meliori sententia, negligentiã futurã esse graviter, & non satis esse venialiter culpabilem, huic enim non proportionatur gravis pœna, aut damnũ irregularitatis: supponendo item, etsi causa, in qua prævideatur homicidiũ sit in se illicita, imò & periculosa, dum tamen per se non sit coniuncta cum homicidio, nõ contrahi irregularitatẽ, dando ei operam, si adsit diligentia, quã prudentia petit, ne homicidium eveniat.

57 Nihilomagis auserim affirmare, non temerari Ecclesiã, si prævisa sit, & intenta in turpi morosa delectatione pollutio inter dormiendum, imò si tantũ sit prævisa, sed cum gravi negligentia vitandi periculũ eius. At verò si inter dormiẽdum pollutio sit quidẽ pręvisa in ebrietate, sed nõ intenta, consequutio pollutionis ex ebritate nõ inducet violationem. Et ratio discriminis noscitur abundè ex dictis. Vt omittã, nõ sequi plerũq; ex ebrietate pollutionẽ, vt plerumq; excitari solet ex turpi morosa delectatione. Vt item omittã, pollutionem sequutã ex ebrietate, etsi in hac sit prævisa, non esse peccatum mortale, si non fuerit intenta, absitque probabile periculum consensus, vt tractat sapientissimè P. Sanchez L. 9. de Matrimonio D. 45. n. 16. Vazquez 1. 2. D. 115. C. 3. n. 9. qui non est sibi contrarius in D. 127. C. 3. n. 11. nam solum modò ait in posteriori isto loco, talem pollutionẽ imputari culpæ, quod verũ est de veniali, vt etiã docet Sãch. supra n. 21.

Vnde necessaria non est quædam inter-

pretatio

pretatio adhibita ab Oviedo t. 2. Tractatu 6. Controv. 4 puncto 6. num. 52. quæ omnino est extranea à Vazquij mente. Motivum secundæ responsionis non est admodùm efficax, nam optimè stat, vt actio, quę in foro soli non est homicidium contra iustitiam, neque pollutio contra castitatem, importet violationem ex nunc pro tempore, quo cõstiterit fuisse re ipsa talem actionem homicidium contra iustitiam, aut pollutionem contra castitatem; si qui eam præstitit, declaret suam prævisionem, aut intentionem. Sed de hoc inferiùs.

59 Effusione seminis facta in copula coniugali non pollui Ecclesiam, valde probabile est. Et ita affirmant Gaspar Hurtadus Disp. 4. de Sacrificio Missæ Diff. 7. Franciscus Amicus Disp. 33. sect. 12. num. 337. Arriaga D. 54. sect. 5. num. 35. Basilius Pontius L. 8. Cap. 10. de Matrimonio n. 12. & 13. cum multis, quos citãt, inter quos Sot. in 4. D. 13. q. 2. art. 3. V. *Ait quarto*, habet hęc verba; *De concubitu coniugali dubium est inter Doctores; & forsan per illum concubitum non violatur Ecclesia, nam pœnæ restringendæ.* Tantùm Sotus. Ratioque, quam breviter proponit, contemnenda haudquaquam est; nullus enim textus affertur, qui de copula, aliàs licita, loquatur expressè. C. namq; *Significasti* 5. de Adulterijs, & stupro. C. *Si motu* 19. de Consec. Dist. 1. loquuntur de copula adulterina; cæteri autem Canones non aliud dicunt, quã pollui Ecclesiam effusione seminis; sicuti etiã dicunt, pollui effusione sanguinis; & tamen quia pœnæ sunt restringendę, explicãtur illi Canones de sãguinis effusione, quæ extra Ecclesiam etiam esset illicita, vel si de licita, quã nihilominus aliunde constet esse illicitam intra Ecclesiam, eo quòd sit contra huius immunitatem.

60 Si opponatur Canon *Ecclesijs* 20. de Consec. Dist. 1. vbi dicitur, *Ecclesijs semel Deo consecratis non debet iterùm consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerint.* Respondetur, sicut cum his verbis rectè cohæret, vt aliqua sanguinis intra Ecclesiam effusione, quę alias extrà foret licita, & effusione seminis omnino inuoluntaria non violetur Ecclesia; ita optimè stare, vt effusione seminis in copula coniugali non contaminetur. Sufficereq; videtur ad eorum verborum sensum, & veritatem, vt temeretur Ecclesia semine voluntariè emisso cuiuscumque personæ non coniugarę, & citra copulam coniugalem, siue persona sit mas, siue fœmina, siue sit, siue non sit Clericus, aut Religiosus.

61 Si rursus opponatur, copulã coniugatorum intra Ecclesiã esse sacrilegium. Negabitur id de copula præsertim habita in aliquo tẽpli angulo, & nõ proximè ante altare. Negabitur, inquã, vsq; dum probetur ab aduersarijs absq; circulo vitioso. Quod ipsis difficile erit. Solẽt quippe probare esse sacrilegium, quia violat Ecclesiã. Missũ fit, non impiari Ecclesiã quocumq; actu externo sacrilego. Et hęc de probabilitate illius opinionis.

62 Pro qua non merito iure allegatur à Basilio n. 13. P. Sà V. *Ecclesia* n. 14. inquiens, *Polluitur Ecclesia effusione magna seminis viri, vel fœminæ, si fiat cum peccato mortali.* Allegatur, inquam, non merito iure, non enim inquit, effusionẽ in copula coniugali intra Ecclesiam fieri sine peccato mortali. Legatur V. *Debitũ coniugale* n. 12. & constabit, neutiquam sensisse excusari per se à culpa lethali copulam coniugatorum intra Ecclesiã. Citat etiam Basilius P. Vazquium t. 2. D. 98. C. 3. n. 6 Sed Vazquius solũmodò inquit, nõ violari Ecclesiam per copulam occultam, etiam fornicariam; & hanc etiam, quando notoria non est, non habere malitiam sacrilegij. At de copula notoria siue solutorum, siue coniugatorũ in templo non affirmat carere malitia sacrilegij, causamq; violationis nõ esse. Quicquid sit de Sà, & Vazquez, nõ desunt graves alij Authores, qui in hanc sententiam eant, de quibus consulet dª est Diana p. 11. Tract. 8. Resol. 54. & ex antiquioribus videatur Rex Alfonsª Sapiens l. 20. tit. 10. Partita 1. Vnde parũ eruditè scripsit Oviedus t. 2. Tract. 6. Controv. 5 punct. 3. §. 9. n. 66. conuenire omnes Doctores in eo, quòd per copulam maritalem habitam absq; necessitate intra Ecclesiam violetur hæc.

63 Receptior quidẽ est opinio asserens, pollui templũ copula coniugali. Sunt autem bipartiti patroni sententiæ istius. Nam multi volunt, contaminari in omni casu: & multi excipiunt eum, qui est necessitatis; vt si coniuges iustã de causa cogantur permanere diu intra Ecclesiam, quin liberum ipsis sit,

digredi ad loca adiacentia nō consecrata, aut non benedicta, tunc enim si vtrlque, vel alterutri immineat incontinētię periculum, licita erit coniugalis copula intra Ecclesiam, neque hanc violabit, quia non est pręsumendum, Ius Ecclesiasticum obligare tunc ad abstinendum, non obstante incontinentiæ periculo. His Authoribus, qui plures sunt, libentiùs adhæreo. Ex quibus aliqui dicunt, diuturnum tempus esse vnum mensem, aliqui esse quindecim dies, aliqui esse decem, aliqui esse quinque, aut quatuor, vt videre est in Diana p. 1. Tract. 7. Resolut. 19. Neque opus erit expectare, vt diuturnum tempus sit transactum; sed sufficiet moralis certitudo antehabita de inclusione futura. Nonnulli censent, excusari copulam ob periculum manifestum, & proximum incontinentiæ, etiamsi inclusio foret per breve tempus. Sed si longum tempus sint tantùm quatuor, aut quinque dies, breve erit tres, aut quatuor; quibus si non se vincant coniuges, & periculum inconuenientię superent, arguēdi videntur nimiæ facilitatis, aut fragilitatis. Tandem nonnulli independenter ab incontinentiæ periculo licitam putant copulam coniugatorum, qui per diuturnum tempus sint intra Ecclesiam inclusi sine facultate discedendi ad loca adhærentia, si admodùm molestum sit ipsis, continere se diu. Tot quidem ampliationes assignantur, vt vix differat hæc opinio ab ea alia priori. Et tam Authores vnius, quàm alterius addunt restrictionem, scilicet vt semper prospici debeat, ne sequatur scandalum. Hucvsque de causis violandi Ecclesiam.

64 Ast silendum non est, eam non violari per exercita ibi Mahometanæ, aut Hæreticæ Sectæ Officia, quia in Iure non exprimitur talis causa violationis. Consuetum tamen est, vt priusquàm in templo, vbi ea Officia sint peracta, Sacrum fiat, visitentur ab Episcopo altaria, inspiciaturque, an sint fracta, & deinde illud purificetur adspersione aquæ benedictæ. Poterit nihilominus, si opus sit, ante has cœremonias celebrari Missa; & licet absque causa vrgenti celebretur, non prœmissis his cœremonijs, videtur, non fore peccatum lethale.

SECTIO VI.

De notorietate causarum inducentium violationem Ecclesiæ. Et, an quando occultæ sunt, debeant computari inter sacrilegia?

65 SED quæres, an vt ex prædictis causis violetur Ecclesia, ita vt reconciliari debeat, ne cesse sit, causas esse notorias? Dico primò, non esse determinatè necessariam notorietatem iuris, seu quòd causa violans Ecclesiam declarata sit per Iudicis sententiam, & quòd ob eam causam iuridicè publicetur Ecclesia vt violata. Ratio est, quia necessitas tantæ notorietatis nullū habet in Iure fundamentum, quin potiùs Ius supponit violationem ante omnem denunciationem. Testaturque Cardinalis de Lugo D. 20. S. 2. n. 55. vigere praxim in Vrbe, vt reconcilientur Ecclesiæ, etiamsi causæ violationis non fuerint denunciatę. Quanquam verò ad Interdictum Ecclesię requiratur denūciatio ob Extrauagantem editam in Cōcilio Constantiensi, incipientem q; *Ad euitanda scandala*, inefficaciter inde arguitur ad violationem, neq; enim hæc est Interdictum, neq; habet Interdicti speciem aut genus, vt notat Suarez tomo de Censuris D. 37. S. 1. n. 27. & tractat latè Bardi p. 2. in Bullam Cruciatæ Tract. 2. C. 3. S. 9. docens per priuilegium celebrandi tempore Interdicti nō concedi, vt possit celebrari in Ecclesia violata; paritasque rationis in istis materijs non sufficit, prout optimè in præsenti admonet idem Suarez D. 81. S. 4. V. *Quartò violatur*, Sed tamen §. *Secundo dubitari*, fatetur, vt & Castr. Pala. Tract. 11. D. vnica, punct. 1. n. 4. Fagundez in 1. præcep. Ecclesiæ L. 3. C. 14. n. 34. probabilem esse opinionem contrariam excogitatā ab illustri Magistro Dominicano Fratre Ioanne de la Peña. En in rebus Moralibus novant alumni Prædicatoriæ Religionis, quin ob id à sapientibus Theologis asperè tractentur.

66 Dico secundo, esse indeterminatè necessariam notorietatē iuris, vel facti nulla potentis tergiversatione celari, aut probabili Iuris excusatione defendi, seu quòd vno ex his modis cōstet publicè de causa violationis. Probatur ex C. *Significastis*. de Adult. & sit pro, vbi

vbi iubetur reconciliari Ecclesia, intra quam dormivit Presbyter cum alterius coniuge, quia hæc fuit publicè confessa delictum; item ex Concilio Coloniensi celebrato ad annum 1536. parte 9. Cap. 19. dicente in terminis idem, quod nos. Probatur etiam, nam Ecclesia non iudicat de occultis, nec imponit publicam pœnitentiam latenti crimini. Ergo neq; decernet ratione absconsæ causæ reconciliationem templi faciendam, id enim esset iudicare de occultis, & perinde ac castigatione publica punire delictũ secretũ, siquidem reconciliatio sit de re quid publicũ. Cõfirmatur, quia si reconciliari deberet Ecclesia, quando causa est occulta, teneretur reus se ipsum prodere, & diffamare; quę obligatio esset proculdubio absurda: teneretur etiam alius, qui adesset solus, manifestare reum; quæ obligatio foret certè inutilis, quãdoquidẽ reus non deberet confiteri, & vno teste non posset causa probari contra ipsum.

67 Dico tertiò, si initio fuit causa occulta, posteà tamẽ publicetur, debet posteà publicè reconciliari Ecclesia, nisi iam occultè sit reconciliata cœremonijs solitis, aut nisi iam in ea sit celebratum Sacrũ, quod iuxta aliquos suppleret vicem reconciliationis: & siue vno, siue altero modo facta fuerit reconciliatio occulta, opus erit, vt de reconciliatione constet publicè, quãdo de causa sic etiam constet; sequetur enim scandalum, si post notam causam videatur celebrari in templo, cuius reconciliatio non innotescat. Et hæc ratio probat etiam assertionem, siquidem excessus, & crimina exigant compensationẽ, satisfactionemve publicam, non solùm quando fiunt publicè, sunt que notoria multis per evidentiam facti, sed etiam quando publicantur per confessionem reorum, vel per sufficientem probationem factam à Iudicibus, etiamsi initio non sic de illis constiterit: Hinc C. *Significasti* 5. de Adulterijs, & stupro mandatur, Ecclesiam reconciliari post adulteræ confessionẽ, per quã innotuit copula intra Ecclesiam cũ Presbytero, qui negabat delictum, sed infamatus iã anteà erat de amicitia nõ pudica cum fœmina illa, vt notatur in Glossa.

68 Inquies, si quando publicatur delictum, debet Ecclesia reconciliari. Ergo ea supponitur violata, nam reconciliatio non potest non supponere violationem. Et tunc rogabis, an violatio inducatur de novo per notitiam delicti publicam, vel detegatur tantũ, quę anteà inerat Ecclesiæ ex instanti, quo commissum est delictum? Si primum. Igitur notitia publica delicti, & non delictum ipsum, violat Ecclesiam. Quo quid absurdius? Si secundum. Igitur cum liceat celebrare in Ecclesia, quandiu causa violationis non publicatur, licitum erit sacrificare in templo, quod re ipsa est violatum, & non reconciliatum. Rursus si id licet ante publicationem, cur non & post publicationem? Præterea difficile explicatu est, quo pacto ante publicationem causæ lateat violatio, & posteà per publicationem appareat. Respondeo, verum esse non induci de novo violationem per notitiã delicti publicam, sed tantùm quasi detegi, cum iam anteà quasi latens existeret ex instanti, quo patratum est delictum. Vnde fateor, ante publicationem licitum esse celebrare in Ecclesia re ipsa, ac verè violata, & non reconciliata, quia tunc violatio perinde se habet iuxta Ius Canonicum, & in ordine ad non impediendam celebrationem, ac si re ipsa, ac verè non existeret, quippe Ius illud attendat ad hominum existimationem communem, quæ dependet à publica notitia. Et hinc patet, cur potiante, quàm post publicationem delicti, fas sit facere Sacrum in Ecclesia violata non reconciliata.

69 Modus, quo apparet post publicationem violatio, cum anteà lateret, explicari posset à simili triplici: Vnum est violationis Ecclesiæ ob mortem illicitè illatam homini intra eam, nam talis violatio latet, quando infligitur vulnus, apparet autem, quando mors contingit; quòd si hæc non sequeretur, lateret illa, seu nullum sortiretur effectum quoad impediendam celebrationem. Alterum simile est excommunicationis ob occultam Clerici percussionem, donec enim delictum innotescat, non datur obligatio vitandi excommunicatum, latetque proinde excommunicatio quantùm ad evitandũ excommunicatum, quoad vsque percussio fiat notoria per Iudicis sentẽtiã, & denunciationem, quæ quidem eum amplius non ligat, vt dicitur C. *Pastoralis* 53. §. *Verùm* de Appellationibus, sed potiùs declarat ligatum, excommunicatumque; & qui declarat, non facit,

sed factum denunciat, *l. Sed si quæratur, ff. Si seruitus vind. l. Hæredes palàm §. 1. de Testament. l. Adeo §. Videtur, ff. de Adq. rer. dom.* Tertium simile ✻ eius, qui vulneravit aliquem lethaliter; qui vulnerans, interim, dum vulneratus non moritur, non est irregularis (supponitur, eam irregularitatem probabiliter non esse in pœnam, sed ob defectum lenitatis incurri) & tamen defectus lenitatis coram Deo non incipit esse ex eo, quòd post mensem sequatur effectus; sed ab initio fuit quicquid morale est vitiosum ex parte vulnerantis, & peccantis; ille tamen defectus aptitudinis ad exercendos actus Ordinis, vel Ordines ipsos suscipiendos, & denominatio irregularis tunc tantùm pullula, quando ex vi actus præcedentis sequitur effectus mortis; nec pullularet, si non sequeretur, etiamsi per miraculum impediretur mors, alioquin futura. ✻ Hoc simili vtitur Dicastillus Tractatu 8. de Sacramentis Disp. 9. Dub. 3. Capite 3. Quæsito 1. num. 650.

70 Sed neque hoc, neque duo alia quadrant omnino ad intentum. No primum, quia ante mortem sequutam non datur re ipsa, & à parte rei ea violatio, cuius causa est occisio, aut homicidium illicitum; nullaque dabitur violatio, si ex vulnere non profluat copia sanguinis, aut si gravis percussio nō fiat vulnerando, sed contundendo hominem pugnis, vel fustibus, quin homo moriatur. Constatque, non dari tunc violationem etiam latentem, nam tunc non liceret reconciliare publicè, vel occultè templum, in quo homo fuisset graviter contusus. Non secundum, quia excommunicati ob Clerici percussionē vitatio est effectus excommunicationis, & non necessarius, antequàm percussio fit notoria; & quando iam hæc fit notoria, non detegitur excommunicatio, sed resultat effectus, cuius positio prærequirit notorietatem tanquàm conditionem ad sui existentiam. Constatque, non detegi excommunicationem, perinde ac si anteà non extitisset, quia respectu saltem ipsius excommunicati habebat alios effectus ante notorietatem percussionis. Non tertium, nam ante mortem vulnerari non incurritur re ipsa, ac vere irregularitas; nec, quę priùs lateret, detegitur, morte sequuta; sed tunc incipit existere de nouo. Quicquid tamen sit de trium horū exemplorum conuenientia,

71 Non videtur explicatu difficile, vt violatio celebrationem non impediat ante publicationē, impediat verò post, eo quòd publicatio sit conditio, sine qua ex violatione non deriuetur effectus impediendi celebrationem. Sic approximatio ignis ad passum est conditio, vt ignis agat, & comburat, alioquin non acturus, nec combusturus, quanuis ante approximationem detur tota virtus activa, & combustiva, non minus, quàm post.

72 Quæres iterùm, an culpabiles causę violationis, quando sunt occultæ, contineant malitiam sacrilegij necessariò in confessione aperiendam, vel potiùs habeant se tunc in loco sacro non aliter, ac si in profano contigissent? P. Vazquez 1. 2. D. 98. C. 3. num. 6. ait, videri satis probabile, non continere tunc malitiam sacrilegij. Quam sententiam amplexi sunt Basilius Pontius L. & C. 10. de Matrimonio num. 15. Martinus Perez de Matrimonio D. 49. sect. 4. non benè pro se allegantes Coninchum 3. part. quæst. 83. art. 3. dubio 1. num. 230. Subscripsit Caramuel apud Dianam parte 7. Tract. 11. Resolutione 31. vbi cum Machado, & Trullench compellat eam valde probabilem Diana; quod etiam fecerat 1. parte Tract. 7. Resolutione 26. & 2. p. Tractatu 17. Resolution. 23. Pater Ioannes Dicastillus etiam supra numero 651. inquit, esse probabilem, & eam, quæ illi opponitur, esse non minus probabilē. Quo dicendi modo æqualem probabilitatem vtrique sententiæ attribuit, vt & Oviedus in 1. 2. Tract. 6. Controv. 5. punct. 3. §. 9. numero 64. quanquam Diana maiorem concedat sententiæ affirmanti malitiam sacrilegij vltra malitiam luxuriæ, aut iniustitiæ in effusione occulta seminis, aut sanguinis, & in occisione intra templum. Porrò autē pro sententia negante adest duplex argumentum; primum, desumptum exinde, quòd quando illicita seminis intra templum effusio v. g. est occulta, tunc templum non violatur. At effusio cò tantùm posset esse sacrilegium, quò tēplum per illam violaretur. Secundum argumentum est, quia alioqui desiderium libidinosum intra templum esset sacrilegium, tametsi non tenderet ad haben-

habendam copulam intra illud; item tactus impudici intra illud essent sacrilegi, etsi haberentur absque periculo pollutionis; imò & aspectus, verbaque turpia; imò & quodlibet aliud peccatū ibi commissum contraheret malitiam sacrilegij ob irreverentiam loci sacri, secluſa ignorantia, aut inadvertentia.

73 His tamen argumentis non obstantibus, affirmans sententia nobis arridet, vt & plerisque Theologis. Probatur principaliter, quia illicita seminis effusio intra Ecclesiam continet malitiam irreverentiæ contra locum sacrum; eaque malitia pertinet ad speciē sacrilegij; & est gravis. Continet quidem malitiam irreverentiæ contra locum sacrum, tum quia cum dicat ordinem ad locum sensibilem, & locus, in quo fit, sit sacer, deputatusque orationi, ac cultui divino, non potest non cedere in eius loci irreverentiam, si conuertatur in locum peccandi, & offendendi Deum; tum quia præbet exterius occasionem, vt censeatur nō haberi rationem loci sacri; contra cuius reverētiam, & decentiam pro culdubiò id est; tum quia Ieremiæ XI. V. 15. conqueritur Deus, *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Et Isaiæ 26. V. 10. dicitur, *Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.* Quibus verbis, & alijs Scripturæ diuinæ, passim obvijs, significatur specialis malitia irreverentiæ in peccatis commissis intra sacrum locum. Quòd verò talis malitia spectet ad sacrilegij speciem, conuincitur exinde, quia non est assignabilis alia vitij species, ad quam revocetur. Rursùs quòd talis malitia sit gravis, colligitur nō obscurè ex graui obligatione, quam imponit Ecclesia, abstinendi à celebratione in loco sacro, in quo delinquitur, si delictum publicetur.

74 Respondebis, colligi hinc tantùm fore tunc graviter sacrilegum, quando publicetur, non autem quandiu manet occultum, siquidem manente eo occulto, non prohibeatur celebratio in loco sacro. Sed contra primò, nam etiā ante publicationem imponitur quasi pœna violationis loci sacri ob delictum illud, vt dixi in superioribus; ea autem quasi pœna gravis est. Contra secundò, quia etsi à futura publicatione, vel eius carentia dependere possit, quòd non liceat, vel liceat celebrare in loco sacro, in quo delictum est cōmissum, ast quòd hoc coram Deo sit, vel non sit sacrilegum, minimè potest dependere ab evētu futuro; sed debet delictum esse, vel non esse sacrilegum in instanti ipso, in quo perpetratur. Contra tertiò, quia contingere potest, & sæpe, vt quando publicetur delictum, nequeat contrahere malitiam sacrilegij, eo quòd neq; actualiter, neque habitualiter iam tunc permaneat, vt si hominem pœnituerit illius, & à Deo sit condonatum. Contra quartò, nam delictum illud fuit à principio obnoxium, vt, si notorium fieret, prohiberet Ecclesia ratione illius celebrationē in loco sacro; ratione, inquā, illius vt graviter dedecentis locum sacrum. Ergo ab initio fuit graviter sacrilegum.

75 Contra quintò, nam ratio à priori, ob quam delictum illud est sacrilegum, non est violatio loci sacri, aut prohibitio celebrandi in eo, sed est ipsamet natura actus, & delicti vt exerciti, & patrati in tali loco. Vnde etsi Ius Canonicum omisisset declarare, incurri loci sacri violationem per talem actum, noluisset que, vt ob illum, quando est notorius, impediretur celebratio in loco sacro, adhuc talis actus foret sacrilegus, & graviter, vt pote notabiliter oppositus sanctitati loci sacri, cedensque in notabile ipsius dedecus, & irreverētiam; quemadmodùm multi alij actus externi illiciti habent malitiam gravē sacrilegij ratione loci sacri, in quo fiūt; vt furtum rei ibi existentis, præsertim si sit sacra, aut posita ibi sub custodia, item mercatus ibi actus, nec non placitum de sanguinis effusione, & pœna corporali, itemque delinquentium eò confugientium extractio per vim, nisi in casibus Iure permissis; quamuis nec Ecclesia declaraverit, violari per eos actus locum sacrum, nec voluerit, vt ob eos, quando sunt notorij, non liceat celebratio in loco sacro. Vnde rursus Ecclesiastica declaratio inductæ violationis loci sacri per illicitam effusionē seminis ibi, & prohibitio celebrandi ibi, quando ea effusio publicatur, non est argumentum à priori, sed à posteriori sacrilegæ gravis malitiæ repertæ in illo actu vt facto in loco sacro: sicut si nunc Ecclesia noviter declararet, violari locum

cum sacrum, interdicique, vt in eo celebretur, casu quo Sacerdos indutus vestib⁹ sacris loquatur verba turpia intra locum sacrum, & publicè; vel habeat tactus turpes sine periculo etiam pollutionis, vel repræsentet comædiã lasciuam, vel talis, aut chartis pictis ludat intra locum sacrum, & publicè, ea declaratio violationis, & prohibitio celebrandi non foret argumentũ à priori, sed à posteriori malitiæ gravis sacrilegæ præfatorum actuum; qui nunc etiam continent eiusmodi malitiam, tametsi absit nunc Ecclesiastica declaratio violationis loci sacri per præfatos actus, & prohibitio celebrandi in loco sacro, in quo publicè sunt exerciti.

76 Non nego, posse aliquem actum esse sacrilegum graviter, cuius malititię gravis sacrilegæ ratio à priori sit prohibitio Ecclesiastica ipsiusmet actus intuitu loci sacri, ita vt si deesset prohibitio illa, non foret actus sacrilegus graviter, sed leviter; imò neque vlla ratione illicitus. Sic actus sepeliendi excommunicatum vitandum, aut infidelem in loco sacro esset per se licit⁹, nisi vetitus fuisset ab Ecclesia vt inducens contaminationem loci sacri. Sic ob reverentiam diei festi prohibet Ecclesia actiones nonnullas eo die, quæ si, supposita prohibitione, exerceantur, sunt graviter illicitæ contra religionẽ diei festi; si tamen non præcessisset prohibitio, carerent malitia gravi, & aliquæ etiam levi contra religionem eius diei. Sic multa, quæ in vsu Eucharistiæ antiquitus licita fuerunt, nunc non fierent sine grandi sacrilegio ob prohibitionem Ecclesiæ; nunc nimirùm reus esset magni sacrilegij Sacerdos privatus, qui itineris socium portaret secum secretè, aut publicè sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & non vt communicaret ægrotum: at olim vsitatum, & licitum erat, vt observo in vita S. Laurentij Archiepiscopi Dublinensis C. 8. apud Surium die 14. Nouembris. Ibi: *Mox quatuor Sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuto viatico, ac securo duce itineris publicè deferebant.* Et hæc ibi.

77 Qua ex doctrina, & exemplis aperitur via ad explicandam malitiam gravem sacrilegij repertam nunc probabiliter in copula coniugali habita intra templum, quanquam hæc expers foret illius malitiæ, si deficeret Ecclesiæ prohibitio credita communiter ab Authoribus, & quasi pœna violationis ratione talis copulæ, necnon præceptũ abstinendi à celebratione, casu quo talis copula innotescat. Cæterùm non egemus ea doctrina, & exemplis ad explorandam malitiam gravem sacrilegam copulæ non coniugalis, aut effusionis illicitæ seminis, vel sanguinis intra tẽplum, etsi Dicastillus Tract. 8. Disp. 9. Dub. 8. C. 3. Quæsito 1. numero 651. Castrus Palaus Tract. 11. Disp. vnica, punct. 1. ex num. 7. & apud ipsum alij Authores inde præcipuè probent suam, & nostram opinionem de ea malitia, quando etiam sunt occulta illa delicta.

78 Enodatio primi argumenti pro contraria opinione adducti patet satis ex dictis. Ad secundum argumentum dico primò, ea, de quibus in illo est sermo, habere gravem, vel levem malitiam intra speciem sacrilegij. Ita Cardinalis de Lugo Disp. 16. de Sacramento Pœnitentiæ sect. 10. ex numero 464. vsque ad 467. Pater Ioannes Dicastillus supra Quæsito 2. numero 657. vbi tamen excipit peccata merè interna, & quæ sunt omissionis, quatenus nec levem malitiam sacrilegij contineãt. Dico secundò, peccata facta in loco sacro, si per se habeant ordinem ad locum sensibilem, vel si ad ea exercenda assumatur locus sacer vt medium, contrahere malitiã sacrilegij siue grauem, siue levem: omnia verò, de quibus in argumento fit mentio, non habẽt per se illum ordinem; & ad ea, quæ illo ordine carent, non semper assumitur locus sacer vt medium. Sufficiat delibasse solutionem hanc, quam alibi extensiùs prosequemur. Tempus iam est, vt disquiramus,

SECTIO VII.

Quænam sit causa exsecrationis Ecclesiæ, seu amittendi consecrationem? Necnon de causa amittendi benedictionem.

79 AMITTIT quidem consecrationem per sui destructionem ex

ex toto, vel maiore ex parte, non autē ex minore. Ita colligitur ex C. *Si motum* 19. ex C. *Ecclesijs* 20. de Consecratione Dist. 1. ex C. *De fabrica* 24. ibidem, ex Cap. *Proposuisti* 4. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, ex C. *Ligneis* 6. ibidē. Et ratio est, quia cōsecratio deperdi debet eo ipso, quod destruatur res, in quā fundatur; destruitur autem Ecclesia, in qua fundatur, si tota, vel maior pars ruat, aut diruatur; non verò, si minor pars, aut etiam dimidia: vt enim absolutè in artificialibus dicatur aliquid esse destructum, non sufficit destructio minoris partis, sed vel totius artefacti, vel maioris partis. Hinc si Ecclesia reparetur, vel amplietur secundùm longitudinem, aut latitudinem accessione maioris partis, necesse est, vt denuò consecretur; quando autem reparatur, vel ampliatur accessione minoris, aut etiam dimidiæ, non est necessaria nova consecratio, argumento textus in Cap. *Quod in dubijs* 3. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, & in C. vnico sub eodem tit. in 6. sed maior pars, aut etiā dimidia consecrata trahit ad se minorē, aut etiam dimidiam partem non consecratam, seu hæc ex illa censetur participare consecrationem; sufficitque, si Episcopus adspergat aqua benedicta. Legātur Glossæ ad Cap. *De fabrica*, & ad C. *Proposuisti*, confirmenturque ex *lege Domum* 57. *ff. de contrah. empt.* quæ diximus de non reconsecranda Ecclesia, cui minor pars sit addita, vt reparetur, vel amplietur; decernitur enim in ea lege, vt si quis domum emerit, quam ipse, & venditor combustam ignorent, *si amplior domus pars exusta est, non compellatur emptor perficere emptionem: sin verò vel dimidia pars, vel minor, quàm dimidia, exusta fuerit, tunc coarctandus est emptor venditionem adimplere*, &c.

80 Cæterùm quia consecratio præcipuè fundatur in parietibus, seu præcipuè eis inhæret, attendendum est, an parietes antiqui, maiorve illorum pars maneat, necne? nam si maneat, nō perditur consecratio, etiamsi tectum, aliaque opera lignea combusta sint, aut corruerint. Quia item consecratio soleat non parietibus vtcumque, sed eis vt crustatis inhærere, siquidem fiat per cruces, & linitiones in ipsorum superficie, attendendum etiam est, an crusta vetus, maiorve illius pars perseveret, necne? nam si non perseveret, amittitur consecratio, quanquàm parietes nō corruant. Vnde cum in C. *Ecclesiam* 27. de Consecratione Dist. 1. & in Capitul. Caroli Magni, & Ludovici Pij Libro 5. Cap. 49. iubetur, vt radantur parietes Ecclesiæ, in qua sepultus est infidelis, sermo est de Ecclesia nō consecrata; pro cuius abrasione sufficit, si dealbentur parietes. Ideo autem non est sermo de Ecclesia consecrata, quia alioqui per parietum abrasionem, quæ esset decrustatio omnium eorum, vel maioris partis, adimeretur consecratio. Quæ quidem non aufertur ob solā dealbationem interioris superficiei, quia consecratio inhæret parietibus, & crustæ, proindeque manebit, si permanent parietes, & crusta, vt notāt Patres Vazquez D. 233. Cap. 4. numero 34. Layman Lib. Tractatu, & Cap. 5. num. 15. Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 4. num. 95.

81 Sapientissimo huic Authori sect. 2. num. 66. dubia est communis sententia de nō reconsecranda Ecclesia, * Quando re vera ex quatuor parietibus corruerent ferè duo; nam licet tunc maneat maior parietum pars; verè tamen non videtur manere Ecclesia. Quis enim dicat, Ecclesiam esse duos parietes paulò plus absque tecto? Consecratio autem Ecclesiæ non manet sine Ecclesia. Sic enim calix, & Alba non manēt benedicta, quando ita amittunt magna ex parte formam artificialem, vt nō sint calix, Alba, &c. Vnde si manicæ separentur ab Alba, perditur benedictio. Minus autem retinent formam Ecclesiæ duo parietes absque tecto, quàm Alba sine manicis. Sicut ergo vt calix, vel vestis retineat benedictionem, necesse est, vt possit vtcumque, licet ægrè, deservire ad suum vsum; sic Ecclesia tandiu retinebit consecrationem, quandiu erit Ecclesia; & tandiu erit Ecclesia, quandiu, licet ægrè, possit deservire ad vsus sacros. * Hactenus Cardinalis de Lugo. Sed addit, * Fateor tamen, contrariam sententiam propter communē authoritatem probabilem, & securam practicè esse, * Nos addimus, non esse nimis fidendum paritatib⁹ in ijs, quæ pendent ex Iure positivo; neque deesse disparitatem aliquam, nam calix sine pede inutilis est ad celebrationem, & Alba sine manicis nequit tegere brachia Sacerdotis, quę conuenit esse tecta vestitu

vestitu sacro, vtpote immediatè versantia circa Sacrificium: ast templum, cuius ferè duo parietes collapsi essent, retineret adhuc sufficientem diuisionē à locis profanis circumiacentibus. Et quidem non potest dubitare Cardinalis Eminentissimus de permanentia consecrationis, etsi totum Ecclesiæ tectum ruat, nam ita supponitur in C. *Ligneis* 6. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, notaturque in Glossa: quo casu instantur omnia, quę ipsi difficultatem ingesserunt circa consecrationis durationē, quando ex quatuor parietibus decidерent ferè duo.

82 Rogabit quis, an communis sententia de amissione consecrationis, quoties tota, aut maior pars parietum ruit, intelligi debeat, si ruina paulatim accidat, & paulatim Ecclesia instauretur, ita vt nunquam tota ipsa simul, aut maior ipsius pars diruta sit? Respondeo, intelligi debere, si ruina totius Ecclesiæ, aut maioris partis simul accidat, & non per intervalla temporis, si item reædificatio priori, & non posteriori modo fiat, quia priori modo non censetur eadem Ecclesia, vt neque eadem domus iuxta textus in *l. Si ita* 65 *§. si domus* 2. *ff. de Legatis* 1. *in l. Qui res* 98. *§. Aream* 8. *ff. de Solutionibus, in l. Inter stipulantem* 83. *§. Sacram* 5. *ff. de Verbor. obligationibus.* Et præterea neque min⁹, quod perseverat, potest ad se trahere maius, quod additur, efficereque sacrū ex non sacro; secus posteriori modo. Confirmatur ex *l. Quod in rerum natura* 24. *§. finali ff. de Legatis* 1. vbi docemur, eandem censeri navem, licet subinde pro destructis tabulis novarum accessio, & reparatio fiat, manente eadem carina. Item ex *l. Proponebatur* 76 *ff. de Iudicijs*, vbi dicitur, *Non modò si vnus, aut alter, sed etsi omnes Iudices mutati essent, tamen & rem eandem, & iudicium idem, quod anteà fuisset, permanere. Neque in hoc solùm euenire, vt partibus commutatis eadē res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus*, vt in legione, populo, navi, & in nobis metipsis, qui idem sumus hoc anno, ac præterito, etsi ex nostro corpore decedant particulæ, aliæque extrinsecùs in earum locum accedant per nutritionem. Videnda etiam est *l. Si gregē* 22. *ff. de Legatis* 1.

83 P. Layman suprà num. 16. arbitratur, * Valere multùm in hac re morali intentionem operantis; quare si animo omnes, aut penè omnes parietes reparandi, ideoque quasi novam Ecclesiam ædificandi, vnus murus post alium, intermisso Missæ Officio, quasi continuatis operis, dejiciatur, & reparetur, valde probabile esse tali casu Ecclesiam iterùm consecrandam esse. * Ita Layman. Sed non video, cur intentio operantis debeat potiùs inducere amissionem consecrationis, necessitatēque reconsecrationis, quā si casu ruant parietes, aut quàm si desit intentio reædificandi templum, nec enim intentio reædificandi facit, vt templum sit, censeaturve aliud, neque facit, vt maior pars sacra nō possit ad se trahere minorem non sacram adiunctam sibi. Imò illa intentio videtur magis conducere, vt templum sit, censeaturve idem, & vt perseveret consecratum, quemadmodùm est, censeturque eadem navis, quā dare promisisti, si dissoluta sit à domino ex intentione eam reparandi eisdē tabulis, actuque sit reparata, teneriq; emere, & promissario tradere, *Hìc enim eadem nauis est, quam te daturum spopondisti; vt videatur magis obligatio cessasse, quā extincta esse*, prout dicitur *l. Qui res* 98. *§. Aream* 8. *ff. de Legatis* 1. *l. Inter stipulantem* 83. *§. Sacram* 5. *ff. de Verborum obligationibus.* Non autem tenereris, si dominus dissolvisset navem non intendens construere denuò, & posteà, mutato consilio construxisset.

84 Sed replicabit quis, ergo quanuis maior templi pars, imò & totū templum destruatur, si tamen eisdem lapidibus, aut lateribus reædificetur postmodùm, & ex reædificandi intentione destructum sit, censebitur idem templum, manebitque consecratum, non secus ac navis censetur eadem, & promissor manet obligatus, vt emat, tradatque promissario, si ex reparandi intentione fuerit dissipata, eisdemque tabulis instaurata fuerit. Respondeo, disparem esse rationem, quia consecratio templi nequit manere, nisi perseveret totum artefactum, aut eius maior pars, in qua fundatur, seu cui inhæret; nec potest consecratio resultare ex iterata coniunctione lapidum, aut laterum templi; quicquid sit, an templum eisdem lapidibus, aut lateribus reædificatum censeri debeat idem, ac anteà, vel diversum? & quicquid sit, an censeri debeat

debeat eadem, ac antea, vel diversa ciuitas, aut domus, quæ reædificetur in eodem loco, & eodem modo, vbi, & quomodò, antea erat, quantumuis insimul, & in totum corruerit, aut destructa sit, & ex intentione construendi illam, & ex eadem materia. At obligatio dandi navem potest in promittente redire eo ipso, quòd navis denuò conficiatur antiquis tabulis, constituaturq; in statu, in quo sit eiusdem valoris, ac antea, quando scilicet nondum erat dissoluta ex intentione, vt repararetur. Legantur Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. Dub. 7. num. 134. dub. 10. num. 210. Diana parte 11. Tract. 3. Resolut. 21. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. num. 15. & 16. qui cum antiquis Interpretibus Iuris perit discrimen inter navem, templum, & domum ex mobilitate navis, & immobilitate templi, ac domus. Ego iudico, vtendum esse parcè paritatibus huiusmodi, & fidendum non esse nimis disparitatibus aliis vltra adductam proximè inter templum, & navem.

85 Verumtamen non desinam, hìc obseruare contra Laymannum, videri eandem esse rationem de parietibus Ecclesiæ, ac de ipsorum crusta; de quâ tamen Laymanus ait num. 15. ✻ Verũ ex his nemo inferat, si crusta omnis, vel maior eius pars renovandæ Ecclesiæ causa successivè auferatur, consecrationem idcircò amitti. Nam hoc ipso, quòd decrustatio nõ simul, aut vno die, sed per dierum, aut hebdomadarum intervalla fit, nullo vnquam tempore exsecrata censeri potest, cum semper partem minorem accessoriam non consecratam ad se traxerit pars maior, ac principalis consecrata. ✻ Ita ille.

86 Restat, vt breviter loquamur de causa, per quam Ecclesia amittit benedictionem. Ac sanè cum benedictio inhæreat pauimento, seu solo (in cuius signum adspersio aquæ lustralis fit super ipsum) eumque hoc ferè semper maneat, manebit ferè semper illa, quanuis omnes parietes ruant. Favet *l. 73. ff. de contrahenda emptione*, cuius verba sunt, *Ædes sacra terræ motu diruta, locus ædificij non est profanus, & ideo venire non potest.* Item *l. In tantum 6. §. Sacræ autem 3. ff. de rerum diuis.* Ast notant cum multis aliis Sanchez Lib. 9. de Matrim. D. 15. num. 37. & Castrus Palaus Tract. 11. D. vnica, punct. 6. num. 7. si Ecclesia diruta sit authoritate Superioris, & sine spe reædificationis proximę, amittere priuilegia loco sacro cõcessa. Quare amissio benedictionis Ecclesiæ rarò contingere potest, secluso casu destructionis ex authoritate Superioris, & sine spe reædificationis proximæ. Sed puto, fore, vt contingat, si templi solum, & non tantùm parietes, mutetur omnino, nimirùm si per terræmotum, aut effosionem ingens vorago fiat, seu hiatus, vel si antiquo solo superimponatur aliud magnæ profunditatis, quia tunc nõ videretur manere idem solum, quod antea, & cui inhærebat benedictio. Sed neutrum casum exprimunt Canones, neque Authores; ideoque cum formidine partis oppositæ asserimus, benedictionem tunc amittendam.

87 Tandem consulantur Rex Alfonsus Sapiens l. 19. & 20. tit. 10. Part. 1. Abbas ad C. *Proposuisti* num. 4. Gulielmus Durandus L. 1. Rationalis C. 6. num. 41. Laymann supra num. 131. Franciscus de Lugo L. 3. C. 6. quæst. 11. num. 78. circa quosdam casus, in quibus Ecclesiæ, quanquam nec perdãt benedictionem, consecrationem ve, neque polluantur, aut exsecrentur, consultum tamen est, vt laventur à Sacerdote aquâ se exorcizata iussu Episcopi.

SECTIO VIII.

Delibata prohibitione celebrandi Missam in Ecclesia interdicta, & in ea, in quam est decreta cessatio à diuinis, agitur de locis non deputatis specialiter ad Dei cultum, in quibus irregulariter celebrare fas est.

88 VT Ecclesia, in qua celebretur, debet non esse violata, neque exsecrata, ita etiam debet esse non interdicta specialiter, & nominatim, imò neque generaliter, & in communi. Quod tamen intelligendũ est ita, vt in Ecclesia specialiter interdicta liceat eius Ministro celebrare semel in hebdomada causa *Cõficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia nõ negatur,*

negatur, prout dicitur in C. *Permittimus* 57. de Sententia excommunicationis, ſimulque iubetur, fieri Miſſam, *non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, ianuis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis.* Quòd ſi prò occurrentibus ægrotorum neceſsitatibus nō ſufficiant formulæ in vna Miſſa præconſecratæ, fas erit intra eandem hebdomadam addere aliā, aut alias Miſſas. Id quod ſciendum eſt licere à fortiori in Eccleſia interdicta generaliter; & præterea conceſſum eſt, vt in hac ſingulis diebus celebrentur Miſſæ, ſed ſeruatis moderationibus Cap. *Alma mater* 24. de Sent. excommunicationis in 6. Præter excluſionem autem excōmunicatorum, & præter prohibitum acceſſum ad altare perſonis illis interdictis, propter quarum exceſſum fuit impoſitum Interdictum, reliquę moderationes illius C. *Alma mater* ceſſant in feſtiuitatibus Natalis Domini, Paſchę, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis glorioſæ; additque Martinus V. diem feſtum Corporis Chriſti, & totam Octauam Eugenius IV. ſimiliterq; Leo X. diem feſtum Conceptionis B. Virginis cum tota Octaua in quibuſuis Hiſpaniæ Eccleſijs, quin requiſierit, vt in eis recitaretur Officium Conceptionis compoſitum à Leonardo de Nogarolis, vt patet ex Bulla incipiente *Supra gregem*, 14. Leonis X. in Bullario Emmanuelis Rodriguez; ſuntque graves Authores, qui, etſi dicant, requiſiſſe, ſed teſtantur, conſuetudinem præualuiſſe poſt ſublatum illud Officium. Habent & Religiones ſua privilegia ad ſuſpenſionem Interdicti in quibuſdam feſtiuitatibus. Celebrans in Eccleſia ſpecialiter interdicta, quando non licet, fit irregularis iuxta C. *Is, cui* 20. de Sent. excom. in 6. & iuxta C. *Epiſcoporum* 8. de Priuilegijs. Celebrans etiam in Eccleſia generaliter interdicta fit irregularis, ſi vel vnam tantùm ex moderationibus, aut conditionibus C. *Alma mater* non ſeruet, aut omittat, vt probat Gibalinus cum alijs Doctoribus Cap. 5. de Irregularitate q. & propoſ. 2. Conſectario 9. Et hæc ſummariè de Eccleſia interdicta, nam Theologi non ſolent in hac materia fuſiores eſſe circa iſtiuſmodi impedimentum.

89 Poteſt etiam dari aliud, quod veluti afficiat Eccleſiam tanquā circumſtantia, vel quod ſit extrinſeca eius circumſtantia, & ratione, cuius nō ſit licitū ſacrificare in ea. Tale eſt ceſſatio à diuinis, quæ iuxta C. *Non eſt vobis* 11. de Sponſalibus prohibet omnem celebrationem diuinorum Officiorum, & adminiſtrationem Sacramentorum præter Baptiſmum parvulorum, & Pœnitentias moriēntium. Vnde attento Iuris rigore, & ſeclusa conſuetudine legitima, vel priuilegio, quæ Iuri derogarint, non habent locum in ceſſatione fauores, qui in Interdicto locali generali ex C. *Alma mater* indicati ſunt à nobis ſupra. Verùm quia permittitur in ceſſatione Pœnitentia morientium, cenſendum eſt, permitti etiam quod diximus ſupra de celebratione hebdomadaria ad Euchariſtiam pro morientib' habendam tempore Interdicti localis non ſolùm generalis, ſed etiam particularis. Si quis tamen celebrando, quando non licet, violet ceſſationem à diuinis, non incurrit irregularitatem, ſecus ac contingit in violante Interdictum: ſed vterque graviter per ſe peccat celebrādo. Cum autem ceſſatio à diuinis, & Interdictum magnopere diſcrepent, nō eo ipſo quòd per priuilegium, Bullæ Cruciatæ v. g. fas ſit immolare tempore Interdicti localis generalis, licitum itidem erit tempore ceſſationis generalis, vt accuratè, & doctè probat Bardi parte, & Tract. 2. Explicationis illi' C. 3. ſect. 9. Et hæc etiam compendiariè de ceſſatione à diuinis ob cauſam eandem, ac de impedimento Interdicti.

90 Hactenus loquuti ſumus de loco, in quo conſecrato, vel benedicto, & non interdicto, neque affecto ceſſatione à diuinis licet iuxta Ius cōmune ſacrificare regulariter, ſeu ordinariè. At irregulariter, & extraordinariè immolare fas eſt in loco, qui nec ſpecialiter ſit ad Dei cultum deſignatus ab Epiſcopo, vel Ordinario. Et quidem C. *Tabernaculum* 1. C. *Sicut non alij* 11. de Conſecratione Diſt. 1. docemur, fas eſſe, vrgente neceſsitate, eaque ſumma. Idem documētum extat apud Cōcilium Pariſienſe ſub Ludouico, & Lothario L. 1. C. 47. S. Baſilium in Regulis breuioribus q. 310. & apud Sanctum Thomam hic ad 1. & 2. Olimque perſecutionum tempore, & præſertim ante Conſtantini converſionem, ex qua cæperunt templa ampla à Chriſtianis erigi, mos fuit, in priuatis domibus, in cryptis,

cryptis, in carceribus peragere Missæ Sacrificium, referunt personæ Historiæ Ecclesiasticæ; & Apostolis fuisse vsitatum consecrare, dividereq; Eucharistiam in ædibus privatis, colligunt nonnulli ex Capite 2. Actorum Vers. 46. quanquam alij, quos sequitur Lorinus ibi, intelligant sacrum textum de pane vsuali.

91 Concilium Triburiense, seu potiùs Moguntinum celebratum tempore Arnulphi Imperatoris anno 888. Capite 9. adductum Capite *Concedimus* 30 de Consecratione Distinct. 1. exprimit duos casus necessitatis his verbis, *Si Ecclesiæ fuerint incensæ, & combustæ, in Capellis cum tabula consecrata Missam interim celebrari permittimus, donec Ecclesiæ ipsæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentorijs, item si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id Officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus.* Sic in eo Canone, cui consonant Rex Alfonsus Sapiens leg. 5. titul. 10. Partita 1. & Capitularia Caroli Magni, & Ludovici Pij Libro 6. Capite 205. Libro 7. Capite 99. Capite 529. & in additione 2. Capite 10. vbi dicitur, *Illud etiam quanquam sæpe admonitum sit, iterùm inculcandum, populisque denunciandum summopere visum fuit, vt Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non habeant. Et necesse est, vt vnusquisque Episcoporum huiusce modi temerariam consuetudinem à Parochia sua penitus amoueat. Et si quis Presbyterorum, ab hinc excepto, quando in itinere pergitur, & locus Basilicæ procul est, & ideo in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione, & corporis, & sanguinis Domini perceptione maneat, Missarum celebrationes in huiusmodi illicitis locis, post tot, tantasque prohibitiones, facere attentauerit, dignũ est, vt gradus sui periculum subeat.* Sic ibi. Nõ declarat Cõcilij Tribur. seu Mog. transcriptus Canon, quo die celebratio permittatur. Sed communiter Doctores interpretantur de die festo, probabileque est cum Aversa quæst. 11. sect. 14. Vers. *Tertiò tamen*, & cum Francisco de Lugo Libro 5. Capite 6. num. 5. sufficere quemcumque, & necessitatem dicendi, vel audiendi Sacrum ratione ipsius. Neque item in illo Canone exprimitur, necessariam esse Episcopi, aut Ordinarij licentiam. Sed decens, consultumque erit, eam petere, si Episcopus aut Ordinarius adiri facilè possit, quia alioquì nunc temporis sequeretur scandalum, si in communi loco celebrari Missa videretur sine ea licentia facilè parabili, præsertim quando non maior occurrat necessitas, quàm quæ resultat ex itinere in vno, aut altero die festo per loca, in quibus desit Ecclesia. Crediderimque, Episcopum, aut Ordinarium non concessurum facultatem, nisi iter sit multorum peregrinantium, & per aliquot dies festos. Et rectè quidem faciet ob decentiam in celebratione Missæ. Sed hæc necessitas vix contingere potest in terris Catholicorum, vbi Ecclesiæ sunt adeò frequentes. Et quanuis fingamus, iter fieri per Catholicorum loca Ecclesijs carentia, intercidereque plures dies festos, existimo, fore melius iuxta præsentem statum Ecclesiæ omittere celebrationem Missæ sub dio, aut in tentorijs, & ad eam non petere licentiam, & peritam non concedere. Alter necessitatis casus, de quo in Capite *Concedimus*, potest minus rarò evenire, vt si in populo sit vnum solummodò templum, illudque incendatur, & comburatur, aut ab hostibus diruatur. Tunc sanè, ne populus desideraret Sacrum in die festo, danda esset facultas ad celebrandum in loco alio decenti. Quòd si non adesset, qui eam legitimè posset dare, fas esset, celebrare sine ea. Et alicui videbitur, non improbabile idem ipsum esse de quocumque die non festo.

92 Præfatis duobus casibus, expressisque in Capite *Concedimus* adiunguntur alij ob paritatem rationis ab Authoribus, scilicet quando templum parvum est, & non capit populum confluentem ad audiendum Sacrum in die festo. Quo casu celebrare licet pro foribus templi, obtenta priùs facultate, si necessitas sit prequisa, & adiri queat Superior; quanquam aliqui dicant, consuetudine id iam obtentum esse, quod tamen ab alijs negatur. Et multi non declarant, an id tunc tantùm liceat, quando sola vna Missa sit celebranda? Sed mihi

videtur, tunc tantùm licere, quia si plures sint, poterit vna pars populi expectare, vt alia audiat Missam, & postea, evacuato templo, ingredi ad audiendam sequentem Missam. Loquor de expectatione, quæ non esset valde incommoda. Num verò, si vnicus Sacerdos adsit, sit potiùs celebraturus bis intra templum, quàm semel extra, vt totus populus audiat Sacrum? Dixi in Disp. 22. num. 30.

93 Pater Henriquez Lib. 9. Capite 27. §. 2. addit sequentes casus, citans in glossa Authores, quibus post Henriquez adhæserunt non pauci; additque, inquam, * Si non pateat facilis recursus ad Episcopum, aut ad eius generalem Vicarium, licebit iuxta fores Ecclesiæ celebrare, vt dum fiunt supplicationes cum frequenti populo, aut Missa nova; nec parvum templum capit concursum hominum; aut si Rex, aut Dux est in exercitu, vel classis Christianorum apulit ad terram, qui iam diu Missam non audierant. Censetur enim Papa interpretativè, & iure ipso in eo casu dispensare, vt in tentoriis celebretur. * Sic Henriquez, quin restringat expressè ad diem festum; nec eo solo die solent fieri supplicationes, processionesve publicæ, nec cantari Missa nova. Vt exercitus audiat Sacrum, poterit, me iudice, celebrari non tantùm die festo in castris, sed etiam alio die, & præsertim quo exercitus se præparet ad pugnam. Atque ita factum est ex consilio Sancti Iacobi Apostoli, Hispaniarum patroni, cuius species sacra obiecta est dormienti Regi Ramiro I. ante decantatam pugnam apud Clavigium anno 846. Dixit enim Apostolus ad Regem, *Summo manè, facta peccatorum vestrorum confessione, & accepta pœnitentia, celebratis Missis, & accepta Dominici corporis, & sanguinis communione, armata manu ne dubitetis inuadere Saracenorum copias, inuocato nomine Dei, & meo, & pro certo noueritis, eos in ore gladij ruituros.* Quæ ad verbum leguntur in privilegio, seu diplomate, quod Votorum vocant, facto ab eo Rege in honorem Sancti Iacobi, & in emolumentum Compostellani templi, vbi Apostoli corpus iacet. Transcribit privilegium illud Maurus Castella Ferrer in Historia Sancti Iacobi Libro 3. Capite 8. Similiter in pugna memorabili ad Navas Tolosæ anno 1212. *celebratis Dominicæ Passionis mysterijs, & facta confessione, sumptis Sacramentis, acceptis armis ad campi certamen processum est*, vt narrat oculatus testis Rodericus Archiepiscopus Toletanus Libro 8. de rebus Hispaniæ Capite 9. Et antiquissimum fuit celebrare in castris, nam Constantinus Imperator, vt litteris consignatum reliquerunt Eusebius Libro 2. de eius vita Capite 12. & 13. Libro 4. Capite 56. Sozomenus Libro 1. Historiæ Ecclesiasticæ Capite 8. Nicephorus Libro 7. Capite 46. secum in bello templum portatile detulit, vbi Sacra fiebant: & ad Constantini imitationem Carolus Magn⁹, provt ex Vito Amerbachio tradit Durantus Lib. 1. de Eccles. Cath. ritibus Capite 25. num. 7. Porrò autem vt Generales, & alij primarij Duces militum audiant Sacrum die non festo, non est fas celebrare in ipsorum singulorum tentorijs; licebit fortè in tentorio Generalis, maximè si Rex sit, eòque conuenire poterunt cæteri Duces. Quando magna navis, multisque navigantibus referta, & à fortiori quando classis post diuturnam navigationem admovetur terræ, fas erit celebrare in littore, præsertim die festo, & casu quo navigantibus non permittatur recedere à navibus, & ad templum accedere.

94 Toletus Libro & Capite 2. num. 1. & citatis Nuño Cabezudo, atque Persico Antoninus Diana parte 9. Tractatu 1. Resolutione 46. Arriaga Disputatione 54. sect. 4. num. 29. Amicus Disputatione 33. sect. 12. numero 332. docent, licitum esse celebrare extra templum, si infirmus redactus sit ad extremum periculum, & aliter non possit illi ministrari viaticum. Certè hic casus non est minoris, sed maioris necessitatis, quàm cæteri proximè memorati. Imò hic solus casus videtur esse tantæ necessitatis, quantę indicatur Capite *Tabernaculum* 2. Capite *Sicut non alij* 11. de Consecratione Distinctione 1. & alij adnotati in Capite *Concedimus* videntur adiecti per mitigationem quandam antiquioris rigoris, sicut & cęteri à Theologis appositi ob paritatem rationis.

Vbi

95 Vbi adverto, Episcopi, aut Vicarij licentiam multò minus requiri in duobus casibus designatis Cap. *Concedimus*, quàm in reliquis præter vltimum, quos ex authoritate Theologorum recensuimus, nam duo illi excepti sunt Iure communi nullam faciẽte licentiæ mentionem, quin constet, revocatum esse tale Ius; reliqui excipiuntur probabili tantũ discursu Theologorum. Dixi *Ius commune*, quia ad illud assurrexit acceptatione publica Canon *Concedimus*, etsi non sit Summi Pontificis, neque Concilij generalis.

96 Rogabis, an liceat celebrare in mari, ne moribundus decedat sine viatico, vel ne navigantes omittant adimplere præceptum audiendi Sacrum, aut recipiendi Eucharistiam tempore ab Ecclesia præscripto, vel ne careant consolatione, & fructu ex auditione Missæ singulis diebus? Hieronymus Llamas 3. parte Methodi curationis animorum C. 5. §. 15. inquit, celebrationem in mari esse contra ius divinum naturale. Henriquez supra §. 3. ait, prohibitam esse Iure Ecclesiastico. Sed addit, * Influvio tamen placidissimo, vbi effusio sanguinis timeri non posset, fortasse in necessitate liceret. * Prohibitio, quam refert Henriquez, nusquàm extat in corpore Iuris Canonici; sed in quodam Rituali antiquo, cuius authoritatem non esse sufficientem, ostendit Cardinalis de Lugo Disp. 20. sect. 3. num. 82. Et hic Author adeò sapienter, atque eruditè tractat hanc quæstionem, vt vix, quod addamus, supersit.

97 Quanquam autem Castellæ Rex Alfonsus Sapiens leg. 5. titulo 10. Partita 1. scriptum reliquerit, debere non dici Missam in navibus ob effundẽdi sanguinis periculum contingibile ex mari, vel motu ventorum; qui timor movit plerosque Theologos, & Canonistas antiquos ad idem ipsum asserendum, & Hieronymum Llamas ad id, quod paulò ante retulimus; tamen experientia docuit, nullum esse periculum in magnis navigijs, tempore que tranquillo, & quo nullum tempestatis indicium prævidetur à peritis nauclerís; præsertim si vsui sint calices habentes pedes latiores, cuppasque magis profundas, & capaces, adsitque Sacerdoti celebranti alius Sacerdos, qui manu calicem teneat. Quam autem reuerenter, & decenter solcat ibi sacrificari, testati sunt nobis plures, qui in nauigationibus Indicis rem diuinam fecerunt, & qui facientibus interfuerunt; audiaturque exculti ssimus Librorum Regum Interpres Pater Franciscus de Mendoza ad Librum 1. Cap. 4. Vers. 3. num. 40. * Etiam nostra tempestate Lusitani in Indiam navigãtes, medio in Occeano, hoc Cœlesti præsidio Eucharistiæ muniuntur. Nam sereno Cœlo, & tranquillo salo, vela, ad carinas immobiliter fundandas, religantur, eriguntur altaria, incenduntur odores, templorum in morem nauigia excoluntur, & Sacerdotibus ritè facientibus, omnes navigantium ordines Eucharistico pane convivantur, & inter maris salsedinem huius Cœlestis nectaris dulcedine potiuntur, mirantibus, & gratulantibus marinis monstris, quòd non modò, vt olim, Spiritus Domini feratur super aquas; sed etiam corpus Domini super aquas gradiatur. * Sic ille.

98 Et quidem ad instantiam Patrum Societatis nostræ concesserunt vivæ vocis oraculo Clemens VIII. & Paulus V. Pontifices Summi, vt in Indiarum Orientalium navigatione posset Missa celebrari, vt tradit Fagundez L. 3. in 1. præceptum Eccl. C. 1. n. 15. refertque Granadus Controv. 6. de Eucharistia Tract. 14. Disput. 13. n. 6. asseveratum esse cuidam Patri Societatis nostrę ab Episcopo Malacę, quòd ex Episcopo Cyrenensi tanquam ex teste oculari scierit de quodam Brevi Summi Pontificis, in quo declarabatur, posse sine scrupulo peragi Missam in mari. Non dicitur, quisnam fuerit ille Pontifex Summus. Saltem ante ea vivæ vocis Oracula, de quibus Fagundez, cæperunt Lusitani sacrificare in mari, vt constat ex epistola quadam, quam dignam fide censuere Granadus supra num. 3. & Cardinalis de Lugo supra num. 89 ipsique Episcopi Lusitani primi fuerunt, qui immolarunt, vel qui alijs ad id concesserunt licentiam, & aliquando recursum est ad facultatem Collectoris Pontificij in Lusitania.

99 Quam facultatem ordinario iure soli Papę reservatam esse, putat Coninch q. 83. art. 3. Dub. 1. n. 226.

& cum Luisio Turriano Dicastillus D. 4. dub. 6. num. 90. vbi scribit, * Sed quis erit, aut cuius Diœcesis iste Episcopus, qui in medijs fluctibus habeat iurisdictionem, & potestatem ordinariam ad id? Quòd si ad delegatam à Sede Apostolica recurras; ego ipse possem, qui nec esse volo Episcopus; & tunc Papa erit præcipuus Author, qui vbique terrarum, & vbique marium plenam habet iurisdictionem. * Cæterùm ista Dicastilli interrogatio non est magni ponderis, nisi velit Dicastillus, Antistitem Gaditanum, aut Vlyssiponensem non habere iurisdictionem ordinariam, vt cum subditis soluẽtibus è portu Gaditano, aut Vlyssiponensi in altetutram Indiam vlla in re dispenset, quandiu navigatio duraverit. Non existimo, Dicastillum voliturum id, nec per somnium. Granadus supra num. 6. Aversa quæst. 11. sect. 14. V. *Incipiendo*, dicunt, & probabiliter iudicio Thomæ Tamburini Lib. 1. de Missa Cap. 4. §. 1. num. 4. Episcopum posse concedere eam licentiam. Diana p. 9. Tract. 1. Resolutione 45. refert quandam Cardinalium Declarationem, qua iubentur Episcopi prohibere, ne celebretur Missæ Sacrificium in navibus, tam dum navigant, quàm dum anchoris retinentur. Sed restat considerandum, an præcisè iubeantur prohibere, quatenus non fiat sine ipsorum licentia, vel an etiam hæc ipsis interdicatur? Restat item, vt authenticè constet de tali Declaratione. Vsitatissimum certè nunc est, vt diebus etiã profestis celebretur à Sacerdotibus in Indica navigatione non tantùm semel, sed pluries. Et licet anno 1610. Castellani nondum cępissent litare in mari, siue cũ ad Indias Occidentales velificabant, siue cum ex eis remeabant, tamen anno 1627. in more erat frequentissimo, vt scripsit ad me D. D. Ioannes de Solorzano Pereyra, qui & vnum, & aliud observavit in navigatione ad eas, & in reditu ex eis, vir rerum Indicarũ scientissimus, vti ostendunt libri, quos edidit, & quibus sui memoriam in omnem posteritatem commendavit

100 Cardinalis de Lugo supra num 89. testatur, * paucos ante annos petitam esse à Summo Pontifice facultatem pro triremibus in mari Mediterraneo, vt saltem in Regia triremi posset celebrari, exemplo adducto ex navigatione Indica; fuisse tamen negatam facultatem: nec mirum, quia triremes non sunt ita aptæ, vt grandiores illę naues, nec necessitas est eadem, cum frequenter ad terram accedant, vbi in littore, altari erecto, possunt ex ipso mari Missam audire. * Sic Eminentissimus Purpuratus.

101 Qui, & Henriquez supra in Glossa, Scortia Lib. 2. Cap. 13. numero 15. Granadus supra num. 2. proferunt prisca exempla Missæ celebratæ in mari. Ego adijcio, Authorem Imperfecti in Matthæum Homilia 17. & Aratorem Subdiaconum Libro 2. Hist. Apostolicæ intelligere de Eucharistia confecta à Sancto Paulo in mari, & naui, quę habentur C. 27. Act. Apost. V. 35. & Sanctum Gregorium Turonensem Cap. 22. de Confessorum gloria meminisse Sacerdotis ferentis secum in navi cum *Libro Euangeliorum ministerium quotidianum, id est, patenulam paruam cum calice.* Anne, vt ibi divinæ rei operaretur? Addo etiam de peracta ibidem, sed supra ballenam Liturgia mirabilem narrationem in C. 7. vitæ Sancti Episcopi Machuti, seu Maclovij; quo vtroque nomine appellatum fuisse, constat ex Sigeberto in Chronico ad annum 561. vnde per errorem Vvalterius de triplici Cœna Christi Cap. 48. Cœnę terrię distinctos duos fecit, multiplicavitque miracula. Igitur in ea vita apud Surium 15. Novembris legũtur hęc ad longum * Paschalis solemnitatis mundus agebat lætitiam, quando solet sancta Ecclesia celebriùs recolere nostræ redemptionis memoriam:: Cum cæteri inde se agerent festiviùs, Sanctus Maclovius se agebat devotiùs:: Volens ergo celebrare solemnia Missarum, cum non haberet locum ad id idoneum, quippe qui circumferens visum, quantùm permittebat Orizon, nihil videbat nisi superiùs Cœlum, & inferiùs liquorem aquarum, toto corde conuersus ad Deum, orabat obnixiùs, ab eo offerri sibi locum aptum. Exaudibilis auris Dei Omnipotentis adfuit præstò orationi vtilia petentis, & qui olim periclitanti Ionæ cetum ad saluationem eius præparavit, hic etiam modò ballenam præstò adesse fecit, cui tanta corporis vastitas erat, vt rupes esse ab hominibus putaretur. Porrò eam

eam tanta subſtraverat immobilitas, vt Insula ſtabilis eſſe crederetur. Sacramentorum ergo ordine à Sacerdote ſolemniter celebrato, & viatico Dominicæ Euchariſtiæ omnibus devotè diſtributo:: ſoluto alacriter navis retinaculo reddunt ſe ſuſcepto navigādi propoſito. * Hæc ibi: & apud Vincentium Bellovacenſem in Speculo hiſtoriali Lib. 21. C. 98. Sanctumq; Antoninum 2. parte Hiſtor. tit. 12. Cap. 8. §. 5.

102 Dianæ parte 5. Tract. 3. Reſol. 40. cum Granado ſupra num. 5. videtur, licitum etiam eſſe * deferre ſacram Euchariſtiam in navigijs, quia id minus difficultatis habet, dummodò capacitas ſit ſufficiens, vt locus decens, & ſeparatus illi deſignetur. * Sed certè, vt notat Franciſcus de Lugo Lib. 5. C. 6. quæſt. 1. num. 17. nunc non eſt in vſu, quanuis olim fuerit, provt varijs exemplis confirmant Arcudius Libro 3. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis C. 59. Henriquez, Scortia, Granadus, & Cardinalis de Lugo prælaudati: ſed omittentes illud S. Ludovici Regis Galliæ, qui de conſēſu Legati Apoſtolici in navi eam portavit, Sacello ibi egregio ornato, vt refert teſtis oculatus Ioannes Ianvillæ Toparcha, & Campaniæ Seneſcallus in ipſius Hiſtoria, memorantque Benedictus Gononus Lib. 2. Hiſtoriæ Euchariſticæ C. 194. Sauſſay in Panoplia Sacerdotali parte 2. Lib. 1. C. 8. art. 2. §. 1. Arturus à Monaſterio in Martyrologio Franciſcano 25. Iulij §. 34. Nunc autem non videtur decere, quòd conſeruetur permanenter Euchariſtia in loco non minus tumultuoſo à nautis, militibus, & vectoribus, quàm à fluctibus maris, expoſitoq; repentinis tempeſtatibus, & incurſibus piratarum, irreuerentijſque multorum inibi exiſtētium. Nec erit facile, vt diu retentæ conſecratę formulę non muceſcant humiditate aeris, & maris. Vt verò ſubueniatur de viatico ægrotis, ſufficiet quotidiana celebratio, vel quæ in infirmi diſcrimine fiat. Et quanuis in hūc finem ſervaretur ibi Euchariſtia, plerumque non ſatis eſſet occurſum neceſsitatibus contingentibus, nam ſi in magno numero formulæ eſſent repoſitę, contraherent mucorem; octo autē; aut duodecim in longis navigationib⁹, quales ſunt Indicæ, quin per menſes integros apellatur ad terram, minor eſt numerus, quàm qui ſufficeret pro periclitantibus extremè. Satiùs itaque eſt, ſacrificare frequenter, ſic enim cōmodè providebitur conſtitutis in articulo vitæ; ſani, devotique reficientur aſsiduè diuinis epulis, & omnes ex auditione Miſſæ ingentem conſolationē, fructumque percipient, virabiturotiū, pluriumque peccatis obuiam ibitur, tandemq; Sacerdotes, qui ſolent multi, & Religioſi concurrere; Cœleſti immolata per vices hoſtia lenient labores diuturnæ navigationis ſuſceptę pro Evangelij prædicatione inter barbaras nationes.

SECTIO IX.

De priuilegio, & licentia Epiſcoporum ad celebrationem in loco non deſignato ſpecialiter pro Dei cultu, necnon de Oratorijs in ipſorum Palatijs.

103 CAPITE vltimo de Priuilegijs in 6. dicitur, *Quoniam Epiſcopi, eorumque ſuperiores ſe habent diuerſis ex cauſis à ſuis Eccleſijs, & Diœceſibus abſentare frequenter, nec ſemper poſſunt commodè ad Eccleſias accedere pro Miſſa celebranda, vel audienda in ipſis, ſine qua eos tranſire non decet ſine cauſa rationabili vllam diem; præſenti conſtitutione indulgemus eiſdem, vt altare poſsint habere viaticum, & in eo celebrare, ac facere celebrari vbicumque abſque Interdicti trangreſſione illis permittitur celebrare, vel audire diuina.* Ita Bonifacius VIII. & in Cōcilio Palentino anno Domini 1322. tit. de Vita, & honeſtate Clericorum intimatur Epiſcopis, vt *altaria viatica ſecū portari faciant, in quibus, ſingulis diebus, coram ſe honeſtè, & deuotè Miſſam faciant celebrari.*

104 Ex verbis autem Bonifacij Papæ colligitur primò, non requiri vllam neceſsitatem ad vſum iſtius priuilegij, etſi enim abſentia à ſuis Diœceſibus, & Eccleſijs, aut incommoditas accedendi ad eas fuerit cauſa conceſsionis, hæc tamen ſit à Papa vniuerſaliter, & abſolutè.

105 Colligitur secundò, posse Episcopos vti isto privilegio tam intra, quàm extra suam Diœcesim, siue in aliena sint ad tempus breue, siue ad valde diuturnum. Expendantur initialia verba Capitis. Nam abs dubio loquitur Summus Pontifex de Episcopis, qui in sua Diœcesi non semper habent opportunitatem accedendi ad templa; & qui absentes sunt à suis Ecclesijs, & Diœcesibus, siue in alienis diu, siue brevi commorentur. Neque per celebrationem in Diœcesi aliena exercent iurisdictionem contentiosam, sed voluntariam privilegij personalis favorabilis.

106 Colligitur tertiò, vi istius præcisè privilegij non posse celebrari in altari portatili, nisi vel ab Episcopo, vel nisi præsente ipso ad Sacrum, quod faciat alius Sacerdos; est enim privilegium personale, & ex fine, vt Episcop⁹ celebret, vel audiat Sacrum quotidie. Anne, vt si placeat Episcopo, celebret vnum, & audiat aliud, aut etiam multa eodem die? Cortex verborum videtur esse, vt celebret vnum tantùm, vel audiat vnum tantùm. Nihilominus prius illud probabile videtur Tamburino infra num. 11. cum faveat devotioni Episcopi, & cum amplianda sint privilegia, quæ non vergunt in vllius prejudicium.

107 Colligitur quartò, & à fortiori, posse Episcopos designare in suis Palatijs locum ad diuinum cultum, seu erigere Oratorium, vbi celebrent, vel vbi celebretur coram ipsis. Quale in suo Episcopio habuit S. Cassius Episcopus Narnienſis, vt refert S. Gregori⁹ Magnus Homilia 37. in Evãgelia, quale etiam S. Ioannes Eleemosynarius Antistes Alexandrinus, vt narrat Leõtius in eius vita Cap. 12. num. 73. quale item S. Anselmus Præsul Cantuariẽsis, vt tradit in eius vitâ Edinerus Lib. 2. Solebatque asservari Eucharistia in Episcopio, atque inde in festivitatibus Sanctorum magna cum populi frequẽtia, & veneratione deducebatur in Ecclesiam à Diaconis, qui eam feretro locatam gestabant in humeris. De qua consuetudine nos edocent Concilium Bracarense III. Capite 6. S. Gregorius Turonensis Lib. 1. de Gloria Martyrũ Cap. 86. agitque de illa Claudius Saintes Repetitione 9. de Eucharistia Capite 8. folio 349.

108 Porrò autem in præfatis Oratorijs Episcoporum celebrari posse, etsi hi absint, & in remotis etiam agãt, censet contra Aversam q. 11. sect. 14. Vers. *Quintò*, & contra Portellum, & Dianam parte, ac Tract. 4. Resol. 15. idemmet Diana parte 6. Tract. 8. Resolutione 40. cum Eminentissimo Frãcisco Maria Cardinali Brancatio in §. *Neque obstat.* Vnde malè citatur à Dicastillo supra num. 94. Brancatius pro parte opposita, quam sequitur ipse Dicastillus. Sed cum Cardinali illo nominatim allegato consentiunt Franciscus de Lugo Libro 5. Cap. 6. quæst. 3. num. 25. Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa Cap. 4. §. 2. num. 13. necnon Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 8. Cap. sect. & Subs. 2. num. 163. & apud Dianam parte 9. Tract. 1. Resol. 41. in qua refragatur Pellizario. Ego dico cum Francisco de Lugo * Vsus interpretatur, privilegium esse cõmune domino, & familiaribus; & hoc admittunt Confessarij docti, atque timorati, regulariterque videmus in Capellis Cardinalium, & Episcoporum celebrari sæpe, quanuis ipsi non intersint. * Addo, & multoties eodem die, siue ipsi adsint, siue absint, & indifferenter ab omnibus, etiamsi exteri sint, & non familiares Episcoporum. Præterea in C. *Missarum* 12. C. *Hic ergo* 14. C. *Clericos* 34. de Consecratione Dist. 1. facultas concessa est Episcopis dedicandi loca ad divinum cultum, & ad Missarum celebrationem vbicumque voluerint. Hæc autem facultas, etsi posteà restricta sit aliquantulùm, non tamen videtur restricta respectu Palatij eorundem Episcoporum.

109 Et hinc inferunt Aversa, Portellus, & Pellizarius apud Dianam parte 9. Tract. 1. Resolutione 38. fas esse Episcopis erigere Oratorium in Palatio rurali, & in villis, vbi recreationis causa existant. Non discordant Diana, neque Tamburinus supra num. 12. Pellizarius putat supra num. 160. & 163. tum posse Episcopos habere duo Oratoria in suo Palatio, vnum ad suum vsum, & alterum ad vsum familiæ, vel suorum Capellanorum; haberique non modò à Cardinalibus, sed etiam à pluribus Episcopis, asseverat Franciscus de Lugo supra: tum mortuo Episcopo

posse

posse eius familiares celebrare, aut audire Sacrum in Oratorio Palatij Episcopalis. Negat vtrumque Diana Resolutione 37. & 40. secundumque Tamburinus supra num. 13. Sed primum est satis probabile ob consuetudinem, & ob Capita postremo loco citata; secundum verò non placet mihi, quia decedente è vivis Episcopo expirat privilegium, quod intuitu personę ipsius est concessum. Nec prodest, quòd mortuo Episcopo duret privilegium de immunitate Episcopalis Palatij; nam huiusmodi privilegium est locale. Quanquã quia illud aliud potest asseri personale esse, simulq; locale (atque ita affirmat Franciscus de Lugo supra) cogitandum alijs relinquo, num Pellizarij sententia censenda sit probabilis? Num item si Episcopale Palatium locetur, vel concedatur alijs ad vsum, cesset privilegiũ Oratorij, vt decernit Tamburinus supra num. 13. vel duret in suo vigore, vt colligere ex præmisso dicto Pellizarij possit nonnemo? Cæterùm is Author expressè in num. 163. excludit casum locati Palatij Episcopalis; atque in eo casu non gaudere privilegio immunitatis, supponunt communiter Doctores apud Castrum Palaum Tract. 11. Disp. vnica, puncto 6. num. 20. Notaverat anteà in num. 159. idem Pellizarius, si Episcopus ad tempus habitet in domo aliqua, & pro sui vsu adornet ibi Oratorium, non posse posteà, absente Episcopo, celebrari ibi, quia talis domus nõ est Episcopi, vt Episcopi, sed vt privatæ personæ. Vniuersim autem in privato Episcopi sacello tã intra Diœcesim, quàm extrà posse interessentes Missę satisfacere præcepto de ea audiẽda, declaravit Sacra Congregatio Cardinalium Interpretum Concilij Tridẽtini anno 1640. die 22. Sept. vt refertur in 6. p. Dianæ Tractatu 8. Resolutione 40.

110 Concilium Tridentinum Sessione 22. in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ non abstulit Episcopis facultatem ad divino tantùm cultui dicata Oratoria in domibus privatis designanda, & visitanda, vbi Missę Sacrificiũ perageretur; quin potiùs supponit, posse peragi in eis Oratorijs domorum privatarum, dummodò designentur, & visitentur ab Episcopis, sintque proinde intra Diœcesim propriam Episcopi designantis, ac visitantis. Ex quo liquet, Tridentinum multò minus abstulisse Episcopis facultatem, vt erigerent in Palatijs suis Oratorium permanens, vbi siue ab ipsis, siue ab alijs, & in ipsorum absentia celebraretur indifferenter. Licet autem iã Sedi Apostolicę reseruatum sit, concedere licentiam Sacerdotibus siue Sæcularibus, siue Regularibus ad Missæ celebrationem in Oratorijs domorum privatarum, non ideo Episcopi prohibiti sunt habere ad Missam Oratoria in suis Palatijs, quia hæc non sunt domus privatę, neque Episcopi veniunt nomine Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium, neque congruum erat, vt dignitati personæ Episcopalis adimeretur Oratorij ad Missæ celebrationem prærogativa, maximè cum in eo non possent prudenter timeri illæ indecentiæ, quæ in Oratorijs generaliter habitis ab hominibus Sæcularibus intra suas domos privatas.

111 Vnde rursus Tridentinum Concilium non ademit Episcopis potestatem celebrandi, aut faciendi, vt coram ipsis celebretur in loco decẽti, qui nec sit Ecclesia, nec Oratorium deputatum solummodò ad Dei cultum; sed ademit potestatem, vt pro suo arbitrio, & libito præberent licentiam alijs ad celebrandum in quouis honesto Diœcesis suę loco, præsertim si nec sit Ecclesia, nec Oratorium destinatum religiosis vsibus. Secunda hæc potestas sublata est à fortiori per decretũ Vrbani VIII. sed prima immutata mansit, nam nec Vrbanus, neque Synodus Tridentina respexere ad potestatem, quæ iure cõmuni competebat Episcopis in gratiam propriam, vtilitatemq; suam. Vt taceã, non esse domus privatas illas, in quibus Episcopi etiam obiter residentes ponãt altare portatile. Vt item taceam, ex altari portatili Episcoporum, & in celebratione ab ipsis, vel coram ipsis, præsertimque non ordinaria, sed rara, vtpote ratione itineris, non debuisse timeri ea inconuenientia, quæ respectu aliarum personarum inferioris dignitatis, & non adeò potentium præsentia sua cohibere quosuis abusus.

112 Sed notare oportet, neque per Tridentinum Concilium, neq; per Vrbanum VIII. inhiberi Episcopos, quominus præstent facultatem, vt celebretur

lebretur loco communi, ſed decenti, quando vrgeat vnus, vel alter caſus expreſſus in Cap. *Concedimus* 30. de Conſecratione Diſt. 1. vel quicumque alij expenſus à nobis ſuprà poſt duos illos. Imò vrgente quouis eorum caſuum nō requiri facultatem ab Epiſcopo petitā, ſentiunt permulti Authores apud Fagundez in 1. præceptum Eccleſiæ Lib. 3. Cap. 13. num. 14. Suadebo tamen ſemper, vt petatur, ſi facilè queat adiri Epiſcopus, aut eius Vicarius.

113 Aduertere etiam conuenit, non eſſe alienum à probabilitate, eaque magna, poſſe etiamnum Epiſcopos diſpenſare in caſu alicuius perſonæ particularis, iuſta aliqua cauſa vrgente, etſi non extrema, vt celebretur ſemel, aut iterùm in loco communi, ſed honeſto, aut in loco deputato tantùm ad diuinum cultum, ſed intra priuatam domum, quia Tridentinorum Patrum, & Vrbani VIII. mens nō alia videtur fuiſſe, quàm ob euitandos abuſus in Miſſarum voluis celebrationibus, auferre ab Epiſcopis poteſtatem dandi licentias ad celebrandum communiter, & ordinariè in talibus locis, ſeu extra Eccleſiam; abuſus autem oriri tantùm poterant ex licentijs communibus, & ordinarijs, & non ex licentia, aut diſpenſatione pro vna, aut altera vice cum iuſta, ac rationabili cauſa. Ita Franciſcus de Lugo n. 27. & 29. Thomas Tamburinus §. 2. num. 7. Dicaſtillus n. 94. & 95. Diana Reſolutione 43. cum ingenti Doctorū numero. Quare ait Franciſcus de Lugo, poſſe Epiſcopum diſpenſare, * quando perſona, præſertim nobilis, ratione ſenectutis, vel infirmitatis diu nō communicavit, vel Miſſam audivit, vel ob ſimile impedimentum Eccleſiam adire nequit. * Dicaſtillus, inquit, poſſe * vt perſona aliqua gravis, & principalis ægrotans audiat Miſſam, & communionem ex obligatione ſuſcipiat. * Diana recitat, & approbat eadem verba ex Gaſpare Hurtado Diſp. 4. de Sacrificio Miſſæ Diffic. 6. V. *Vnde Epiſcopi.* Extantque ſimilia paſſim apud Authores; quorum plures referuntur iterùm à Diana Reſol. 44. §. *Tertius caſus eſt*, quo in §. abeis diſcedit; & Reſolutione 45. §. *Quintus caſus eſt*, accedit ad eos, * ſi vir perilluſtris laboret in articulo mortis. * Sed aliorum iudicio nō requiritur tam extremum diſcrimen, vt Epiſcopus diſpenſet. Et iudicio Paſqualigi allegati à Diana Reſolutione 44. neceſſe non eſt, vt perſona, cum qua Epiſcopus diſpenſet, emineat nobilitate, ſi aliunde inſignis ſit vel ob eximium ſeruitium præſtitum cōmunitati, vel ob litteras, vel ex aliquo alio capite dignam reddente perſonam ſpeciali veneratione. Quod ego declaro, quatenus perſona talis ſit, cui Summus Pontifex concederet indultum Oratorij ad Miſſam, ſi de qualitate perſonæ, & domus decentia in Oratorij petitione conueniens informatio, & teſtificatio fieret.

114 Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare iuxta Quintanaduenas tomo 1. Tract. 7. Singulari 32. num. 6. vt in nobilis alicuius, qui mortuus ſit, domo erigantur plura altaria ad Miſſarum celebrationes per integrum mane, corpore defuncto præſenti, conſtituto; vel in Oratorio domus, vel (ſicut plerumque fit) in aula capaciori. Sic ſæpe vidi diſpenſatum, moriente viro, aut fœmina Magnate, vel Titulari (*Grande*, vel *de Titulo*) rarò autem quauis alia perſona nobili; & ita expedit, ne paulatim deveniatur ad alias ignobilis conditionis, quæ, ſi diuites fuerint, adſpirabunt cognati, aut domeſtici ad æqualitatem cum cæteris equeſtris ſtatus. Scio, in quodam oppido Diœceſis Aſturicenſis cæptam introduci, ſine licentia etiam Epiſcopi, aut Ordinarij, erectionem altarium ad Miſſas in domibus priuatis quorumcumque nobilium defunctorū. Sed eam corruptelam meritò coercuit, qui poterat, & debebat. Non agnoſcit Diana Reſolutione 44. iuſtam cauſam diſpenſandi, cum vel Magnates moriūtur; aitque, non practicari in Italia. Nihilominus conſuetudo Epiſcoporū Hiſpaniæ in eiuſmodi facultate concedenda non debet damnari.

115 Marchinus apud eundem Dianam Reſolutione 45. inquit, poſſe etiam diſpenſare Epiſcopos tempore peſtis, vt celebretur Miſſa in campo, in publicis vijs, & in priuatis domibus. Non diſſentiam, ſi aliter magna pars populi auditurā non ſit Sacrum, aut ſi aliter deceſſuri aliqui ſint ſine viatico. Quib⁹ in circumſtantijs hic caſus coincidit cum alijs expreſsis in C. *Concedimus* 30. de Conſecratione Diſtinctione 1. & cum exemplo Catholicorum Antioche-

tiochenorum, qui olim agebant Collectas, seu celebrabāt Missas in campo ob persecutionem Hæreticorum, ideoque Campitæ sunt appellati, vt tradit Annalista Ecclesiasticus anno Christi 386. num. 49.

116 Vlteriùs obseruare oportet, privilegiū Oratorij privati in domo sua competere Episcopis Titularibus, seu *de Anillo*, vt Hispanè dicimus, non tamen Prælatis habentibus iura Episcopalia; & privilegio altaris viatici, de quo in C. *Quoniam*, carere in Romana Vrbe Episcopos propter reverentiā debitam Summo Pontifici ibi commoranti. Sic Diana cum alijs pluribus Resolutione 39. 47. & 48. quanquam quoad illud de impedito altari viatico in Vrbe renuat cum Navarro Tamburinus supra, & quoad Prælatos gaudentes iurisdictione quasi Episcopali in vtroque foro dissentiat Mendus Disquis. 7. de Ordinibus Militaribus quæst. 12. n. 129. quod esse tamen contra praxim, & consuetudinem, testatur Diana, & à se in nullo Authore inuentum, asseverat Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 8. dub. & punct. 2. n. 20. videturq; esse contra verbi proprietatem in C. *Quoniam*, non enim sunt propriè Episcopi. Et alioqui Prouisor Generalis, sede vacante, posset vti eodem privilegio: verendumq; est, ne fiat extēsio ad Prouinciales Religionum, quatenus & eisdem competat privilegium Cap. *Quoniam*; & similiter verendum est, ne dicatur, eos, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, posse cum suis vi eius tantùm iurisdictionis dispensare in casu necessitatis, vt celebrent in loco communi cum altari portatili: quā potestatem dispensandi, secluso speciali privilegio Apostolico, negat meritò eis Emmanuel Rodriguez tomo 1. qq. Regularium in quæst. 43. art. 6. quia iurisdictio ipsorum non extenditur ad illa, quę sunt muneris Pontificalis. Sermo est de potestate dispensatiua, nam interpretatiua de non obligante lege communi in casu aliquo magnæ necessitatis, quæ neque potuerit præueniri, neque patiatur recursum ad Episcopū, aut ad eius Vicarium, neganda non est non modò Prouincialibus Religionum, sed neque Superioribus localibus, imò neque cuiuis alteri prudenti viro, vt supra diximus, docetque Pillizarius Tract. 8. C. & sect. 2. Subs. 1. num. 90. Porrò quod electus, & confirmatus, sed nondum consecratus Episcopus, queat vti privilegio altaris portatilis, asseritur à Diana parte 12. Tract. de Consecratione Episcopi Resol. 102. cum Tācredo, & alijs: de quo tamen potest dubitari, cum non sit propriè Episcopus. *Nulla enim ratio finit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à Prouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati*, vt dicitur Dist. 62. in Can. 1. cuius initialia verba iam dedi. Vnde iuxta Baldum in l. *Nondum* C. de *Fur.* non dicitur occidisse Episcopum, qui occidit nondum consecratum, etsi electum, & cōfirmatum. Videatur Ioannes Bertachinus 4. parte 2. principalis 3. libri de Episcopo, quæst. 1. Nihilominus, quia Episcopus electus, & confirmatus potest exercere ea, quæ iurisdictionis sunt, vt constat ex C. *Transmissam* 15. de Electione, & electi potestate, alijsque ex textibus apud Barbosam parte 1. de Officio, & potestate Episcopi titul. 1. C. 4. num. 7. & apud Solorzanum Pereyram L. 3. de Indiarum gubernatione C. 4. num. 56. maximè si expeditæ sint, & præsentatæ litteræ Apostolicæ iuxta Extrav. *Iniunctæ* de Electione inter Communes; ideo magis propendeo in sententiam Dianæ. Quòd si talis Episcopus potest concedere alijs circa locum Sacrificij plura, de quibus supra egimus; quidni poterit ipse vti privilegio C. *Quoniam*, quod non pertinet precisè ad potestatem Ordinis? Et præterea cùm sit favor in nullius præiudiciū vergens, cur non ampliabitur ad Episcopum electum, & confirmatum, etsi in toto rigore non sit, neque vocetur Episcopus, quandiu non est consecratus? Est tamen in via proxima ad Episcopatum; in quo differt à Prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem. Doctrina Baldi, præterquàm quòd non est certa, fundatur in conditione pœnæ, quæ restringenda est, respectu habito ad occidentem.

117 Tandem animadvertendum est, Concilium Palentinum anno 1322. tit. de Vita, & honestate Clericorum desiderasse, *Ne Episcopi vnquam secretè in Capellis suis celebrarent, nisi causa legitima, & necessaria fuissent impediti*: quod etiam consulebat avorum nostrorum

rum ætate Episcopus Calagurritanus I. Bernardus Diaz in Practica Capite 34. & Concilium Mediolanense IV. parte 3. in titulo de Episcopis. Vtileque erit nunc ad ædificationem populi, & ad incitamentum aliorum Sacerdotum, si Episcopi videantur sacrificare publicè in diebus nonnullis profestis.

SECTIO X.

De Religiosorum priuilegijs circa locum celebrandi Missam.

118 INCIPIO à privilegijs nostræ minimæ Societati Iesu concessis, vt quæ mihi notiora sint. Igitur Paulus III. Pontifex Maximus indulsit, *Vt liceret Præpositis, & de eorum etiam facultate vniuersis Fratribus, & Socijs Societatis huiusmodi in Presbyteratus Ordine constitutis, in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio honesto, & congruenti loco, in altari portatili, cum debitis reuerentia, & honore:: Missas, & alia diuina Officia celebrare, ac Ecclesiastica Sacramenta recipere, & alijs ministrare.* Sic in Bulla, cuius initium *Licet debitum*, expedita anno 1549. Nomine *Præpositorum* significantur ibi Generales, non autem locales; vt constat ex antecedentibus, necnon ex facultate, quam dicuntur posse concedere, nam nequit in locales cadere, vt exhibeant illam vniuersis Fratribus, & Socijs. Quod quia non aduertit Pellizari in Manuali Regularium Tract. 8. Cap. & sect. 2. Subt. 1. num. 88. disputat, an vsus huius privilegij, & facultas, vt alij vtantur, extendatur ad Rectores Collegiorum, vel solùm competat Præpositis Domorum professarum?

119 Gregorius autem XIII. anno 1575. in Bulla incipiente *Decet Romanum Pontificem* voluit; *vt in Oratorijs, & Capellis, quæ ipsius Societatis Prouinciales per se in Domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui Societatis residebunt, approbauerint, & ad diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ, & alia diuina Officia, alterius licentia desuper minimè requisita, celebrari possint.* Post huius concessionis transcriptionem in Compendio Privilegiorum Societatis V. *Oratoria* additur * Non vtentur Prouinciales hac facultate nisi in locis remotis ab Oppidis, in quibus Ordinarij existunt, aut vbi probabiliter timetur, quòd illi, cum opus fuerit, difficiles se exhibebunt ad huiusmodi Oratoria deputanda. * Sed istam limitationem nec in vsu fuisse Societatis, nec de cætero retinendam in Compendijs, quæ imprimantur, accepimus à R. admodùm P. N. Generali Mutio Vitelleschi: quanquam quòd Episcopi deputarent Oratoria in Domibus Religiosorum, non contradiceret horum exemptioni, neque Concilio Tridentino; non primum, siquidem talis deputatio cederet in ipsorum commodum; non secundum, nam Domus Regulares non sunt priuatæ.

120 Idem Gregorius XIII. anno 1579. in Bulla, cuius exordium *Vsum altaris viatici*, inquit, *Vsum altaris viatici Societati vestræ à fœlic. record. Paulo Papa III. concessum, deinde à Concilio Tridentino vniuersim sublatum, vobis catenus restituimus, vt inter Missiones, quæ à Superioribus fiunt, Presbyteri vestri, seruatâ aliàs forma dictæ concessionis, Missæ Sacrificium licitè valeant celebrare super huiusmodi altari, vbique gentium, etiam in castris militum; modò loca, etsi communia, & profana, tuta, & honesta sint; & Generalis, aut per eum Prouinciales Præpositi, eo tum vtendum fore iudicauerint. Itidemque possint ibi Presbyteri ipsi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus, ad illud sumendum debitè præparatis.* Ita Gregorius XIII. à quo cum emanarit vtrũque privilegium post Concilium Tridentinum, & in secundo reuocata sit quoad Societatem prohibitio eius Cõcilij circa altare portatile, citra omne dubium est, licere nunc nobis vtriusque privilegij vsum, & secundi in Missionibus siue inter Indos, siue inter Europęos, aut Asiaticos, vel Africanos; & in eis, quæ ex Collegio hoc Salmantino factæ sunt proximis annis ad Batuecas visum est expedire de licentia Prouincialium data Missionarijs ob speciales rationes, quæ pro illis locis vrgebãt præ alijs communiter in Hispania: non enim posteà quidpiam prodijt, quod obstet, quominus vsus sit licitus.

121 Observo primò, cum Suarez Tannero, & alijs infra, posse licitè in Oratorijs Domorum, Collegiorum, & Residentiarum Societatis celebrare

lebrare Sacerdotes alios, qui non sint è Societate: & cum Thoma Tamburino infra n. 6. posse satisfacere præcepto audiendę Missę Sęculares quotcũque, qui die festo intersint Sacro ibi. Prior pars probatur, tum quia privilegium de Oratorijs concessum Societati est locale, tum quia verba Gregorij XIII. non coarctant ad Sacerdotes Religiosos Societatis celebrationem in Oratorijs, & Capellis eiusdem Societatis. Posterior pars probatur; nàm in Pontificijs verbis nulla limitatio, aut exceptio quoad Sæculares, aut quoad satisfaciẽdum præcepto audiendæ Missæ die festo, etiam Paschatis, legitur.

122 Obserue secundò cum Suarez D. 81. sect. 3. V. *Quarta exceptio*, Tamburino infra num. 5. & 9. Tãnero tomo 4. D. 5. q. 10. dub. 2. n. 24. Castro Palao Tract. 22. D. Vnica, puncto 8. n. 9. Fagundez in 1. pręceptũ Ecclesiæ Libro 3. C. 13. num. 17. Arriaga D. 54. sect. 4. num. 28. Laymano Libro, Tract. C. & num. 5. Pellizario in Manuali Regularium Tract. 8. C. & sect. 2. Subs. 1. num. 87. & 92. Becano C. 25. de Sacramentis 2. parte quæst. 5 num. 2. non posse vti privilegio altaris portatilis Sacerdotes alios, qui in itineribus Missionum socij sint Sacerdotum Religiosorum Societatis, & qui cum eis aliunde non communicent in privilegijs, nam hoc de altari portatili in Missionibus est proculdubiò personale. Et ob verba illa *Vbique gentium* extenditur ad altare portatile erigendum in cameris etiam Sæcularium honestis, & decentibus, vt vult Thomas Tamburinus Libro 1. de Missa C. 4. §. 3. n. 4. Quem intelligo de tempore, & loco Missionum. In quibus Religiosi aliorum Ordinum, communicantium cum nostro in privilegijs, poterunt vti præfato privilegio, vtpote quod non sit cõtra aliorum Ordinum Instituta, neque in eo Pontifex exprimat exclusionem, ne commune sit alijs. Lezana adductus à nobis in D. 22. num. 21. Garcia Tractatu 3. de Excellentijs Sacerdotij Difficul. 8. dub. 2. puncto 3. num. 30. tribuunt Suario, & Becano oppositum sẽsum ijs, quæ proximè dixi. Sed certè Suarius, & Becanus loquuntur in sensu, pro quo illos allegaui anteà, atque ita de Suario monuit Peyrinus in Privilegijs Regularium circa Constitutionem Pyrrhi Archiepiscopi Consentini pro Minimis, num. 28. Apparentiùs posset tribui Fagundezio supra C. 21. num. 14. vbi de simili privilegio ait, non communicare in eo alios Religiosos. Sed quidquid sit de seruato doctrinæ tenore à Fagundezio, stat apertè in loco anteà allegato pro communicatione in privilegio altaris portatilis, vt & Vazquez D. 232. C. 1. n. 7. Gaspar Hurtadus D. 4. de Sacrificio Missæ Diffic. 6. Quintanadueñas tomo 1. Tractatu 7. Singulari 34. num. 6. Pellizarius supra, & alij.

123 Obserue tertiò, Oratorij approbationem, & ad diuinum dumtaxat cultum deputationem debere fieri à Prouinciali per se, non autem per aliũ delegatum; sic namque significatur à Gregorio XIII. in eis verbis *Prouinciales per se*: quæ verba denotant actũ personaliter commissum, postulantque industriam personalem. Et ita docent Pellizarius supra num. 91. Diana parte 9. Tract. 1. Resolutione 34. §. *Sed hic inquirendum est*, contra Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. Singulari 34. num. 4. & contra Castrum Palaum Tract. 22. D. vnica, punct. 8. num. 9. Arriagam supra. Docet etiam Cardinalis de Lugo Libro 1. Responsorum Moralium Dubio 14. Sed subiungit, & optimè * Potest tamen secundo Prouincialis, nõn quidem dare Rectori facultatem, approbandi, & deputandi, Oratorium, vel Capellam, sed solùm videndi locũ, & iudicandi de eius decentia, & idoneitate, & stante iudicio Rectoris, & quasi ab eo informatus Prouincialis, eique fidem adhibens approbare per se, & deputare locum illum, etiamsi absens sit, & eum non viderit. Et id quidem credo fieri posse; tunc enim Rector non approbat, vel deputat tanquàm delegatus à Prouinciali, sed ipsemet Prouincialis, informatione accepta à Rectore, approbat per se ipsum, & deputat, & exercet immediatè, & nullo alio mediante actum sibi commissum approbãdi, & deputandi locum idoneum ad Oratorium, vel Capellam * Hactenus Sapientissimus Purpuratus. His tamen omnibus non obstantibus, probabilis est opinio Quintanad. Castri, & Arriagæ, si Prouinciales delegent alteri facultatem approbandi, & deputandi, non quidem generaliter, & absolutè Oratoria,

sed

sed specialiter, & in casu occurrenti Oratorium aliquod singulare, nam si primum non fiat, saluatur vtcumque rigor illorum verborum *Prouinciales per se.* Quod confirmari potest ex quadam Thomæ Sanchez Lib. 2. Summæ Cap. 11. num. 23. & plurium aliorum sententia circa Episcopi potestatem (de qua Concil. Trident. infra) ad delegãdum alteri absolutionem ab hæresis occultę crimine non generaliter, & absolutè, sed specialiter, & in casu occurrenti, etsi Concilium Tridentinum Sessione 24. Decreto de Reformatione C. 6. dicat, *In hæresis crimine in eodem foro conscientiæ* (nempe Episcopi) *tantùm, non eorum Vicarijs sit permissum.* Sed quidquid de hoc sit, etsi privilegium solummodò nominet Prouinciales, comprehendit à fortiori Generales, & Visitatores nominatos à Generalibus, vtpote qui sint maiores Prouincialibus. Ita Pellizarius supra: & nomine Prouincialium intelliguntur etiam Viceprouinciales iuxta præfationem ad Compendium privilegiorum nostrorum.

124 Obiervo quartò cum prælaudato Cardinali de Lugo dub. 13. per Gregorij XIII. privilegium non licere erectionem altaris ad Missam in cubiculo Religiosi infirmi ad id, vt audiat Missam, aut vt recipiat viaticum; neque item licere in aula Domus, Collegij, vel Residentiæ, vt ex occasione aliqua fiat ibi Sacrum, & posteà, dissoluto altari, redeat aula ad communes vsus domesticos, quia nomine Oratorij, & Capellę aliud intelligitur, quàm cubiculum infirmi, aulave illa communis, & quia locus altaris debet esse ad diuinum dumtaxat cultum deputatus permanenter.

125 Obseruo quintò, non solùm in Domibus, & Collegijs, siue perfectis, siue inchoatis, de quibus agitur in Decreto 59. Congregationis 2. Generalis, & in 31. 3. & in 12. 6. sed etiam in Residentijs Societatis, vbi aliqui ex Nostris degant ordinariè, siue permanenter, ita vt Superior Residentię non sit subiectus alteri Prælato locali, siue per modum diuturnæ, longissimæque Missionis, ita vt ille, cui externa gubernatio Missionis est cõmissa, subditus sit alterius Superioris localis, posse à Prouinciali approbari, & deputari Oratorium ad Missas celebrandas. Constat ex verbis Gregorij XIII. iam relatis, & ex antecedentibus istis, *Postremò considerantes, quantæ Societati huiusmodi curæ sit perfectio diuini cultus, quãque etiam sæpe remotis in locis Collegia, & Residentias habeat, volumus,* &c. Vbi vides, à Romano Pontifice comprehendi Residentias, & non tantùm Domus Professas, ac Collegia. Imò cum posteà dicat, *Et alijs in locis, vbi aliqui Societatis residebunt*, probabile apparet, vi huius privilegij approbari posse, & deputari à Prouinciali Oratorium in grangijs, & vineis Societatis, in quibus communiter viuant tres, vel ad minimum duo è Societate procurandæ rei temporalis ad Collegium aliquod pertinentis causa, quippe (vt notat Quintanadueñas tomo 2. Tract. 5. Singulari 18. num. 7.) *aliquorum* nomine veniant duo. Scripsi *probabile apparet*, nam forsan aliquis cõtendet, verbis illis, *Et alijs in locis, vbi aliqui Societatis residebunt*, denotari solummodò Residentias, de quibus proximè loquutus fuerat Pontifex; grangiæ autem, aut vineæ, vel habitationes Nostrorum in eis non appellantur Residentiæ.

126 Sed ad tollendos scrupulos, & ad maiorem securitatẽ R. P. N. Generalis admonuit, placitum sibi esse, vt communicaremus in privilegijs, quæ circa Oratoria grangiarum concessa sũt Cistertiensibus, & Carthusianis, quanquàm id additum non fuerit in impresso Compendio Nostrorum privilegiorum. Concessit verò Cistertiensibus Alexander VI. maiori cum amplitudine, quàm anteà Alexander IV. in Priuilegio 27. de quo Chrysostomus Henriquez pag. 67. vt valeant *in grãgijs ædificare Capellas, & Oratoria, in quibus Officia diuina celebrari possint sine loci Ordinarij, vel Diœcesani, seu alterius cuiuscumque licentia, vbi vasallorum, colonorum, incolarum ibidem commorantium confessiones audiri, & eisdem pœnitentiam salutarem iniungi, Eucharistiamque, & alia Sacramenta, sine Parochiæ præiudicio, per Monasteriorũ Abbates, & suos Monachos ad id deputatos ministrari liberè, & licitè queant.* Ita trãscribit ex Compendio Cistertiensium Emmanuel Rodriguez tomo 2. Quæstionum Canonicarum, & Regularium quæst. 76. artic. 1. extatque integra Bulla, & est Alexandri VI. in Bullario Regular. apud eundem Rodriguez 14.

sed

ſed eſt 13. inter alias Pontificum pro Ciſtertienſium Regulari obſervantia in Regnis Caſtellæ apud Chryſoſtomũ Henriquez pag. 284. & Bulla Vrbani V. pro altari portatili in Carthuſianorũ grangijs legitur apud Bullarium magnũ Romanum tom. 1. pag. 283. eſtque 2. huius Pontificis. Quę privilegia nõ ſunt derogata per Concilium Trid. vt probant Rodriguez ſupra, Lezana tom. 1. quæſtionum Regul. C. 18. n. 15. & alij relati, & ſubſcripti à Diana ſupra, Reſolutione 33. tractabiturque à nobis poſtea.

127 Fas autem erit non modò Sacerdotibus Regularibus, ſed etiam Sæcularibus celebrare in Oratorijs præfatarum grangiarum, & Laici quicumq; Sæculares licitè audient Sacrum, ſatisfacientque præcepto audiendi illud die quovis feſto in eis Oratorijs, quia Alexander VI. etſi concedat privilegiũ ad Oratoria in grangijs, vt Fratres, & vt vaſalli, coloni, incolę ibidem commorantes habeant commoditatem ad diuina Officia, nullum tamen profert verbum, ex quo colligatur, voluiſſe excluſos iri alios extraneos. Videantur Pellizarius Tract. 8. C. & S. 2. Subſ. 1. n. 134. Diana ſupra, & in illo Authores nobiſcum conſentientes.

128 Et notetur obiter, Dianam, & alios ibidem, necnon Cardinalem de Lugo L. 3. Reſponſorum Moral. Dub. 15. Pellizarium Tract. 8. C. 5. S. 1. n. 6 Quintanadueñam p. 1. Singul. Tract. 1. Appendicis, dub. 7. n. 1. Gambacurtam L. & C. 4. de Immunitate Eccleſ. n. 7. exiſtimare, Religioſorum grãgias gaudere immunitate, ne in eis capi poſsit reus, non ſecus ac non poteſt in Eccleſiarum atrijs. Huius immunitatis priuilegium bullatum conceſſum eſt Ciſtertienſib⁹ anno 1152. ab Eugenio III. anno 8. ſui Pontificatus, vt legere eſt in Chryſoſtomo Henriquez fol. 53. Priuilegiorũ Ordinis Ciſtertienſis, exarantque Rodriguez ſupra art. 2. & Cardinalis de Lugo verba Bullæ illius, ſed tribuentes eam non benè Eugenio IV. deluſi ex Cõpendio priuilegiorum Cõgregationis Regularis Obſeruantiæ S. Bernardi Ciſtertienſis Ordinis Hiſpaniæ edito anno 1588. V. *Grangiæ, §. 2.* pag. 158. Significavitque R. P. N. Generalis anno 1643. die 8. Ianuarij, grangias noſtras communicare in tali priuilegio.

129 Si opponas Declarationem Sacrę Congregationis Cardinalium cõfirmatam ab Innocentio X. anno 1648. & 1652. Nam rogata Sacra Congregatio, *An prædia ruſtica, metallorum fodinæ, ſachari opificinæ à Regularibus Societatis poſſeſſa, vel aliæ domus Sæculares, in quib⁹ videlicet vnus, vel duo Regulares tantùm commorantur, gaudeant priuilegio Collegiorum, ſeu Conuentuum?* Reſpondit, *non gaudere.* Attamen circa hanc Declarationem ſubdubitare quis poſſet, an data ſit tantùm ad loca Indiarum, præſertim Occidentalium, & Diœceſis Angelopolitanæ, de quibus mota erat controuerſia, & in quibus militare poſſet ſpecialis rario? an in eis prædijs ruſticis, &c. erecta eſſet Capella, vel Oratoriũ, vbi Religioſi celebrarent? nam Capellã grangiæ Regularium gaudere immunitate, edixit aliàs Sacra Cardin. Congregatio apud Lugum ſupra, & anno quidẽ 1640. vt colligitur ex Pellizario ſupra: an præfata prædia eſſent domus proprię Sæcularium, & ibi vnus, vel duo Religioſi habitarent tanquam hoſpites? vt colliget aliquis ex illis verbis, *vel aliæ domus Sæculares?* an mens Purpuratorũ Patrum fuerit, prædia dicta non potiri omnibus priuilegijs Collegiorum, ſeu Conuentuum, quidquid eſſet, num aliquo, vel aliquib⁹ fruerentur? an Eminentiſsimi Patres loquantur, conſiderato tantùm Iure cõmuni? Tractat de ſuperiori Declaratione ſatis confusè Didacus Antoni⁹ Frances in Paſtor. Regul. p. 2. q. 15. Ego ſuſpendo cenſurã, nã ex vna parte nõ mihi conſtat, negari priuilegiũ immunitatis Capellis, ſeu Oratorijs erectis in ſuis grangijs à Regularib⁹ ita vt neq; ex Iure cõmuni gaudeant illo (vt libenter fateor) neq; ex ſpeciali, antiquaq; conceſsione Summi Pontificis, aut etſi illo gaviſa ſint, ſed nupet fuerit reuocatũ: & ex alia parte nollem diſcrepare à Sacrę Cõgregationis sẽtu, eludereq; verba ipſi⁹ interpretationib⁹ minus aptis, aut reſpondere cũ Brunone Chaſſaing p. 1. de Privilegijs Regularium Tractatu 1. Capite 1. propoſit. 3. huiuſmodi Declarationes confirmatas etiam à Papa non habere vim legis, ſed ſententiæ cuiuſdam valde probabilis. Illud non tacebo, ſi in Diœceſi Angelopolitana egerunt aliqui partes immunitatis Capellæ, aut Oratorij grangiarum Societatis, ſuſcepiſſe cauſam

non desperatam, neque improbabilem ante Declarationem obiectam.

130 Observo sextò ex Diana * Stante consuetudine interpretante privilegia Summorũ Pontificum, Prælatos Regulares non solùm posse approbare, & designare Oratoria in Monasterijs, & grangijs, sed etiam in locis, ad quæ recreationis causa proficiscuntur, vt in villis Patrum Iesuitarum, & aliorum Religiosorum. * Quod an intelligam de villis, aut vineis, vbi aliqui Religiosi communiter degant; & non de illis, in quibus traditis inquilino alicui, aut famulo Seculari versantur vno, vel altero die causa recreationis? anceps sum, consideratis quæ dixerat idẽ Diana parte 6. Tract. 1. Resolut. 6. V. *Et tandem*, vbi habet hæc verba * Grangiæ sunt quædam parvæ dom⁹ Religiosorum, quæ sunt veluti hospitia ipsorum, & membra Monasterij, quæ sunt sub potestate, & iurisdictione Prælati Monasterij, cuius sunt grangiæ * Sic Diana, vel Peregrinus apud illum. Sed Cardinalis de Lugo supra num. 4. docet, nomine grangiarum intelligi etiã villas, quas Religiosi adeunt ex more, vt recreenter, etsi ibi non soleant morari, & de his etiam villis loquitur Pellizarius supra C. & sect. 2. Subs. 1. numero 91. C. 5. sect. 2. num. 65.

131 Obseruo septimò ex eodem Pellizario in priori loco, si duo, aut tres ex Nostris non Missionis causa, sed negotij alicuius privati, aut communis commorentur per longum etiam tempus in Oppido, vbi Societas nõ habeat domicilium, non posse Prouincialem privilegio Gregorij XIII. approbare, & deputare Oratorium in domo Sæculari, in qua hospites sint, vt ibi celebrent. Nam verba illa privilegij, *Vbi aliqui Societatis residebunt*, videntur intelligenda de residentia in loco, & domo, quæ sit propria Societatis. Si privilegium Pauli III. ad Oratoria in locis, in quibus degant Nostri, *Et pro tempore morari contigerit*, non esset revocatum à Concilio Tridentino, posset vi illius de facultate P. N. Generalis haberi Oratorium casu huius obseruationis eueniente, nam To *Pro tempore* comprehenditur casus iste. Vnde Quintanadueñas tomo 2. Tract. 5. Singulari 18. num. 7. immemor revocationis vtitur verbis illius ad Oratoria in grangijs, ad quas Nostri aliquoties in anni decursu confluerent, quin in eis permanenter habitarent. Hactenus de privilegijs concessis Societati.

132 Honorius III. concessit Fratribus Prędicatoribus, & Minorib⁹, *Vt, vbicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio, cum altari valeant viatico celebrare.* Sic enarrat ipse Honorius Capite *In his* 30. de Privilegijs, & excessibus privilegiatorum; posteaque declarat, non esse opus consensu Prælatorum, seu Episcoporum.

133 Sed hoc privilegium, & similia alia videnda apud Brunonem Chassaing p. 2. de Privilegijs Regul. Tract. 8. C. & propos. 1. à Pontificibus concessa pro Religiosis ante Cõcilium Tridentinum reuocata esse per istud Concilium Sess. 22. Decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, valde probabile est, & à multis Theologis asseritur. Nam postquàm inter alia iniunxisset Episcopis omnia ea, quæ retulimus de verbo ad verbum in num. 8. subdit in fine Decreti, *Non obstantibus priuilegijs*, &c. Confirmatur ex verbis Gregorij XIII. relegendis in num. 120. Si ergo respectu Societatis fuit à Concilio Tridentino reuocatum privilegium altaris viatici indultum à Paulo III. vt apertè fatetur Gregorius XIII. (& ob id puto non fuisse scriptum à Collectore Compendij nostri, atque adeò neque communicatum nobis à R. P. N. Generali) sequitur, reuocata etiã fuisse respectu aliarum Religionum cætera similia ante Tridentinum concessa.

134 Confirmatio hæc est magni momenti quoad privilegia non inserta corpori Iuris; at privilegium memoratum Honorij III. continetur in corpore Iuris, ideoque non videtur derogatum à Tridentino, cum non faciat expressam eius mentionẽ, vt opus esset ad reuocationem, cum hæc sit odiosa, & cũ sit faborabilis permanentia Iuris cõmunis. Sicut autem his de causis privilegium Episcoporum de altari portatili insertũ corporis Iuris C. vltimo de Privilegijs in 6. saluum manet post Concil. Trid. etsi ex vi verborum æquè se extendat ad eos, ac ad Religiosos clausula illa, *Non obstantibus priuilegijs*; ità similiter. Imò & quoad privilegia nõ contenta in Corp. iuris ait Tho. Tamb. supra n. 11.

Gregorium

Gregorium XIII. loquutum solummodò fuisse vt Doctorem privatum ex probabili multorũ sui temporis Theologorum existimatione. Quo simili modo videtur respondendum à multis, quibus cum supra diximus, per Concilium Tridentinum non esse ademptam Episcopis potestatem dandi licentias ad Missæ celebrationem in Oratorijs ædium privatarum destinatis tantùm ad divinum cultum, videtur, inquam, respondendum ad Epistolam iussu Pauli V. Pontificis Maximi scriptã die 10. Martij anno 1615. & missam ad Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos ab Eminentissimo Horatio Cardinali Lancilloto, in qua dicebatur potestas illa ablata per Concilium Tridẽtinum, sollque Beatissimo Pontifici Romano reseruata.

135 Argumentum petitum ex verbis Tridentini, & præcipuè ex finali illa clausula, *Non obstantibus priuilegijs*, nõ est tanti ponderis, quia * non tollit directè privilegia Conciliũ Tridentinum per illam clausulam, sed dat facultatem Episcopis sub censuris Ecclesiasticis, alijsque pœnis prohibendi etiam contra privilegia; & ideo, non obstantibus quibuscumque privilegijs, possunt Episcopi prohibere Regularibus, ne celebrent extra Ecclesiã; quòd si non prohibeant, non est Regularibus interdictus vsus privilegiorum * Sic Diana parte 6. Tractatu 8. Resolutione 39. cum multis, quos citat tum ibi, tũ parte 3. Tract. 2. Resol. 80. tum parte 9. Tract. 1. Resol. 32. 33. & 34. Concordant Laurentius Portel in Dubijs Regularium V. *Altare*, n. 1. Dicastillus D. 4. dub. 6. num. 104. Thomas Tamburinus supra n. 10. Chassaing supra cũ Præposito, & Cherubino, probabileq; esse, inquiunt Ioannes Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 51. Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap. 6. quæst. 4. num. 32. Arriaga Disp. 54. sect. 4. numero 28.

136 Aliter etiam respondent aliqui ex prænominatis Authoribus, videlicet clausulam illam derogatoriam, *Non obstantibus priuilegijs*, afficere verba immediatè præcedentia, non autem alia longè distantia, in quibus de Oratorijs, & de Regularibus egerat Concilium. Addunt q; non videri mẽtem eius fuisse derogare privilegijs concessis à Summis Pontificibus, & in favorem Regularium, sed reprimere abusas plurium, qui sine legitima facultate celebrabant, aut celebrari faciebant, vbicumque libebat; simulque animum Concilij fuisse, præfigere limitem potestati amplæ Episcoporum circa locum celebrationis. Nam adderogandum privilegijs emanatis ex potestate Summorum Pontificum, & in gratiam Regularium, adhibuisset clausulam revocatoriam expressiorem.

137 Præterea non videtur esse contra Concilium, si Religiosi celebrẽt cum altari viatico in Oratorijs & Capellis Monasteriorum extra Ecclesias, & in quocumq; loco interiori decenti, atque honesto eorundem Monasteriorum, necnon in grangijs, prædijsque ad eadem pertinentibus, nam Concilium Tridentinum iubet solummodò, vt Episcopi non patiantur celebrari à Regularibus *in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria*:: &c. At interiora Monasteriorum non sunt privatę domus, nec Sæculares, de quibus loquitur Concilium; neque sunt omnino extra Ecclesiam, veniunt enim nomine Ecclesiarum; grangiæ item Monasteriorum non sunt privatæ domus personarum privatarum, aut Sęcularium, sed Monasteriorum, & Communitatũ Religiosarum, nec sunt omnino extra Ecclesiam, sed sunt partes Ecclesiæ, & bona ipsius. Ita Emmanuel Rodriguez tomo 2. Quæstionum Canonicarum, & Regularium quæst. 76. art. 1. Dicastillus in loco proximè allegato, Lezana supra num. 15. Garcia de Excellentijs Sacerdotij Tractatu 3. Diff. 8. Dub. 2. puncto 3. num. 32. Ascanius Tamburinus tomo 2. de Iure Abbatum Disp. 5. Quæsito 6. ex num. 6. Diana parte 6. Tractatu 8. Resolutione 39. parte 9. Tractactu 1. Resolutione 32. ac 33. Probabiliter hęc dicuntur. Ego magis propendeo, vt putem, revocata esse à Concilio Tridentino privilegia de altari viatico, & præsertim ea, quæ nõ sint contenta in corpore Iuris, ea item, quæ sint de altari viatico extra Monasteria, grangias, prædiaque ipsorum. Quo tamẽ non obstante, adsunt concessiones supra memoratę expeditę in gratiã Societatis nostrę à Gregorio XIII. post Concil. Trid. adsunt alię etiã factę;

vt refertur, quibuſdã aliis Religionib⁹ poſt idẽ Concilium. Recurrant autem Religiones, quæ, etſi ipſis factæ non fuerint, gaudent nihilominus earum participatione.

138 Cæterùm vi privilegiorum Societatis non licet, in cella, ſeu camera particulari Religioſi erigere altare, vt ibi celebretur Miſſa, & vt Religioſus, nõ potens inde exire morbi cauſa, eam audiat, aut recipiat communionem. Sic obſervabam in n. 124. cum Cardinali de Lugo. Num verò liceat vi cuiuſdam privilegij conceſsi à Pio IV. pro Canonicis Regularibus Sãcti Saluatoris Lateranenſis die 18. Maij anno 1565. poſt Concilium Tridentinum, & cum derogatione eiuſdem Cõcilij, vt teſtantur Quintanadueñas tomo 1. Tract. 7. Singul. 34. n. 7. & 8. Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. Cap. 9. num. 12. Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 8. C. & ſect. 2. Subſ. 1. num. 96. Peyrinus in Privilegijs Regul. n. 34. circa Conſtitutionem Pyrrhi Archiepiſcopi Cõſentini pro Minimis, Lezana apud Dianam parte 6. Tractatu 8. Reſol. 39. parte 9. Tractatu 1. Reſol. 32. ac duobus ſequentibus, Dicaſtillus ſupra numero 104? Aſſero, huiuſmodi privilegium eſſe authenticum, ac fide dignum; & Societati eſſe communicatum noviter per R. P. N. Generalem. Addit Paſqualigus, vi memorati privilegij poſſe Regulares infirmos, extra clauſtra degentes, facere, vt coram ipſis celebretur Miſſa in domibus, cameriſque Sæcularium, non tamẽ hos in cubiculis Monaſteriorum, ſi ibi ægrotent. Sed quoad primum diſſentitur Diana, & alij cum ipſo in Reſolut. 34. Addit etiam Peyrinus, extẽdi dictum privilegium ad omnes, & ſingulos Regulares tã viros, quàm fœminas ſubditas viris gaudentibus, aut cõmunicantibus in eo; & tandiu extendi, quandiu duret infirmitas impediens exitum è ſuis cubiculis. Nos ſuſpendimus cenſuram interim, dum non luſtramus oculis verba privilegij.

139 Diana animadvertit cum Lezana, & Barboſa, Sacram Congregationem ſub die 22. Auguſti anno 1605. declaraſſe, ne in Monialium infirmaria Sacrificium Miſſæ celebrari permittatur. Quæ declaratio neutiquam comprehendit Religioſorum infirmariam; & vi privilegiorum Societatis poſſet erigi altare in Religioſorum infirmaria, quæ ſic eſſet ædificata, vt ægroti audirent è ſuis lectulis Miſſam celebratam in Oratorio, aut Capella communi pro omnibus infirmis, ſicut fit in xenodochijs.

140 Poſt hæc ſcripta rogatus ſum ex parte Reverendiſsimi Prioris de Vcles Ordinis S. Iacobi, quid cẽſerem de privilegio altaris portatilis, quod Leo X. anno 1514. & 2. ſui Pontificatus, 6. Kal. Iunij conceſsit Domorum Prioribus, & Fratribus Monaſteriorum de Vcles, & S. Marci Legionenſis? Nam P. Andreas Mendo Diſquiſitione 12. de Ordinibus Militaribus quæſt. 11. n. 135. noviſsimè ſcripſit, illud non deſervire extra prędicta Monaſteria, ſiquidem non loquatur niſi de verſantibus intra ipſa. Reſpondi, debere attendi ad verba privilegij. Et cum ad me fuiſſet allatum authenticum tranſſumptũ, legi in eo hæc poſt habitum ſermonem ad Priores, & Fratres illorum Monaſteriorum, & poſt præmiſſam abſolutionem ab Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis ad effectum præſentis cũtaxat privilegij conſequendum, *Vt liceat illis, & vobis, qui eſtis, & fuerint pro tempore graduati Nobiles, vel Presbyteri, habere altare portatile cum debitis reuerentia, & honore, ſuper quo in locis, aliàs ad hoc congruentibus, & honeſtis, ſine iuris alieni præiudicio, & cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, etiam antequàm illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem; & ſi forſan, ad loca Eccleſiaſtico Interdicto ordinaria authoritate ſuppoſita vos declinare contigerit, in illis, ianuis clauſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce, excommunicatis, & interdictis prorſus excluſis, in veſtra, & cuiuslibet veſtrũ, ac familiarium veſtrorum domeſticorum præſentia, dummodò vos, vel illi cauſam non dederitis Interdicto, nec illud in vos, aut eos contigerit ſpecialiter emanare, per vos, vel per proprios, vel alios Sacerdotes idoneos, ita quod id vobis, & Sacerdotibus taliter celebrantibus ad culpam nequeat imputari, Miſſas, & alia Officia diuina celebrare, & celebrari facere poſsitis.* Sic ibi, omiſsis reliquis, quæ non ſunt huius loci, & quæ videri poſſunt apud Ioannem de la Cruz Libro 1. de ſtatu Religioſo Capite 6. dubio 12. Verſ. *In aliis tamen.*

Quibus

141 Quibus omnibus semel, & iterùm lectis, atentèque consideratis, censui, privilegium illud esse personale, & non alligatum degentibus intra Monasteria. Et quidem si solis Communitatibus de Veles, Sanctique Marci Legionensis concessum fuisset, non præcederet illa absolutio ab excõmunicatione, quę in Comunitatem lata non potest supponi; neq; item Pontifex adhiberet cautionem de locis aliàs congruentibus, honestisque, & de non parando prejudicio contra ius alienum, nõ enim prudenter timeri poterat præiudicium per celebrationem exercitam solummodò intra Monasteria, neque quòd intra ea eligeretur locus minus congruens, & honestus. Vlteriùs verba illa *Etsi forsan*, &c. continuata cum alijs de loco, & hora Missæ quàm clarè denotant, locum Missæ non esse limitatum ad terminos Conuentuum. Quapropter privilegium dirigitur ad singulos graduatos Nobiles, vel Presbyteros illorum Monasteriorum, vbicumque extiterint. Quæ concessio, etsi magna, sed non est singularis, vt nouit, qui legerit transcriptas à nobis in hac Sectione, & alias, de quibus Vrbanus V. anno 1363. Pontificat⁹ sui anno 2. in Bulla inchoata, *Sacræ vestræ*, data Cisterciensibus, Sixtus IV. anno 1476. & 6. sui Pontificatus in Bulla, quæ incipit, *Dum ad vniuersos*, data Canonicis Regularibus Lateranensibus, Iulius II. anno 1512. & 9. sui Põtificatus in Bulla, cui⁹ principium, *Inter cætera*, data Canonicis Regularibus, Clemens VII. anno 1530. Pontificatus sui anno 7. in Bulla, cuius exordium, *Ex clementi*, data Carmelitanis, & Confratribus ipsorum, Vrbanus VIII. anno 1626. Pontificatus sui anno 3. in Bulla, cuius initium, *Cum sicut*, data Fratribus Reformatis Discalceatis Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redẽptionis Captivorũ Congregationis Hispaniarum: vidiq; nuper ego originalem quandam factam à Pio II. vt inclytus heros Alfonsus de Quintanilla, vxorq; eius clarissima fœmina Domina Aldara de Lodeña, filiique ipsorum, ac descẽdentes possent facere celebrari coram se in quouis loco aliàs congruenti, & honesto. Quod privilegium nunc in vsu est nobilissimo Equiti Iacobæo D. Petro de Ribera, & Quintanilla Signifero Maiori Methymnæ Campi, originem splendidissimam, & Maioratum prędivitem trahenti ab eis, qui primitus obtinuerunt indultum.

142 Iam verò in eo alio Leonis X. quinã significentur nomine Nobilium graduatorũ? me latet. An Fratres NN. qui haberẽt Gradũ in litteris? Dubitarique potest, an sit revocatum per Cõcilium Tridentinum iuxta disputata paulò antèà? an item sit amissum per non vsum sine privativum, sine contrarium? Id quod esse ferè impossibile in privilegijs Regularium, probat Bruno Chassaing agens de eis in parte, & Tractatu 1. C. 5. propos. 1. & vniversim de omnibus privilegijs non redundantib⁹ in aliorum gravamen non amitti per alterutrum ex illis non vsibus, docet cum multis Castrus Palaus Tract. 3. D. 4. punct. 18. & 19. Neque desunt, qui mihi dicant, fuisse aliquibus in vsu prędictum priuilegium longè ante centum imo & 40. annos. Prætereà considerari debet, an ad eius vsum nunc temporis necessaria sit licentia Consilij Ordinũ Militarium, vt agentis vices Magistri Generalis (qui est Rex noster Catholicus) an sufficiat licentia Reverendissimi Prioris Conuentus de Veles, vel S. Marci Legionensis, vel an neutra sit requisita? Eo quòd neque in huiusmodi privilegio exprimatur (vt neq; approbatio, vsitatioq; Ordinarij) neq; aliũdè in Ordine S. Iacobi, opus sit licentia Maiorum, vt privati vtantur privilegijs concessis à Summo Põtifice. Quod an ita sit, necne? ignoro. Et hunc in modum respondi integrè ad propositã interrogationem.

SECTIO XI.

De priuilegio per Bullam Cruciatæ ad locum celebrationis.

143 PER Bullam Cruciatę, cõcessam Hispaniarum Regnis, Insulisque adiacentibus, & Sardiniæ, atque Siciliæ, videtur Dominico de Soto in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 3. V. *Iam verò*, Ferdinando de Castro Palao parte 4. Operis Moralis Tractatu 25. D. vnica punct. 6. num. 2. & 3. cum Henriquez, & Ioanne de Salas licitam esse celebrationem in priuato Oratorio

ad diuinum cultum tantùm deputato, visitando, & designando ab Ordinario. Nam in ea Bulla dicitur, *Conceditur, vt dicto* concessionis *anno durante, possint in Ecclesijs, in quibus aliàs diuina Officia, Interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in priuato Oratorio ad diuinum cultum tantùm deputato, ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore Interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominùs amoueatur: in sua, ac familiarium, & domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia diuina Officia per se ipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium celebrari facere, & tempore Interdicti diuinis interesse. Eis tamen, qui priuato Oratorio ad præmissa vti voluerint, vt quoties id fecerint, aliquas preces Deo pro vnione Principum Christianorum contra Infideles, eorundemque contra eosdem victoria fundere teneantur, imponitur. Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquàm in die Paschatis, recipere,* &c. Quibus verbis supponitur (aiunt præfati Authores) vsus licitus priuati Oratorij, in quo celebretur Missa, dummodò seruentur requisita, & conditiones appositæ in contextu. Vnde Sotus inquit absolutè, *Iam verò modò per Pontificum diplomata ratione Cruciatæ quibusuis cõcessum est, vt intra lares proprios Missas facere possint celebrari.*

144 Rogatus verò Castro Palao ✻ Quid operatur hoc Bullæ priuilegium, si expectanda est Episcopi approbatio, visitatio, & designatio? ✻ Respondet, ✻ Multùm operari. Primò, non esse opus licentia, & facultate Ordinarij, sed solùm illius designatione, seu approbatione, etiam absque necessitate vrgente, vti dicitur Capite Sicut non alij de Consecratione Dist. 1. Secundò, vt non requiratur approbatio Ordinarij illius loci; sed cuiuscumque Ordinarij approbatio sufficiat; sicuti in Confessore electo docent plures, approbationem cuiuscumque Ordinarij, siue loci, siue pœnitentis, siue Confessarij sufficere. Tertiò, & præcipuè operatur, vt Episcopus sit obligatus, & cogi possit, approbationem concedere, si locus decens est, & diuino cultui deputatus; idque indicant illa verba, Ab Ordinario visitando, & designando. Neque oportet, Oratorium anteà esse diuino cultui deputatum; sat est, per llam approbationem, & Episcopi designationem deputari, profana enim sacra fieri possunt. Quod si postmodùm profanis vsibus deseruiat, noua deputatione Ordinarij indigebit. ✻ Hactenus Castro Palao.

145 Contra cuius opinionem proponit Diana parte 9. Tract. 1. Resolutione 23. quoddam absurdum, notatum anteà à Soto, quin hic ideo neget, posse vi Bullæ haberi ad celebrationem Missæ Oratorium priuatum designatũ, visitatumque ab Ordinario. Nam post verba suprà exarata addit ✻ Atqui vbi aliqua necessitas incumberet, nihil irreuerentiæ tales concessiones haberent: At verò quod vniuersi citra delectum huiusmodi concessionibus vtãtur, re vera non potest non reverentiam sacrosancti Sacramenti denigrare, & quandam præseferre contemptus effigiem. ✻ Sic Sotus: à quo non credo damnari Pontificiam Oratorij concessionẽ indifferenter factam omnibus, sed optari, vt in vsu concessionis sit delectus: erit autem, si Ordinarius non designet Oratoria in priuatis domibus hominum mediocris facultatis, & possibilitatis, sortisque infimæ: vti etsi à Papa per Bullam concedatur facultas eligendi Confessarium, evitantur inconuenientia conditione appositа de Confessario, qui, etsi non sit proprius Sacerdos pœnitentis, nec habens ab illo delegatam iurisdictionem, sit tamen approbatus ab Ordinario. Et hoc pacto posset satisfieri absurdo proposito a Diana suprà, Trullench de Bulla Cruciatæ Lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 6. Mendo D. 16. C. 1. num. 6. Bardi parte, & Tract. 2. C. 6. sect. 1. num. 2.

146 Ego, attento tenore verborum Bullæ, censeo cum Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Dist. 8. dubio 2. puncto 3. num. 25. & 26. non carere fundamento opinionem Soti, & aliorum, quos adduximus. Sed post Decretum Vrbani VIII. nullus Episcopus, aut Ordinarius designabit Oratorium priuatum, vbi ex priuilegio Bullæ Sacrum fiat; & saltem non scio, designatum esse ab vllo in locis, vbi vixi. Dicet quis, habentes Bullam fore, vt possint celebrare, vel facere celebrari in Oratorio decenter ornato iuxtà requisita Rubricarum Missalis ad celebrationem; cuius Oratorij designationem neget sine causa Ordinarius. Respondetur primò,

primò, Ordinarium nō denegaturū ſine cauſa iuſta poſt Decretū Vrbani VIII. Deinde ad Oratorij deſignationem minimè ſufficere, quòd in domo privata detur altare cū ijs, quę à Rubricis Miſſalis poſtulantur ad celebrationem, ſed opus præterea eſſe, vt domus ſit decēs, etſi enim faber ferrarius, aut ſutor habens Bullam erigeret altare, ornaretq; conuenienter intra domū ſuam, non vacaret abſurditate approbatio Oratorij ad Miſſam intra lares proprios fabri ferrarij, aut ſutoris. Quare nō ſine cauſa iuſta Ordinarius non daret approbationē. Tertiò, approbationem Ordinarij eſſe conditionem neceſſariò requiſitam ad vſum Oratorij pro celebranda Miſſa vigore privilegij Bullæ, ideoque etſi iniuſtè denegetur ea approbatio, non licere illum vſum. Ita vltra Mendum ſupra Bardi, & Pellizarius apud Dianā Reſol. 10 quanquam contradicat Ludovicus de la Cruz adductus ab eodem ibi, & parte 5. Tract. 10. Reſolut. 76. probabilemque eſſe partem hanc fatentur Garcia, Lezana, & Quintanaduenas, necnon Thomas Tamburinus Lib. 1. de Miſſa C. 4. §. 4. num. 15. ſi deſit, qui poſsit cogere Ordinariū ad approbationem, aut ſi à coactatione procurāda per litis moleſtias, & expenſas velit deſiſtere privilegiatus.

147 Contendit etiam Bardi, vt & Mendus, deſignationem Oratorij non valituram, niſi fiat ab Ordinario loci. Sed alij Authores citati ab eodem Diana Reſol. 26. ſatis probabiliter docent, ſufficere, ſi à quocumque Ordinario fiat, nam Bulla ponit indefinitè Ordinarium, & non determinatè, qui ſit loci, ſicut ſolet nunc poni in Brevibus Pontificijs pro Oratorijs in domib⁹ privatis virorum nobilium. Favet verò maximè paritas Ordinarij approbaturi ad confeſsiones vi Bullę, qui non debet eſſe loci, vt fert communis ſententia, ſed poteſt eſſe vel loci, vel pœnitentis, vel Confeſſarij, eò quòd in Bulla ponatur indefinitè Ordinarius.

148 Dicet quis iterùm, Pontificem ſexennio concedere Bullam, in qua continetur privilegium Oratorij, quin ob Decretum de Oratorij licentia Sedi Apoſtolicæ reſervata mutarit Vrbanus VIII. aut Innocentius X. aut Alexander VII. (qui nunc ad clavum Eccleſiæ ſedet; ſedeatque diu!) antiqua verba Bullæ, ſed potiùs retinuerit eadem omnino in Bullis poſt Decretum illud conceſsis. Ergo putandum eſt, renalidare privilegium Oratorij reſpectu ſumentium Bullam, non obſtante Decreto illo. Reſpondeo, eſſe inefficax hoc argumentum, vt alibi oſtendam ſatisfaciens ſimili alij, quo aliqui conantur perſuadere, Bullā prodeſſe, vt Regulares poſsint abſolui à reſeruatis peccatis per quemcumque Confeſſarium à ſe electum ex legitimè approbatis ab Ordinario, nón obſtantibus Pontificum Declarationibus editis, quòd nec fuit, nec eſt, nec erit ex intentione Sedis Apoſtolicæ comprehendere Regulares, vt vi Bullæ Cruciatæ abſolvi queant à reſeruatis per quemlibet Confeſſariū ab Ordinario approbatum.

149 Tandem noſtra ſententia confirmatur Declaratione quadam Sacrę Congregationis Concilij facta anno 1648. die 14. Nouembris, vt tradit Diana Reſol. 5. qui teſtatur, ſtatutum eſſe ab ea Sacra Congregatione, *Priuilegium Bullæ Cruciatæ non ſuffragari pro huiuſmodi Oratorijs, & altaribus, ac Miſſarū celebratione.* Ita ex Diana. Sed non refert formalia Declarationis verba; neq; authenticè (quod ſciam) conſtat de tali Declaratione.

150 Quoad Commiſſarium Bullæ Cruciatæ aſſerit Alfonſus Perez de Lara in L. trium gratiarum, poſſe dare facultatem priuati Oratorij ad Miſſam, quanquam viſitandi prius, & deſignandi ab Ordinario. Cęterùm hęc poteſtas non legitur in litteris Bullæ, quæ publicatur, nec de hodierno eius vſu exemplum aliquod mihi compertum eſt. Sed credendum erit Commiſſario, ſi poſt Decretum Vrbani VIII. concedat facultatem illam. Videantur Diana Reſol. 24. Valerius in Differētijs vtriuſq; Iuris Verb. *Miſſa*, Differētia 2. §. *Secundò fallit*, Trullench in Bullā Cruciatæ Lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 8. Lib. 2. §. 5. num. 7. Mendus D. 37. C. 15. Bardi parte, & Tract. 2. C. 6. ſect. 1. numero 2. Quintanaduenas tomo 1. Tract. 7. Singulari 33. n. 7. Noteturq; contra Thomam Hurtadum parte poſteriori Reſolutionum Moralium Tract. 12. C. 1. in Digreſsione quadam num. 2240. poteſtatem illam Comiſſarij neutiquam contineri in verbis Bullæ communis ſupra tranſcriptis, nam

verba

verba illa nullam faciunt mentionem licentiæ dandæ à Commiſſario; & alioquì omnibus accipientibus Bullam cõcederet eo ipſo Commiſſarius talem licentiam. Quare ex falſo principio argumentatur ibi Thomas Hurtadus, vt poſsint Epiſcopi ex vi Bullæ deſignare, & approbare Oratoria ad Miſſæ celebrationem in ædibus privatis.

151 Verùm enimverò quamuis ex privilegio Bullæ nequeat haberi in domibus privatis Oratorium ad Miſſam celebrandam, nihilominus ſunt aliqui caſus, in quibus iuxta probabiles Authorum opiniones prodeſſe valeat in ordine ad Miſſæ celebrationem, aut auditionem Bullæ Cruciatæ ijs, qui vltra hanc Bullam gaudeant Pontificio Oratorij privilegio. Et in primis cum Pontifex concedens licentiam Oratorij ad Miſſam ſoleat excipere iuxta Caput *Siquis etiam* 35. de Conſecratione Diſt. 1. aliquando ſolemniora feſta, quo nomine intelliguntur Natalis Domini, Paſcha, Pentecoſtes, Epiphania, Annũciatio, & Aſſumptio B. Virginis, feſtũ SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, necnon omnium Sanctorum iuxta Declarationem Cardinalium apud Gavantum in Rub. Miſ. parte 1. tit. 20. pag. 78. aliquando excipiat expreſsè dies Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; cum item in diebus exceptis à Pontifice non ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam, ſi hæc audiatur in Oratorio, cuius licentiam præſtitit Papa, vt contra Homobonum obſervant Marchinus Tract. & parte 3. de Ordine C. 9. numero 10. Tamburinus ſupra num. 34. Diana Reſolutione 13. confirmaturque à paritate audientis Miſſam die feſto in loco interdicto, & communicantis tempore Paſchatis extra Parochiam ſine licentia Parochi, qui non ſatisfaciunt præceptis Eccleſiæ de auditione Miſſæ, & communione in Paſchate: quo de puncto recurret ſermo in Diſput. 30. Cum, inquam, hæc ita ſint, quæritur, an qui ſimul cum Oratorij privilegio excipiente dies illos habet Bullam Cruciatæ, adimpleat præceptum audiẽdi Miſſam, ſi diebus illis audiat eam in Oratorio?

152 Reſpondeo, adimplere, niſi obſtet Declaratio Sacræ Congregationis Concilij ſupra memorata; ſed forte ea tantùm dirigitur ad punctum, in cuius confirmationem à nobis eſt adducta. Ratio reſponſi eſt, quia per Cruciatæ Bullam licet celebrare, vel facere celebrari quouis die, & nullo etiam è ſolemnioribus excepto, in Oratorio privato ad divinum cultum tantùm deputato, & viſitato, deſignatoq; ab Ordinario. Ergo obtenta ſemel a Pontifice facultate Oratorij privati, & à loci Ordinario viſitatione, & approbatione, fas erit per Bullam Cruciatæ celebrare, vel facere celebrari in eo Oratorio diebus illis, aliàs exceptis, proindeque ſatisfiet ibi præcepto audiendi Sacrum.

153 Simili ratione, etſi in indulto Pontificio Oratorij concedatur licẽtia ad ſemel tantũ in eo celebrandũ, vel ad faciendũ ſemel tantũ in eo celebrari die feſto, fas erit (ni obſtet Cardin. Declaratio ſuperior) habenti Cruciatæ Bullam celebrare, vel facere celebrari die feſto toties, quoties voluerit in eo Oratorio, ſiquidem Bulla non limitet facultatem ad vnam dumtaxat Miſſam qualibet die celebrandam, vel faciendã celebrari.

154 Rurſus cum in indulto particulari Oratorij ſoleat Summus Pontifex apponere clauſulam hanc, *Volumus, vt familiares ſeruitijs tuis non neceſſarij, præter ſupra dictos, ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur*, ideoque alij præter familiares neceſſarios ſervitio perſonæ, cui indultum conceditur, vt ſunt, qui honoris cauſa, & abſque onere ſeruiendi comitantur Magnatem aliquem, non ſatisfaciant præcepto audiendi Sacrum die feſto, ſi tali die audiant in Oratorio privilegiati, provt contra Pellizarium num. 151. inferunt Diana Reſol. 3. & Thomas Tamburinus n. 35. nec enim ſcribitur clauſula illa præcisè obritum antiquum audiendi Miſſam die feſto in Parochia propria, qui ritus abrogatus iam eſt contraria conſuetudine; ſed ponitur illa clauſula ex Pontificis intentione, quam præſeferunt verba, & vt nunc ſortiatur effectum, quatenus ab exceptis aſsiſtendum ſit Sacro in Parochia propria, vel aliena, vel in Eccleſia Regularium, vel in Oratorio privato ob facultatem Bullæ Cruciatæ; idque vltimum eſt, quod quæritur, ſcilicet an excepti adimpleant præceptum, ſi audiant Miſſam in Oratorio privato ex privilegio

uilegio Bullæ Cruciatæ, quanquam non ex vigore indulti alterius Pontificij.

155 Diana Resol. 3. V. *Secus autem*, videtur respõdere, quemcumq; audientem Sacrum die festo in Oratorio, virtute Bullæ Cruciatæ, quam habeat alius, quem comitetur, seu in cuius præsentia audiat, satisfacere præcepto. Sed forsan non loquitur nisi de familiaribus, domesticis, & consanguineis, de quibus est etiam sermo in Bulla Cruciatæ neutiquam limitante priuilegium audiendi Sacrum vnà cum habente ipsam ad familiares seruitio necessarios, vti restringit indultum particulare Pontificium Oratorij, nam vt cæteri præter familiares, domesticos, & consanguineos, possint die festo assistere Missæ, quin teneantur assistere alibi, vt adimpleant præceptum, omni careret fundamento in Bullæ Cruciatæ verbis.

156 Limitatio alterius indulti Pontificij de Oratorio imitatur eam, quæ extat in C. *Licet vobis* 11. de Privilegijs in 6. vbi habenti privilegium celebrandi vel audiendi divina tempore Interdicti conceditur, vt deferat secum familiares domesticos, qui ipsum comitari solent prodeuntẽ ad Ecclesiam. Et privilegium Bullæ Cruciatæ addit etiam consanguineos, videturque distinguere inter familiares, & domesticos, quia non dicit *Familiares domesticos*, vt C. *Licet vobis*; sed *Familiares, & domesticos*, quasi denotans non tantùm familiares, qui commorentur intra domum habentis Bullam, sed etiam alios, qui extra, sustentati tamen sumptibus eius ob obsequia, & servitia erga eum exhibita. Sed Bulla Hispanè reddita nomen *Domesticorum* subticet. Per *Consanguineos* autem intelliguntur omnes tam ascendentes, quàm descendentes, & collaterales vsque ad gradum quartum, tametsi non habitent in eadem domo cum privilegiato; rursus à nonnullis intelliguntur non solùm coniuges, sed & omnes affines vsque ad dictum gradum: quæ intelligentia quoad affines ampliat nimis nomen *Consanguineorum*, seu potiùs extrahit à propria significatione, & quoad coniuges laxat non nihil; sed tolerari potest, cum sint duo in carne vna. In Bulla Hispanè reddita vocantur *Parientes*, quæ vox communis est consanguineis, & affinibus; nisi restringenda sit ad solos priores iuxta Latinum exemplar, vt volunt plerique; quanuis Bardi parte, & Tract. 2. in Bullam Cruciatæ Cap. 3. sect. 4. proponat efficacia admodùm argumenta, quæ, si authoritas extrinseca non desideraretur, movere valerent, vt censeretur extendi ex præsumpta voluntate Pontificis ad posteriores. Iam verò per *Familiares, & Domesticos* intelliguntur omnes illi, qui sub habentis Bullam potestate patria, vel dominativa degunt; proinde filij, nepotes, servi, famuli tam intra, quàm extra domum domini, sed expensis, sumptibusq; illius viventes; vxor comparatione viri, & vir comparatione vxoris comprehenduntur, quia verè; & in rigore hi ad familiam pertinent, & domestici sunt, si vivant in eadem domo, tametsi dominum non soleant omnes comitari, vt peritè docet Castro Palao Tract. 25. Disput. vnica, puncto 6. num. 6. & 8. Notatque contra Pellizarium numero 149. & contra Tamburinum num. 31. Diana Resol. 6. nomine familiæ venire non posse filij vxorem, filiæ virum, fororis, aut fratris coniugem habentes propriam mẽsam, redditus, & famulos, ac suis expẽsis viventes, etsi habitent in eadem domo, sintque proinde materialiter domestici, cum illo, qui gaudet privilegio Oratorij. Refert ibidem Diana ex Molfesio ❧ Si licentia Oratorij concederetur alicui mulieri nobili, ac viduę, & sic de alijs; & in eodem Palatio, in diversis tamen habitationibus, seu apartamentis eius mater habitaret, quæ simul cum filia egredi soleat ad Missã, non tamen esset de eadem mensa cum filia; posset simul cum filia audire Missam in dicto Oratorio privato, quia largiori modo censetur de familia pro honesta custodia filiæ. Si enim mater causa custodiendi filias excusatur ab audiẽdo Sacro, eò magis cõprehẽditur in hac licentia concessa filiabus, & ita resolutum fuit per doctos viros. ❧ Diana relinquit id Lectori iudicandum. Ego quidem iudico, matrem in hoc casu nõ comprehendi sub nomine familiaris, & domesticæ, sed consanguineæ. Præterea iudico, si ad honestam custodiam filiæ opus esset, ne mater domo discederet ad audiendum Sacrum, posse tunc illud audire in Oratorio filiæ, & satisfacere

facere præcepto, tametſi in licentia Oratorij non exprimerentur conſanguinei, ſed ſolùm familiares, & domeſtici. Ratio Molfeſij vrget in circumſtantia dicta, non autem, quando ad honeſtam cuſtodiam filiæ non eſſet neceſſarium latus matris. Villalobos apud Dianam Reſol. 28. excludit à numero familiarium, & domeſticorum ancillam, & manuductorem vernacula lingua Caſtellana, *Criada, y Eſcudero Domingueros*; qui ſunt cõducti, vt ſolis diebus feſtis aſſocient dominam foràs prodeuntem. Sed videtur reſtringere nimiùm familiarium, & domeſticorum vocem; ſecus eſſet de fœmina, quæ ſolo titulo amicitiæ aliam comitaretur, & de viro, qui cauſa tantũ vrbanitatis, vel qui in fraudem aſſumeretur ad comitatum ſine vllo ſalario.

157 Ex quibus abundè patet, familiares non neceſſarios ſervitio domini gaudentis particulari indulto Oratorij ſatisfacturos ibi præcepto audiendi Sacrum, ſi dominus ſimul fruatur privilegio Bullæ, dummodò non obſit Cardinalium Declaratio prædicta.

158 Adverto, debere eos, qui virtute Bullæ Cruciatæ ſatisfaciunt præcepto audiendi Sacrum per aſsiſtẽtiam in Oratorio, vbi illud celebratur, debere, inquam, preces Deo fundere pro vnione Principum Chriſtianorum contra Infideles, eorundemque contra eoſdem victoria: quæ obligatio conſtat ex verbis Bullæ ſupra exaratis; ſed non eſt gravis, ſeu non eſt ſub pœna peccati mortalis, niſi tantùm venialis; nec eius omiſsio redderet irritum effectum privilegij; non enim aſsignatur eiuſmodi obligatio tanquam conditio neceſſariò requiſita, ſed tanquam modus adiectus actui perfecto; ſecus eſt, quòd fruiturus privilegio Bullæ in ordine ad Miſſæ auditionem non dederit cauſam Interdicto, vel per ipſum non ſteterit, quominus amoveatur. Preces poſſunt eſſe vel vocales, vel mentales; & quantumcumque breves ſufficiunt.

159 Tertiò cum iuxta Covarruviam in C. *Alma mater* parte 2. §. 4. num. 2. Thomam Sanchez Lib. 7. de Matrimonio D. 8. num. 13. Gaſparem Hurtadum Diſſ. 7. de Interdicto, alioſque multos, non liceat celebrare tempore Interdicti localis generalis in Oratorio, ſed in Eccleſijs, & Monaſterijs; ſervata moderatione C. *Alma mater* 24. de Sententia excommunicationis in 6. proindeque tunc fas non ſit celebrare in Oratorio conceſſo ex indulto particulari Pontificio, niſi Pontifex expreſsè id permittat, quæritur, num liceat, ſi ſimul habeatur Bulla Cruciatæ? Reſpondeo, licere, quia per Bullam Cruciatæ indulgetur, vt tempore Interdicti localis generalis celebretur, vel celebrari fiat in Oratorio privato non interdicto ſpecialiter. Imò aliqui coarctant ad ſolum tempus Interdicti facultatẽ Bullæ Cruciatæ in ordine ad Miſſam. Sed hæc opinio antiquata iam eſt, & ex Summario Latino Bullæ refellitur ſatis efficaciter, ibi enim dicitur, *Etiam tempore Interdicti*; quę dictio *Etiã*, & dictio *Aun* reſpondens ei in Summario Hiſpano eſt implicativa, & augmẽtativa, indicatque manifeſtè, licere tẽpore alio minus prohibito Eccleſiaſticis legibus.

160 Quæres obiter, an tempore Interdicti celebrans ex privilegio Bullę Cruciatę in privato Oratorio valeat licitè aſsumere, vt Miſſæ inſeruiat, Miniſtrum Laicum non habentem Cruciatæ Bullam, ſi ad manum ſit Miniſter Clericus iure communi privilegiatus, aut Laicus habens Bullam? Dico, poſſe licitè pro libito quemcumque aſsumere, tum quia conceſſo principali conceditur & acceſſorium, præſertim neceſſarium, qualis eſt Miniſter reſpectu Miſſæ: tum quia privilegium Bullę debet eſſe per ſe efficax, & transfundere efficaciam in privilegiati ſocium, quin dependeat ab accidentali circumſtantia inueniendi Miniſtrum, qui aliàs ſit etiam privilegiatus. Legeſis Dianã Reſolutione 27. & quæ nos ſcripſimus in D. 14. num. 20.

161 Denique cum ex virtute particularis indulti Pontificij conceſsi viro nobili, vt ad Miſſam habeat Oratorium in domo propria, non ſatisfaciat illẽ præcepto, ſi aſsiſtat Miſſæ die feſto in Oratorio alterius viri nobilis ſimiliter privilegiati, quæritur, vtrum ſaltẽ ſatisfaciat caſu, quo potiatur privilegio Bullę Cruciatæ? Reſpondeo affirmatiuè, nã Oratorium, in quo virtute Bullæ ſatisfiat præcepto, non debet eſſe proprium; ſed vel proprium, vel alienum ſufficit, ſiquidem verba Bullæ limitanda

mitanda non sunt ad Oratorium propriũ absque sufficienti ratione; quę hic non apparet. Ita Diana Resol. 14. cum Nostro Bardi parte; & Tract. 2. in Bullam Cruciatæ C. 6. sect. 2. num. 23.

162 Omnia, quæ dixi de vtilitate Bullæ Cruciatæ ad Missæ auditionem, aut celebrationem in Oratorijs privatis, volo, vt salva sint, nisi repugnent Eminentissimorum Cardinalium apud Dianam Resol. 5. & 35. Declarationi, quæ authentica sit, de quo mihi non constat. Addit Diana in posteriori loco, eosdem Eminentissimos Cardinales pariter declarasse, opus esse Pontificio indulto; vt Missa celebretur in Capella, etiam quæ existat in aula publica Palatij Ciuitatis; non autem vt celebretur in Capella carcerum publicorum: declarasse præterea, posse Ordinarium procedere ad pœnas vsque censurarum contra Sacerdotes tam Sæculares; quàm Regulares peragentes Sacrum in Capellis, quibus non suffragatur indultum Pontificum particulare.

SECTIO XII.

De priuilegio per Breue Pontificium ad celebrationem in Oratorio priuato Sæcularium.

163 IN præcedentibus attigimus non pauca pertinentia ad Breue, quo solet Summus Pontifex cõcedere celebrationem in priuatæ domus Oratorio. Restant multa alia dicenda. Et quidem huiusmodi indultum solet concedere priuilegiato, vt celebretur in sui, & familiæ sue præsẽtia; habetque Bulla Cruciatæ eundem concessionis modum: & olim in Concilio Agathensi Can. 21. relato Cap. *Si quis etiam* 35. de Cons. Dist. 1. permissum fuit propter euitandam fatigationem familiæ, vt qui haberet Oratoriũ in agro, audiret ibi Missam. Sed nõ ideo opus est, adesse dominum, vt eius familia, aut aliquis ex ea audiat Missam in priuato Oratorio domini, sicut neque è contrario opus est, adesse familiam, aut aliquem ex ea, vt dominus ibidem Missam audiat. Etsi enim priuilegium factum familiæ sit in gratiam domini, tamen nihil cogit, vt restringatur, quatenus familia non possit illo frui, nisi in præsentia domini. Particula *Et*, aut *Ac* non semper est copulatiua; sed potest esse disiunctiua.

164 Inquies, Iure communi nequeunt familiares domestici assistere Missę tempore Interdicti, si absit dominus priuilegiatus. Ergo nec poterũt virtute Bullæ Cruciatæ tempore saltẽ Interdicti, si absit dominus, qui solus habeat Bullam. Respondeo, constare Antecedens ex Cap. *Licet vobis* 11. de Priuilegijs in 6. ibi: *Cum conceditur singulari personæ, vt, modo præmisso, tempore Interdicti celebrare valeat, vel audire diuina, eius familiares domestici ad audiendum cum ea, & celebrandum sibi diuinum Officiũ licitè admittuntur.* Expendantur accuratè verba illa *Ad audiendum cum ea*: Ast Bulla Cruciatæ non sic loquitur: Vnde satis probabiliter negatur Consequentia, maximè cum priuilegium Bullæ, ne inutile sit, debeat operari aliquid vltra ius commune. Addo, in C. *Licet vobis* permitti familiaribus domesticis præsentiam ad Sacrum in gratiam domini, & ob eius comitatum; quando exit domo ob Missam audiendam, & ad domum redit post Missam audiẽdam. Quæ ratio non militat in priuilegio Bullæ Cruciatæ ad Missam audiẽdam tempore Interdicti in Oratorio priuato domestico. Probabile est iudicio Tamburini num. 39. quod diximus cum Castro Palao Tract. 25. D. vnica, punct. 6. n. 9. vbi refert Ioannem de Salas, item cũ Auersa quæst. 11. de Eucharistia sect. 14. V. *Septimò*, Quintanaduenas tomo 1. Tract. 7. Singulari 32. num. 7. Pellizario num. 149. Ludouico de Cruce, Diana, & alijs.

165 Sed multò probabilius, posse dominum, qui in Oratorio audiuit vnam Missam, facere, vt ibidem celebretur alia, quam ipse audiat simul cum familiaribus domesticis, & in gratiam eorum, quia priori non interfuerunt. Id intelligendum est, nisi indultum Oratorij limitet licentiam ad vnã tantùm Missam singulis diebus, vti solet limitare indultum particulare Pontificium, cui si non pareatur, & vltra vnam Missam celebrentur aliæ, aut vna in die excepto per ipsum indultũ, peccabitur per se graviter, vt colligitur ex dictis in num. 8. huius Disp. docentque

Pellizarius

Pellizarius in num. 155. & Tamburin⁹ in num. 19. quanquam Quintanadueñas ſupra num. 6. dicat, poſſe ex gravi cauſa celebrari duas Miſſas; qualis cauſa eſſet, ſi dominus Oratorij non audiſſet priorem. Quod an ſit probabile? dubito vehementer. Verumtamen ſi priuilegiatus gaudeat ſimul conceſsione Bullæ Cruciatę, tractavimus ſupra, an liceat in hoc caſu facere, vt celebrentur plures Miſſæ eodem die, aut vna in die excepto.

166 Inquies rurſus, mortuo domino, cui conceſſum eſt indultum Oratorij, non licet familiaribus domeſticis facere, vt coram ipſis Sacrum peragatur in Oratorio. Ergo nec abſente domino. Inficior Conſequentiam, cōceſſo Antecedenti. Ratio diſcriminis eſt duplex, altera, quòd, decedente domino, deſinunt alij eſſe de eius familia, ſeu amplius iam non ſunt eius familiares domeſtici: altera, quòd illud Indultum eſt perſonale privilegium; de cuiꝰ ratione eſt, vt finiatur morte perſonæ privilegiatæ, niſi verba privilegij talia ſint, vt denotent tranſmiſsionem ad poſteros, aut ad eos, qui fuerunt de familia perſonæ principaliter privilegiatæ. Talia non ſunt hæc in indulto Oratorij, *Ac de ipſius Ordinarij licentia, eius arbitrio duraturâ*, vt contra Pellizarium num. 153. benè probant Diana Reſolut. 17. & Tamburinus num. 17. Quippe hæc verba interpretanda ſunt, quandiu ſcilicet ſuperſtes ſit dominus, qui obtinuit Oratorij indultum. Nec iſta interpretatio eſt ſtricta; & quanquam foret, caderet appoſitè in Oratorij privilegium, vtpote oppoſitum Iuri communi. Similiter ſi indultum concedatur perſonæ matris, quāquam cum expreſſione, vt, matre abſente è domo, liceat filię facere, vt celebretur in Oratorio, dicendum eſt, moriente matre, exſpirare privilegium, vt notat idem Diana contra eundem Pellizarium ibidem: qui magis probabiliter in ſpeciem diſcurrit in ſecundo hoc caſu, quàm in primo illo.

167 Quando dominus gaudens Oratorij indulto mutat habitationem ex vna Civitate in aliam, nō ideo amittit privilegium Oratorij, etſi in indulto exprimatur nomen Civitatis, in qua morabatur dominus tempore adepti indulti. Ita Quintanadueñas tomo 1. Tractatu 7. Singulari 31. Pellizarius num. 151. Tamburinus num. 2. Auerſa q. 11 ſect. 14. V. *Sexto*, alijque, quia huiuſmodi privilegium eſt perſonale, proindeque ſequitur perſonam, vbicumque ipſa ſit; & quia privilegium tandiu manet, quandiu perſeverat cauſa conceſſionis, etſi mutentur aliæ circumſtantiæ; habitatio autem in tali Civitate non eſt cauſa indulti pro Oratorio; ſed circumſtantia valdè accidentalis. Quòd verò nominetur talis Civitas, pertinet ad demonſtrationem, & non ad diſpoſitionem, neq; ad taxationem, ſeu limitationem.

168 Dices, ſi indultum Oratorij ſequitur perſonam, ergo dominus habens domum in Civitate, & etiam in rure, poterit vtrobique eodem tempore habere duo Oratoria ad Miſſam. Sed negandum id eſt cum Diana Reſol. 22. & cum Bardi contra Paſqualigum citatum ab eodem Diana parte 11. Tractatu 5. Reſol. 34. nam conceſsio tantùm eſt ad vnum Oratorium eodem tempore; vnumque, & non duo ſequuntur perſonam, niſi in indulti verbis explicetur. Sed probabile videtur, ſi dominus dimidia parte anni habitet in Civitate, & altera dimidia parte in villa, poſſe, non eodem tempore, ſed diverſo erigere Oratorium ad Miſſam in Civitate, & in villa, ita vt quo tempore anni ſit vſus Oratorij vnius, non ſit alterius, tunc enim perinde reputandum videtur, ac ſi de vna Civitate mutaret habitationem in aliam, vel de vno vico in alium eiuſdem Civitatis.

169 Et noto, opus eſſe nova Ordinarij viſitatione, & approbatione, ſi Oratorij locus, & ornatus diverſi ſint; imò ſi vel locus tantùm intra eandem etiam domum, iudice P. Thoma Tamburino num. 7. vel ornatus tantùm ſit diverſus; non tamen ſi ornatus viſitatus, & approbatus in vno Oratorio trāſferatur ad aliud Oratorium, cuius locꝰ viſitatus ſit, atque approbatus. Cum dico, diverſitatem ornatus requirere novam viſitationem, & approbationē, non loquor de diverſitate vnius, vel alterius paramenti, ſi ſubſtitutum de nouo ſit non minꝰ decens, quàm antiquū. Loquor itaque de diverſitate, quæ approbationem redderet difficilem, vel omnino impediret. Et addo, indigere nova approbatione eundemmet locum, qui

qui rediturus esset ad vsum sacrum ex profano, & communi, in quem fuisset conuersus. Sic Tamburinus supra num. 10.

170 Si indultum Oratorij contineat clausulam, ne festis solemnioribus ibi celebretur, intelliguntur nomine festorum solemniorum ea, quæ recensui in num. 151. ex quadam Cardinalium Declaratione. In festis verò, quæ tribus, aut quatuor diebus celebrantur, intelligitur primus tantùm dies, vt in Christi Natali, Paschate, Pentecoste. Ita Diana Resol. 13. cum alijs. Cæterùm, si abstrahere liceret à præfata Cardinalium Declaratione, posset alicui videri iuxta C. *Alma mater* 24. de Sententia Excommunicationis in 6. solemniores festiuitates esse solummodò Natale Domini, Paschæ, Pentecosten, & Assumptionem Virginis gloriosæ; eòque magis videri posset, quod in indulto Oratorij exceptio dierum, vtpote odiosa, restringenda sit, & non amplianda. Quæ ratio facit etiam, vt per Natalis Domini, Paschatis, & Pentecostes festivitates non veniant intelligendi quatuor, aut tres dies harum festivitatum singillatim, sed primus tantùm dies; quod est valde probabile; præsertim cum in C. *Alma mater* sit etiã probabile. Et quanuis post Sotum in 4. Dist. 22. quæst. 3. art. 1. Conclus. 4. non pauci Authores asserant, intelligi tres illos, aut quatuor dies, adest manifesta disparitas, cum in eo C. sit extensio versans circa materiam favorabilem.

171 Quando per indultum Oratorij conceditur, vt celebrari possit in hospitum nobilium præsentia, intelliguntur hospites exteri aduenientes ex alio loco, vbi habitant, non autem hospites degentes in eodem Oppido, vbi existit Oratorium, quanuis sint inuitati ad prandium. Sic Diana Resol. 6. contra Pellizarium num. 150. subscriptum à Thoma Tamburino numero 33. qui non prorsus improbabiliter opinati sunt, si quidem posteriores isti soleant communiter, & propriè dici etiam hospites.

172 Si in indulto Oratorij legatur hæc clausula, *Sine quorumcumque iurium Parochialium præiudicio*, accipi debet de præiudicio in iuribus Parochialibus, quæ salva possint manere simul cum vigore concessionis factæ. Vnde quia hæc stare potest cum iure Parochiali, vt tempore Paschatis suscipiatur Eucharistia in Parochia, vel, si alibi, sed de licentia Parochi, debet sic ad vsum reuocari, vt non afferat præiudicium præfato iuri Parochiali. Idem puta de alijs similibus iuribus Parochialibus, vt dare pacem, denunciare festa, ieiunia, matrimonia, censuras; petere, vel accipere publicam eleemosynam, seu offerendam (Hispanè *Ofrenda*) primitias, decimas. Videantur Diana Resolut. 15. Emmanuel Rodriguez tomo 2. Regularium quæstionum in 76. art. 1. ad finem. Sunt, qui inter iura Parochialia numerant administrationem Sacramentorum; atque adeò dicunt, prohiberi in ea clausula collationem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; fatentur tamẽ, haberi tacitam, vel præsumptam licentiam eius, qui legitimè potest concedere expressam. Ita Pellizarius numero 147. Tamburinus num. 25.

173 Moris est, vt in Oratorij indulto dicat Papa, Missam celebrari posse per quemcumque Sacerdotem Sęcularem approbatum ab Ordinario, seu de Superiorum suorum licentia Regularem. Hæc autem licentia respectu tum Sæcularis, tum Regularis sufficit tacita, vel præsumpta celebrandi in Oratorio priuato viri Sæcularis; imò sufficit generalis licentia, & approbatio Missam celebrandi, quando Superiores non adhibent expressam exceptionem. Et huius opinionis est Diana Resolut. 16. cum Pellizario num. 146.

174 Sacerdos, qui ex priuilegio Bullæ Cruciatæ celebret in Oratorio priuato, ad quod aliàs detur legitima facultas, non videtur debere esse approbatus, nam in Bulla nõ fit vlla mẽtio approbationis respectu Sacerdotis celebrantis vel ex eo, quòd ipse fruatur priuilegio Bullę, vel alter, in cuius gratiam peragit Sacrum. Ac sanè cum admodùm probabile sit, per Bullam Cruciatæ dari facultatem, vt à quolibet Sacerdote simplici recipiatur Eucharistia siue in Ecclesia, siue in Oratorio; quæ est opinio Gabrielis Vazquez Disp. 219 C. 5. num. 47. Castti Palai Tract. 25. Disp. vnica, puncto 6. num. 15. Ochagaviæ Tract 3. de Ministro Euch. q. 4. n. 16. Filliuci tom. 1. Tract. 4. C. 9. n. 263. aliorumq; apud Dianam p. 1. Tra-

ctatu 11. Reſol. 20. parte 9. Tractatu 1. Reſol. 9. probabilius multò erit, poſſe celebrari à quolibet ſimplici Sacerdote, ſiquidem minus exigatur licentia, & approbatio ad celebrandum, quàm ad Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrandū.

175 Quo loci moneo, non excipi per Bullam Cruciatæ celebrationē Miſſæ die Paſchatis in Oratorio, vt aliqui ſine ſufficienti fundamento iudicarunt; ſed excipi receptionē, ſeu adminiſtrationem Euchariſtiæ die illo, ordinatam ad id, vt recipiens ſatisfaciat præcepto Eccleſiaſtico de communione Paſchali. Quare receptio ex deuotione non excipitur aliquo die Paſchatis, ſi in alio adimpletum fuit præceptum, aut adimplendum erit; in alio, inquam, ex quindecim diebus à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis, vtrinque incluſiuè: quod totum temporis ſpatium ſignificatur per diem Paſchatis, & per Paſcha, cum ſermo eſt de communione Paſchali; & nonnullis in Diœceſibus maius adhuc. Ex monitione nunc data infertur contra Patrem Thomam Tamburinum numero 26. non permitti toties communionem eorum, qui Miſſæ interſunt, quoties conceditur, vt poſsint intereſſe. Mouit Tamburinum, quòd cōmunio præſentium pertineat quadantenus ad Miſſam. Sed motiuum fuit inefficax; alioqui qui poſt ſemel receptam Euchariſtiam adeſt Miſſæ, poſſet iteratò accedere ad communionem eodem die.

176 Adhęc; queūt Regulares in Oratorijs Sæcularium miniſtrare Euchariſtiā, etiāſi prohibeat Epiſcopus. Ita Diana cum multis parte, & Tract 4. Reſol. 14. parte 9. Tract. 1. Reſol. 8. Franciſcus de Lugo L. 1. C. 6 q. 5. n. 38. Pellizari ſupra, n. 147. Chaſſaing p. 2. de privilegijs Regul. Tract. 8. Cap. & propoſ. 1. Moronus latiſsimè in 99. ex 100 Reſponſis Moralibus, Paſqualigus in Doctrina Morali ſacra Diſp. 108. S. 12. num. 55. Quintanaduenas tomo 1. Tract. 7. Singul. 33. num. 8. quia Regularibus conceſſa à Summis Pontificibus privilegia celebrandi, & miniſtrādi Euchariſtiam extra ſuas Eccleſias nō excipiunt Oratoria ędium priuatarum. Ea autem privilegia, tam ante, quàm poſt Tridentinum Concilium edita, nec ſunt reuocata à Summis Pontificibus, nec antiquata per non vſum centum annorum (quin potiùs videmus dedupi in vſum, & quanuis hic deficeret, non ideo illa caſſa eſſent, vt infertur ex numero 142.) nec per Epiſcopos derogari valeant, ſiquidem ſint inferiores Summis Pontificibus, qui conceſſerunt illa, & inferior nequit abrogare, quod geſtum eſt à ſuperiore, niſi fortè in caſu manifeſti abuſus priuilegij cōceſſi iuxta illud 11. quæſt. 3. *Priuilegium omnino meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.* Etſi autem Tridentina Synodus Seſ. 22. Decreto de obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ iniungat Epiſcopis, quod ſępe inculcauimus; non id obſtat, tum quia poſt hoc Tridentini Concilij Decretum plura emanarunt ab Apoſtolica Sede priuilegia; tum quia in hoc Decreto non committitur Epiſcopis, vt poſsint prohibere miniſtrationē Euchariſtiæ, ſed vt ſummùm celebrationem Miſſæ in priuatis Oratorijs faciendam ſiue à Sæcularibus, ſiue à Regularibus: tum quia neq; iſtud ſecundum committitur, quando Oratoria ſunt ad diuinum tantùm cultum dedicata, & ab Ordinarijs viſitata, atq; deſignata. Et hæc de rigore Iuris.

177 Nam ex conſilio Regulares morem gerant Epiſcopis prohibentibus. Expedietque vtriſque refricare memoriam monitionis illius, quam præbuit olim Rex Alfonſus Sapiens leg. 19. tit. 22. Part. 1. & quam nativo idiomate præſentabo, ne in Latinum traducta amittat quidpiam ſui vigoris. *Ademas paſan los Perlados de lo que deben, quando quebrantan à los Religioſos ſus preuillejos, è eſto non deben fazer.* De quo legant, precor, Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Domini Epiſcopi Sanctum Thomam in Opuſculo 19. C. 4. & B. Petrum Damiani in Opuſculo 28. Proſequitur Rex Alfonſus, *Otroſi los Religioſos por razon de las franquezas, è de los preuillejos, que han, non deben ſer ſobejanos, vſando mal dellos, è paſando amas de lo que les es otorgado: mas deben venir omildoſamente ſegun ſu regla, porque los Obiſpos, è los otros Perlados ayan gana de guardarles ſus preuillejos, è fazerles cumplimiento de derecho de los malfechores.* Sic prudentiſsimè Noſter Rex. Idque obſeruandum eſt à Regularibus Sacerdotibus Societatis Ieſu in propoſita materia, nam quanuis Paulus 111. conceſſerit, *Vt omnes Chriſti fideles quouis anni tempore,*

Rectorum

Rectorum Parochialium Ecclesiarum licentia minimè requisita, possint à Nostris Sacram Eucharistiam accipere, præterquàm in festo Paschæ Resurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, nisi necessitas vrgeat, vt habetur ex Bulla, *Licet debitum*, data anno 1549. tamen R. admodùm P. Noster Generalis in Compendio priuilegiorum Verb. *Eucharistia* §. 2. vbi refertur concessio proposita, addi voluit, communicari quidem eam facultatem omnibus Sacerdotibus Nostris; sed *in alienis Ecclesijs non esse ministrandum Sacramentum Eucharistiæ sine licentia eorum, ad quos pertinet.* Vnde infero, mentem etiam P. N. Generalis esse, ne in Oratorijs Sæcularium ministrent Nostri Sacerdotes Eucharistiam sine expressa, vel tacita, vel præsumpta licentia eorum, ad quos pertinet visitare, & designare Oratoria illa; & à fortiori, ne ministrent, si expressè prohibeant Episcopi.

178 Dicastillus Tractatu 4. de Sacramento Eucharistiæ Disp. 11. dub. 4. num. 64. relinquit in medio, an verba illa P. N. Generalis sint præceptiua, vel tantùm directiva? Mihi videtur, talia esse, vt, deficiente licentia, non sit fas Nostris Sacerdotibus vsus præfati priuilegij extra Ecclesias Societatis, & vt perinde debeant se gerere Nostri Sacerdotes, ac si præfatum priuilegium non fuisset concessum, nam limitationes, quæ siue per modum formæ substantialis, siue per modum instructionis sunt appositæ à P. N. Generali alijs priuilegijs, solent habere hunc sensum. Ita vt priuilegiorum vsus omnino pendeat respectu Nostrorum à P. Generali iuxta Bullam Gregorij XIII. anno 1575 incipientem, *Decet R. Pontificem*, Ibi: *Nec aliter cæteræ personæ dictæ Societatis prædictis priuilegijs, facultatibus, & alijs præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Præpositum, & de eius beneplacito, aut per alium, seu alios de eius commissione electos, vt præmissum est, vti, aut gaudere possint.* Sic Gregorius XIII. Hinc in vsu priuilegiorum, siue concessorum Societati, siue alijs Religionibus, cum quibus participet in eis, solet P. N. Generalis apponere restrictiones, & moderationes iustis de causis, sæpeque ob vitandam Episcoporum, & Parochorũ offensionem, & ob subordinationem subditorum seruandam, quam Instituti Nostri ratio petit: illæ tamen limitationes non ligant Religiones alias, quibus communia sint nostra priuilegia, multòque minus eas, quarum priuilegia communicet Societati P. Generalis, vt compertum per se est, aduertũtque Bruno Chassaing p. 1. de Priuileg. Regul. Tract. 1. C. 3. propos. 7. Hieronym. Garcia in Politica Regul. Tract. 8. Diff. 1. dub. 4. n. 5. Emmanuel Rodriguez tomo 1. qq. Regul. in 55. art. 17. Pellizarius in Manuali Regul. Tract. 8. C. & sect. 1. num. 46. cum Suario, Miranda, & Portello. Id quod vtile fuerit, semel significasse, cum in hoc Opere toties occurrat sermo de priuilegijs Societatis, & de restrictionibus impositis pro eorum vsu. Vtile etiam erit monere, si alicuius priuilegij concessi peculiariter Societati, aut alij Religioni, cum qua communicet Societas, sed cui nondum P. N. Generalis applicuerit, *Necessarius fuerit vsus, hunc ab ipso impetrandum, vel si periculum in mora esset, cẽseri Prouincialibus, & Visitatoribus eo dumtaxat casu cõmunicatum, dummodò Societatis Instituto non repugnet; qui nihilominus Præpositum Generalem de huiusmodi vsu, eiusque causa, quàm primũ poterunt, certiorẽ reddere tenebũtur. Etquoniam potest necessitas similis vrgere, ita vt neq; Prouincialis, aut Visitator consuli possit, idcirco P. N. Generalis eo casu Præpositis similiter, & Rectoribus localibus communicatum esse vult vsũ priuilegij, qui etiam tenebuntur, quã primũ poterunt, eundem Generalem, & Prouincialem etiam, vel Visitatorem de eiusmodi vsu, eiusque causa certiorem reddere.* Sic in præfatione Compendij Nostrorum priuilegiorum, & in addendis ad illud. Vnde si occurrat causa vtẽdi aliquo priuilegio, quod anteà nõ sit cõmunicatum à P. N. Generali, actus, seu vsus, quo tempore fit, licitus est, & validus, quin opus sit cogitare, vti Cardinali de Lugo attribuit non benè Pellizarius in Manuali Regul. Tract. 8. C. 1. S. 4. n. 64. actum, qui ab initio fuerit invalidus, reddi validũ per retrotractionem ex fictione Iuris, aduenientè posteà communicatione P. N. Generalis. Profectò nihil tale cẽsuit Lugus, sed in casu quodam grangiæ Collegij Ariminensis potuisse Nostros vti priuilegio immunitatis asyli cõcesso Cistertiensibus, & ad illud vsq; tempus non communicato Societati à P. N. Generali, potuisse, inquam, vti veluti tunc communicato, sed cum onere, de

quo supra in verbis relatis ex Compendio, & ex addendis ad illud.

SECTIO XIII.

Incidentes Obseruationes de administratione Eucharistiæ à Religiosis erga Seculares.

179 OCCASIONE facultatis Regularium celebrādi Missas, & administrandi Eucharistiam in Oratorijs privatis Sæcularium, interserere decrevi obseruationes nonnullas circa prætatam administrationē, tam in eis Oratorijs, quàm in Ecclesijs, & extra. Atque ita rogarunt amici quidam Religiosi, qui cupiebant longiorem de hoc puncto tractationē, accusabantque nimiæ brevitatis datam in Opere de Eucharistia Disp. 15. sect. 4. à numero 54. Igitur obseruo primò, in Pauli III. pro Societate privilegio incipiente, *Licet debitum*, anno 1549. excipi festum Paschatis Resurrectionis Dominicæ, ne Nostri Eucharistiam dispensent fidelibus Sæcularibus. Non excipitur præcisè dies. Quare manifestius est, excipi totum tempus Paschale, & non tantùm primum diem. In Constitutionibus etiam Societatis parte 7. C. 4. §. 5. aiebat S. Patriarcha Ignatius, *Poterit iuuari etiam proximus Sacramentorum administratione: præcipuè in audiendis Confessionib⁹ (ad quas aliqui à Superiore, qui eo fungantur officio, sunt designandi) & in sancto Eucharistiæ Sacramento, extra Paschæ tamen festum, sua in Ecclesia administrando.* Et additio marginalis littera *D.* subiungit, *Pascha intelliguntur octo dies ante, & totidem post ipsum festum: quanquàm eo tempore, qui facultatem haberent, vel peregrini, & reliqui, quos Ius excipit, possunt ad communionem admitti: & illi etiam, qui, cum iam suis Parochijs satisfecerint, vellent hisce quindecim diebus semel, aut sæpiùs in Nostris Ecclesijs sanctissimum Christi corpus accipere.* Consonat Regula 27. Nostrorum Sacerdotum præscribens, *Admoneat eos, qui sibi confitentur, à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusiuè, eo tempore (nisi aliud consuetudo loci postulauerit) debere semel in sua Parochia communicare, exceptis peregrinis, & ijs, qui facultatem haberent, & reliquis, quos Ius excipit.* Omissa sunt verba illa, *Et illi etiam, qui cum iam suis Parochijs satisfecerint*, &c. quæ ex additione marginali Constitutionum transcripsimus; paritasque rationis suadet, vt possint etiam admitti illi, qui non satisfecerunt, sed habent animum satisfaciendi intra tempus Paschale, & de præsenti volunt solummodò ex deuotione communicare. Ita Dicastillus supra num. 40. referens verba illa, *Et illi etiam, qui, cum iam suis Parochijs satisfecerint*, &c. vt prolata à solis Compilatoribus privilegiorum Nostrę Societatis V. *Eucharistia* §. 2. Sed Compilatores desumpserunt illa ex additione marginali Constitutionum; ideoq; maioris authoritatis debent apud nos esse.

180 Vnum de suo apposuerunt Compilatores in citato §. quod placuit quidem Navarro in Enchiridio Cap. 21. num. 52. Henriquez Lib. 8. Cap. 5. §. 2. Cap. 55. §. 1. Azori tomo 1. Lib. 7. Capite 41. quæstione 7. Emmanueli Sà verbo *Eucharistia* n. 10. Sthephano Bauny in Theologia Morali parte 1. Tract. 5. quæst. 19. Bartholomæo à Sancto Fausto Lib. 2. de Eucharistia quęstione 280. Ægidio Trullench in Bullam Cruciatæ Libro 1. §. 3. dub. 7. numero 8. Libro 3. de Sacramentis Capite 7. dubio 1. num. 9. quanquam hic non omnino concordet; Syluio in 3. partem quæst. 80. articulo 11. Quæsito 1. in fine, Emmanuell Rodriguez in Bullàm Cruciatæ §. 5. num. 10. dub. 2. licet recantaverit in tomo 1. quæstionum Regularium quæst. 56. articulo 3. & nonnullis alijs apud Dianam parte, & Tractatu 4. Resolut. 81. Sed displicuit communiter Authoribus, è Nostra etiam Societate, scilicet, *Per priuilegia Minorum restringi posse prædictam expositionem Paschæ ad ipsum diem Resurrectionis, is enim solus dies exceptus est Minoribus de Obseruantia per Nicolaum V. & Sixtum IV.* quatenus concesserunt Minoribus Sacerdotibus, *vt possent ministrare Sacramentum Eucharistiæ omni tempore, præterquàm in die Resurrectionis Domini.* Cuius privilegij sunt participes cæteri Religiosi Sacerdotes tam Mendicantes, quàm non Mendicantes, eoque, memorato in Nostro Compendio Verb. *Eucharistia* §. 3. fruuntur omnes Nostri Sacerdotes, vt notatur ibidem §. 2. Displicuit autem optimo iure, quia Nicolaus V. & Sixtus IV. alijque

alijque Pontifices Summi simili verborum sono exceptionem diei Resurrectionis Dominicæ facientes significarunt eo nomine, quod reliqui Pontifices per nomen *Pascha*, voluerunt que, manere intactum, & illæsum commune Ius de pręcepto annuę communionis in Paschate suscipiendæ de manu proprij Parochi à fidelibus.

181 Ideoque non solo festo die primo Resurrectionis Dominicæ, sed quouis alio à Dominica Palmarum vsq; ad Dominicam in Albis non licet per illa privilegia (dicam de alijs postea) Sacerdotibus Regularib⁹ ministratio Eucharistiæ; qua adimpleatur pręceptum communionis annuæ. Ideo rursus è contra licita est ministratio Eucharistiæ festo die primo Resurrectionis Dominicæ, si communio suscipiatur ex devotione, quia iam fuit suscepta ex præcepto in aliquo die præcedentis hebdomadæ, aut sit suscipienda in aliquo die incipientis Septimanæ de manu proprij Parochi. Syluius supra refert Decisionem quandam Sacrę Congregationis Cardinalium factam anno 1586. die 23 Ianuarij, ne in Ecclesijs Regularium suscipiatur die Paschæ communio etiã ex devotione. Sed non constare de tali Decisione respondet Bardi in Bullam Cruciatæ parte, & Tract. 2. C. 4. sect. 2. num. 19. Non nego, Episcopum posse prohibere Regularib⁹, vt in die Paschatis administrent Eucharistiam personis Sæcularibus, & si hę in alia die satisfecerint, aut satisfacturæ sint præcepto Ecclesiæ. Et ita decrevit Sacra Congregatio Cardinalium Interpretũ Concilij Tridentini die 11. Iulij anno 1644. confirmavitque Innocentius X. anno sequente, die 7. Februarij in Breui, cui inseruit Decretum illud, vt videre est in Martinono tomo 5. Disp. 53. sect. 7. num. 84. Quandiu tamen expressè, & de novo non prohibeat Episcopus, licebit Regularibus id, quod dixi. Imò Chassaing parte 2. de priuilegijs Regularium Tract. 8. C. 2. propositione 6. non veretur dicere, Breve illud Pontificium esse tantùm confirmationem Decreti à Congregatione editi habentis se solummodò instar opinionis cuiusdam valde probabilis Doctorum gravium; vel Breve illud Pontificium non habere vim legis, & sententiæ circa administrationem Eucharistiæ à Regularibus in die Paschatis, nam circa eam pronunciavit Congregatio non requisita, & quin fuisset ad Apostolicam Sedem appellatum de hoc puncto, sed de alio cõfessionum audiẽdarum à Regularibus in Paschali quindena. Mihi quidem non sunt gratæ evasiones istæ, sed pro meo more parco censurare eas rigidiùs.

182 Observo secundò in Bulla illa à Paulo III. concessa Societati excipi mortis articulum, seu cõmunionem, quę pro eo articulo suscipiatur ex præcepto, non verò alia repetita ex deuotione. Et hæc exceptio extendenda est ad mortis periculum, seu ad communionem ex præcepto in eo periculo, vt docet Suarez tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 9. C. 3. num. 14. minimè autem ad communionem in eo periculo repetitam ex devotione. Et cum Pontifex coniungat communionem in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, indicium non leve est, eum loqui de priori illa vt obligatoria. Quo confirmatur observatio nostra prima. Cæterũ cõmunio, quę ex devotione suscipiatur siue in articulo, siue in periculo mortis, debet nõ ministrari solemniter à Sacerdotibus Nrs, seu cũ delatione publica Eucharistię per vicos, & plateas, nam talis ministratio solemnis est propria Parochorum. Exceptio de articulo, periculove mortis subintelligenda est in privilegio Bullæ Cruciatæ, tametsi ibi non exprimatur, vt cum Henriquez, & alijs docet Dicastillus Tractatu 4. Disput. 10. dub. 4. num. 55.

183 Qui Author num. 67. ait, esse probabile, quòd possint Religiosi ministrare Eucharistiam omnibus sine licentia Parochi, etiam tempore Paschatis (& pari de causa. etiam in articulo, vel periculo mortis) propter privilegium, cuius initium, *Dum ad Sacrũ*, concessũ Minimis à Iulio II. anno 1506 5. Kalendas Augusti, qui, in eorum Ecclesijs, cõcessit, vt ministrent, quoties opus fuerit, & nullam adhibet restrictionem. Et cum hoc privilegiũ à R. P. N. Generali communicetur Societatis Superioribus, & ijs, quibus ipsi commiserint, vt dicitur in Compendio V. *Eucharistia* §. 4. poterunt Superiores Societatis, & subditi ex ipsorum cõmissione vti huiusmodi privilegio,

quoties opus fuerit. Verumtamen P. Suarez ſupra num. 5. & Peyrinus n. 89. circa eam Conſtitutionem Iulij II. exiſtimant, non eſſe ibi comprehenſam cõmunionem Paſchalem, ſeu annuam, quia caſus tam ſpecialis, & exceptus adeò communiter, ac perpetuò, non cõprehenditur in generali clauſula, neque quando non exprimitur nominatim. Confirmarique valet hæc exiſtimatio exinde, quòd etſi Paulus III. conceſſerit Societati, *Vt omnes, & ſinguli Chriſti fideles, cuiuſcumque conditionis exiſtant, qui verbi Dei concionibus, ſeu prædicationibus Sociorum, ſeu Fratrum Societatis huiuſmodi, in Eccleſijs, vbi ipſi concionabuntur, interfuerint, diebus huiuſmodi Miſſas, & alia diuina Officia audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta ibidem recipere, liberè, & licitè valeant, nec ad id ad proprias Parochiales Eccleſias accedere teneantur.* Etſi, inquam, Paulus III. in Bulla illa ſuperiori conceſſerit id abſq; exceptione Paſchatis, non ideo quis aſſeret, permitti in his Bullæ verbis communionem Paſchalẽ Laici in Eccleſia, quæ Parochialis non ſit ipſius, & abſque licentia Parochi, ſi ibi aliquis de Societate concionetur.

184 Sed reſponderi poteſt, exceptionem Paſchatis proponi in eadẽ Bulla inferiùs; nuſquam verò proponi in ea alia Bulla Iulij II. & id movere potuit P. N. Generalem, vt indicaret iuxta iudicium aliquorum, privilegium Iulij II. extendi etiam ad communionẽ Paſchalem. Scripſi, *Vt indicaret*, nam (vt ex aliquibus audivi) additum alioquì ſine cauſa fuiſſet iuſſu Patris Generalis in Noſtro Cõpendio, *Communicari priuilegium illud Superioribus, & ijs, quibus ipſi commiſerint*, ſiquidem facultas miniſtrandi Euchariſtiam in Noſtris Eccleſijs pro communione non Paſchali omnibus Chriſti fidelibus non ſit reſeruata, neque reſtricta ad ſolos Superiores, aut ad eos, quibus illi delegarint, ſed potiùs ex §. 2. antecedenti communis ſit ad omnes Sacerdotes Noſtræ Societatis. Quæ generalitas in facultate miniſtrandi Euchariſtiam pro communione Paſchali non expediebat in Societate, & ideo P. N. Generalis voluerit, eam facultatem nõ eſſe vniverſalẽ, ſed limitatam ad Superiores perſonaliter, vel ex eorundem commiſſione ad alios Sacerdotes è Societate; & fortè ad alios, qui è Societate non ſint, nam privilegium Iulij II. concedit, vt poſſint in ſuis Eccleſijs Regulares miniſtrare, ac miniſtrari facere Sacramentum Euchariſtiæ quibuſcumque perſonis. Ex quo inferunt Suarez D. 72. ſect. 2. V. *Sed inquires*, Leſsius 3. parte in Reſolutionibus variorum caſuum conſcientiæ V. *Societas Ieſu* Caſu 4. Aſcani Tamburinus tomo 2. de Iure Abbatum Diſp. 5. q. 4. num. vnico, & communiter Doctores, poſſe à Sacerdotibus Sæcularibus ſimplicibus, id eſt, ad celebrandum non expoſitis ab Ordinario, nec approbatis miniſtrari Euchariſtiam in Eccleſijs Regularium de licẽtia Prælati, imò & Sacriſtę, ſiue expreſſa, ſiue tacita, quin id poſsit prohiberi præfatis Sacerdotibus ab Ordinario. Sed non loquuntur in caſu miniſtrandæ Euchariſtiæ ad communionem Paſchalẽ. Quo autem pacto cum doctrina illa Suarij, (quem ſequitur Pellizarius Tract. 8. C. & ſect. 3. num. 311.) & cum communi aliorum conciliandum ſit, quod ait idem Suarius tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 9. C. 3. num. 11. ſubſcriptus à Pellizario ibidem num. 309. ſcilicet, nõ poſſe Religioſos Societatis (adde tu, aliorumq; Ordinum) indulgere externis Sacerdotibus, vt in ſua Eccleſia (nempe Religioſorum, vt Pellizarius magis declarat) Euchariſtiam miniſtrent fidelibus, repugnante eorũ Paſtore, cum privilegium ſit Religioſorum, non loci, ego certè non intelligo.

185 Limitatio appoſita à P. N. Generali ad vſum Bullæ Iulij II. eſt ſingularis (addunt illi, qui ſupra) reſpectu Noſtræ Societatis, ſicut ſingularis eſt ea alia ad vſum Bullæ Pauli III. vt in alienis Eccleſijs non ſit miniſtrandum à Noſtris Sacerdotib' Sacramentum Euchariſtiæ ſine licentia eorum, ad quos pertinet. Vnde alij Religioſi, qui cõmunicent in privilegijs vnius, & alterius Bullæ, non tenentur ſervare dictas limitationes, niſi à ſuis Generalibus ſint etiam appoſitæ legitima poteſtate, ſicut à Noſtro, aut niſi aliunde obligentur. Non igitur dixit benè Dicaſtillus ſupra num. 68. Religioſos, qui ob priuilegium Societati conceſſum à Paulo III. miniſtrent Euchariſtiam in Eccleſia Parochiali, vbi aliquis ex Noſtris concionetur, debere habere licentiam Parochi Eccleſiæ illius, etſi non debeant

habere

habere Parochi alterius, cui persona communicatura subsit. Non dixit benè Dicastillus quoad licentiam Parochi, in cuius Ecclesia fit concio, nam vt monui iam anteà Religiosi, qui non sint è Societate, non debent stare præcepto, aut directioni Nostri Generalis quantùm ad petendam licentiam à Parocho, cuius in Ecclesia ministrent Eucharistiam ob communicationem in privilegio, quod Paulus III. indulsit Nostræ Societati; quanquam æquum, expediensque sit, non ingredi in messem alienam, inuito domino.

186 Scripsi rursus supra in n. 184. *Vt indicaret iuxta iudicium aliquorũ*, nam meo limitatio illa eò tantùm dirigitur, vt Superiores Societatis, & illi tantùm, qui sint delegati ab ipso, possint ministrari facere Sacramentum Eucharistię in Nostris Ecclesijs à Sacerdotibus, qui non sint Societatis, quin ob illam limitationem colligatur, Generalem N. habuisse specialem respectum ad communionem Paschalem obligatoriam dispensandam siue ab ipsis Superioribus, siue ab alijs ex eorum delegatione in tẽplis Nostris. Vellem quidẽ, vt limitatio fuisset præscripta maiori cum expressione, & perspicuitate. Ob cuius defectum P. Dicastillus supra numero 67. & quidam alij viri docti persuaserunt sibi, supponi à P. N. Generali posse per Bullam Iulij 2. præberi Sæcularibus communionem Paschalem obligatoriam in templis Religiosorum participantium privilegia Minimorum.

187 Sed quanquam ego censeam, non supponi ida N. Generali, neque quoad id communicari ab eo privilegium illud Superioribus, alijsque, quibus ipsi commiserint, assentior tamen Patri Dicastillo in agnoscenda speculatiua probabilitate facultatis ministrandi Eucharistiam ad communionem præfatam ob Bullam Iulij II. Nisi obstare videatur Declaratio quædã data anno 1638. die 20. Martij iussu Sanctissimi, quam ad integrum refert Diana p. 6 Tractatu 7. Resol. 58. Et cuius tenoris est, *Conquesti sunt coram Sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius Ciuitatis* (videlicet Neapolitanæ) *de Patribus Theanis, & Societatis Iesu, quòd asserere audent, personas Laicas, assumentes in eorum Oratorijs, seu Congregationibꝰ Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis, Ecclesiæ præcepto satisfacere: cumque id minimè sit permissum, sed fideles sacram communionẽ tempore Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, Sanctitas sua iussit Eminentiæ suæ,* (nempe Cardinali Boncompango Archiepiscopo Neapolitano) *significandũ, vt sub pœna suspensionis à diuinis, & alijs sibi benè visis id prohibeat; moneatque ipsos Laicos, Sacramentum Eucharistiæ vt supra de manu proprij Parochi tenere suscipere, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciant*, &c. Sed inquit Dicastillus num. 80. * Ea Declaratio non tollit, quòd si aliquod extet privilegium speciale concessum aliquibus Religionibus, vel pluribus, non possint illo vti, quia in ea Declaratione solùm agitur de Iure communi. Vnde si aliquod privilegium speciale, vel generale pro Regularibꝰ siue primariò, siue per participationem habuissent prædicti Regulares (de quibus in Declaratione) illudque legitimè protulissent, non obstaret ea Declaratio, in qua nulla est derogatio privilegiorũ. * Sic Dicastillus. Addit autem Thomas Tamburinus Lib. de Communione C. & §. 4. num. 54. non constare authenticè de tali Declaratione, neque fuisse directam memoratis Religiosis, sed Archiepiscopo; fuisseque Epistolam particularem, & pro loco, vbi speciale inconueniens emergebat; & pro Oratorijs, non verò pro Ecclesijs publicis; & pro die Paschatis, non verò expressè pro totâ quindena Paschali. Iudicent alij de firmitate tot evasionum, & an aliqua ex eis quadrare possit in aliã Declarationem factam anno 1619. die 2. Martij à Sacra Congregatione Cardinalium, adductamq; à Barbosa in Summa Decisionum Apostolicarum, Collectanea 335. num. 5? Assentiar rursus Dicastillo, nisi verba illa Bullæ Iulij II. *Quoties opus fuerit*, intelligenda solùm sint de casu necessitatis, de quo non est nunc sermo; sed erit posteà. Modò nãque tantùm agimus, an ob eam Bullam possint ex arbitrio suo Regulares impertiri in suis Ecclesijs communionem Paschalem Sæcularibus extra casum necessitatis? Sed quidquid sit de speculativa illa probabilitate.

188 Ego semper consulam, vt nisi necessitas vrgeat, non ministretur in suis Ecclesijs à Religiosis communio ex præcepto siue tempore Paschatis,

siue

ſiue in articulo, periculove mortis, dū nō adeſt expreſſa licentia Parochorum, quia Paulus III. in Brevi dato Societati anno 1545. cuius exordiū, *Cū inter cūctas*, admonet, vt adminiſtratio Euchariſtiç, & aliorum Sacramentorum per Noſtros ſit *ſine alicuius præiudicio*; circa quam clauſulam legantur Suarez tomo 4. de Relig. Tract. 10. Lib. 9. C. 3. num. 4. & 5. Caſtrus Palaus Tract. 21. D. vnica, puncto 19. num. 10: & quia, ſi ſecus fiat, ſequitur maxima offenſio Paſtorum; quos æquum eſt, cognoſcere vultum pecoris ſui, ſaltem quando inſtat communionis præceptum; ſequeretur etiā non raro, vt multi omitterent communionem præceptam, ſi non eſſet neceſſarius recurſus ad perſonam determinatam, quæ iudicet de adimpletione præcepti. Fateor tamen, caueri poſſe hoc inconueniens, ſi Religioſi exhiberent ſubſcriptam ſuo nomine ſchedulam cōmunionis: haud aliter ac ſolent nonnullis in locis dare confeſsionis Paſchalis, quanquam Moronus in Reſponſo 21. ex 100. Moralibus, Bruno Chaſſaing p. 2. de privilegijs Regularium Tract. 8. Capite 2. propoſ. 7. in fine, Pellizarius Tract. 8. Cap. 3. ſect. 2. Subſ. 5. num. 289. dicant, Confeſſores Regulares non teneri præſtare, & neque etiam Seculares niſi publico peccatori, vel publica aliqua cenſura innodato, etiamſi Ordinarius per edictum iubeat. Quo tamen caſu, ne pœnitentes exponantur vexationi iteratæ confeſsionis cū Parochis, conſulo, vt ſchedulæ non denegentur ijs, qui illas poſtulent.

189 Cardinalis de Lugo D. 18. ſect. 2. num. 49. dubitat de priuilegio conceſſo Fratribus Hieronymiani Conuentus B. Mariæ de Guadalupe ad communionem miniſtrandam etiam in die Paſchatis, quod cum alijs eiuſdem Monaſterij extenſum eſt à Summis Pōtificibus Pio IV. Pio V. & Sixto V. ad omnes alios Conuentus Ordinis Hieronymiani in Hiſpania, etiam ſi in his non militent cauſæ, propter quas fuerunt Indulta particulari illi Monaſterio, & proinde factum eſt commune ad cæterorum Ordinum Mendicantium Conuentus habentes participationem in priuilegijs cum Hieronymianis, vt videre eſt in Emmanuele Rodriguez tomo 1. quæſt. 55. art. 9. quæſt. 53. art. 3. Dubitat, inquam, Card. de Lugo, quia dicitur datum Romæ, quarto Kal. Octobris, anno 1458. & Pontificatus 4. à Nicolao V. Sed illo anno, & die Pontifex erat Pius II. & non Nicolaus V. qui coronatus fuit pridie Nonas Martias, anno 1447. & naturę ſatisfecit Kal. Aprilis, anno 1455. Præterea quia non conſtat, fuerit, necne, merum vivæ vocis Oraculum, hucvſque enim Authores, qui collegerunt Summorum Pontificū Bullas, non adduxerunt vllam, in qua contineatur. Quas ob cauſas Cardinalis ſapientiſsimus non acquieſcit, neque fidit illi privilegio. Et quanquam Ioſephus Siguntinus Hieronymianus in Hiſtoria Ordinis S. Hieronymi parte 2. Lib. 3. C. 13. & 16. dicat, Nicolaum V. & Eugenium IV. conceſsiſſe Hieronymianis privilegia, de quibus controuertitur; & in addendis pro Compendij Noſtrorum privilegiorum nova editione habeatur V. *Euchariſtia*, §. 4. cōceſſum fuiſſe per Bullam ad perpetuam rei memoriam ab Eugenio IV. anno 1443. Kalendis Decembris, vt referturin Compendio privilegiorum Ordinis S. Hieronymi V. *Euchariſtia Sacramentum* §. 1. Quod ſi ita eſſet, ceſſarēt rationes dubitandi.

190 Sed videtur, ita non eſſe, nā Eugenius IV. ſolūmodò conceſsit indultum, vt accedentes ad Monaſterium Guadalupenſe poſſent, excepto die Paſchatis, accipere Euchariſtiam à Fratribus illius Conuentus, vt teſtatur Hieronymus Garcia Ordinis S. Hieronymi Tractatu 3. de Excellentijs Sacerdotij Diſſic. 8. dub. 3. num. 17. qui in numero antecedenti ait, ſe habere authēticum tranſumptum priuilegij integri conceſsi à Nicolao V. Aſsiſij anno 1451 Kal. Octob. & Pontificatus ſui anno 4. quanuis enim in tranſumptis erratum ſit circa notas numerorum, & circa diē Kalendarum, at in autographo legitur, vt dictum eſt proximè. Cæterùm addit Garcia in n. 17. & 18. Nicolai V. priuilegiū fauere ſolis peregrinis, & viatoribus confluentibus ad Monaſterium Guadalupenſe. Nam poſt relatum priuilegium Eugenij IV. de quo ſupra, ait Nicolaus V. *Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, quàm plures peregrini, & viatores præſertim de remotis partibus ad dictum Monaſterium confluant, qui huiuſmodi licentiam à ſuis Parochialibus Preſbyteris non obtinuerunt, Nos propterea ne contra*

præceptum

præceptum Ecclesiæ vis prædictum Sacramentum denegetur, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, Sacramentum huiusmodi quibuscumque personis ad dictum Monasterium confluentibus, etiam in præfato festo, ministrare liberè, & licitè valeatis, concedimus, Diœcesani loci, & cuiuslibet alterius licentia desuper nullatenus requisita. Ex quibus verbis finalis causa privilegij, & intentio Pontificis in eo concedendo satis liquet, quippe peregrinis, & viatoribus provisum voluit de communione Paschali in Monasterio illo. Vnde vt summùm per communicationem posset, vti admittit Bordonus tomo 1. Variarum Resolutionum, 2o. quæst. 3. in alijs Conuentibus dari communio Paschalis peregrinis, & viatoribus, non autem cæteris. Et quidem Oppidanis Guadalupensibus, nisi essent Parochiani Monasterij præfati, non posset ex vi illius privilegij ministrari; vt perspicuum erit expendenti verba ipsius. Ergo neq; per illius participationem poterit alibi dispensari eis, qui non sint peregrini, & viatores. Etsi verò ad fruendum privilegijs Monasterij Guadalupensis non debeant militare in alijs Conuentibus eædem causæ, quæ in Guadalupensi; at de personis vagis debet non fieri extensio ad alias, quę vagę non sint. Quare quòd non debeant militare eædem causæ, conducet solummodò, vt in alijs Conuentibus, ad quos nõ confluant peregrini, & viatores, possit communio Paschalis ministrari paucis, qui concurrant. P. Suarez tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 9. C. 3. n. 6. Castrus Palaus Tract. 21. Disp. vnica, puncto 19. num. 5. Averta quæst. 10. sect. 4. V. *Excipitur autem* cum Portel, Nuño, & Villalobos expendunt alias difficultates circa vsum privilegij Guadalupensis in Monasterijs cęteris siue S. Hieronymi, siue reliquorum Ordinum. Conatur eis occurrere quidã vir doct⁹ apud Pellizarium in Manuali Regularium Tract. 8. C. & sect. 3. num. 295. sed quàm probabiliter, relinquit Pellizarius iudicio aliorum. Fagundez verò in 3. præceptum Ecclesiæ Lib. 1. C. 5. etsi nonnullis difficultatibus satisfaciat num. 14. & 15. tamen in num. 16. apertè ait, se non posse securè sequi Beiam, Emmanuelem Rodriguez, Hieronymum Sorbum quoad vsum privilegij Guadalupensis. Adhæserunt tribus illis Authoribus Ioannes de la Cruz Lib. 2. de Privilegijs Regularium C. 5. dubio 4. Coneluſ. 3. Bruno Chassaing de ijsdem Privilegijs parte 2. Tract. 8. C. 2. propos. 6. & quidam alij. Sed ego neutiquam auderem adiũngere me illis socium, quoad communionem Paschalem personarum, quæ peregrinę nõ sint, & vagæ.

191 Observo tertiò, cum in Bulla, *Licet debitum*, excipit Paulus III. festum Paschæ Resurrectionis Dominicæ, & articulum mortis, subiungere, *Nisi necessitas vrgeret.* Vnde si Sæcularis existat in articulo mortis, & Parochus, qui Eucharistiam ministret, non adsit, licebit Sacerdoti Societatis communicare ęgrotum per modum viatici, ne ægrotus moriatur sine Eucharistiæ Sacramento: quod, etsi non sit omnino necessarium ad salutem, est tamen maximoperè vtile, & aliquo modo necessarium ad vires spirituales in illo periculoso agone adquirendas, vt optimè alt Cardinalis de Lugo supra num. 53. Neque expectari debet, vt de ægroti vita sit iam omnino desperatum; sufficit probabilis coniectura, & prudens persuasio de eius periculo, provt aduertit Suarez supra num. 15. Si Parochus adsit, sed nolit ministrare Eucharistiam, nec concedere licentiam, vt ministretur prædicto ægroto, perinde est, ac si abesset. Inquies, non esse opus privilegio speciali ad Eucharistiæ ministrationem in hi casibus. Fateor, sic esse re apse; imò & iudico, idoneum quemuis Sacerdotem tunc ex charitate teneri ad dispensationem Eucharistiæ, si absque suo incommodo notabili possit, & præsertim si ægrotus nequeat recipere aliud Sacramentum. Sed quia nonnulli graves Authores apud Fagundez in 3. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. 2. numero 19. olim negarunt primum, & à fortiori secundum, nunc que etiam negant vtrumque, ideo Paulus III. ad maiorem claritatem, & securitatem expressit. Nisi fortè quis cogitet, minorem necessitatem sufficere, vt vi huius privilegij detur cõmunio per modum viatici, quàm si hoc privilegium non fuisset concessum.

192 P. Suarez supra num. 8. censet, verba Pontificis, *Nisi vrgeret necessitas*, cadere non solùm supra articulum mortis, sed etiam supra festum Paschæ

chæ Reſurrectionis Dominicæ; atque adeò exiſtimat, poſſe à Religioſo Sacerdote Societatis præberi Sæculari communionem Paſchalem, vrgente neceſsitate. * Quando (ſcilicet) perſona eſt impotens ad communicandum in ſua Parochia, vel ad petendam facultatem à ſuo Parocho, tunc enim in ordine ad occaſionem implendi præceptum eſt vera neceſsitas; & non concurrentibus illis duab⁹ circumſtantijs nulla eſſe poteſt. Tenebitur autem in eo caſu fidelis ſatisfacere poſteà ſuo Parocho; & ſimiliter Parochus, ſi de neceſsitate, & communione ſuſcepta ei ſatis conſtiterit, non poterit ſubditum cogere ad communicandum iterùm. * Quæ sũt Suarij verba. Militatque eadem ratio, ſi Parochus abſit, quo tempore inſtat obligatio communionis Paſchalis, vel etſi præſens ſit, ſed malitiosè nolit exequi ſuum munus.

193 Diſcordant à Suario Caſtrus Palaus Tract. 21. Diſp. vnica, puncto 19. num. 6. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. C. & ſect. 3. numero 300. cum Vazquio, & Fagundez, notantque contradictionis Suarium, nã tomo 3. in 3. partem D. 72. ſect. 2. §. *Sed quæres*, dixerat, * In neceſsitate autem implendi Eccleſiaſticum præceptum communionis Paſchalis, non videtur vrgere ratio tantæ neceſsitatis. * Quantæ nimirùm in communione pro mortis articulo, nam poteſt occaſio cõmunicandi, vel Parochus expectari, vel quòd is mutet pravam voluntatem; poteſt etiam fideli præberi communio ex devotione, reſervando in poſterum cõmunionem ex præcepto accipiẽdam de manu Parochi.

194 Nihilominus facilè Suarius ſecum conciliatur, quatenus tomo 4. de Religione loquatur ex vi privilegij; & tomo 3. in 3. partem ex Iure communi. In cuius conciliationis favorem faciunt hæc Eximij Doctoris verba in fine §. illius præcitati * Semper tamen intercedit hæc notanda differentia inter articulum mortis, & alias neceſsitates, vel poti⁹ vtilitates, quòd illo licitum eſt cuilibet Sacerdoti miniſtrare hoc Sacramentum, etiamſi non habeat ad hoc ſpecialem facultatem à Paſtore conceſſam, vt dictum eſt; in alijs verò hoc non licet, niſi ſuppoſita aliqua facultate, vel privilegio miniſtrandi hoc Sacramentum, quia rationes factæ non aliter procedunt. * Sic Suarez; cui ego adhæreo in ſenſu conciliationis, necnon Franciſcus Niger, & Diana parte 10. Tract. 11. Reſol. 31 Averſa quæſt. 10, ſect. 4. V. *Rurſus* cũ Bordono, Leander parte 2. de Sacramẽtis Tract. 7. quæſt. 24. licet vltra citatos ſupra refragetur Cardinalis de Lugo Diſp. 18. de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 2. num. 53. ſed eius frater Franciſcus de Lugo favet nobis Lib. 4. Capite 11. q. 3. num. 32. iuncta quæſt. 2. num. 21.

195 Neque dicas, non poſſe vrgere neceſsitatem pro communione Paſchali. Nam reſpondetur, ſufficientem eſſe neceſsitatem, quòd alioqui elabetur tempus communiter præſcriptum fidelibus ad ſuſcipiendam quotannis Euchariſtiam; & de tali neceſsitate intelligi aptè Paulum III.

196 Monere tamen oportet, ne Religioſi falſa ſpecie apparentis neceſsitatis, ſiue pro articulo mortis, ſiue pro Paſchate decepti miniſtrent Euchariſtiam Sęcularibus, pręveniendo Parochos, quorum offenſio vitari debet, quantùm poſsit, necnon inuidia in Religionem ob falcem miſſam in ſegetem alienam prætextu privilegiorum. Vnde cunctabundi procedant Religioſi, zelumque animarum temperent, noſcentes, Deum ab ipſis non petiturum rationem non acceptæ Euchariſtiæ à fideli moribundo, vel volẽte ſatisfacere præcepto annuæ communionis, ſi non ſit omnino manifeſta cauſa neceſsitatis, vel ſi, etſi ſit, derivabitur in ipſos, aut in Religionem gravis querela Parochorum. Hinc cum conceſsiſſet Prædicatoribus Leo X. in Concilio Lateranenſi, vt miniſtrarent viaticum fidelibus, quando Parochi oſtenderent ſe difficiles, aut malitiosè differrent, addidit cautionem, ſi modò cauſa, aut denegatio probaretur coram Notario. Ita refert Henriquez Lib. 8. C. 55. §. 1. lit. *H.* in Gloſſa. Monitio data circa articulum mortis opportuna etiam eſt circa eiuſdem mortis periculum probabile, ratione cuius ſit Euchariſtia ſuſcipienda ex obligatione de manu proprij Parochi, non ſecus, ac ratione articuli mortis. Ita Suarez ſupra num. 14. & Pellizarius in Manuali Regul. Tract. 8 C. & ſect. 3. num. 301. Sed addit Suarez,

rez, * Si fortassè in huiusmodi casib⁹ (scilicet personæ inchoaturæ navigationem longam, vel ingressuræ actuale bellum, vel proximæ partui) sine scrupulo accipitur, & datur Eucharistia à Religiosis, ideo est, quia non existimatur, tantum esse periculi, vt inducat obligationem; & ita communio magis fit ex devotione, quàm ex necessitate: vel certè bona fide proceditur, quia nō cogitatur de tali obligatione, neque hæc exceptio ad illos casus applicatur, quia non est facile omnibus id considerare, & advertere: vel denique illa bona fides fundari potest in præsumpta voluntate Parochorum, quibus potiùs gratum est hoc ministerium, quando eorū contemptus, vel aliud præiudicium nō inest. * Hactenus Eximius Doctor; consonatque Pellizarius supra.

197 Ob casum vrgentis necessitatis posse peregrinis, qui alibi habent fixum domicilium, & vagabundis, qui nullibi habent, ministrari Eucharistiam pro communione Paschali à Sacerdote Religioso Societatis, videbitur alicui non omnino improbabiliter, nam priorum Parochus est distans, & posteriores nullum agnoscunt præscriptum, ac determinatum Parochum. Sed siue ob casum vrgentis necessitatis, siue ob aliam rationem possunt priores, & posteriores in Ecclesijs Nostris satisfacere præcepto Paschalis communionis, vt animadvertitur de peregrinis in additione marginali ad §. 5. C. 4. partis 7. Constitutionum Societatis, docetq; copiosè cum multis Thomas Sanchez tomo 1. de Matrimonio Lib. 3. D. 23. num. 17. & post ipsum innumeri alij. Oportet tamen limitare, nisi consuetudine alicubi receptum sit, vt peregrini, & vagabundi adeant Ecclesiam Cathedralem, aut Matricem, vel eam, in cuius vicinia habent hospitium. Et in ea quidem posse implere Paschalis cōmunionis præceptum, declaravit Eugenius IV. Pontifex Maximus, vt Caietanus in Summa V. *Absolutio ex parte absoluentis*, meminit, se aliàs legisse, refertur-que in Compendio priuilegiorum Mēdicantium V. *Absolutio* 1. *quoad Sæculares*, num. 5. Non tamen declaravit, nō posse implere alibi, vt notat Sanchez supra.

198 Insuper ob casum vrgentis necessitatis videbitur, posse Religiosos ministrare in suis Monasterijs viaticum famulis intra ipsa Monasteria ægrotantibus. Ad quem enim Sæcularem Parochum recurri debeat? Cum nō sit potior ratio recurrendi ad vnum, quàm ad alium. Quod si dicatur, ad eū, in cuius Paræcię tractu situm sit Monasterium: quomodò Sęcularis Parochus vocandus est, vt ad Religiosorum Conuentus exemptos afferat viaticum, aut vt è Tabernaculo Ecclesiarum Regularium illud extrahat, & administret moribundo? Cæterùm opus non est excusatione vrgentis necessitatis, siquidem Religiosi gaudeant privilegijs Pontificijs non solùm ad id, sed etiam vt tempore Paschatis administrent Eucharistiam famulis in habitu etiam Sæculari deservientibus, vt cōstat ex multis collectis à Brunone Chassaing parte 2. de privilegijs Regularium Tract. 8. C. 2. propos. 1. & ex Nostrorum Compendio V. *Familiares*, §. 2. vbi pro Nostris additur, *Hanc facultatem concedi Superioribus, & ijs, quibus ipsi communicauerint.* Et de hospitibus Sæcularibus, qui in Monasterijs infirmantur ad mortem, tradunt Diana parte 10. Tract. 11. Resol. 31. Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. C. & sect. 3. num. 302. cum alijs, posse ob privilegia Pontificia accipere viaticum à Religiosis: additque Pellizarius, Convictores, & Alumnos Seminariorum, aut Collegiorum Societatis posse etiam suscipere illud de manu Nostrorum, qui ipsis præsunt, & qui Parochi sunt ipsorum, quandiu intra Seminaria, aut Collegia degunt. Cardinalis tamen de Lugo Lib. 4. Responsorum Moralium dubio 33. existimat, si Seminarium non sit sub dominio Societatis, sed tantùm sub eius cura, & gubernatione, requiri licentiam Ordinarij, vt Convictoribus ministretur à Nostris communio Paschalis, viaticum, extremaque vnctio, atque ita exprimit Pellizarius supra sect. 4. num. 328. se magis declarans: si autem subiaceat Societatis dominio, non opus fore ea licentia ad dispensandam ipsis extremam vnctionem, secus ad cōmunionem Paschalem, & viaticum. Videat, qui velit, fundamenta in tanto Doctore. Ego censerem, adesse consensum præsumptum Ordinarij, nam eo ipso quòd sciat, Convictores manere sub regimine Societatis, & non insistat, vt ad se recurrant

rant pro eis Sacramentis, præsumitur satis rationabiliter de illius voluntate, vt à Nostris ministrentur. Rursus putarem, si Seminarium sit sub dominio Societatis, Alumnos ibi habitantes adquirere quasi domicilium, proindeque iuxta doctrinam Thomæ Sanchez Lib. 3. de Matrimonio D. 23. num. 13. posse à Nostris accipere ea Sacramenta; vt in simili de puellis Sæcularibus manentibus causa educationis in Monasterio Monialium docet Pellizarius Tract. 10 C. 5. sect. 4. num. 190. & C. 10. sect. 3. Subs. 1. num. 233. Et apud ipsum Tractatu 8. C. 3. sect. 2. Subs. 1. num. 57. Bordonus, & Cespedes extendunt ad Alumnos degentes in Regularium Monasterijs omnia privilegia, quæ quoad receptionem Sacramentorum competunt Familiaribus, Commensalibusque Religiosorum. Viteriùs, si Seminarij sola gubernatio commissa sit Societati, & præsumi non possit prudenter de cõsensu Ordinarij, petenda erit ab eo licẽtia, nisi iam consuetudine recepta obtentum sit, ne de hoc curetur, vt significare videntur Pellizarius in priori loco, & Tamburinus L. & §. 5. de Cõmunione, numero 9. vbi posterior ait, privilegium de communione ex præcepto necessaria hospitibus Sæcularib⁹ non fuisse hactenus à P. N. Generali cõmunicatum Societati, neque item aliud de extrema vnctione. Quod postremum apertè refellitur ex Compendio V. *Extrema vnctio.* Atque hinc à fortiori colligitur cum Aversa quæst. 10. sect. 4. V. *Possunt etiam*, si quis ex incolis eiusdem Oppidi, in quo situm est Collegiũ, aut Domus Societatis, repentino corripiatur morbo intra lares Nostros, aut vulnere lethali saucij⁹ ad eos profugiat, vel deferatur, admonendum priùs esse Parochum, quàm ei viaticum conferamus, nisi periculum in mora sit. Non poterit autem Parochus iustè prætendere, per se ministrare viaticum suo Parochiano periclitanti de vita in loco exempto. Et alicui videbitur, superfluum esse petere licentiam, quam iustè Parochus denegare nequeat, & qua denegata licitum est, imò per se debitũ, saltem ex charitate, non desistere à dispensando viatico. Ego tamen suadebo, vt postuletur licentia, si alioqui timeatur vel minima offensio, aut turbatio Curionis.

199 Famuli Religiosorum, attentis privilegijs Pontificijs, non debent habitare intra septa Monasteriorum, vt tempore etiam Paschatis Regulares ministrent ipsis Eucharistiam. Ast in Nostra Societate ad vsum eorum privilegiorum requiritur tum seruitium actuale, cuius solius meminit Paulus III. in Bulla, *Licet debitum*, tum habitatio in Domibus, aut Collegijs, aut Residentijs, aut alijs locis Societatis, vt dicitur in Compendio V. *Familiares*, §. 2. Noster enim R. P. Generalis iuxta potestatem sibi à Sede Apostolica concessam voluit applicare ea privilegia sub duplici illa conditione, vt Societatis vsus esset conformior Concilio Tridentino Sess. 24. Decreto de Reformat. C. 11. & cuidam Declarationi Sacræ Congregationis Cardinaliũ Interpretum Concilij apud Sa V. *Eucharistia*, n. 9. Sed habitationis conditio sufficienter erit adimpleta, si famuli interdiu commorentur in Monasterijs ad obsequia, etsi noctu, quia coniugati sint, dormiant extra. Ita Leander Tract. 7. Disp. 3. quæst. 25. Diana p. 3. Tract. 2. Resol. 12. parte 10. Tract. 11. Resol. 31. cum alijs pluribus, Thomas Tamburinus C. & §. 4. de Communione num. 48. & Franciscus de Lugo L. 4. Cap. 10. quæst. 2. num. 13.

200 Erit, qui obijciat Declarationem Cardinalium editam tum anno 1648. tum 1652. confirmatamque ab Innocentio X. in qua decisum est, *Non posse Regulares, etiam Patres Iesuitas, in suis prædijs, opificinis, aliúsque suis domibus Sæcularib⁹, sitis intra limites Parochialium ad se non spectantium, administrare Sacramentum Eucharistiæ in festo Paschatis famulis, mercenarijs, rusticis, siue alijs id gen⁹ hominibus Sæcularibus absque Ordinarij, vel Parochi licentia.* Respondeo, si Religiosorũ famuli tales sint, quales paulò anteà explicui, extare multa privilegia Pontificia, vt eis possit in festo Paschatis dispensari Eucharistia à Religiosis: & præter alias Bullas à Chassaing, & à nobis supra indicatas videantur, quæ pro Minimis à Leone X. estque 4. huius Pontificis apud Peyrinum, incipitque *Ijs, quæ*, §. 3. pro Camaldulensibus ab eodem Leone X. incipitque *Etsi à summo*, §. 51. à Cœlestino V. pro Cœlestinis, incipitque. *Etsi tunctos*, §. 22. à Gregorio XI. pro Dominicanis, incipitque

incipitque, *Virtute conspicuos*, §. 10. apud Bullarium Romanum magnũ, expeditæ sunt. Quas Bullas, & quam specialiter pro se obtinuit à Paulo III. intellexit Societas de familiaribus habitantibus non tantùm in Domibus, Collegijs, & Residentijs, sed etiam in alijs locis ipsiusmet Societatis, vt dixi ex eius Compendio V. *Familiares*, §. 1.

201 Et in loco, qui sit Religiosorum grangia cum Oratorio, aut Capella, posse ministrari ab eis necessariam ex præcepto cõmunionem famulis, qui seruiant actu, & intra ipsas habitent sustentati expensis Monasterij; ad quod pertinet grangia, affirmat Hieronymus Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 7. dub. 3. num. 11. & 22. dicens, privilegia Religiosorum extendi ad grangias, expendensque vivæ vocis Oraculum quoddam pro grãgijs Monasterij Guadalupensis Hieronymiani datum de mandato Papæ a Cardinali litteris ab eo subscriptis, imo à Cardinali Summo Pœnitentiario, & proinde non venit sub generali revocatione vivæ vocis Oraculorum iuxta doctrinam Pellizarij Tract. 8. C. 3. S. 2 Subs. 5. n. 274. C. 8. S. 3. n. 66. aliorumque. Præterea Alexander VI. anno 1498. & 7. sui Pontificij concessit Cistertiensibus Hispanis, *Grangias construere, inibique Ecclesias, Capellas, & Oratoria, in quibus Officia diuina celebrari possint, sine loci Ordinarij, vel Diœcesani, seu alterius cuiuscumque licentia, ædificare, vbi vasallorum, colonorum, & incolarum ibidẽ commorantium confessiones audiri, & eisdẽ pœnitentia salutaris iniungi, Eucharistiaque & alia Sacramenta sine Parochiæ præiudicio* (quoad Decimas scilicet, & primitias) *per Monasteriorum Abbates, & suos Monachos ad id deputatos ministrari liberè, & licitè valeant.* Sic traditur in Cõpendio Cistertiensium Hispanorum V. *Grangiæ* §. 1. & Bulla integra transcribitur à Chrysostomo Henriquez ex pag. 284. est q; 15. & exorditur, *Roman⁹ Pontifex.*

202 Quapropter si prædia Religiosorũ in Diœcesi Angelopolitana Indiarũ Occidentalium sunt, quales grãgiæ memoratæ, & famuli in eis prędijs seruientes, & commorantes sunt, quales præfati, mirari nemo debet, Religiosos ministrasse eis Eucharistiam in Paschate. Non constat mihi, qualia sint illa prædia, & famuli. Sed suspicor, esse valde dissimilia, siquidem prædia illa veniant in Declaratione sub eadem regula, ac domus Sæculares, & famuli sub eadem, ac mercenarij, rustici q; conducti salario diurno. At grangiæ, de quibus supra, nõ sunt domus Sęculares, sed Regulares, vtpote membra dependentia à Monasterijs, ideoque censentur eiusdem iuris cum illis, & gaudent illorum privilegijs, vt defendit Pellizari⁹ Tractatu 8. C. 6. S. 1. n. 8. simulq; Religiosos delinquentes ibi nõ magis posse puniri ab Ordinario loci, quã si deliquissent degentes intra Monasteriorũ claustra. Famuli etiam, de quibus supra, nõ idem sunt, qui mercenarij, & rustici, Hispanè *Iornaleros, & labradores, Obreros del campo*; sed qui Hispanè *Criados*, Latinè domestici, commensales. Cætera pro responsione ad Declarationem videnda sunt in n. 129. Tractat de ea Didacus Antoni⁹ Frances in Pastor. Regul. p. 2. q. 17. Ast cum multa hinc, & inde moveat, attamen non attigit punctum difficultatis, vel quia noluit, vel quia antiqua Regulariũ privilegia latuerũt ipsum, sed sine multo labore inuenire potuisset, quæ sunt pro famulis grangiarum, in Emmanuele Rodriguez tomo 2. qq. Regul. q. 75. art. 1. in Laurentio de Peyrinis §. 7. ex n. 30. ad Cõstitutionem Pyrrhi.

203 Opponi etiam potest Conciliũ Mediolanense V. p. 1. tit. de ijs, quæ ad sanctissimum Euch. Sacramentũ pertinent, inquiens, *Laici famuli quicumque Regularium Monasterijs operam nauant, tametsi in illis habitent, statoPaschæ tempore in suã quisque Ecclesia Parochiali sacram communionem sumant.* Sed respondeo primò, esse decretum Concilij Prouincialis nõ obligans extra Prouinciã. Secundò, intelligendum esse de famulis Religiosorum si qui sunt, qui nõ potiantur privilegijs memoratis, & speciatim eo, quod pro Benedictinorũ religiosissimo Cõuẽtu Vallisoletano concessũ est à Martino V. anno 1423. 17. Kal. Iulij, anno 6. sui Põtificij; cuius privilegij fit mẽtio in Cõpendio Minerum V. *Familiares* §. 10: extatq; integrum in impresso libro privilegiorum sanctissimæ, & clarissimæ Congregationis præfatę, & est 29. conceptisq; verbis indulget, *Vt familiaribus tam intra, quã extra sepia cõmorantibus Ecclesiastica Sacramenta, quoties fuerit opportunum, ministrare valeant.*

Eius libri non vulgaris fecit mihi copiã R. P. Magister Frater Placidus de Puga meritissimus nunc Abbas celeberrimi Salmantini Collegij S. Vincentij, condecoratus Magisterij Theologici laurea semel Vallisoleti (vbi nobiliores Academiæ Cathedras rexit) iterùm Salmanticæ, vbi in eo non gemini tantùm Doctoris, sed decumani etiam sapientiam, prudentiæ, & virtutum sale conditam, veneramur, & diligimus.

204 Hactenus de digressione, in qua principaliter ob rationem redditam in num. 14. Disputationis XXI. egi de privilegijs nostro Ordini elargitis Dei benignitate, & Apostolicæ Sedis liberalitate circa administrationem Eucharistiæ. Vbi non possum non referre cum ingenti gratiarum actione pro benevolentia in Societatem, quod scriptum reliquit celebratissimus Doctor Ignatius Lopez de Salcedo Pontificij Iuris Primarius Professor Complutensis in Scholijs ad Caput 80. Practicę Criminalis Canonicæ Ioannis Bernardi Diaz de Lugo pag. 318. * Est quidem Christianæ Reipublicæ vtilissimum, imò summè necessarium, præfatam Societatem à Summis Pontificibus maximis favoribus, & amplissimis privilegijs amplecti (seu potiùs ampliari) cum propugnaculum sit fidei, lumẽ Ecclesię, Religionis amplificatrix, peccatorum medela, piorumque virorum tutissimum asylum. * Quæ ratio dicta in specie de Societate pro privilegijs Pontificijs in favorem ipsius subintelligi debet in genere de cæteris sanctissimis Religionibus, inter quas minima est Societas. Omnes enim illę possunt fideuter in Xpto dicere. [Quę regio in terris nostri nõ plena laboris] pro fide Catholica siue introducenda, siue augenda, pro hæresibus extirpandis, & Christianæ disciplinæ vigore, perfectioneq; promouenda? Omnes illę refertissimæ sunt pijssimis, litteratissimisque viris, quorum exemplis, consilijs, doctrina, & dispensatione Sacramentorum iuvari queant fideles ad arctam vitæ capessendam viam: vt meritò à liberali, & munifica Sede Apostolica tot gratiæ, & privilegia emanarint in Religiones *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi*, Ephes. 4. 12.

SECTIO XIV.

Regressio ad Oratoria in domibus priuatis Sæcularium.

205 REDEO ad Oratoria privata in domibus Sæcularium; ne desinam adnotare residua plura. Et in primis potest quis lucrari in Oratorio privato Indulgentias concessas per Bullam Cruciatæ visitantib⁹ quinque Ecclesias, aut altaria, vel in eorum defectu quinquies vnum altare. Ratio est, quia in re favorabili extendendum est Ecclesiæ nomen ad Oratorium; seu potiùs quia Oratorium legitimè approbatum comprehenditur nomine altaris propriè dicti. Sic Castro Palao p. 4. Tract. 25. D. vnica, puncto 5. n. 7. Quintanaduenas tomo 1. Tract. 6. Appendicis, dub. 3. Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij diff. 8. dub. & puncto 2. n. 21. & Diana complures allegans p. 5. Tract. 12. Resol. 43. p. 10. Tract. 1. Resol. 29. & 31.

206 Deinde digna sunt obseruatu verba Francisci à Victoria in Sũma num. 89. aliàs 98. vbi ait (& ferè conspirante Martino Ledesmio prima 4. q. 24. art. 3. dubio 1.) * Quanuis offerantur privilegia celebrandi in domibus, maxima tamen irreverentia est, dicere Missã, vbi dormiũt vir, & vxor, cum, etiã si in Ecclesia dormierint, polluant. Clericis conuenit, istas devotiones corrigere; & Papa non concedit talia privilegia, nisi cum reverentia, & in loco honesto. * Ita Victoria. Cuius verbis adiungo alia, quę ex Monumentis Ordinum, & ex Supplemento affert Emmanuel Rodriguez tom. 1. Regularium quæstion. in 43. art. 4. *Concessit Alexander VI. eisdem Fratribus Minorib⁹, vt possint celebrare Missas in cameris Sæcularium, vel in plateis, dato, quòd non videãtur loca inhonesta, quia in cameris dormiunt coniugati, & in plateis fiunt multa profana.* Quare etsi in nonnullis privilegijs non excipiantur præfatæ cameræ, & plateæ, intelliguntur tamen exceptæ iurẽ divino naturali ob decentiam, & reverentiam Sacrificij, nisi subsit causa aliqua iusta, quæ faciat, ne sit illicita celebratio eis in locis, vt si ob magnam populi multitudinem, quam

Ecclesia

Ecclesiâ capere non posset, celebraretur in plateis, vel in cameris præfatis, eo quòd alter ex coniugib⁹ ægroraret, desideraretque vehementer audire Sacrum, aut non posset aliter suscipere viaticum. Ita Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 3. V. *Iam verò*, vbi inquit, ✻ Neque ex privilegio Sacrum facere licet nisi in loco decenti. In locis enim, vbi vel mensa, vel lectus sternitur, nisi ob gravem iacentis infirmitatem, vt communionem suscipiat, indecentissimum est, huiusmodi privilegijs vti. Imo vt sententiam meam proferam, nisi esset perillustris persona, mallem, vt cæteri, quando exire ad Ecclesias non possunt, die etiam festo Missam non audirent, quàm domi audirēt. ✻ Ostendit in postremis verbis Sotus, quàm parùm esset affectus ad Oratoria pro celebratione Missę in domibus Sęcularium. Ego tamen mallem oppositum eius, quod mavult Soto, nam si Oratorium sit decenter extructum, & ornatum, liberumque ab omnibus domesticis actibus, si item sit legitimè concessum ad Missæ celebrationem, & ab Ordinario loci visitatum, & approbatum, licebit proculdubiò, meliusque erit, celebrare ibi, audireque Sacrum die festo, quā non audire ob impedimentum adeundi Ecclesiam. Imò non pauci Doctores sentiunt, non omittendam tunc auditionem Missę in Oratorio absque reatu culpæ lethalis. De quo puncto agetur postea in D. 30. Quòd si iuxta Sotum ipsum, vbi nullus est contemptus, vel scādalum, vix contingere potest peccatum mortale per celebrationem extra Ecclesiam sine licentia Papæ, vel Episcopi, cur mavult, quod refutavimus? Nam ne sit vel peccatum veniale, quod nos malumus, faciet necessitas, faciet etiam licentia celebrationis, & auditionis in Oratorio.

207 Ne autem nimis abhorreatur celebratio Missarum in Oratorijs Sæcularium Illustrium, affero S. Augustinum in Lib. 22. de Civitate Dei Cap. 8. vbi refert, quendam ex suis Presbyteris obtulisse Sacrificium corporis Christi in domo Hesperij viri Tribunitij; item S. Ioannem Damascenum narrantem in historia Barlaam, & Iosaphat Cap. 19. fuisse peractum Sacrum ab illo in huius Palatio. Adduco etiam insignem Epistolam S. Gregorij Magni, quæ est 43. in Lib. 5. C. 143. Indictione 14. estque scripta ad Ioannem Episcopum Syracusanum de discordia inter ipsum, & Venantium Patritium, *Quantis causa fuerit* (inquit S. Gregorius) *quæ Fraternitatis Vestræ animos ad iracundiam non immeritò prouocaret, vt nec oblationes Domini Venātij voluissetis suscipere, nec in domo ipsius sacra Missarum fieri solemnia celebrari; tamen quia ita terrena agi debet vtilitas, vt nullum vos iurgium à charitatis valeat connexione disiungere: proinde Charitatem Vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus & oblationes antedicti Viri omnino in dulcedine, & Deo placita debeatis sinceritate suscipere, & in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis, aut, sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, & celebrando apud eum Missas, priorem gratiam reformare.* Sic S. Pontifex. Ex cuius Epistola intelligitur, vt monet Conditor Annalium Ecclesiasticorum Eminentissimus Baronius tomo 8. anno Christi 596. numero 15. *In domibus etiam priuatis consueuisse, dici Missas.* Plura alia similia antiquitatis exempla non rarò occurrunt, selegeruntque aliqua ipse Baronius anno 303. num. 39. & anno 377. num. 16. Suarez Libro 2. Defensionis fidei Catholicæ C. 6. num. 8. Valentia tomo 4. Disputatione 6. quæst. 11. puncto 3. V. *Secundò propter*, & V. *Secundò ad refellendas.*

208 Nihilominus multi hoc tempore desiderant, ne fierent ex priuilegio tam frequentes celebrationes in Sæcularium tectis. ✻ Vix crumena potentior aliquis, qui non sibi statim licere arbitretur, vt facultate donari præsumat Missæ intra familiares parietes exaudiendæ. Vtinam non è lascivienti strato interdum, vt alia indecora supprimam; & taceam, nobilium concursu publica viduata templa. Optimè quòd intra priuatorum lares locus remotior cū Sanctorū imaginibus ad devotionis fomentū; sed Missæ vt celebrentur, non nisi rarioribus indulgendū. ✻ Quæ sūt verba Nostri Sherlogi tom. 3. in Canticum Cantic. Salomonis Vestigat. 25. §. 2. litterali n. 12. Legantur etiam Ioan. Bernardus Diaz in Pract. C. 34. Petrus Lopez de Montoya Lib. 1. de Mysterio Missæ C. 6. Bernardinus Sandobalius p. 4. de Officio Eccl. Canonico Cap. 12. Alfonsus de Ribera in Histor. de Euch.

sanctissimo Sacramento Tract. 16. §. 8. Barnabas Gallegº in Explicatione Bullę Cruciatæ, Dubitatione 31. fol. 19. qui conqueruntur de aliquorum abusu in facultatibus obtentis pro Oratorijs, vbi Sacra fiant. Cæterùm Summi Pontifices exhibent se satis difficiles in huiusmodi licentijs concedendis, providentque magnopere honestati, & decentiæ Sacrificij diuinissimi quoad personas, in quarum domibus, & quoad locum, in quo Oratoria sunt erigenda, & Missæ celebrandæ.

209 Hinc in privilegio Oratorij solent apponere hanc clausulam, *Tibi N. Diœcesis N. qui, vt asseris, de nobili genere procreatus existis*, qua conditione nobilitatis non verificata indultum reputabitur subreptitium, nam est conditio, qua non existente, non concederetur rescriptum gratiæ de Oratorio, vt ex Curiæ Romanæ stylo notum est. Videatur Sanchez Lib. 8. de Matrimonio D. 21. num. 17.

210 Solent etiam Pontifices in eodem privilegio affigere & hanc clausulam, *Vt in tua, & familiæ tuæ præsentia, necnon hospitum tuorum nobilium celebrari facere liberè, & licitè possis, & valeas, indulgemus.* Videturque, cum hospitibus intelligi filios ipsorum, & famulos comitantes. Sufficereque hospitium vnius diei, & inuitationem ad prædium ex fine etiam, vt nobilis inuitatº particeps fiat illius privilegij, censent Pellizarius num. 150. & Tamburinus num. 33. Illud certum est, conditionē nobilitatis in hospitibus esse necessariā, non secus ac in domino Oratorij: hospitumque nobilitatem debere consistere in eo, quòd sint ex nobili genere procreati, affirmat Tamburinus numero 32. sed, ni fallor, sufficiet nobilitas personalis, quam hospites ipsi compararint beneficio Principis, vel Reipublicæ, nā in eis postulat Pontifex, quòd sint nobiles, non verò, quòd sint ex nobili genere procreati, vt requirit in dño Oratorij.

211 P. Thomas Sanchez supra D. 19. n. 6. affirmat, nobilem esse quēpiam nequire, nisi ex nobili genere originem ducat. At id tantùm verum est de persona absolutè, plenoque ore, nobili. Docet nos eò in loco Sanchez, & cum eo extensiùs Baptista Fragosus p. 1. de Regim. Reip. Christianæ L. 3. D. 6. §. 8. n. 139. & 140. vt quis dicatur nobili genere procreatº, necessariam esse, & sufficientem nobilitatem ex parte patris, atque adeò non desiderari ex parte matris. Loquitur Sanchez de nobilitate, quam *Hidalguiam* vocamus, & iuxta Ius Castellę, in qua (vt est in proverbio vernaculo) *El caballo lleua la silla*, Idemquemet Sanchez Lib. 7. D. 24. n. 1. tradiderat, non esse reuera vndecumque nobilem, neque dici talem, nisi qui paterno, & materno simul genere nobili procedit; quanuis *Hidalgus* sit, & vocetur, qui ortum trahit ex matre ignobili, sed ex patre, atque auo nobilibus, id est, exemptis, ne Regi soluant pactū, vulgò *pecho*. Ille verò, qui gaudet nobilitate ex vtroque parente, *Hidalgus* est ex omnibus quatuor lateribus, vulgò, *Hidalgo de todos quatro costados*. In Italia, & alibi plurium locorum ille cēseturnobilis, qui per aliquot generationes non exercuit artem mechanicā, vt inquiunt Pellizarius num. 139. Tāburinus num. 4. habentes sermonem de nobili ex genere.

212 Persuadeo mihi, Pontificem in privilegio Oratorij, & in dispensationibus pro matrimonio loqui de huiusmodi nobilitate, quando etiam Hispanis concedit privilegium, aut dispensationem; si enim de nobilitate, de qua Sanchez, fieret, vt plurimæ dispēsationes evaderent apud Hispanos contra mentem Pontificis validæ pro hominibus exercentibus artem mechanicam, nam nobilitas *Hidalguiæ* non amittitur per huiusmodi exercitium, vt cū multis Iurisconsultis Hispanis notat Fragosus supra §. 9. n. 168. Pontifex autē dispēsans ex causa nobilitatis in aliquibus impedimentis valde notabilibus respectum habet ad familias illustris, & spectabilis conditionis. Fieret etiam è contra, vt multæ evaderent subreptitiæ, & nullæ, siquidem non pauci degētes in Ciuitatibus, & Oppidis exemptis, quorum incolæ non soluunt Regi pactum, habentur inter *Hidalgos* (eo quòd desit ibi distinctiuum statutum, in quorum vno contribuatur Regi pactum secus in alio) cum tamen reuera nō sint *Hidalgi*; durumq; foret, si tenerentur prodere suam ignobilitatem, aut Ordinarij, quibus committitur iudicium de conditionibus, deberent capere informationes, facereque, quas appellamus *pruebas de Hidalguia*. Satis igitur

igitur erit, quòd privilegiatus, vel dispensatus non exerceat artem mechanicam, & quòdnec pater, neque avus exercuerint; sufficietque respectu patris, & avi opinio communis, quanuis falsa sit re ipsa. Vnde consultus circa quandam dispensationem matrimonialem dixi, non vitiari rescriptum Pontificiæ gratiæ ex occulto patris exercitio in arte mechanica.

213 Consequenter ad dicta declaratur facilè quędam potestas, quę in Bulla Cruciatæ conceditur eius Cōmissario Generali, vt nimirū nobilib⁹, & qualificatis iuxta ipsius arbitrium possit dare licentiam ad celebrandum, vel faciendum celebrari per horam ante lucem, & post meridiem: agnoscit similem potestatem in Viceeancellario Summi Pontificis Marcus Antonius Cucchus Libro 5. Institutionum Iuris Canonici tit. 6. num. 37. & in num. 43. potestatem etiam ad licentiam altaris portatilis dominis terrarum, & locorū, Abbatibus, vel Prioribus Monasteriorum, Consiliarijs magnorum Principū. Quæ vtraque potestas an sit nunc temporis in vsu? scietur Romæ. Et ex secunda, si in vsu sit, fiet credibilior pars alia Commissarij Generalis Cruciatæ notata iam à nobis in num. 150. quam inter cęteras sui Officij edidit prælo datas in publicum Madriti anno 1642. Illustrissimus D. D. F. Antonius de Sotomayor, estque nona in ordine; & ei⁹ vsum exercęri ab Illustrissimo Cōmissario testatur Barnabas Gallegus in Explicatione Bullæ Cruciatæ impressa Madriti anno 1652. Dubitatione 182. fol. 180. affirmans, se ita audivisse ab ore Illustrissimi D. D. Petri Paciecci, qui & hodie est Commissarius Generalis. Sed vt redeam ad primam potestatem, monet Castrus Palaus Tract. 25. Disp. vnica, puncto, atque numero 11. nobiles esse, qui Iure communi, vel statuto, vel patrię consuetudine tales creduntur, seu in publica æstimatione habentur, quanuis re ipsa tales non sint, vt magis exprimit Andreas Mendus Disp. 37. in Bullam Cruciatæ C. 12. num. 99. Rursus advertit Castrus Palaus, qualificatos esse, qui aliqua generis; vel officij illustris qualitate sunt insigniti; declaratque magis Franciscus Bardi p. 3. In Bullam Cruciatæ Tract. 4. C. 3. numero 8. conditionem qualificationis non esse distinctam à conditione nobilitatis; sed Pontificem relinquere arbitrio Commissarij, quæ personæ existimandæ sint qualificatæ ratione alicuius nobilitatis; quæ scilicet iuxta Bardi proveniat vel ex sanguine, vel ex officij dignitate, vel ex gradu Doctorat⁹; vel ex privilegio Principis, vel ex diuitijs, ita tamen vt non lordeat exercitio vilium artium.

214 Ad hæc: in Oratorij indulto ponuntur ex vsu hæc verba, *Vt in priuato domus tuæ solitæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando, ab omnibus domesticis vsibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarij licentia eius arbitrio duratura, vnam Missam pro vnoquoque die, dummodò in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc durat, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem:: celebrari facere liberè, & licitè possis, & valeas; indulgemus.* Circa quæ verba dubitatur, an casu quo in domo eadem sint duæ familiæ, quarum domini obtinuissent Oratorij privilegia, possit suo vti, qui posteriùs tempore obtinuit, si suo vtatur, qui pri⁹ tempore impetravit? Propono sub his terminis difficultatem, nā si qui priùs tempore nactus est, nolit vti, videbitur alicui, non esse Pontificis mentem, vt invalida sit concessio facta alteri: & cum Pontifex dicat, *Dummodò in eadem domo celebrandi licētia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*, indicat apud me satis apparenter, esse sibi sermonem de licentia, cuius vsus continuetur. Sed Diana parte 11. Tract. 5. Resol. 35. Pellizarius n. 144. & 145. Tamburinus Lib. 1. de Missa C. & §. 4. num. 20. supponunt, aut exprimunt, esse prorsus nullam concessionem posteriorem. Quod ego alijs considerandum relinquo.

215 Et ad difficultatem respondeo affirmativè, si habitationes sint omnino distinctæ, habentesque suas ianuas, quanuis vnam communem ad viā publicam; si item familiæ sint prorsus diversæ, quin vna dependeat ab alia, & quin dominus vnius gaudeat vllo dominio, aut potestate in aliam. Nam in talibus circumstantijs etsi domus sit eadem materialiter, non tamē moraliter,

seu civiliter, & politicè; perindeque cogitandum est de sic viventibus in eadem domo materialiter, ac si degerent in diversa, vel etiam in alio vico. Ita videmus practicari Madriti. Favent nobis Megala apud Dianã supra, & Tãburinus supra num. 22. sed hic, si domus sit amplissima. Cæterùm nostra ratio, quæ est etiam Tamburini, æquè valet, tametsi domus non sit valde ampla. Cõfirmamus responsionem datam, quia qui viverent in habitatione sic distincta eiusdem materialiter domus sine vlla dependentia à domino alterius habitationis, si interessent Sacro celebrato in Oratorio illius alterius habitationis, non satisfacient præcepto in die festo, etiamsi dominus prædictus fruatur privilegio Bullæ Cruciatæ; ideò autem non satisfacient, quia nec sunt de eius familia, nec de eius domu, seu quia nõ sunt familiares, nec domestici eius, nisi materialiter.

216 Rursus dubitatur de functionibus Ordinarij circa Oratoria. Dicimus autem, visitari debere ab Ordinario loci, in quo constituendum est Oratorium; nempe ab Episcopo, vel ab eius, aut Capituli, sede vacante, Vicario generali, vel ab alio, cui Ordinarius loci deleget, est enim actus pertinens non ad Ordinis, sed ad iurisdictionis ordinariæ potestatem, commissusque Ordinario non sub nomine proprio, sed sub nomine dignitatis. Item dicimus, visitandum esse Oratorium non nisi semel, & gratis; eoque visitato, & approbato, dataque licentia (quæ necessaria est ad validam Oratorij constitutionem) Ordinarius non habet ius, vt amplius visitet, neque vt procurationẽ exigat, neque vt impediat, aut limitet celebrationem cõcessam à Summo Põtifice iuxta tenorem privilegij: Non habet, inquam, ius ad iteratam visitationem, nisi licentia fuerit data, vt duret eius arbitrio (quæ adhuc non expirat per eius mortem, quandiu à successore non revocatur iuxta C. *Si gratiosè*, de Rescriptis in 6: est enim gratia potiùs dignitatis perpetuæ, quàm personæ particularis) nisi temporis decursu emergat rationabilis, & iusta causa, quę visitationem suadeat; debetque interuenire talis causa, etiam quando data est licentia eius arbitrio duratura, per hanc enim clausulam significatur arbitrium boni viri, rectaque proinde ratione; & iusta causa regulatum, atque morum. Nec solùm poterit Ordinarius, concurrente causa dicta, repetere visitationem, sed etiam revocare licentiã datam. Imò etsi talis clausula non fuisset apposita in privilegio, poterit Episcopus impedire celebrationem in Oratorio priuatæ domus Sæcularis faciendam etiam à Religioso exempto, si Episcopo constaret, non peragendam sine indecoro contra diuinum cultum. Hæc enim potestas ad Episcopum pertinet iuxta Concilium Tridentinum Sess. 21. C. 8. de Reformatione, & Sess. 22. in Decreto de obseru. in celeb. Miss. & C. 8. de Reformatione. Neque id opponitur dictis à nobis in num. 176. ibi enim sermo fuit de impeditione ex meta voluntate libera Episcopi.

217 Vlterius dubitatur de extructione, & ornatu Oratorij. Respondeo cum Concilio Mediolanensi 1. p. 2. in pertinentibus ad celebrationem Missæ, *Deberenon esse in interiorum ædium partibus, in quibus domini, vel familia frequẽtius versentur, sed commodo, & honesto loco, à cubiculis, triclinijs, & ab aula separato, ita vt ad templi formam, & regulam propiùs accedant. Item debere non ita angusta esse, vt qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestrã stare cogantur, aut denique ibi Sacris interesse, vbi promiscuè profanum aliquod exerceatur.* Rursus respondet Tamburinus n. 8. ✠ Debere locum ita esse constructũ, vt discernatur esse diversũ ab alijs eiusdem domus locis ad vsus profanos designatis; & ita ornatus pia aliqua imagine, ornamẽtisq; altaris instructus, vt sacer appareat. Non puto tamen, necessarios esse quatuor muros cũ ianua, cùm satis videatur esse, si sint tres muri Oratorium separatim efformantes, licet patente ad prospectum quarto, vicè ianuæ. ✠ Sic ille, & nos cum ipso. Addimusq; cum eodem, vius domesticos, & profanos etiam, qui in casu necessitatis non forent illiciti in Ecclesia consecrata, vel benedicta, fore minus illicitos in Oratorio nec consecrato, nec benedicto, si casus necessitatis vrgeat: peccata verò, quæ in Ecclesia ob eius violationem forent sacrilegia, non habitura istam malitiæ speciem in huiusmodi Oratorio, vtpote quod non violetur per peccata illa. Legatur Baptista Fragosus parte 1. de Regimine Reipublicæ

blicæ Christianæ Lib. 2. Disp. 4. §. 19. num. 259. & 263. Tandem concludimus, Oratorij locum posse transire ad ad vsos domesticos, atque profanos, si dominus nolit, eum ad sacros deseruire; possèque iterùm redire ad hos, si dominus velit, & accedat visitatio, approbatioque facta ab Ordinario.

218 Et hæc de Oratorijs in domibus privatis Secularium ad Missę celebrationem ex concessione Summorũ Pontificum. Nec audiendus est Marcus Vidal lectus à nobis post hæc scripta, qui in Arca vitali, Inquisitione 5. de Iurisdictione num. 16. dixit novissimè anno 1650. in Oratorio privatæ domus dedicato tantùm diuino cultui permanenter, & in loco decenti, ac honesto, posse hìc, & nunc Episcopum licitè cõcedere licentiam Sacrum faciendi absolutè, & simpliciter, existente tamen iusta, & rationabili causa. Quæ sunt verba Marci Vidalis, à tantis pro se in num. 35. Cardinalem de Lugo, quia in Disput. 20. sect. 2. numero 48. scripsit * posse hodie celebrari in Oratorijs privatis non benedictis, quæ tamen ad illum solum vsum deputata sint, & ab Episcopo designata. * Sed debuisset notare Vidal id, quòd in num. 50. aduertit Lugus, nimirùm * Hodie per Breue Pauli V. ablatam esse facultatẽ Episcopis, vt concedant licentiam habendi Oratoria in domibus privatis ad celebrandum. * Et quanuis in illis alijs verbis superioribus vsus sit Lugus aduerbio *Hodiè*. fuit per contrapositionẽ ad tempora antiquiora, in quibus locus Missæ debebat esse cõsecratus, vel saltem benedictus. Nihilo feliciùs expedit se Vidal à prohibitione Pauli V. dum respondet, non fuisse intimatam per Breve, sed per Epistolam Cardinalis Horatij Lancilloti anno 1615. die 20 Martij, missam de Sanctissimi iussu ad Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos; vel eò tantùm respexisse, vt Episcopi non concederent licentiam celebrandi per modum actus in loco quanuis decenti, beneque præparato priuatarum domuum; & neque per modum habitus in illarum loco deputato permanenter ad diuinum cultum, nisi subsit concedendi iusta, & rationabilis causa. Sed certè quòd intimatio facta sit per Epistolam, non adimit iussui Pontificio vim obligandi. Quòd verò Paulus V. prohibuerit tantùm, ne pro mero beneplacito Episcoporum celebraretur per modum habitus in Oratorijs priuatarum domuum, relicta ipsis potestate, vt, si iusta, & rationabilis causa interueniat, ipsi præberent facultatem, quia opus esset recursu ad Apostolicam Sedem, est interpretatio prorsus aliena à Pauli V. mente, & ab obseruantia, quæ subsequuta fuit in locis, vbi intimata est, & recepta prohibitio illa.

219 Verum quidem est, Paulum V. anno 1618. die 30. Iulij (vt testatur Trullench Lib. 1. in Bullam Cruciatæ §. 3. dub. 4. num. 5.) temperasse prohibitionem illam; sed denuò renouavit Vrbanus VIII. vt vltra alios tradit Garcia Tract. 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 8. dub. & puncto 2. num. 15. atq; ita videmus obseruari inuiolabiliter in Hispania. In qua ad annum 1483. Cõcilium quoddam Toletanum Act. 3. C. 42. iusserat, *Ne Episcopus licentiam concederet celebrandi in priuata domo, etiamsi haberet Capellam.* Ita apud Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. & n. 13. Vbi obiter moneo, Arriagæ D. 54. sect. 4. num. 27. non videri improbabile, nomine privatæ domus non includi eas, quæ sunt magnorum Dominorum. Cæterùm in Hispania nunc temporis recurritur etiam pro harum Oratorijs ad Summum Pontificem, vel ad eius Nũcium, si delegatam afferat potestatem ad huiusmodi licentiam.

220 Non meminit Vidal prohibitionis factæ ab Vrbano VIII. forsan quia in Dominio Veneto, vbi ipse scribit, non est publicata. Thomas etiam Tamburinus scribens in Regno Siciliæ ait Lib. 1. de Missa Cap. 4. §. 2. num. 5. se iustis de causis tacere, an nunc possit, necne, Episcopus deputare in Domibus privatis Oratorium, in quo indifferenter ab omnibus per modum habitus celebretur?

221 Sed ad quemcumque spectet ea licentia, audiui sæpe pios viros cupientes, vt saltem pro diebus festis nõ concederetur nisi personis illustribus, impeditis morbo, aut senio exire domũ. Olimque in Capitulis Caroli filij Ludouici anno Christi 876. Cap. 7 pag. 414. dicebatur, *Seculares, & fideles diebus festis, qui in Ciuitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant, & qui in villulis, & possessionibus sint, ad publicum Officium*

cium in plebem festinent. Et nullus latibulosa Missarum in suis domibus Officia celebrare præsumat sine sui rationabili licentia Episcopi. Similia alia leguntur in Capitulis Caroli Magni, & Ludovici Pij L. 5 C. 38. fol. 122. C. 182. fol. 154. L. 6. C. 101. fol. 103. C. 205. fol. 210. L. 7 C. 59. fol. 268. C. 307. fol. 316. Cap. 329. fol. 320. & in Addit. 2. C. 10. fol. 352. necnon in Rege Nostro Alfonso Sapiente leg. 4. & 5. tit. 10. Part. 1. Et inter Ethnicos Plato L. 10. de Legibus iubebat, ne in privatis ædibus Sacella haberentur ad Sacrificia, sed, vt, qui ea procuraturi essent, accederent ad publica: notatusque est Alcibiades, quòd domi suæ ausus esset sacrificare, vt refert Æmilius Probus. Quanquam Gentilibus vetitum non fuerit, quin potiùs valde vsitatum, habere domi Oratoria, & Sacella, vt multis comprobat, & illustrat Sherlogus supra num. 11. & 12. delibatque Ioannes Suarez de Mendoza ad leg. Aquiliam Lib. & C. 2. sect. 6. num. 35. & seqq.

222 Quare mirum non est, si *Vnicuique fidelium in domo sua Oratorium liceat habere, & ibi orare; sed Missas ibi celebrare non liceat*, vt dicitur C. *Vnicuique* 33. de Consecratione Dist. 1. Neque item mirum est, quòd in Concilio Metensi tempore Imperatoris, aut Regis Arnulphi C. 5. iussum sit, *Ne in locis nõ consecratis, id est, in sclarijs, siue in cubiculis propter infirmos, vel longius iter Sacrificium offerretur.* Quod Decretum quoad illa verba, *Vel longius iter*, etsi non sit de facili conciliabile cum eo alio, de quo in C. *Concedimus* 30. de Cons. Dist. 1. possumus tamen interpretari, vt tantùm ex decentia vetuerit, ne causa longioris itineris res diuina fieret in locis non cõsecratis, si non fuisset obtenta facultas à Superiore. Si non placeat interpretatio, dicam, seueriorem fuisse disciplinã Ecclesiasticam Concilij Metensis, quã Triburiensis, seu potiùs Moguntini celebrati vno antea anno. Et quidem *non omnibus annis*, neque omnibus locis *omnia conueniunt. Et rebus cunctis inest quidã velut orbis, vt quemadmodùm temporum vices, ita & morum sint*, vt ait Cornelius Tacitus.

223 Post scripta etiam in superioribus animaduerti, F. Barnabam Gallegum in Explicatione Bullæ Cruciatæ Dubitatione 36. fol. 24. dicere, fuisse à P. Andrea Mendo Disput. 16. in eandem Bullam C. 2. num. 10. absque vllo prorsus fundamento affirmatum, quòd virtute Bullæ S. Cruciatæ possit in Oratorio priuato celebrari die Paschatis, satisfierique præcepto audiendi Sacri, & cum idem ipsum sit à me assertum supra num. 175. timere possem, ne comprehenderet me sub eadem censura quispiam, quem laterent Authores alij faventes P. Andreæ Mendo, & mihi; suntque Emmanuel Rodriguez in Additionibus ad Bullam S. Cruciatæ §. 5. num. 1. fol 5. & 6. Trullench ad eandẽ Bullam Libro 1. §. 3. dub. 4. num. 11. pag. 132. Bardi ad eandem Bullam parte, & Tract. 2. C. 6. sect. 2. num. 21. pag. 155. Quintanaduenas tomo 1. Tractatu 7. Sing. 33. num. 5. & siqui sint alij apud Dianam parte 9. Tract. 1. Resol. 14. Imò & ipse Gallegus, nam ibidem tradit, posse quem die Paschatis communicare ex deuotione in Oratorio priuato; & cum in hoc non asseruari soleant formulæ præconsecratæ, sequitur, debere eo die celebrari, vt queat suscipi Eucharistia. Iam verò rãtùm absumus, vt careamus fundamẽto, vt potiùs habeamus illud, valdeque solidum, nam verba Bullæ transcripta in n. 143. nõ faciunt exceptionem diei Paschatis nisi ad receptionem Eucharistiç, & de celebratione Missę, iam anteà, non proximè, sed allquantulùm remotè actum fuerat, non apposita exceptione illa; quæ, vt non cadit supra concessiones alias in ea clausula contentas, sic neque supra concessionem celebrationis. Hæc ratio mouit Franciscum Bardi ad reijciendum Vincentium Riccium, qui in eadem fuit opinatione, ac Gallegus, & eadem me cogit, vt neutri assentiar. Addo, si exceptio diei Paschatis iuxta Gallegum intelligitur, & benè quidẽ, de tota quindena Paschali quoad receptionem Eucharistiæ ex præcepto, fore, vt etiã intelligeretur eodem modo quoad celebrationem Missæ; atque adeò non solùm primo die Paschatis, sed neque alijs festis quindenæ illius posset celebrari in Oratorio priuato ad satisfaciendum præcepto celebrandi, vel assistendi celebrationi: quod tamen non concedit, sed expressè negat Gallegus ibidem, & in Dubitatione sequenti. Porrò autem sumere diem Paschatis in vno sensu quoad receptionem Eucharistiæ,

stiæ, & in alio quoad celebrationem Missæ, satis ex se apparet absurdum, ni fallor. Quę dixi in hoc numero intelligenda sunt sub cautione exhibita in numero 162.

224 Sed antequàm cum bona gratia a perdocto Magistro Gallego discedam, observo, ipsum in Dubio 31. fol. 20. cum sententiæ, de qua in num. 143. & seqq. noram improbabilitatis siue ex sua, siue ex aliena cēsura affixisset, referre tanquam singulares patronos illius Ludovicum de Cruce Franciscanum, & alios Modernos innominatos Societatis Iesu. Enimverò si illa sententia est improbabilis, anteśignanū habuit Dominicum Sotum suæ clarissimæ familiæ Dominicanæ, quem citare potuisset ex Diana, vti ex eo allegavit Societatis Recentiores. Non nego, aliquos fuisse illius sententiæ, præsertim ante Decretum Vrbani VIII. quos ego jam supra recensui; at multò plures, imò plerique in contrariam abierunt. Quare nomine Modernorum Societatis non debet significari, neque intelligi, esse opinionem Scholæ nostræ. Quòd si fuisset, possent amicè expostulare mihi cum Magistro Gallego de improbabilitatis censura; nam & ipse verbis, quæ in Hispano idiomate, in quo scribit, sonant non vrbanum quid, reprehendit Dub. 139. fol. 141. quendam Scriptorem Nostrum, quòd improbabilitatis practicæ nota inusserit opinionem quādam, cui multi ex Lycæo Dominicano subscripserant. Noico, disceptationes has de opinionibus esse ferè inevitabiles inter Theologos; sed expedit imitari Angelos, de quibus Danielis C. 10. est sermo, ita vt semper salva sit vtrinq; charitas; imitandus etiam est Archangelus Michael, qui, cum disputans *altercaretur*, vel *cum Diabolo, non est ausus inferre iudicium blasphemiæ*, vt dicitur C. 4 B. Iudæ Apostoli, V. 9. Ideo autem hæ quæstiones degenerant aliquādo in verba amata, quia *Sunt multi Theologi, & aliqui Religiosi, qui magis adhærent aliquibus opinionibus, quia sunt opiniones Magistri sui Ordinis, vel patriæ, quàm pro ipsa veritate, cum tamen dicat Philosophus 1. Ethicorum, quòd sanctum est, præhonorare veritatem, & Plato dixit de Socrate Magistro suo, Amicus quidem Socrates, magis amica est veritas.* Quæ sunt verba Nicolai Lyrani in Moralibus super Biblia ad C. 3. Ioannis. Quæramus igitur veritatem, & pro ea indaganda disputemus siue cū exteris, siue cum domesticis, pervrgēdo proprias rationes, & contrarias soluendo, nō tamen digladiando, nec verberando. Et vtinam possimus cum Iob C. 25. V. 2. canere, *Qui facit concordiā in sublimibus suis!* Revertor eò, vnde abij.

225 Imò quæ dixi, sint satis de loco Sacrificij diuinissimi. Claudoque Disputionem verbis S. Augustini Lib. 15. de Civitate Dei C. 7. dictis de loco, alijsq; circumstantijs Sacrificij in genere ad illa Dei ad Cain iuxta LXX. Genesis 4. *Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti?* Circa quæ sic S. Doctor, *Rectè offertur Sacrificium, cum offertur Deo vero, cui vni tantum modò sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non discernuntur rectè vel loca, vel tēpora, vel rēs ipsæ, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi, quibus ad vescendum distribuitur, quod oblatum est, vt diuisionem intelligamus hic discretionem, siue cum offertur, vbi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet: siue cum offertur, quādo non oportet, aut quod non tunc, sed aliàs oportet: siue cum id offertur, quod nusquam, & nunquam penitus debuit: siue cum electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea, quæ offert Deo: siue cum eius rei, quæ oblata est, fit particeps, prophanus, aut quilibet, quem fas non est fieri.*

DIS-

DISPVTATIO XXIIII.

DE ALTARI AD CELEBRATIONEM Missæ.

1 POST TEMPLVM SEquitur altare, quæ, & Sacrificium sunt quadantenus relatiua. Vnde vt notauit sapientissimus, pijssimusque Cardinalis Bellarminus Libro 1. de Missa Cap. 2. ab eadem radice Hebraicè, & Græcè deducitur Sacrificium, & altare. Licet autem absolutè, & simpliciter Sacrificium Missæ confici possit extra templum, & non supra altare, vt obseruauit Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus in probatione secũdi Capitis Concilij Florentini Sect. 7. inquiens, non requiri adeò indispensabiliter templum, & altare, quàm necessaria sunt materia, & forma, Sacerdos, & intentio; tamen communiter debet intra templum peragi iuxta dicta in Disputatione præcedente, & an contingere possit casus, in quo liceat conficere illud, & non supra altare? Tractabitur infrà; indeque constabit, quàm penè indispensabilis sit necessitas altaris. Agimus igitur de eo cum Sancto Thoma ad 5.

SECTIO I.

Præmittitur Altaris etymologia, atque diuisio. Et posteà discutitur eius materia, atque artificium.

2 ALTARE dicitur ab alendo, quia igni altaris addebatur alimentum, vel dicitur potiùs quasi alta res, vel quasi alta ara, in qua Sacrificia immolabãtur Dijs Superis, nam ijs Sacra faciebant Gentiles in ædificijs à terra exaltatis, & Dijs terrestribus in terra, Dijs autem inferis in effosa tellure. Rursus ara dicitur quasi area pura, vel plana, vti solent esse areæ in Vrbibus; vel dicitur ab ardendo, quia ibi victimæ ardere solebant; vel *à quasi arida, quæ enim cremantur super altare, arescunt in cineres*, vt inquit Petrus Blesensis Sermone 46. vel à votis siue in bonam, siue in malam partem conceptis ad aras, seu inter sacrificandum, aras enim Græcè vocamus vota, & arę sunt & preces, & diræ, vt notat Cerda ad V. 496. Lib. 12. Æneidos; vel nomen ansa mutatum est in nomen ara, cum olim sacri-

sacrificantes tenerent ansas tripodum, vel orantes apprehenderent manibus aras.

3 Duplex apud Christianos est altare, aliud portatile, quia portari potest ex vno loco ad alium, ideoque Capite vltimo de Privilegijs in 6. & Cap. *In his* 30. de Privilegijs vocatur *Viaticū*. In Cap autem *Concedimus* 30. de Consecratione Dist. 1. & apud Bedam Lib. 5. Historiæ Anglorum C. 11. appellatur *Tabula altaris consecrata*, *tabulá altaris vice dicata*, & in Ordine Romano *tabulá itineraria*: à Græcis nuncupantur *antimensia*, siue *superaltaria*, vt videre est in Theodoro Balsamone ad C. 31. Synodi Costantinopolitanę in Trullo, & ad C. 7. Synodi 7. necnon in alijs Græcis collectis à Iulio Cæsare Bulengero C. 30. de Templis, & à Duranto Lib 1. de Ecclesiæ Catholicę ritibus C. 23. num. 7. Aliud est stabile, ac fixum, cuius planities lapidea connexa est, & affixa basi, estque consecrata. Primum solet intelligi nomine arę sacræ; & nomen altaris accommodari consuevit non solùm secundo, sed etiam mensæ, cui ara, seu altare portatile superadditur. His prę-missis.

4 Angelicus Doctor ad 5. ait, *Sicut legitur de Consecratione Dist. 1. altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis vnctione non consecrentur. Quod quidem competit & significationi huius Sacramenti, tum quia altare significat Christum; dicitur autem* 1. *Cor.* 10. *Petra autem erat Christus; tum etiam quia corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum: competit etiam quoad vsū Sacramenti, lapis enim & solidus est, & de facili potest inueniri vbique. Quod non erat necessarium in veteri lege; vbi fiebat in vno loco altare. Quòd autem mandabatur, altare fieri de terrā, vel de lapibus intactis, fuit ad idololatriam remouendam.* Cū S. Thomā concordat Missale, in cuius Rubricis generalibus §. 20. dicitur, *Altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum: vel saltem ára lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta; quæ tam ampla sit, vt hostiam, & maiorem partem calicis capiat.* Sic ibi; & titulo de defectibus in celebratione Missarū occurrentibus §. 10. proponitur inter eos defectus, si celebretur *in altari non consecrato.* Canon, qui citatur à S. Thoma, est Concilij Hypponensis apud Gratianum Can. *Altária si non fuerint* 31. de Consecratione Dist. 1. & apud Ivonem p. 3. C. 30. sed Epaunensi Concilio, in cuius Cap. 26. legitur, tribuendus est cum Burchardo Lib. 3. C. 25.

5 Non tam præcipitur eo Canone, similiq; alio S. Evaristi Papę Decreto relato post duas huius Papæ Epistolas in tomo primo Conciliorum, vt altaria sint lapidea, quàm hę consecrentur, si lapidea non sint. Cum quo staret, vt possent esse lignea, quamuis deberēt non consecrari, quæ lignea forent. Porrò autē S. Sylvester Papa, posterior S. Euaristo, videtur primus statuisse, vt altare esset lapideum, retento tamen in Lateranensi Ecclesia ligneo illo, in quo celebraverat S. Petrus. Ita narratur in Breviario Romano lectione 6. ad Dedicationem Basilicę Salvatoris die 9. Nouembris. Et de lapidei vsu cōstat ex SS. Dionysio Areopagita Cap. 3. de Eccles. Hier. Cypriano in Sermone de vnctione chrismatis, Chrysostomo Homilia 20. in 2. ad Cor. Gregorio Nysseno Oratione de Baptismo, Augustino Sermone 255. de Tempore, Prato spirituali C. 196 Ex dictis desinet quis mirari cum Arriaga D. 55. sect. & num. 1. qua cohærentia asseruerit P. Suarez D. 81. sect. 5. consuetudinem altaris lapidei incæpisse tempore S. Sylvestri, cum tamen S. Evaristus, qui antiquior fuit, statuerit iuxta eundem Suarium, vt non consecrarentur altaria, si lapidea non essent. Desinet, inquam, mirari, si attendat, S. Evaristum non iussisse, vt omnia altaria lapidea forent, sed illa tātùm, quæ consecrarentur. Vt taceam, nō omnino constare, esse S. Evaristi Decretū illud, quod ipsi attribuitur. Post S. Sylvestrum S. Optatus Milevitanus Lib. 6. aduersus Parmenianum meminit altarium sub nomine lignorum coopertorum linteaminibus. Forsan in Africa non tam citò defuerunt altaria lignea.

6 Quanquam verò in quibusdam templis reperiantur nunc altaria non ex lapide duro, sed opere lateritio constructa, vel ex gypso, admixto cæmento, vt testātur Layman Lib. & Tractatu 5. C. 6. n. 1. & Bauny Tractatu 6. quæst. 16. tolerari possunt, quæ sic sunt facta, & in vsu ex Summi Pontificis virtuali saltem, & tacita licentia; sed in posterum sine formali, & expressa nō deberent

deberent alia fieri, novuſque introduci eorũ vſus, vtpote abhorrens in re adeò gravi à tam antiquo, tamque recepto in Dei Eccleſia ritu, à quo proinde diſcrepare non carebit crimine, vt monet Maiolus tomo 1. dierum Canicularium Colloquio 18. pag. 322. Videtur tamen, poſſe in aram conſecrari lapidem ſpicillum (*Eſpejuelo* Hiſpanicè, *Talco* Italicè dictum) ſi non ſit ſectus in tenuem, flexilemque laminam, & quæ facilè fracturam ſubeat. In quo adhæreo Ioanni de Dicaſtillo Tract. 5. D. 4. Dubio 8. num. 142. Cum dico, altare debere eſſe lapideum, loquor cum Cõcilio Coyancenſi titul. 3. cum Chriſtianiſsimo Rege Carolo, aut Ludovico Pio Lib. 7. Capitul. 99 cum Rege Alfonſo Sapiente leg. 12. tit. 10. Partita 1. & cum Concilio Mediolanenſi infra de ara, ſeu de altari viatico, & de menſa ſuperiori altaris fixi, non autem de tota alia ſtructura, nam hæc poteſt eſſe vel ex ligno iuxta Sacrã Congregationẽ Rituum apud Barb. de Iure Eccleſ. Lib. 2. Cap. 7. num. 6. vel ex lateribus, vel ex terra cum calce, & ſabulo, aut cæmento.

7 Figura altaris debet eſſe quadrangularis, quia ſic fert vſus, & quia commodior eſt. In Vita S. Vvalfranni Archiepiſcopi Senonenſis apud Surium die 20. Martij refertur, habuiſſe *Altare conſecratum in quatuor angulorum locis, & in medio reliquias continens Sanctorum, in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat.* Notentur illa *In quatuor angulorum locis*, monſtrant enim, fuiſſe quadrangulum.

8 Non poteſt ex duobus lapidibus Invicem colligatis ad modum libri fieri altare portatile, ita vt vnus lapis capiat ſolum calicem, & alius ſolam hoſtiam, quia etſi tale altare eſſet vnũ moraliter ratione artificialis colligationis, tamen, adnotante Amico D. 33. ſect. 12. num. 355. necnon Fagundez In 1. Præceptum Eccleſiæ Lib. 3. Cap. 22. num. 9. poſt Sylveſtrum V. *Altare* num. 3. Vazquium D. 233. C. 2. n. 16. & poſt Bonacinam D. 4. de Sacramentis quæſt. vltima, punct. 9. num. 13. refragatur conſuetudo introducta ad denotandam in Chriſto vnam phyſicè perſonam. Et ob eandem conſuetudinem, ac myſterium videtur, altaris fixi menſam non poſſe conſtare ex lapidibus advnatis in ea parte, cui calix, & hoſtia ſuperponuntur; licet Authores non loquantur expreſsè niſi de altari viatico, vt obſervavit Franciſcus de Lugo Lib. 5. Cap. 7. quæſt. 2. num. 21.

9 Magnitudo, & latitudo altaris tam fixi, quàm mobilis debet tanta eſſe, quãta ſufficiat, vt capiat hoſtiã, aut patenam, & pedem calicis abſque periculo lapſus, & de petrâ ara dicitur in Concilio Mediolanenſi 4. p. 1. titul. de Capellis, & altaribus, ne longitudine minor ſit vnciarum viginti, latitudine ſexdecim. Placetque nobis, quod his verbis ait Coninch 3. p. q. 83. art. 3 dub. 2. n. 242. * Quando vtimur altari portatili, quod tabulæ ligneæ inſertũ eſt, danda eſt opera, vt tam calix, quàm hoſtia conſecrata ponantur ſuper ipſum lapidem conſecratum, ſaltem maxima ex parte. Quòd ſi tamen aliqua ex parte innitantur tabulæ ligneæ, modò abſit omne periculum lapſus, nõ eſt ita ſcrupulosè curandum. * Hucvſque ille. Cuius adnotationi adiungo aliam ex S. Bonaventura in Speculo diſciplinę particula 2. C. 11. *Manum cum hoſtia conſecranda ſuper ipſius altaris viatici lapidem teneant Sacerdotes, ne fiat conſecratio extra ipſum.*

10 Sed Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 2. num. 69. proponit hic ſingularem caſum, an ſcilicet ſi ſimul cum hoſtia magna cõſecrentur formulæ, debeant iſtæ toto tempore Sacrificij manere ſuper aram, vel ſatis ſit, quòd exiſtant tempore conſecrationis ſuper eã, vel in Sacerdotis manibus, reſpondentes ſpatio, in quo eſt ara, & poſſeà propter loci anguſtias poſsint poni extra arã in parte Corporalis excedente aræ amplitudinem, vel in alio Corporali extẽſo ſupra idem, aut diverſum altare? Eminentiſsimus Purpuratus reſpondet, debere manere ſuper aram toto tempore Sacrificij; traxitq; poſt ſe doctiſsimũ ſuum fratrem Franciſcum de Lugo L. 3. C. 7. q. 1. n. 5. Dianam p. 5. Tract. 13 Reſ. 72. Leandrum Tract. 8. D. 7. q. 9. Tho. Tamb. L. 1. de Miſſa C. 5. §. 1. n. 4. L. 2. C. 5. §. 2. n. 12. & 13. Garciam Tract. 3. de Excellentijs Sacerd. Diff. 8 dub. 3. punct. 1. n. 8. Averſam q. 11. S. 13. V. *Super*, quia non minus illæ particulę, quàm hoſtia magna pertinent ad Sacrificiũ, & ad idem Sacrificiũ, ſuntq; vna victima, & per modum vnius offe-

runtur

runtur absque vllo discrimine. Vnde inferunt, minus ritè facere aliquos, qui post consecrationem dant vas cum particulis consecratis alteri Sacerdoti, vt eas in alio altari populo distribuat ante consumptionem Sacrificij. Responsio Cardinalis de Lugo est valde propria vero. Nihilominus si formulę ponantur iuxta aram, & iuxta reliquam Sacrificij materiam, non desinent pertinere ad vnum, idemque Sacrificium, neque desinent constituere vnam, eãdemque victimam, & proinde sic ponens non peccabit saltem graviter, vt Tamburinus fatetur secundo loco citato. Sed de hoc puncto plura in Disputatione 25. Doctrina illationis est etiã valde conueniens. Sed ego ad communicandum moribundum non vererer statim post consecrationem præbere formulam, aut, si sola hostia magna sit consecrata, prębere partem eius, antequàm ego sumam alteram partem. Quòd enim ego sim principaliter offerens, & sacrificans respectu aliorum, non obest simpliciter, & absolutè, quominus alius participet prius de Sacrificio, quàm ego, nam cum ego non sim obligatus ad consumendam totam Sacrificij matetiam, sed sufficiat, si vnam partem consumam, & hac ratione abũdè perficitur Sacrificium, non videtur, interesse magnoperè, si alius sumat alteram partem prius, quàm ego. Consentit mecum Leander in casu necessitatis præbendi viaticum ægroto. Dicastillus autem supra numero 149. Tãburinus posteriori illo loco præ allegato, & Arriaga Disputatione 55. sect. 1. numero 7. aiunt, decentius fieri, vt Cardinalis de Lugo præscribit; sed si aliud pro commoditate populi fiat, nihil videri in hoc esse peccati. Diana testatur, viros aliquos doctos ex Societate, quibuscum ipse sermonem habuit de proposita quæstione, dissentiri à Cardinali de Lugo; testatur etiam Arriaga, vsum oppositum doctrinæ illationis esse valde frequentem sine vllo scrupulo inter homines etiam sapiẽtes; neque ipse veretur concedere, posse à Sacerdote celebrante distribui formulas ante suam communionem, quando Musica nimis longa, cum qua solemniter caneretur Missa, opportunum daret tempus ad huiusmodi interruptionem. Sed ne quid nimis: vti certè esset, si absque gravi necessitate communicaret Sacrificus alios priùs, quàm se.

11 Sanctorum (qui ab Ecclesia sint approbati ex Concilij Tridentini Congregationis responsione apud Gavantum pagina 72) reliquias inclusas debere esse in altari, affirmant multi, & probatur primò ex Canone *Placuit* 25. de Consecratione Distinctione 1. vbi dicitur, *Placuit, vt altaria, quæ passim per agros, & per vias tantùm memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur.* Qui Canon est Concilij Africani circa tempora Bonifacij Papæ I. Capite 50. vel potiùs Concilij Carthaginensis V. Capite 14. Legitur etiam in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Capite 83.

12 Secundò, ex Synodo Nicæna II. seu ex Generali VII. Cap. 7. cuius verba sunt ex interpretatione Gentiani Herveti, *Quæcumque templa consecrata sunt absque reliquijs Martyrum, in ijs fieri statuimus reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecrat sine sanctis reliquijs, deponatur, vt qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit.*

13 Tertiò, ex Sancto Gregorio Magno Libro 9. Epistola 71. iubente, ne in Anglia destruantur Idolorum fana, *Sed ipsa, quæ in eis sunt Idola. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur.* Mosque antiquissimus Ecclesiæ est, vt in altaribus includantur Martyrum reliquiæ; de quo legẽdi sunt Scortia Libro 3. Capite 12. num. 2. Durantus de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Lib. 1. Cap. 23. num. 4. Iosephus Vicecomes Volumine 3. Observat. Ecclesiast. Libro 2. de antiquis Missæ ritibus Capite 27. Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentorum Sancti Gregorij pag. 201. & 202. & Rosvveydus in Epistolã 11. Sancti Paulini ad Severum. Franciscus Bivar in Sancto Ioanne Eremita vindicato §. 8. Vnde Sanctus Vvolphelmus Abbas Bruvvillerensis graviter doluit, deesse in quodam altari reliquias Sanctorum; sic refertur in e-

ius Vita apud Surium die 22. Aprilis, & portatile S. Vvalfranni altare, de quo supra, continebat in medio reliquias Sanctorum. Omitto exempla alia invenienda in Beda Libro 5. Historiæ Anglorum Cap. 21. in Sancto Gregorio Turonico Libro de Vita Patrum Capite 15. in Sancti Euthymij Abbatis Vita descripta à Surio Ianuarij 20. in Sancti Ottonis Babembergensis Vita apud eundem Iulij II. in Constantino Tyo Oratione in Sanctã Euphemiã. Et quidem Sanctus Felix Papa I. cõstituit, super memorias Martyrum Missas celebrari, vt ait Radulpus Decanus Tungrensis de Canonum observantia, propositione 23. constatque ex eiusdem Sancti Felicis Epistola 2. ad Episcopos Galliæ; & de Sancto Gregorio Papa I. tradunt Ioannes Diaconus in eius Vita Libro 2. Capite 18. Beda in eiusdem Vita, Author Libri Pontificalis, Rabanus Maurus Libro 2. de Institutione Clericorum Capite 42. Vvalafridus Strabo Libro de Ecclesiasticis rebus, Capite 20. decrevisse, vt Missarum solemnia celebrarẽtur supra corpora BB. Apostolorum Petri, & Pauli; ipseque Sanctus Gregorius in Epist. ad Maurum Abbatem commendat valde, *Vt ad sacratissimum corpus B. Pancratij quotidie opus Dei peragatur.* Sed & ante Sanctum Gregorium scripserat Sanctus Hieronymus adversus Vigilantium, *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli:: ossa veneranda offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?* Sic Doctor Maximus. Quare vel Sanctus Gregorius restituit, quod institutum iam à Sãcto Felice Pontifice Summo ferè desueverat; vel iussit, vt celebrationes, quæ fiebant in altaribus impositis super Sanctorum Martyrum sepulchra, possent etiam fieri in altaribus, vbi non integra corpora recondita essent, sed quælibet vel exigua eorum pars translata ex sepulchris.

14 Denique probatur ex verbis, quę Sacerdos sacrificaturus dicit statim, ac ascendit ad altare, *Oramꝰ te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hìc sunt*, &c. quanquam in Missalibus antiquis annotabatur, testibus Angelo V. *Altare*, num. 3. Tabiena eodem V. §. 6. vt si reliquiæ non forent in altari, omitterentur illæ particulæ orationis, *Quorum reliquiæ hìc sunt.* Sed nunc id non exprimitur, licet Gavantus in Rubricas Missal. parte 2. titulo 4. num. 1. littera *D.* approbet ex Hieronymo Cantono, quòd vbi non sunt reliquiæ Sanctorum, ex dispensatione Apostolica, in altari, omitti debeant verba illa.

15 Nihilominus iam diu obtinuit praxis, vt in altari, præsertim mobili, non reponantur reliquiæ, & quanuis noscatur, eas deesse, celebratur absque vllo scrupulo. Vt autem nõ requirantur pro altari præfato, allegari solet Cap. *Concedimus* 30. de Consecratione Distinctione 1. At hic Canon nihil tale declarat. Solet etiam adduci Sanctus Thomas ad 2. quatenus ait, *Quandoque altare consecrari cum reliquijs Sanctorum.* Non igitur semper. Cæterùm Doctor Angelicus alio sensu adhibet adverbium *Quandoque*, vt ex antecedentibus liquet, inquit enim *In necessitate sufficit ad peragendum hoc Sacramentum altare sanctificatum. Propter quod etiam nunquam Ecclesia sine altari consecratur; tamen sine Ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquijs Sanctorum, quorum vita abscondita est cum Christo in Deo.* Quibus verbis non aliud significat Sãctus Thomas, quàm sine altari nunquã consecrari Ecclesiam; sed absque hac consecrari aliquando illud; & tunc cum reliquijs Sanctorum. Non itaque favet Sanctus Thomas; sed favent Hugo, & Alensis apud Sylvestrum V. *Altare*, numero 1. Panormitanus infra, Sotus in 4. Distinctione 13. quæstione 2. articulo 3. Vers. *Sextò denique*, Suarez Disputatione 81. sect. 5. Vers. *Secundò explicatur*, Vazquez Disputatione 233. Capite 2. num. 17. Coninch 3. parte quæstione 83. arriculo 3. dub. 2. n. 241. Layman Lib. & Tractatu 5. Capite 6. numero 8. alijque passim, pro quibus stat consuetudo fundata in multitudine tot altarium mobilium, quot quotidie iam consecrantur, quin commodè haberi possint reliquiæ ad ea omnia. Vnde si olim viguit præceptum de Sanctorum lipsanis recondendis in cunctis altaribꝰ, quę consecrarẽtur; prævaluit contra illud vsus eo ex tempore introductus, quo raritas altarium desijt.

desiit. Imò de præcepto illo non constat apertè, nam Cap. *Placuit* intelligitur satis aptè, præsertim si conferatur cum integro Cap. 14. Concilij Carthaginensis V. seu totum ipsum Cap. *Placuit* legatur, quatenus iubeat, dirui altaria, in quibus colerentur corpus, aut reliquiæ alicuius, de cuius vero Martyrio non suppeteret certa probatio Episcoporum iudicio. Canon etiam septimę Synodi non tam præcipit, vt singula altaria consecrentur cum reliquijs, quàm vt in templis consecrandis deponantur illæ, idque in odium Hæreticorum, qui Sanctorum imagines, & lipsanas è sacris ædibus abiecerant tunc temporis: quæ ratio, & occasio nunc cessavit.

16 Et quanuis præceptum præfatum liquidum foret, non inde infertur, reliquias esse de essentia consecrationis altaris, vti non omnia, quæ cadunt sub præcepto circa Eucharistię cōsecrationem, sunt de huius essentia: & vti celebratio Missæ non est de essentia consecrationis Ecclesiæ, provt communi calculo receptum esse, attestatur Durantus Libro 1. de Ecclesię Catholicæ ritibus Capite 24. numero 8. citans Sanctum Antoninum, Hugonem, & Turrecrematam, est tamen necessaria ex precepto iuxta Cap. *Omnes* 3. de Cōsecratione Distinctione 1. & Cap. *Desabrica* 24. ibidem, Sanctumque Paulinum in Natali 10. Sancti Felicis. Neque ex eo, quòd Ecclesiā in cōsecratione altaris siue fixi, siue portatilis magnis vtatur cæremonijs inter collocandas reliquias in eis, sequitur, positionem reliquiarum esse de substantia consecrationis, cum videamus, pro conficiendis Sacramentis multas, easque valde graves cęremonias adhiberi, nec tamen ideo sunt de substantia Sacramentorum, exceptis verbis denotantibus finem ipsorum; in consecratione autem altaris nullum est verbum, quo significetur, eam dirigi ad reliquias intra illud reconditas, vt appositè obseruat Arriaga Disputatione 55. sect. 1. num. 4. & 5. Vnde evanescit quicquid contra communem hanc sub Suarij nomine opinionem arguit Christophorus à Sancto Iosepho tomo 1. Moralium receptarum Verb. *Altare*, dubio 2.

17 Sed adhuc obijciet quis ex Azor tomo 1. Libro 10. Capite 27. quæstione 8. Caput *De fabrica* 24. de Consecratione Distinctione 1. in quo decernitur, *Ecclesiam, si diruta fuerit, instaurandam: & si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, cum in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata.* ✻ Quod perinde est, ac si diceretur, consecrationem Ecclesiæ sine Sanctorum reliquijs non fieri; quanuis Ecclesia diruta instaurari sine ipsis queat, eo quòd ipsarum loco sint Missæ ante ibidem celebratæ. ✻ Ita Azor. Remissa tamen integra interpretatione obscurissimi textus in Disputationē 26. respondeo breviter, per *Sanctuaria* non debere intelligi nisi altaria siue cum reliquijs Sanctorum, siue sine illis. Præter quamquòd stare posset, vt ad consecrationem Ecclesiæ necessaria esset consecratio simultanea alicuius altaris cum reliquijs, quin his opus esset ad consecrationem cuiusuis altaris, si multa dedicarentur eodē tempore, quo Ecclesia, aut aliquod seorsim.

18 Guilielmus Durandus Lib. 1. Rationalis Cap. 7. numero 23. cum Glossa, & cum Ioanne in Capite *Placuit* de Consecratione Distinctione 1. dixit, vbi haberi non possint reliquiæ, debere fieri cum corpore Christi consecrationem altaris, præsertim quod fixum sit, & id innui in Libro Pontificalis, ait Hostiensis infra, narratque Abbas Panormitanus in Cap. 1. de Consecratione Ecclesiæ numero 2. Leonem Papam, deficientibus reliquijs, dedisse partem Corporalis, & Eucharistiæ in consecrationem cuiusdam Ecclesiæ. Præterea in Ordine Romano ad dedicandam Ecclesiam, & in Codice Missali Ratoldi ex editione Hugonis Menardi pag. 204. *Cum reliquijs tres portiones corporis Domini* intra altare consecratum iubentur reponi; & B. Gaufredus Episcopus Sorensis, anteàque Monachus Cistertiensis reperit in altari diruto capsulam cōtinentem reliquias, corpusque Domini, vt referuntur Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cistertiensis Libro 2. Dist. 7. Capite 5. & Manrique in Annal. eiusdem Ord. an. 1178. C. 3 n. 8. Quæ repositio Eucharistiæ intra altaria non est magis mira, quàm quòd olim consepulta fuerit Eucharistia cum mortuis, provt noscitur ex Sancti Basilij Vita, circa quam legenda est nota 33. Heriberti Rosvveydi in Vitis Patrum;

ex Sancto Gregorio Libro 2. Dialogorum Cap. 24. circa quod videndi ſunt Baſilius Legionenſis in Varijs quæſt. 2. Scholaſtica Cap. 4. Illuſtriſsimus Alfonſus de S. Victore in Sole Occidentis Sancto Benedicto, præludio 1. Cap. 13. numero 28. & Benedictus Haeftenus in notis ad Vitam Sancti Benedicti: ex Sancti Byrini vita 3. Decembris apud Surium: ex Amalario L. 4. de Officijs Cap. 42.

19 Sed præfatam ſubſtitutionem pro reliquijs debere non fieri, reſpondit Hoſtienſi Innocentius III. conſultus ab ipſo, qui id teſtatur in Summa, titulo de Conſecratione Eccleſiæ, §. *Et qualiter* n. 3. Non conſtat authenticè de Leonis Papæ facto, quin potiùs difficillimum eſt creditu ex cauſa defectus reliquiarum in Vrbe. Et quanquã compertum eſſet, non poſſet nunc deſervire in exemplum, quod imitaremur, eſt enim valde alienum ab Eccleſiæ vſu in præſentiarum. Ac ſanè Euchariſtia incongruè applicaretur ad altaris conſecrationem, cum ſolùm inſtituta ſit à Chriſto ad Sacrificium, & cibum animarum, vt notant Sylveſter V. *Altare* n. 4. Gregorius Lopez ad leg. 12 tit. 10. Partita 1. Durantus L. 1. de Eccleſ. Cathol. ritibus C. 25. n. 5. Ioan. Andreas in C. *Ad hæc* de Conſec. Eccleſiæ, vel altaris n. 9. cui Ioanni Andreæ tribuitur non benè à Vazquio D. 233. C. 2. n. 17. & à multis alijs modernis, quod ipſe, & cæteri antiqui, noſque cũ illis retulimꝰ ſupra de alio Ioanne. Nec perſeveraret diu corpus Chriſti in altari conſecrato, nam corruptis ſpeciebus, deſineret exiſtere ſub eis. Vnde ſimiles ob cauſas prohibitum fuit à Concilio Carthaginenſi 3. Can. 6. Hypponẽſi Can. 5. Trullano Can. 83. Autiſiodorẽſi Can. 12. recondere Euchariſtiam cũ corporibus defunctis fidelium.

20 Thomas Hurtadus p. 1. Reſolut. Moral. Tract. 2. C. 6. Reſ. 24. n. 262. ait, nunc etiam loco reliquiarũ poſſe poni fruſtulum Corporaliũ, quia hæc ſunt reliquiæ ſummæ, & quia Leo Papa exemplo ſuo confirmavit, cum enim Panormitanus teſtatur de fama datæ ab ipſo partis Corporalis, & partis corporis Chriſti, intelligitur iuxta Fagundez in 1. præceptum Eccleſiæ L. 3. C. 22. n. 8. idem ipſum per partẽ corporis, quod per partem Corporalis. Sed contra inſurgit Diana p. 11. Tract. 6. Reſ. 25. quia licet Corporalia reverẽter tractanda ſint, tamẽ nunquam in Eccleſia Dei ſunt habita, & æſtimata, expoſitaq; populo adorãda tanquam reliquiæ, niſi ſint miraculoſa, vt quę colũtur Darocæ. Addo ego, Corporalia cõmunia non eſſe reliquias Chriſti, cuius corpus non tangunt phyſicè, ſed tantũ ſpecies Sacramentales panis. Si igitur non ſunt reliquię Chriſti, neque aliorũ Sanctorum, per appoſitionem ipſorum in altari nõ ſatisfiet Canonibus, ob quæ ipſe Hurtadꝰ in Reſ. 23. n. 254. dixerat, reliquias eſſe neceſſarias pro altaris cõſecratione: vt non ſatisfieret per appoſitionem ſegmẽti caſulæ benedictę, vel ramentorum calicis cõſecrati. Illud autem de intelligentia Panormitani nõ diceretur ab Hurtado, ſi ipſius verba in textu origin. legiſſet, nõ enim sũt alia, quã quæ à nobis tranſcripta ſupra; partem corporis Chriſti neutiquã Panormitanus nominat; & Fagundez nihil tale attribuit illi, quippe ſolùm dicat, * Ad factum Leonis reſpondendum eſt, de illo non conſtare, vel fortè ſolũ miſiſſe aliquod fruſtulum Corporalis loco reliquiæ, & non partem aliquã Euchariſtiæ: & poſteà per communem errorẽ additum fuiſſe, illum miſiſſe particulam Euchariſtiæ. * Sic Fagundez.

21 Et vt tandem S. Leonis I. Papæ factum innoteſcat, legatur Sancti Gregorij Magni Epiſtola 30. in L. 3. vbi ſcribens ad Conſtantinã Auguſtam ait, *Cognoſcat, Tranquilliſsima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias dant, vt quicquam tangere præſumant de corpore, tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſsima corpora Sanctorum ponitur: quod lenatum in Eccleſia, quæ eſt dicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibꝰ, ſicut à Maioribus traditur, dum quidam Græci de talibꝰ reliquijs dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum, collatis forcipibus, incideret, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit.* Hactenus Sanctus Gregorius, de quo Ioannes Diaconus Libro 2. Vitæ ipſius Capite 42. ſimile quid refert circa aliud brãdeum) quod ob contactũ ad Sanctorũ corpora potuit vocari Corporale) & huiꝰ cõdionis fuit illud,

Illud, quod misit S. Leo Papa ad cõsecrationem Ecclesiç, vel altaris, non autẽ illius, quam dixit Abbas Panormitan. Si id animadversum fuisset à Theologis, & Canonistis antiquis, ac recentibus, forsan S. Leonis exemplum non præbuisset ipsis tantam materiam loquendi. Ætate Abbatis fama vulgi, quæ

Vires adquirit eundo,
Et *Quæ veris addere falsa*
Gaudet, & è minimo sua per mendacia
crescit,

corruperat sinceritatem exempli illius, cumq; S. Leo misisset brandeum, seu pallam, quç apposita fuisset Sanctorum corporibus, finxerat, misisse partẽ Corporalis vsitati in celebratione Missæ, partemque Eucharistiæ.

22 Iam rogabit aliquis, an prætermittenda sint illa verba, *Quorum reliquiæ hìc sunt*, quando sciatur, deficere in altari reliquias? Videtur enim necessarium, ne falsò enunciẽtur. Respondeo, sufficere ad eorum veritatẽ, si adsint reliquiæ vel in altari, vel in templo; & cum rarò possit contingere, vt vtrobique desint, ideo communiter nõ esse prętermittenda verba illa. Faciliùs posset contingere, vt si celebretur in altari viatico extra templum, deficiant reliquiæ, quæ etiam super altare ponãtur. Quo casu videtur, non esse dicenda verba illa; nisi quis velit (quod mihi magis placet, vt & Fagundezio in 1. prętceptum Ecclesiæ Lib. 3. C. 22. n. 8) posse etiam tunc dici iuxta scripta à nobis in D. 14. num. 11. quia olim de more solebant adesse reliquiæ in altaribꝰ; quod sufficit ad veritatem intentam ab Ecclesia in eis verbis. Ita Tamburinus Lib. 1. de Missa C. 5. §. 1. num. 10. Vel posse conditionaliter dici, scilicet, si ibi sint, subintelligendo. Ita Diana p. 11. Tract. 6. Resolut. 25. ex Castro Palao Tract. 22. D. vnica, puncto 9. numero 5.

23 Altaris etiam fixi, sed non consecrati, erectio in Ecclesijs non consecratis potest fieri à quolibet Presbytero; sed vt fiat fixi in Ecclesijs consecratis, requiritur Episcopi consensus, & similiter, vt in consecratis Ecclesijs destruatur altare fixum, opus est eodem consensu; non autem vt in non consecratis destruatur altare fixum non consecratum. Legantur Canones *Nullus Presbyter* 25. de Consecratione Dist. 1. *Quamuis Corepiscopis* 4. Dist. 68. iuncta Glossa; necnon *Ecclesiæ* 17. *Placuit* 25. de Consecratione Dist. 1. & Azor tom. 1. Lib. 10. C. 27. q. 6. necnon Barbosa de Iure Ecclesiastico vniverso Libro 2. C. 7. cuius in num. 12. notat, requiri Summi Pontificis licentiam ad consecrationem altaris fixi in Ecclesia non consecrata, argumento CC. *Nullus Presbyter*, & *Placuit*.

SECTIO II.

De Altaris consecratione, & de eius ad Missæ celebrationem necessitate.

24 ALTARE debet esse consecratum, vt constat ex Decreto, quod adscribitur Evaristo Papæ in tomo 1. Conciliorum, & in Burchardo Lib. 3. C. 27: ex C. *Omnes* 3. de Consecratione Dist. 1. qui Canon tribuitur ibi Higino Papæ: ex C. *Nullus Presbyter* 15. ibidem, qui Canon est Sylvestri Papæ: ex C. *Nullus Presbyter* 25. ibidem, qui Canon est Hormisdæ Papæ: ex C. *Altaria* 31. qui Canon est Concilij Hypponensis, vel Epaunensis: ex C. *Altaria* 32. qui Canon est Concilij Agathensis C. 14: ex SS. Martiali Epistol. 3. ad Burdegalenses, Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia C. 4. Contẽplat. 3. n. 12 Cypriano Serm. de vnctione chrismatis, Nysseno Oratione de Sãcto Baptismo, Augustino Sermone 255. de Tempore, aliisque Patribus, & Concilijs apud Durantum Lib. 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 25. num. 1.

25 Altaris consecratio reseruata est Iure communi Episcopis Capite *Quamuis Corepiscopis* 4 Dist. 68. Cap. *Nullus Presbyter* 15. & 25. C. *Concedimus* 30 de Consecratione Dist. 1. Consonant S. Damasus Papa in Epistola 5. S. Felix Papa 4. in Epist. 1. S. Leo Papa 1. in Epistola 88. ad Germaniæ, & Galliæ Episcopos, Concilium Hispalense 2. cap. 7. Bracarense 1. cap 19. Toletanum 8. cap. 7. Coyancense, seu apud Valentiã Domini Ioannis titulo 3. Agathense C. 43. Metense C. 5. Meldense C. 44. Vnde non poterit Episcopus committere

simplici Sacerdoti facultatem consecrandi altare; secus Papa, vtpote qui sit supra Ius commune positivum, & de facto commisit nonnullis Presbyteris Religiosis, de quibus in D. 25. proindeque minus peritè Henriquez Lib. 9. C. 26. §. 1. Gamachæus 3. p. in Tract. de Sacrificio Missæ pag. 494. aiunt, Papam nunquam commisisse aræ consecrationem simplici Sacerdoti.

26 Sed quia de altaris ab Episcopo consecratione loquuti sumus, notandum est ex Gavanto in Manuali Episcoporum V. *Altare* in Additione n. 4. posse, Sede vacante, fieri eam à viciniori Episcopo, sed alias debere fieri à proprio: quem, & non qui alienæ sit Diœcesis, debere consecrare Ecclesias, magna docuit authoritate, in duab⁹ Epistolis Montanus Archiepiscopus Toletanus, vt refert S. Ildephonsus in Libro de Viris illustribus, legunturq; illę Epistolę apud Loaysam post Concilium Toletanum II. Deinde advertendum est, nos iam tractasse in D. 19. n. 129. num eodem die, quo Episcopus in aliquo altari celebravit, possit res sacra ibidem ab alio Sacerdote peragi? De qua quæstione legantur Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 8. C. 5. sect. 2. num. 96. Quintanadueñas tom. 1. & Tract. 2. Singulari 11. & ex antiquis Paludanus in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 5. num. 17. Sciendum vlteriùs est, moneri Episcopos in Concilio Senonensi C. 15. de pertinentibus ad mores, ne facilè consecrent altaria portatilia, & in Mediolanensi IV. vt fixa sint maiora, quæ consecrent in Ecclesijs Parochialibus. Quibus autem cœremonijs, & diebus vtraque consecranda sint, edocet Pontificale Romanum, in quo prosolis Episcopis ponitur forma consecrandi altaria siue stabilia, siue mobilia. Neq; hæc sunt contra Ius cōmune; etsi enim dentur à Summis Pontificibus privilegia ad ipsorum vsum, vt visum est in D. superiori, & nunc addo quoddam datū in gratiam S. Catherinæ Senensis à Gregorio XI. anno 1380. apud Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis, aliudque pro Monachis Montis ferrati ab Alexandro VI. anno 1499. 5. Kal. Maij: tamen eatenus sunt privilegia, quatenus conceditur in eis, vt supra altaria mobilia liceat celebrare in quocumque loco decenti, & honesto, etsi nec consecratus sit, nec benedictus, nec deputatus ad divinum cultum. Ita Gaspar Hurtadus D. 4. Diff. 8. V. *Quod autem*, & sequenti post Coninch 3. p. quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 242. & Vazquium D. 233. C. 2. num. 10. Posse autem plura altaria in eadem Ecclesia, & eodem die consecrari, docet nos Innocentius III. Papa in Cap. *Cum sis* 5. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Et post huius cōsecrationem adesse ipsi Angelum Tutelarem, dicitur in Prato spirituali C. 4. & 10.

27 Igitur, vt Missa celebretur, necessarium est altare siue fixum, siue portatile, illudque consecratum, vt instruimur in C. *Concedimus* 30. de Consecratione Dist. 1. & in Lib. 7. Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pij 99. necnon in Additione 2. C. 10. & in leg. 5. titul. 4. Partita 1. Regis Alfonsi Sapientis. Nec mirum, requiri altare, cum Missa sit Sacrificium; hoc autem sine illo ritè, rectèque non peragatur, quanuis vtcumque validè fieri possit; & cum altare pertineat valde notabiliter ad reverentiam huius Sacramenti, & ad repræsentationem tum eorum, quæ circa Dominicam Passionem sunt acta, tum effectuum spiritualium, qui ex hoc Sacramento, & Sacrificio in homines derivantur, vt expendit S. Thomas art. 3. in Corp. Nec etiam mirum est, requiri altare consecratum, nam & consecratio magnopere cōducit ad cultum, & significationem mysticam Sacramenti huius, atque Sacrificij. Quapropter ex cōmuni sententia foret peccatum lethale celebrare sine altari, aut in altari non consecrato; & in casu etiā de viatici necessitate, vt addit Nuñus 3. p. quæst. 83. art. 3. pag. 977. necnō Diana p. 11. Tract 6. Res. 25. cum alijs contra Thomam Hurtadum, cui adiūgo Laurentium Landtmeterum dicentē in L. 2. de Vetere Clerico Monachō, C. 78. necessitatem cum iudicio prudenti excusare, ne celebretur in altari consecrato. Licet autem à nonnullis citetur Victoria Dominicanus adversus illam, quam dixi omnium sententiam, legitimus eius sensus aperietur in Disput. 25. Posset Summus Pontifex gravi de causa dispensare, vt Sacrum fieret extra altare, aut supra illud, sed non consecratum. At nusquam legitur, dispensasse hactenus.

Non

28 Non nego referri à Radulpho Decano Tungrensi Lib. de Canonũ obseruantia, propos. 23. S. Sixtum Papam 2. *Qui cepit anno* 261. (seu potiùs 260). *constituisse, vt Missa super altare celebraretur, quòd anteà non fiebat.* Sed fallitur insigniter Radulphus, si velit dicere, non anteà fuisse in vsu altaria ad celebrationem Missæ. Nam oppositum claret ex Liturgia S. Iacobi, ex Constitutionibus Apostolicis, ex S. Dionysio Areopagita, ex Tertulliano, quorum testimonia transcribit Vicecomes Volumine 3. Observ. Eccles. Libro 2. de antiquis Missæ ritibus Cap. 26. & in decursu Disputationis adduximus nos multa aliorum Patrum, qui præcesserunt S. Sixtum.

29 Rursus non nego, antiquissimis Ecclesiæ temporibus S. Lucianũ Martyrem vsum esse pectore suo vice altaris, vt narrat Nicephorus Libro 8. Historiæ Ecclesiasticæ C. 31. & extensiùs Acta eius martyrij apud Metaphrasten die 7. Ianuarij, & apud Baronium anno Christi 311. numero 7. his verbis, *Cum aduenisset Theophaniorum dies festus, qui expectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc vltimam à magistro cõsequi mysterij diuini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonammodò mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem partim illic adessent, partim autem accederent. Ille vero, mensa quidem (inquit) erit nobis hoc meum pectus, non (vt arbitror) Deo futura minus honesta ea, quæ sit ex inanimâ materia. Templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta sunt hoc modo. Iam enim, vt quòd esset facturus in fine vitæ, remissi erant custodes, Deo, vt ego quidem arbitror, qui Martyrem honorare volebat, & suorum discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente, vt citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Nam cum omnes eos Martyr fecisset in orbem consistere, vt inter se inuicem alter propè alterum stantes eum tutò comprehenderent, iussit, suo pectori imponi signa diuini Sacrificij. Postquàm autem hæc fecissent, & in cœlum protinus sustulit obtutum, cum iam vix posset extollere, preces peregit consuetas. Deinde cum diuina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita; ipse fuit particeps Sacramentorum, & transmisit quidem ad eos, qui aberant, vt ipse quoque ostendit in vltima ad eos Epistola. Et hanc quidem diem cum eis transegit, vt erat pollicitus.* Sic ibi. Theodoretus etiam in Historia Religiosa C. 20. refert de se, *Cum autem* Marls Eremita *longo tempore desiderasset videre offerri mysticum Sacrificium, rogauit, vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui, & pro altari vsus Diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutare obtuli Sacrificium. Ille autem omni spirituali implebatur voluptate, & existimabat, se ipsum Cœlum videre, dicebatque, se nunquam tantam cepisse lætitiam.* Ita Theodoretus. Vnde intelligitur, quod ait Nicolaus Cabasilas L. 5. de Vita in Christo, *Primis Sacerdotibus altare fuisse manus.*

30 Sed hæc antiquitatis monumenta relicta sunt nobis ad admirationem, & non ad imitationem, vt quòd S. Tharsitius Acolythus secum deferret Christi corporis Sacramenta per vias publicas Vrbis, vt narratur in Actis S. Stephani Papæ, Martyrisq;, & in Martyrologio Romano, atque Adonis, die 15. Augusti; quòd S. Satyrus frater S. Ambrosij, cum adhuc esset Catechumenus, suspenderit in periculo naufragij particulam Eucharistiæ orario inuolutam ad collum suum, atque ita se dejecerit in mare, vt ipse S. Ambrosius in Orat. de Obitu fratris sui scribit; quòd Serapioni in extremis vitæ constituto remissa sit à Presbytero Eucharistia per manus pueri, vt memorat Eusebius L. 5. Historiæ Ecclesiasticæ C. 36. quòd ad S. Mariam Ægyptiacam iter viginti dierum deportarit in vase mundissimo. S. Zosimus Abbas sacrosanctũ corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, vt tradit Author vitæ Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ die 9. Aprilis apud Surium: quòd S. Byrinus semper secum afferret suspensum è collo corp. Dominicum inuolutum palla, quam ei dederat Honorius Papa, & super quam consecrabat, vt dicitur apud eundem Surium 3. Decembris. Et de S. Theodoro Studita narratur in eius Vita apud Baronium anno 816. num. 12. *Habuisse vbique secum partes aliquas viuifici corporis* Christi Domini, id est, species aliquas consecratas panis continentes Xpi corpus. Non absimiliter, nec adeò lõgè à nostra ætate Alexander VI. Papa diuinissimum Sacramentum pallæ, seu globo aureo inclusum, appensumque ad collum gestabat perpetuò, vt ex Caraciolo

raciolo notant Bzovius in Annalibus Eccles. anno 1503. num. 3. & Eusebius Nierembergius in Vita B. Francisci Borgiæ L. 1. Cap. 1. ex Antonio Balinguen. Omitto alia antiquorum facta, quæ hac tempestate minimè licerent.

SECTIO III.
De Altaris exsecratione.

31 AMITTITVR altaris consecratio, quoties illud ita frangitur, vt nulla pars seorsim possit sufficienter sustinere calicem, & hostiam. Etsi enim possent duæ v. g. partes iterùm coniunctæ per aggregationem; at altare debet esse vnum physicè, & vt retineat consecrationem, debet esse idem, quod anteà; idem autem non est, quando fractum est in duas partes minores quantitate capaci sustinendi calicem, & hostiam. Vnde audiendus non est Hieronymus Llamas, dum 3. parte Methodi curationis animorum Cap. 5. §. 16 inquit, * Nullum esse scrupulũ, celebrare in ara fracta, si partes iunctæ maneant arte, vel cingulo ferreo, vel capsæ ligneæ continentia * Si tamẽ ara, seu altare frangatur in duas partes, ex quibus vna sufficiat, & alia non sufficiat, manebit consecrata, quæ sufficiat. Et vtraque quidem manebit cõsecrata, si vtraque, seorsim vna ab altera, sit apta ad ministerium declaratũ. Hanc aptitudinem si retineat altare, cuius cornua etiam quatuor frangantur, aut diminuantur, conservabit etiam consecrationem, nec enim hìc attenditur ad figuram, sed ad magnitudinem conuenientem, vt super altari celebretur. Et quanquam vnctio fieri soleat in cornibus, non ideò ista sola consecrantur, sed tota etiam superficies plana altaris.

32 Hinc infertur, perinde esse celebrare in altari notabiliter fracto, cuius nulla pars seorsim ab alia capiat calicem, & hostiam; ac celebrare in altari non consecrato. Vt igitur hoc secundum fieri non posset absque peccato lethali, ita neque illud primum. Deinde deducitur, si altaris parti sufficienti sustinere calicem, & hostiam addatur alia pars, quæ sit insufficiens, curandum esse, ne ponatur calix, aut hostia supra hanc alteram partem, quia hæc ex accessione ad illam non fit sacra: ideo autem non fit sacra, quia accessio obest, quominus vtraque pars componat vnũ physicè simplex altare, aut vnum physicè simplicem lapidem, prout requiritur ad altare, aut ad lapidem cõsecratũ. Quare non semper id, quod non est sacrum, si minus principale sit, sacratur accessione ad sacrum.

33 Altare portatile, seu ara retinet consecrationem, etiamsi separetur à lignea capsula, intra quam includitur, quia huiusmodi altare per se cõsecratur, & capsula nec cõsecratur, nec componit altare, sed solummodò deservit ad ornatum arę, aut ad custodiã, ne frangatur, aut vt facilius queat moueri ex vno loco ad alium, quin contrectetur manibus; aut vt melius, & absq; periculo lapsus capiat calicem, & hostiam, patenamve. Si capsula lignea nõ sit amobilis cum ipsa ara, sed facta sit in mensa, cui superponitur ara, videtur omnino certum, aram non amittere cõsecrationem per amotionem ab ea capsula, siquidem consecretur sine ea, & mensa cõstruatur illo modo, vt ara huc, & illuc deportanda extrahatur commodè. Si sepulchrum, in quo conduntur reliquiæ, vel sigillum, quo teguntur, & obserantur, indistinctum sit ab ara, vel à mensa fixa lapidea, amittetur cõsecratio, fracto sic sepulchro, aut sigillo, vt nequeat in posterum ara, vel mẽsa sustinere maiori ex parte calicem, & patenam. Si verò sepulchrum, aut sigillum distinctum sit ab ara, vel à mensa, factumq; sit ex ligno, non impediet fractio, vel remotio sepulchri, aut sigilli, aut vtriusque simul, ne ara, vel mensa sufficiens capere calicem, ac patenam conservet consecrationem, nam nec sepulchrum, nec sigillum component tunc altare, neque censebuntur præcipuæ partes altaris, neque consecratio pertinget ad illa. Seiunctio reliquiarum ab ara, vel à mensa fat nunquàm erit, vt perdatur altaris consecratio, vt satis colligitur ex dictis in Sectione prima Et quanquam in altari deberent existere reliquiæ, nõ constat, has ita requiri, vt absque ipsis nec possit primò fieri validè consecratio, neq; possit conservari

34 Altare fixum amittit consecrationem, si lapis planus superior dissoluatur ab interiore structura, cui erat

erat annexus, & agglutinatus calce, aut intrita, aliove ligamine, si, inquam, dissolvatur ita, vt separetur, aut dimoueatur à tota structura inferiore, aut à tanta eius parte, vt in lapide, provt respondente ei spatio, in quo manet aliquid inferioris structuræ, non detur illa magnitudo, quæ sufficiat ad capiendum calicem, ac patenam. Ratio est, quia altare huiusmodi non consecratur penes lapidem superiorem per se, & seorsim à quouis alio, sed vt coniunctum structuræ inferiori, consecratur namq; vt stabile, & fixum in basi, seu stipite; non est autem tale, nisi persistat lapis superior affixus structuræ inferiori, & dum sic non persistit, non retinet altare forma, sub qua est consecratum. Confirmatur, quia altare fixum consecratur diversis, & pluribus cæremonijs, ac altare viaticum. Attendit ergo Ecclesia affixioni, quam vnum habet, & non aliud, cum materiali fundamento. Vnde peritè dixit Glossa in Cap. *Ad hæc* de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, *Cõsecratio altaris præcipuè intelligitur in coniunctione mensæ, scilicet lapidis superioris, & structuræ inferioris.*

35 Sed notat Suarez D. 81. sect. 5. V. *Tertiò additur*, non amittendam consecrationem, si ab vno in alium locum mutaretur lapis cum tota basi, integram, & eandem retinendo compositionem, quia consecratio non dependet à determinata præsentia locali rei consecratæ, & quia tametsi tunc moueatur totum altaris artefactum, tamen nõ dissoluitur in vno loco, & reædificatur in alio, proindeque retinet formam antiquam. Notat etiam cum Tabiena V. *Altare* §. 7. quando lapis superior ingẽtis magnitudinis fuit per se consecratus priùs, &, completa consecratione, fuit posteà superpositus stipiti latitudinis, & longitudinis æqualis, non amitti consecrationem, si lapis removeatur à præfato fundamento, etiamsi ei fuerit affixus vinculo aliquo, aut nexu post consecrationem, quia in isto casu consecratio lapidis non dependet à coniunctione cum basi, sed hæc habet se per accidens ad illum.

36 Dices, ergo etiam post cõiũctionem poterit lapis magnus planus consecrari per se, & non habito respectu ad eam. Quod si fiat, evitabitur inconueniens repetendi toties consecrationes, quoties ille seiunctus fuerit à basi. Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 74. fatetur, posse lapidem magnum planum consecrari, vt coniunctum stipiti, aut pedibus quasi mobilibus, & proinde etiam vt amobilem ab eis, licet talis modus consecrandi non sit in vsu. Quod idem nos non dicimus de modo consecrandi lapidem ante coniunctionẽ cum stipite fixo, nam talis modus est vsitatus nonnullis in locis; vt testatur Thomas Tamburinus Libro 1. de Missa C. 5. §. 1. num. 16. tuncque adhibetur consecratio assignata pro altari portatili, secus ac fit, quando post coniunctionẽ consecratur lapis, quippe adhibeatur consecratio præscripta pro altari fixo. Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dubio 8. num. 139. videtur indicare, conueniens fore, vt consecraretur modo admisso vt possibili à de Lugo lapis planus ingens coniunctus basi fixæ. Faterer, conueniens fore, si Ecclesia ita decerneret. At ea hactenus non disposuit, vt lapis coniunctus, & conglutinatus basi fixæ consecretur instar altaris portatilis; nec faceret rectè Episcopus, si talẽ lapidem consecraret, adhibendo cæremonias statutas pro altari portatili, vel si consecraret instar, & ex intentione eius, sed vtendo ritibus præscriptis pro altari fixo.

37 Vt id magis clareat, adverto, etsi de Lugo concedat, possibile esse, vt fiat altare integrum, cuius partes queant coniungi, & separari facilè, ac sine violentia; ex quibus proinde lapis superior non perdat consecrationem, etsi separetur ab alijs partibus; non sec⁹ ac fit calix tornatilis, cuius cuppa seiuncta à pede retinet consecrationem: tamen in eo num. 74. non declarare, an tunc solus lapis superior consecretur; quin potiꝰ in num. 73. videtur excludere consecrationem illius solius, sicut in calice tornatili nõ consecratur sola cuppa. Ex quo sequitur, vt, etsi lapis superior amotus ab inferiore structura non perderet consecrationem, deberet tamẽ ad celebrationem in ipso coniungi cum eadem structura consecrata, à qua fuit seiunctus, aut cum alia consecrata etiã, provt de cuppa calicis tornatilis docet ipsemet Author in eo numero 73. Quòd autem vltra lapidem superiorem consecretur structura inferior, manifestè est contra Suarium supra V. *Dicendum ergo*,

Reginaldum

Reginaldum Lib. 29. C. 9. sect. 5. numero 189. Gasparem Hurtadum D. 4. Diff. 8. V. *Quod autem*, Ascanium Tamburinum tomo 1. de Iure Abbatum D. 23. quæsito 6. num. 1. Coninchum, & alios indicatos, & subscriptos à Frācisco de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 2. numero 18. communiter enim putatur, solum lapidem illum consecrari.

38 Præterea adverto, significari ab eodem Cardinali de Lugo in n. 74. si lapis ille disiungatur à basi mobili, & feratur extra templum, non retinere consecrationem. Quod quidem exagitari potest scrupulose, tum quia si disiunctio, & latio intra Ecclesiam non esset in causa amittendi consecrationem, cur erit, si extra fiat? tū quia si conservatio cōsecrationis lapidis dependet à permanētia intra sacram ędē, in qua primitus est facta consecratio, quidni etiam dependebit à tali determinato loco ædis eiusdem, ita vt si altare artificiosum moveatur ab vno loco ad alium, etiam intra Basilicam, cōsecratio deperdatur? tum quia si lapis difficulter separabilis ab stipite exsecratur iuxta eundem de Lugo in n. 71. quando actu fit separatio, quidni & in casu, quo foret facilè separabilis? Nā in vtroque casu altare integrum resultans ex lapide, & stipite esset fixum, & consecratum fuisset cœremonijs designatis ab Ecclesia pro fixo. Et hinc insurgit novus scrupulus; si enim Ecclesia distinxit altaria in ea, quæ fixa sint, & quæ portatilla, permisitque hæc, prouidendo commoditati maiori celebrādi siue intra, siue extra Ecclesias, & pro illis consecrandis constituit diversas cœremonias, ac pro his; videtur esse præter, imò & contra eius mentem fabricari alia altaria, quorum lapides plani superiores reapse sint portatiles, aut qui deserviant instar portatilium ob commoditatem, & facultatem ferendi ipsos hùc, illùcque, & quæ simul consecrentur instar fixorum, eisdemque cœremonijs. Et hæc circa subtiles cogitationes Cardinalis de Lugo, & Ioānis de Dicastillo.

39 Redeo ad adnotationes propositas ex P. Suario. Quarum prima non confirmatur ab ipso authoritate alicuius Doctoris; sed ego inuenio Pisanum faventem, & cum eo Gabrielem Lect. 13. in Canonem Missæ litera *L*. Boussardum de diuino Missæ Sacrificio parte 1. C. 7. vbi in summam redigens dicta Gabrielis scribit sic * Cōsecratio altaris præsertim intelligitur esse in coniunctione mensę, id est, lapidis superioris, & structuræ inferioris. Igitur si mensa fuerit mota, vel aliquis de lapidibus inferioribus tangens ipsā, exsecratur altare, & est reconsecrandū. Hæc Glossa in C. *Si motum* de Consec. Dist. 1. Dicit tamen Pisanus, & benè, quòd hoc intelligitur de lapidibus principalibus. Similiter dicit, quòd non est consecrandum, si tota mensa cum sibi adhærentib⁹ transferatur. * Sic Boussardus; atque ita est in Summa Pisana impressa Venetijs per Franciscum de Hailbrun, & Petrum de Bartua socios, anno 1477. V. *Consecratio* 3. Similia habet Ioānes de Friburgo in Summa Cōfessorum Lib. 3. titul. 24. quæst. 150. fol. 129. Possē allegare alios antiquos; sed nō loquuntur adeò clarè. Post Suarium autem consentiunt ferè plerique moderni, vt Vazquez D. 233. C. 2. n. 13. Petrus de Ledesma C. 20. de Euch. Conclus. 5. pag. 275. Gaspar Hurtadus D. 4. de Sacrificio Missæ, Diff. 8. Vel. *Sed quæres*, Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. C. 5. sect. 3. numero 120. Amicus D. 33. sect. 12. n. 351. Reginaldus Lib. 29. C. 9. sect. 5. num. 192. Aversa quæst. 11. sect. 13. V. *Deperditur*, Castrus Palaus Tract. 22. Disputatione vnica, punct. & n. 9. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 3. num. 29. Hieronymus Garcia Tractatu 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 8. dub. 3. punct. 1. num. 6. cum Barbosa, & Pasqualigo, Rodericus Arriaga Disputatione 55. sect. 1. num. 3. Omitto alios; & addo ex ex antiquioribus Suario Iacobum de Graffijs à Capua parte, & Lib. 2. Decisionum aurearum C. & num. 15. Secunda adnotatio pro se vltra Tabienam, & Suarium habet Castrū Palaum, Pellizarium supra, Franciscū de Lugo n. 28. Arriagam n. 2. Thom. Tamb. L. 1. C. 5. §. 1. n. 16. continetque doctrinam meo iudicio adeò manifestam, vt supervacuum sit curare de concilianda maiori authoritate extrinseca.

40 Video, oriri posse quæstionem de nomine, posseque contendi, nō esse dicendum altare fixum illud, quod totū moveri queat ex vno loco ad aliū, retenta

retenta eadem compositione. Vocetur vt quisque voluerit, dummodo doctrinam contentam in priori adnotatione P. Suarij agnoscatur nobiscum esse valdè probabilem.

41 Et fortè Sà V. *Altare*, non intendit aliud, quàm quod dicitur in vtraque adnotatione, cum scripsit iuxta primam editionem, * Altare multis modis amittere consecrationem, vulgò traditur. Ego, quàdiu illud formam suam retinet, non puto amitti consecrationē vlla aut fractione, aut motione. Itaq; amoto ligno ab ara cōsecrata, nō perditur consecratio. Quòd si lignū, sit sigillū, in quo reliquiæ, & amotum, suo loco statim reponatur, nec tunc opus est nova consecratione. * Sed in editionibus anni 1600. & 1601. sic nos legimus, * Altare multis modis amittere consecrationem, communiter traditur. Aliqui putant, quandiu illud formam suam retinet, non amitti consecrationem vlla aut fractione, aut motione. Itaq; &c. In editionibus autem modernis iuxta correctum Romanum exemplar authoritate Magistri Palatij sacri mutatus est maiori ex parte sensus Patris Sà, & conformatus doctrinæ Syluestri in Summa V. *Altare*. Sed opiniones traditæ ex verbis illis *Itaque & c.* sunt multorum, graviumque Theologorum, easque nos sequuti sumus supra. Sensus verò contentus in verbis antecedentibus potest esse, quem dixi; nam si lapis planus superior separetur ab structurâ inferiori, cui affixus sit cōsecratus, non retinet iam altare formā suam artificiosam; vti retinebit, si salua affixione moveatur lapis planus superior vnà cum tota structura inferiori. Et dum addit Sà, nulla fractione amitti cōsecrationem, si altaris forma permaneat, loquitur de fractione, quæ salvam relinquat formam quantitatis sufficiētis ad sustinendum calicem, & patenam. Attamen si quis contendat, haberi à P. Sà sermonem de eadem forma quantitativa, cum dicit, altare nulla motione amittere cōsecrationem, quandiu formam retinet, restat interpretari ipsum de altari portatili, de quo sub nomine aræ fatur immediatè.

42 Sed quanuis de altari etiam fixo fuerit loquutus, habuit fanentem sibi Glossam in C. *Ad hæc* 1. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, V. *Altare*, circa principium. Vnde Syluester V. *Altare*, proponens quæstionem 10. Vtrùm exsecretur altare stabile, mota tabula de loco ad locum? respondet dicens, *Quòd Glossa primò dicit, quòd non*, &c. P. Tannerus tomo 4 D. 3. q. 10. dubio 3. num. 46. refert sine censura improbabilitatis dictum Patris Sà. Laurentius Landtmeter Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 82. pag. 223. videtur; cum eo transire (vt dicitur.) Fabius allegatur à Leandro Tractatu 8. D. 7. q. 3. pro eadem parte.

43 Quam etsi ego non sequar, volui vendicare à singularitatis nota. Volui etiam interpretationem parare, qua excipiatur absque vlla apud quempiam offensione aphorismus P. Sà, quē Navarrus in Manuali C. 17. num. 283. lit. *L.* vocat *doctissimum, iuxta ac pijssimum, magnumque illustrissimi Ordinis Societatis Iesu ornamentum*, & de quo dicit Ioannes Sanchez in Selecta 46. num. 9. *Inuentor fuit brevitatis, ob quam dignissimè est maximâ laude; præterquàm quòd acutissimus etiam fuit.* Cum itaque tantus sit Sà, etsi in parvo libro, sed succi pleno, vt ait Victorellus ad C. 13. Possevini de Officio Curati, nemo miretur, si moram fecerim in eo interpretando. Nam vt disco ex S. Anselmo in Opusculo de Sacramento altaris parte 2. C. 13. *Prudens Lector, & qui ea benevolentia, Ecclesiastica legit, vt à Sæcularibus Sæcularia leguntur, inter quos plurimùm laudatur ille, qui quemlibet Authorem docere potuit meliùs dixisse, non ambigens, quòd ipse potiùs errare diceretur, si persuadere voluerit, in aliquo illum errare: quisquis, inquam, librū Ecclesiastici Doctoris legerit, si quid in eo quasi dubium, & scrupulosū inuenerit, non statim istud exercendo inuadit; sed inspicit, & discernit, & retractat ex circumstantijs, & ex scriptis eiusdem Authoris, & ad vltimum priùs eligit se ignorare, & non intelligere, quàm illi erroris notam impingere.*

44 Iam verò quæ dixi de amissa, aut non amissa consecratione altaris confirmationem desiderant ex Iure Canonico. Igitur Higinus Papa C. *Si motum* 19. de Consecratione D. 1. ait, *Si motum fuerit altare, denuò cōsecretur Ecclesia.* Canon hic intelligendus est de altari fixo, & de motione, seu separatione lapidis plani superioris ab structura inferiore. In C. *Ad hæc* 1. de Cōsecratione Ecclesiæ, vel altaris inquit Alexander

Alexander III. *Ad hæc, si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò supra posit⁹, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari.* Quibus verbis docemur, altare denuò consecrandum, si lapis planus superior disiũgatur à suo fundamento; vel si idem ipse lapis frãgatur, aut diminuatur ita, vt non retineat quantitatem capaceni sustinendi calicem, ac patenam maiori ex parte. Per sigillum significatur ibi operimentum reliquiarum indistinctũ ab ipsomet lapide, vt oculatissimè cõsideravit Coninch 3. parte quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 240. cui adhæret Layman Lib. & Tract. 5. C. 6. num. 9. Addit Alexander, *Propter hoc verò nequaquà mreiterare suam consecrationem consuevit Ecclesia, licet id quidam Canones innuere videantur*, nempe Canon *Si motum*, paulò anteà transcriptus, & Canon *De fabrica* 24. de Consecratione Dist. 1. ab Alfonso Rege Sapiente leg. 19. tit. 10. Partita 1. & à Bertachino 2. parte 3. principalis, Lib. 3. de Episcopo quæst. 7. subscripti; qui proinde declarati manent, vel potiùs correcti per posteriorem hunc, in quo vbi nos legimus *Suprà positus*, habet Antonij Augustini Collectio 2. antiqua Decretalium Lib. 5. tit. 20. C. vnico *Suppositus*; & ante verbum *Diminutus* habet *Enormiter*; & post verbum *Videantur* addit, *Non tamen id facere prohibetur.* Sed standum est lectioni nostræ.

45 Idem Innocentius III. qui suprà, C. *Quòd in dubijs* 3. eodem tit. scribit, *Altare verò, in quo tabula, cui consecrationis benedictio Pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari.* Cuius Canonis explicatio, & conformitas cum nostra doctrina patet satis ex superioribus. Idem Innocentius C. *Proposuisti* 4. eodem titulo respondet, *Manente Ecclesia, & altari, ipsa reconciliari poterit*, si in ea cõtigerint vulnera, homicidia ve; sed non debebit reconsecrari. Vbi supponere videtur, permanentiam altaris esse conducentem, vt Ecclesia retineat consecrationem. Idem Innocentius C. *Ligneis* 6. eodem titulo ait, *Ligneis ædificijs Ecclesiæ vestræ casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam:: Et infra: Inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum, quòd cum parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit: ob causam prædictam nec Ecclesia, vel altare debet denuò consecrari.* Vbi vides, nõ debere iterari consecrationem altaris, si eius mensa non sit mota, seu separata ab structura inferiore; si item non enormiter, sed modicè subierit læsionem in extremitate. Vnde infertur, non esse reconsecrandum altare propter fractionem, aut diminutionem cornuum, si adhuc residua sit pars mensæ lapideæ, aut aræ sufficiens sustinere calicem, atque patenam, vel hostiam. Et hæc de Canonibus.

46 Quia verò editorum ab Alexandro III. & Innocentio III. caruit instructione Ivo Episcopus Carnotensis (qui ante eos Pontifices vixit) ideo in Epistola 32. & 128. quæsitus, vtrũ tabulę altarium, aliquando consecratę, cum translatæ fuerint, & super novam structuem lapidum positæ, denuò sint consecrandę? Item de motione altaris, vel parietum Ecclesiæ, vtrùm iteranda sit consecratio, vel non iteranda? respondet sequens solummodò dubiam lucẽ Canonis *Si motum*, quem ex Burchardo tribuit Concilio Meldensi C. 5. quanquàm ego in Burchardo Lib. 3. C. 15. non videam tribui nisi Higino Papæ; respondet, inquam, fixum altare esse reconsecrandum, imò & totam Ecclesiã, si mensa altaris mota fuerit ab structura inferiori. Et de altaribus portatilibus ait, *Non aliter consecrari nisi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti substratorio compacta firmitus sint affixa. Vnde licet de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo consecrata sunt, mouentur: à quo si avulsa fuerint, sicut cætera altaria, denuò sunt consecranda.* Sic Ivo, cuius postremis verbis subscribit Durantus Lib. 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus, C. 25. num. 7.

47 Eædem quæstiones delatę sunt ante illorum Summorum Pontificum tempora ad S. Anselmum Cantuariensem, vt videre est in Lib. 3. Epist. 159. Et Initio inquit, *De quo quidem neque in Decretis, neque in Canonibus memini, me aliquid legisse: sed à quodam Episcopo audiui, quòd in Decretis Eugenij Papæ legitur, altare motum iterùm consecrandum.* Ita S. Anselmus. Sed Episcopus ille Eugenium pro Higino nominavit. Prosequitur S. Anselmus, *De his cum Domino Papa*

Vrbano

Vrbano (nempe ſecundo) *loquutus ſum, aſsiſtentibus quibuſdam Epiſcopis. Sed Papa dicebat* (ſcilicet tanquam priuatus Doctor) *menſam altaris motam nec reconciliandam, nec iterùm conſecrandam, nec amplius in altare reputandam. Alij verò dicebant, tantùm reconciliandam, nullam tamen authoritatem oſtendentes. In hoc autem omnes concordant, quòd, violato principali, tota Eccleſia cum altari iterùm conſecranda eſt, nec Eccleſia conſecranda eſt ſine conſecratione altaris, aut principalis, aut alterius in eadem Eccleſia. In his autem omnes concordant, cum quibus loquutus ſum, excepta altaris menſa. Item ſi aliqua pars Eccleſiæ deſtructa reficitur, aut noua fit, altari immoto, aqua tantùm ab Epiſcopo benedicta aſpergendum dicunt.* Hæc ex S. Anſelmo, qui poſteà rationem reddit, cur violato principali altari reconſecranda ſit Eccleſia: aitque, *Quapropter cum illud fit nouum, rectè videtur cum eo conſecrari, per quod recepit, vt ſit Eccleſia.* Exhibet etiã rationem, cur motum altare ſit rurſus conſecrandum, ſiue de eadem materia totum, ſiue de alia fiat. Et addit, *Cauẽdum exiſtimo, ne altare geſtatorium conſecretur ſine fundamento, quod multi cuſtodiunt, & ferè vbique cuſtoditur. Quanuis in Nortmannia, cum ibi eram, non ſeruaretis; ſed nudi lapides nuſquam affixi conſecrarentur. Quod ego non damno, nec tamen facere volo.* Tandem concludit, *Si tota Eccleſia noua fiat, altari ſine violatione manente; quoniam ſine conſecratione altaris alicuius conſecrari non debet, aut altare aliquod eſt ibi renouandum, vt ſimul cum Eccleſia conſecretur, aut aqua ab Epiſcopo ad hoc benedicta intus, & exteriùs ſimpliciter aſpergatur.* Hactenus S. Anſelmus.

48 Cuius Epiſtola, & ea altera Ivonis ſunt ſingulares, & neque à Theologis, neque à Canoniſtis ponderatæ, excepto vno puncto, de quo Durantus ſupra, & ex illo Suarius Diſput. 81. ſect. 5. Verſ. *Tertiò additur*, in ea, quæ eſt Ivonis. Cum hoc, & cum Sancto Anſelmo concordat Ioannes Belethus Capite 109. de diuinis Officijs quoad reconſecrationem Eccleſiæ, ſi altare moueatur. Scribebat autem Belethus circa tempora Alexandri III. Nõ dubito, quin hi antiqui Doctorẽs repetitum hic vellent, quod vnus ex eis, nimirùm Ivo, modeſtiſsimè dixit in Tractatu de conuenientia veteris, & noui Sacrificij, *Nec nos hæc ſufficienter feciſſe confidimus, ſed confidimus de eo, qui per quendam Sapientem dixit, Pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia, quia contemporanei noſtri, vel ſucceſſores noſtra pia præſumptione prouocati, prout eis Deus donauerit, dicent maiores maiora, & meliores meliora; & ſi quid impolitum, vel minus perfectum, quantùm ad propoſitum meum in hoc Opuſculo inuenerint, parcent charitati, quæ forſan ad vnguem dicere non valuit, quod voluit.*

49 Quia tamen aliquis cupiet ſcire rationes, quæ moverunt Sanctum Anſelmum, & Ivonem, præſentabo hic eas verbis ipſorum. Sanctus Anſelmus itaque ait, *Altare non fit propter Eccleſiam, ſed Eccleſia propter altare; & ideo violato principali altari, iam non videtur eſſe Eccleſia, quia non eſt illud, propter quod Eccleſia conſtruitur, & conſecratur.* Ac ſi diceret Sanctus Anſelmus, Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, & corruit eo ablato. Atqui altare eſt principale, & Eccleſia acceſſorium. Ergo ſi illud per motionem amittat cõſecrationem, perdet etiam hæc. Si reſpondeas, non altare, ſed Eccleſiam eſſe principale. Incides in aliam difficultatem, nam inde fiet, vt amittat conſecrationem altare, ſi Eccleſia exſecretur. Quæ ſequela de altari tam fixo, quàm portatili minimè eſt admittenda, vt actutum dicam. Quapropter ſiue vnum, ſiue aliud cenſeatur principale, congruẽtior reſponſio eſt, permanentiam conſecrationis in vno non dependere à permanentia conſecrationis in alio, nõ enim omnia, quæ principale ſubit, ſubſequi eo ipſo debent in acceſſorio, quippe poteſt militare diuerſa ratio, aut diſpoſitio Iuris, & poſſunt eſſe ſeparata. Idem Sanctus Anſelmus pro exſecratione altaris, quod motum fuerit, aſsignat rationem hanc, * Altare vicem fidei Chriſtianę tenet, vt ſicut non niſi in altari Sacrificium noſtrum offerimus, ita nonniſi recta fide Sacrificia bonorum operum offeramus, ſi & Deo placere volumus. Sicut igitur fides noſtra mota de ſuo fundamento (quod eſt Chriſtus) & à ſua ſtabilitate iam non eſt fides: ita altare motum à ſuo fundamento iam non eſt altare. * Carnot. Ivo vtitur eodem argumento, vt probet, altare motum exſecrari. Vt autem ſubinde inferat, exſecrari eo ipſo Eccleſiam, inquit,

* Fides si evellatur, tota ædificatio spiritualis proculdubio destruitur. Reliqua vero ædificatio, si aliqua vetustate atteritur, aliqua læsione minuitur, Sacramenta fidei nequaquam iterantur, sed tantùm quod maculatum est, asperitate pœnitentiæ, & compunctionis lachrymis emundatur. Secundùm ergo hanc similitudinem, moto altari, quod figuram gerit fidei, sicut dictum est, tota Ecclesia consecranda est, quæ, corrupta fide, tota destructa est. Moris vero parietibus, sola aqua, & salibus, tanquàm pœnitentiæ Sacramentis reformanda est. * Sic Ivo. Cuius ratio sapit ingenium; sed vt merè moralis, aut metaphorica, aut mystica non premit.

SECTIO IIII.

Cætera de exsecratione altaris. Vbi & de pollutione. Delibatur nonnihil de situ altaris; attingiturque quædam circa eiusdem aram superstitio.

50 EX dictis perspicuum est, nouo iure Cap. *Ad hæc*, & Cap. *Ligneis*, posse altare amittere consecrationem, quin eo ipso Ecclesia illam perdat, nam potest altare frangi enormiter, aut dissolvi, proindeque exsecrari, quin Ecclesia patiatur in parietibus aliquod detrimentum suæ integritatis, proindeque quin exsecretur. E contra etiam potest Ecclesia perdere consecrationem, manente altari consecrato, ob contrariam rationem. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. numero 26. Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum Disputatione 23. quæsito 6. numero 4. videntur dicere, exsecrata Ecclesia, exsecrari debere eo ipso altare portatile; secus de stabili. Sed certè in vno, & altero militat eadem data ratio.

51 Cæterùm eo ipso quòd polluatur Ecclesia, censetur pollutum altare stabile situm intra Ecclesiam, vel in loco coniuncto cum illa, & è cõuerso, quia etsi crimen in vna tantùm Ecclesiæ parte patretur, at, quam inducit, pollutio, aut violatio extenditur ad totam Ecclesiam, ad totumque, quod ipsam cõponit, vti altare stabile, & non ad vnam tantùm partem. Ast altare portatile non violatur, etiamsi Ecclesia violetur, cum in rigore non sit eius pars, cumq; consecretur sine dependentia, & affixione ad eam, quare poterit inde extrahi, & in illo celebrari absque reconciliatione. Sic Doctores communiter, dum pollutæ Ecclesiæ ratione dicunt pollui altare fixum, tacentque de portatili. Sic etiam dum expressis verbis excludunt portatile. Vt cum Abbate Panormitano, & Syluestro, Azor tomo 1. Libro 10. Capite 27. quæst. 14. Layman Libro, Tractatu, & Capite 5. numero 17. Armilla Verb. *Altare* num. 12. Tannerus tomo 4. Disputatione 5. quæst. 10. dub. 3. num. 45. & 47. Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 7. quæst. 3. numero 31. & alij, à quibus immeritò discesserunt Barbosa in Capite *Ad hæc*, num. 4. Thomas Hurtadus tomo 1. Resolutionum Moralium Tractatu 2. Capite 6. Resolutione 23. numero 262. quorum rationem debilitavi inter exhibendum motiuũ cõmunis, receptæq; sentẽtiç.

52 Notat autem Layman supra Capite 6. numero 10. * Altare etiam mobile, item calicem, patenam, Corporale violari, seu pollui per sanguinis, vel humani seminis sacrilegam effusionem, ideoque Episcopali reconciliatione indigere. Sin verò aliter profanentur, v. g. ad communes vsus sacrilegè adhibeantur, tunc propriè non censeri violata, quanuis decẽs sit, simplici benedictione recõciliare, sicuti supra de Ecclesijs profanatis dictum fuit. * Similiter Barbosa L. 3. de Iure Eccles. C. 2. n. 15. ait, * Pollutum vas sacrum, fortè sanguinis, vel seminis criminosa effusione, præsertim notoria, erit purgãdum, & Sacerdotali benedictione reconciliandũ, * Sa etiã inquit V. *Sacra* n. 1. * Sacræ vestes, pollutæ luxuria, iterùm benedicendæ. * Sed vellem scire, an sanguis, vel semẽ debeat attingere vestes, aliaque prædicta, vt censeantur violata? An non minus extra, quàm intra templum possit contingere eorum violatio, si extra ferantur? Nihil de hoc Authores, nec ego plura. At si à me quæras, an polluto intra Ecclesiam mobili altari polluatur & ipsa?

Respondeo,

Respondeo, contingente pollutione intra Ecclesiam non posse non & hanc polluì. Si replices, ergo polluta Ecclesia polluetur, quod in ea continetur, & proinde altare etiã mobile. Respondeo; istud non contineri vt partem Ecclesiæ, neque vt quid affixum ei, vti supra dicebam, ideoque non pollui, seu non egere reconciliatione, vt super ipsum celebretur, si extra Ecclesiam impiatã feratur. Et ob contrariam rationem infero, altare illud, de quo cum P. Suario loquutus sum in num. 35. pollutum iri, si violetur Ecclesia, nam illud altare est pars Ecclesiç, estque ei affixum. Vnde etiam censeo, amissurum consecrationem, si extra Ecclesiam educatur, non verò si intra eam moueatur, nam si sit consecratum vt affixum ei, quanuis cũ indifferentia ad vnum; vel ad alium eiusdem locum, nequit non amittere consecrationem, eo ipso quòd perdat affixionem.

53 Rursus notat Amicus Disp. 33. sect. 12. num. 352. posse super altare portatile sacrificari in Ecclesia exsecrata, si Sacerdos fruatur privilegio altaris portatilis, seu facultate Immolandi in loco communi, sed honesto, ac decenti; secus in Ecclesia siue polluta, siue interdicta, nisi illud privilegium indulgeat celebrationem in vtrauis. Ratio discriminis est, quia Ecclesia siue polluta, siue interdicta non est locus communis, sed potiùs est locus positiuè affectus nota aliqua; at Ecclesia prçisè exsecrata non desinit esse locus communis, & non est locus positivè affectus aliqua nota, sed tantùm non habens merè negativè dispositionem ordinariam, vt in eo tanquam sacro fiat res diuina; quæ dispositio ne desideretur, si aliundè locus sit honestus, & decens, conceditur proculdubiò per privilegium illud.

54 Vt verò in altari fixo consecrato, quod destructa Ecclesia integrum, indemne que remaneat, celebretur, requiri saltem Episcopi licentiam, docent Filliucius tomo 1. Tractatu 5. Capite 4. num. 122. Villalobus Tract. 8. Difficul. 25. num. 5. alijque communiter post Suarium Disputatione 81 sect. 5. Vers. *In tertia*, quia alioqui sacrificaretur in loco, qui nec foret consecratus, nec benedictus.

55 Ast nec polluitur, nec exsecratur altare, si degradatus Presbyter celebret in eo, vt dicitur in Cap. *A nobis* 2. de Sacramentis non iterandis. Eademque est ratio de Hæretico, Schismatico, & excommunicato iuxta Sylvestrum Verb. *Altare*, quæst. 8. in fine, Amicum supra numero 355. Mirandam tomo 2. Directorij Prælatorum Regularium quæst. 39. articulo 3. Conclus. 2.

56 Si nesciatur, dubiteturve, an altare sit primò consecratum? debet consecrari, vt monemur in Capite *Ecclesiæ, vel altaria* 18. de Consecratione Distinctione 1. & in Libro 7. Capitulorum Caroli Magni 302. atque in leg. 19. titul. 4. Part. 1. Regis Alfonsi Sapientis tam de altari, quam de Ecclesia; & hæc in dubio non præsumitur consecrata, etiamsi coniectura de diuturnitate temporis adsit, dummodò non adsint consecrationis signa in parietibus, vel instrumenta eam testantia, vel dictum vnius testis; si tamen Ecclesia sit Cathedralis plus deferendum est præsumptioni, quàm si solùm Parochialis sit. Legatur Barbosa in Caput *Proposuisti* 4. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris numero 6. & parte 2. de Officio, potestateque Episcopi, allegatione 27. ex numero 5. Ast etsi in dubio de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris debeat adhiberi consecratio, non tamen debet repeti in dubio de exsecratione, quia melior est conditio Ecclesiæ, vel altaris possidentis consecrationem, vt cum Sà advertit Tannerus tomo 4. Disputatione 3. quæst. 10. dubio 2. numero 32. Et ob eandem rationem in dubio de pollutione non debet fieri reconciliatio. Quando autem incidit dubium, an diminutio, vel fractura altaris impediat legitimam calicis, & patenæ continentiam? spectat ad solum Episcopum de hoc iudicare, neque alteri committitur arbitrium, vt cum Layman, Azore, & Barbosa docent Castrus Palaus Tractatu 22. Disputatione vnica, puncto 9. numero 7. Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum Disputatione 23. quæst. 6. num. 4.

57 Porrò autem vt finiamus omnia, quæ ad consecrationem, exsecrationem, & violationem altariũ pertinẽt, disces ex varijs historijs antiquis collectis à Durãto de Eccl. Cath. ritib⁹

Cap. 15. num. 12. ab Scortia Libro 2. de Sacrificio Missæ C. 14. num. 7. quã graviter Deꝰ punierit eorũ violatores. Nec mirum, inflicta eis à Deo fuisse ingentia supplicia. Nam vt ait S. Optatꝰ Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum, *Quid est tam sacrilegum, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remouere; in quibus vota populi, mẽbra Christi portata sunt; quo Deus omnipotens inuocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus; & vnde à multis pignus salutis æternæ; & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Saluator poni, nisi quæ essent de pace condita. Quid enim est altare, nisi sedes & corporis, & sanguinis Christi? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus, & sanguis habitat?* Ita S. Optatus. Et Concilium Rhemẽse apud Burchardum Lib. 3. Cap. 97. inquit, *Altaria, in quibus corpus Dominicum consecratur, sanguisque eius hauritur, cum omni veneratione esse honoranda.* Quare si sacrilegè violentur, immane scelus erit. Videatur Concilium Aquisgranense C. 17. & 25.

58 Transeo ad situm altarium. Quorum principalia saltem, & maiora in templis antiquis sic fuerunt ordinariè constructa, vt orientem Solem respicerent tam ipsa, quàm qui orabant. De hoc altarium, & orantium situ olim seruato legantur S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 3. Suarez Disp. 81. sect. 5. in fine, Scortia Lib. 2. C. 13. num. 9. Libro 3. Cap. 19. num. 7. Democharis Lib. de Ministris Sacrificij altaris C. 41. Iulius Cæsar Bulengerus Cap. 7. de Templis, Herrera L. 1. de Origine, & progressu cœremoniarum Missæ C. 32. numero 13. Cerda in Aduersarijs Cap. 178. numero 8. Hugo Menardus pag. 69. & 70. ad Librum Sacramentorum Sancti Gregorij, Durantus Lib. 1. Cap. 3. ex num. 3: C. 15. num. 10. forsanque inutile non erit, lustrare oculis, quæ nos scripsimus Exercitatione 23. de Cœlo Empyreo sect. 10. à num. 72. vsque ad 78. Huiusmodi tamen situs non erat ex præcepto, sed ex decentia quadam, neque erat tam vniversalis, quin contrarius alicubi viguerit, scilicet in Ecclesia Antiochena, provt ex Socrate, & Nicephoro obseruat Suarez. Et quanquàm in præcepto fuisset antiquitus; at nunc nullatenus sub eo cadit; nec videmus curari de tali situ quoad altaria principalia, seu maiora; multòque minus quoad minora.

59 Similiter situs orantium non magis iam est versus orientalem mundi plagam, quàm versus quamcũque aliam. Priscis tamen temporibus diligenter fuit seruata positio ad orientalem, *Primò quidem propter diuinæ Maiestatis indicium, quod nobis manifestatur in motu cæli, qui est ab Oriente. Secundò propter paradisum in Oriente constitutum, vt legitur Geneseos 2. secundùm litteram septuaginta Interpretum, quasi quæramus ad paradisum redire. Tertiò propter Christum, qui est lux mundi, & Oriens nominatur Zachariæ 6. Et qui ascendit super Cœlum Cœli ad Orientem, & ab Oriente etiam expectatur venturus secundùm illud Matthæi 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis.* Quæ sunt verba Sancti Themæ supra ad 3. Legendusque est Hugo Ererianus C. 14. de animarum regressu ab Inferis. Et omissis non paucis exemplis veterum Christianorum orantium ad Orientem, vt sunt illa, quæ extant in Vita S. Theoctistes 10. Nouembris, in Vita S. Sabæ 5. Decembris, in Vita S. Macrinæ 19. Iulij, profero vnum solũmodò ex Vita S. Mariæ Ægyptiacæ 9. Aprilis apud Surium, cum enim Zosimas peteret à sanctissima fœmina casu reperta in solitudine trans Iordanem, vt oraret pro omni mundo, & pro se ipso, respondit illa ad eum, *Tè quidem oportet, Abba Sozima, Sacerdotis habentem honorem, pro omnibus, & pro me orare, in hoc enim & vocatus es. Sed quia obedientiæ præceptum habemus, quod mihi à te iussum est, bona faciam voluntate. Et hæc dicens, ad Orientem conuersa, & eleuatis in excelsũ oculis, manibusque extensis, cœpit orare motu tantùm labiorum in silentio, ita vt vox penitus non audiretur, quæ posset intelligi.* Hucvsque ibi.

60 Sed fortè occasione orandi verso ad Orientem vultu irrepsit superstitio Gentilica inter Christicolas, quam vt amputaret Sanctus Leo, sic effatus est Sermone 7. de Nativitate, *De talibus institutis* (nempe Priscillianistarum) *illa etiam generatur impietas, vt Sol inchoatione diurnæ lucis exurgẽs à quibusdã insipientioribꝰ de locis eminẽtioribꝰ adoretur.*

Quod

Quod nonnulli etiam Christiani adeò religiosè se facere putant, vt priusquàm ad Beati Petri Apostoli Basilicam, quæ vni vero Deo, & viuo est dedicata, perueniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se Solem deflectant, & curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu multùm tabescimus, & dolemus, quia etsi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura, venerantur; abstinendum tamè est ab huiusmodi specie officij. Tantùm S. Leo. Credibileque est, ex eius tempore depositam fuisse curam orãdi versus Orientem, quia antiquo ritu abutebantur nonnulli.

61 In Sectionis calce moneo Confessarios de superstitione quadam circa pulverem aræ sacræ contritæ ad poculum amatorium, cuius detestandi sacrilegij notitiam comparavi non semel ex confessionibus auditis, necnon ex Paulo Grillando de Sortilegijs q. 5. num. 3. q. 17. num. 1. Delrio Lib. 3. Disquisitionum Magicarum parte 1. q. 3. pag. 364. editionis Moguntinæ anno 1624. Torreblanca Libro 2. de Magia C. 47. num. 7. Lib. etiam 12. Iuris spiritualis Practicabilium C. 12. num. 21. Emmanuele de Valle de Moura Opusculo 1. de Incantationibus sect. 2. C. 6. num. 13. Enormis hæc superstitio reuocavit mihi ad memoriam id, quod de alia circa Eucharistiã legeram in Gregorij Lopez Glosa ad leg. 60. tit. 4. Part. 1. V. *Enemigo*; ex Ioanne Andrea In Rub. de Celebratione Missarum, & posteà in Epistola quadam Alexandri Papæ 3. apud Binianam editionem Cõciliorum tomo 3. parte 2. pag. 646. vbi dicitur, *De muliere, quæ, prout nobis significasti, cupiens viri sui ampliorem amorem adquirere, suscepto corpore Christi, & in ore retento, eidem viro suo osculum cum eo porrexit, & ipsum trajicere postmodùm, cum voluit, non potuit, sed versum est in carnem; cum tangeret iuxta dentes molares, & caro supercreuit, & adhuc est intus*, &c. Qui casus mirabilis est, & non adnotatus ab alijs, qui de horribili abusu Eucharistiæ ad philtra tractarunt, sunt que illi, quos paulò anteà laudavi, alijq; apud ipsos, & apud Thomam Hurtadum tomo 1. Resolutionum Moralium Tract. 5. C. 2. Res. 6. qui quia per abbreviationem scriptum viderat in nonnullis Authoribus *Paulum Grill.* affingit ipsi cognomẽ Grilli, cum nõ sit nisi Grillandi, & lepidè ait, Grillum illum malè cantare nescio in quo puncto.

62 Redeo ad pulverem aræ sacræ; & observo, etsi Sacra Congregatio Rituum anno 1606. 9. Maij respõderit, lapidem profanatum altaris posse licitè vendi, & teneri ab emptore, sed in loco decenti, & honesto, vt refert Barbosa parte 2. de Officiõ, & potestate Episcopi, allegatione 27. num. 26. L. 2. de Iure Eccles. C. 7. num. 15. & In Summa Decisionum Apostolicarum, Collectanea 22. num. 7. tamen vbi sit periculum superstitionis prædictæ, expediens erit, aram omnino comminuere, & contundere, demittereq; puluerem in piscinam Ecclesiæ, *Ne possit* ad illam *temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda.* Quæ verba dicta sunt ab Innocentio 3. in C. *Statuimus* 1. de Custodia Eucharistiæ pro reddenda ratione seruandæ Eucharistiæ sub fideli custodia clavibus adhibitis, aptèque ad præsentem casum transferuntur à nobis; vt & quod nunc ob timorem, ne aliqui tractent indignè, & ad magicas artes abutantur, prohibitum sit, deferre Eucharistiã in proprias domos, etsi olim corpus Domini daretur cuique petenti in manus, quod quisque secum domum portabat, vt, cum ei libuisset, acciperet. Quam causam prohibitionis nunc vigentis post Concilium Toletanum I. Can. 14. Cæsaraugustanum I. Can. 3. Rothomagẽse Can. 2. apud Burchardum Lib. 3. C. 76. postque Capitula Caroli Magni, & Ludouici Pij L. 7. C. 367. dat Sapientissimus Alfonsus Castrensis Lib. 3. de iusta hæreticorum punitione Capite 7. ad finem. Nec plura de hac Disputatione.

DISPVTATIO XXV.

DE ALTARIS ORNATV.

EXAMINAVIMVS ACCVRATE *omnia, quæ sunt de ratione altaris secundùm se. Nunc deueniendum est ad ornatum, qui in eo requiritur, vt super illud celebretur Sacrificium Missæ. De quo ornatu attigit nonnulla Sanctus Thomas ad 7.*

SECTIO I.

Præiactis verbis Sancti Thomæ, tractatur de Corporali, & de eius parte, quam vocant Filiolam, necnon de Purificatorio.

1 LEGITVR verba Sancti Doctoris sunt, *Vbi potuit sine periculo fieri, Ecclesia statuit circa hoc Sacramentum, id, quod expressiùs repræsentat Passionem Christi. Non erat autem tantum periculum circa corpus, quod ponitur in Corporali, sicut circa sanguinem, qui continetur in calice. Et ideo licet calix non fiat de petra, Corporale tamen fit de panno lineo, quo corpus Christi fuit inuolutũ. Vnde in Epistola Syluestri Papæ in eadem Distinctione legitur, Consulto omnium statuimus, vt Sacrificium altaris nõ in serico panno, aut in tincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in panno lineo ab Episcopo cõsecrato, sicut corpus Christi in Syndone linea, & munda sepultum fuit. Competit etiam pannus lineus propter sui munditiam ad significandam conscientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandum Christi Passionem.* Sic celsissimus Theologiæ apex, qui brevitatis causa subticuit aliqua ex Can. *Consulto omnium* 46. de Consecratione Dist. 1. Ita enim integrè, & correctè legitur, *Sed in puro lineo, (vel linteo) ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto*, &c.

2 Hunc Canonem attribuit Platina Sixto I. vt & Polydorus Virgilius Lib. 6. de Inuentoribus rerum C. 12. sed meliùs posteà Sylvestro I. Platina, vt & Rabanus L. 1. de Instit. Cleric. C. 33. Ordericusque Vitalis Libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, pagina (mihi) 442. atque ita refertur in Libro Pontificalis à Damaso; at Burchardus Lib. 3. C. 99. Ivo parte 2. C. 134. attribuunt Eusebio, cuius, & Sylvestri sub nominibus transcribitur à Gratiano. Vnde credere est, Sylvestrum confirmasse, quod ab Eusebio non diu anteà fuerat statutum, vt ait Binius in notis ad Syluestri Vitam lit. *M*. His præsuppositis,

3 Dico primò, requiri in altari Corporale, supra quod reponatur Christi Domini corpus; debereq; esse lineum, album, mundum, & benedictũ. Ita in Can. præcitato. Consonat Concilium Coyancense titulo 3. inquiens, * Altare sit honestè indutum, & desuper lineum indumentũ mundum; subtus calicem, & desuper Corporale lineum, mundum, & integrum, * Cõcilium Rhemense apud Burchardum Lib. 3. C. 97. * Altare mundissimis linteis, & pallis diligentissimè cooperietur, * Cap. 98. * Corporale, super quod sacra oblatio immolatur, ex mun-

mundissimo, & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior, aut vilior ponatur; ✻ Concilium Lateranense sub Innocentio III. & refertur de *Custodia Eucharistiæ* Cap. *Relinqui* 2. Ibi: ✻ Sunt & alij, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam vasa ministerij, & vestimenta Ministrorum, ac pallas altaris, necnō ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus sunt horrori. Quia verò zelus nos comedit domus Dei :: præcipimus, vt Oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta munda, & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiā in profanis. ✻ Eisdem ferè verbis conqueruntur Concilium Salisburgēse sub Vrbano VI. Frisingense sub Eugenio IV. vt notavit Lucas Vaddingus in Epistolā 13. S. Francisci, qui etiam ait; ✻ Omnes autem illi, qui ministrant tā sanctissima mysteria, considerent intra se, maximè hi, qui indiscretè ministrant, quàm viles sint calices, Corporalia, & linteamina, vbi sacrificantur corpus, & sanguis Domini nostri. ✻ Petrus Damiani Lib. 4. Epistol. 1. vel Opusculo 26. C. 1. acriter reprehendit eandem in Corporali immunditiam his verbis, ✻ Illud etiam quantæ confusionis opprobrium est, quòd nonnulli :: in squalido linteo Dominicum corpus & offerant, & involuant; & quod non dignatur potens quilibet, qui tamen vermis est, proprijs adhibere labijs, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris. Quid porrò de consciscis, ac putrescentibus sacrorum altarium brandeis? ✻

4 Leo IV. Pontifex Maximus in Homilia, seu Epistola per Provincias ad Episcopos missa, legenda Presbyteris, ait, ✻ Corporale mundissimum sit: altare sit coopertum mundissimis linteis. ✻ Innocentius IV. in Epistola ad Episcopum Tusculanum Apostolicæ Sedis Legatum, ✻ Vnusquisque Sacerdos :: sacrificet habens Coporale de lino candidum, & mundum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decētibus paramentis. ✻ S. Isidorus Hispalensis in Epist. ad Redemptum Archidiaconum, ✻ Mundis, sanctisque linteaminibus, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, corporis, & sanguinis Domini sacrosanctum Sacrificium studemus conficere. ✻ S. Hieronymus in C. 27. Matthæi, & ex illo proficiens Venerabilis Beda in Cap. 15. Marci, ✻ Possumus iuxta intelligentiam spiritualem hoc sentire, quòd corpus Domini non auro, non gemmis, & serico, sed linteamine puro obvolvendum sit; quanquàm & hoc significet, quòd ille in syndone munda involvat Iesum, qui pura cum mente susceperit. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit, vt Sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est Domini in syndone munda sepultum, iuxta quod in gestis Pontificalibus à Beato Papa Sylvestro legimus esse statutum. ✻ Videantur idem Beda in C. 24. Lucæ, Primasius in 1. ad Cor. 11. S. Optatus Milevitanus L. 6. adversus Parmenianum, S. Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epist. 123. Rex Alfonsus Sapiens leg. 57. tit. 4. Part. 1. Innocentius III. de Sacro altaris Mysterio Lib. 2. Cap. 55. Durandus in Rationali Lib. 4. C. 29. Durantus Lib. 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 12.

5 Sed non sunt omittenda in hoc loco verba tum Pij V. tum Clemētis VIII. Primus titulo de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. de Defectibus in ministerio ipso numerat inter eos, ✻ Si Coporalia nō sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo, vel ab alio, hanc habente potestatem, benedicta. ✻ Eadem verba retinentur in recognitione Clemētis VIII. titulo præcitato, §. 10. num. 1. ex quibus omnibus constat satis ab authoritate, Corporale debere esse lineum.

6 Quæstionis est, an posset esse cannabaceum? Censet Azor tom. 1. Lib. 10. Cap. 28. quæst. 8. posse esse, imò & vsu ita ferre, nam ✻ Parùm, aut nihil refert, cannabis specie à lino differat, satis est id, quod est in vsu, nam sicut ex lino fiunt chordę, funes, retia, & vestes intimæ albæ, sic etiam fiunt ex cannabe lineæ vestes intimæ, & albæ. Item hæ vestes vsu ipso habentur pro lineis. ✻ Ita Azor cum Tabiena, & Armilla, & post ipsos Eligius Basseus, Thomas Tamburinus, Trullench, Gauantus, Bonacina, Reginaldus, Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 4. n. 42. Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. punct.

punct. 1. num. 16. aliſq; communiter. Nec contradicit C. *Conſulto omnium*, dicitur enim ibi, *In puro lineo, vel linteo*, tela autem cannabacea eſt propriè lintea. Magis contradicit Rubrica de ritu ſervando §. & num. 1. ex recognitione Clementis VIII. vbi dicitur, *debere eſſe ex lino tantùm*. Sed reſponderi poteſt, cannabem reputari moraliter in acceptatione humana, & vſu pro lino in ordine ad veſtes, & ad telas

7 Idem Azor quæſitus, an Corporalia eſſe queant ex goſsipio? Reſpondet; *Plinium teſtari L. 19. Cap. 1. ex goſsipio fieri lina xylina; quòd ſi ex eo fiunt lineæ veſtes, hoc ſufficit.* Author Margaritæ Cõfeſſorum apud Leandrum Tractatu 8. D. 7. quæſt. 12. Franciſcus de Lugo ſupra num. 43. Thomas Tamburinus Lib. 1. de Miſſa C. 5. §. 2. num. 4. contra Moure parte 3. Cap. 5. §. 11. num. 8. probabile id reputant, præſertim vbi praxis induci cæperit. Nos etiã fatemur, probabile eſſe; vt & quod ex cannabe, atque ex goſsipio poſsint fieri mappæ altaris, necnon Amictus, Albaque Sacerdotis. Et ſi enim goſsipion differat ſpecie phyſica à lino, vt & cannabis, tamen lini nomine vocantur, & in acceptatione, vſuque humano habentur pro lino. Videatur Bonfrerius ad C. 25. Exodi V. 4. Quod autem de goſsipio, & cannabe dictum eſt, extende ad telas Cameracenſẽ, Hollandicã, Rothomagenſẽ, quas Hiſpanè vocamus *Cambray, Olanda, Ruan.* Ita Villalobus Tract. 8. Diff. 26. num. 1. Trullench Lib. 3. de Sacramentis C. 8. dub. 17. num. 8. & 9. ſiue fiant ex cannabe, ſiue ex alio frutice referente ſpeciem lini. Subintelligeque idem de tela, quam Hiſpanè appellamus *Gaſa.*

8 *Tò non in panno tincto*, vt legitur in Canone *Conſulto omnium*, denotat, Corporale debere eſſe album; expreſsitque Clemens VIII. titulo de ritu ſervando §. & num. 1. dicens, debere eſſe, *totum album.* Sed advertendum eſt cum Dicaſtillo Tract. 5. D. 4. dub. 9 num. 164. aliquos, vt Corporalia ſint magis alba, & terſa, * Ita velle quandoque parare, & lævigare Corporalia amydo infecta, vt potiùs videantur incruſtare, & tegere materiam ipſam telæ; & ſæpe contingat, non in tela ipſa linea, ſed in ipſa amydi cruſta celebrare; imò fortè, vt ſæpe fit, aliqui etiam Sacerdotes ſcrupuloſi nimis illam ipſam cruſtam patena abraſerint, quaſi eſſent particulæ hoſtiæ conſecratæ. Quæ omnia meritò evitanda ſunt. * Sic Dicaſtillus.

9 Corporalium mundities ſatis eſt expreſſa in authoritatibus præcitatis, necnon in Concilio Mediolanenſi 1. parte 2. in pertinentibus ad ad celebrationem Miſſæ. Quòd ſi alicubi ea requiritur iure naturali, maximè in Corporali, calicis cuppa quoad interiorem partem, patena quoad ſuperiorem, manibus, & ore Sacerdotis; quæ immediatè attingunt ſpecies conſecratas. Vnde non ſine peccato lethali celebrabitur in Corporali, quod notabiliter, & enormiter immundum ſit; nõ ſinè peccato, inquam, ſacrilegij gravis contra præceptum naturale tractandi ſanctè, ac reverenter res ſacras. Obſervatque Diana parte 3. Tract. 6. Reſol. 48. obeundam potiùs eſſe mortem à Sacerdote, quàm quòd celebret cum veſtibus etiam valde ſordidis, aut cum calice valde immundo, tametſi metus mortis non incutiatur in contemptum, odiũve religionis, & Sacrificij: de qua obſeruatione feremus iudicium in Diſp. 27. Cæterùm ſi immunditia Corporalium non ſit magna, abſitque ſcandalum, & contemptus, erit ſõlummodò peccatũ veniale celebrare abſque neceſsitate in Corporali leviter ſordido; nullumque erit, vrgente neceſsitate, cauſave rationabili.

10 Illi, quibus commiſſa eſt cura templi, habent ſpecialem obligationem attendendi ad munditiam Corporalis. Tales ſunt Epiſcopi, Parochi, Prælati Regulares, Æditui; & hos arcti obligat religionis præceptum, directèque illud, quod latum eſt de *Cuſtodia Euchariſtiæ* C. *Relinqui* 2. Quæ dixi de Corporali immundo, amplia ad illud, dum fuerit lacerum; & lege Eminentiſsimũ Cardinalem Caietanum in Summa V. *Miſſæ celebratio*, & antèà V. *Immunditia Corporalis*, Alvarum Pelagium Illuſtriſſimum Epiſcopum Sylvenſem Libro 2. de Eccleſiæ planctu C. 27. fol. (mihi) 66 Ioannem de Lapide Doctorem Pariſienſem, & Carthuſianum in Reſolutorio dubiorum occurrentium circa celebrationem Miſſarum C. 5. art. 1. dubio 5. Gaufridum Boſioardum de diviniſsimo Miſſæ Sacrificio p. 1. Cap. 7.

doctiſ-

doctiſsimum, iuxtaque pijſsimum Salmeronem tomo 9. in Evangelia Tract. 14. pag. 120. loquentes ſatis ponderoſè contra abuſum ſordidorum Corporalium, & mapparum altaris.

11 Tandem Corporale debere eſſe conſecratum, id eſt, benedictum ab Epiſcopo, dicitur in C. *Conſulto omnium*, necnon in Rubricis Miſſalis ſupra iam memoratis repetiturque à Clemente VIII. in titulo de ritu ſervando in celebratione Miſſæ §. & num. 1. Circa facultatem autem Epiſcoporum ad benedicendum Corporalia, nihil eſt ſpeciale, quod notemus, cum ea ſit certa, atque indubitata Iure ordinario, niſi quòd non valet delegari per ipſos, tum quia vetat Ius commune, tum quia non pertinet ad iuriſdictionis, ſed reducitur ad Ordinis poteſtatem iuxta dicenda in D. 27. vbi agemus de alijs, qui ex Summi Pontificis conceſsione queunt benedicere Corporalia. Nunc ſatis ſit referre privilegium datum à Paulo III. Presbyteris Societatis noſtræ *Degentibus in Saracenorum, & Paganorum, aliorumq; Infidelium terris, & Prouincijs alijs remotiſſimis, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica; vt poſsint veſtes Sacerdotales, pallas, Corporalia, calices, altaria, cæmeteria (ſi Epiſcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non ſit) benedicere, ac profanatas Eccleſias reconciliare.* Ita in Bulla *Licet debitum*, anno 1540. Porrò Corporalia non amittere benedictionem per lotionem, neque ex eo, quòd reficiantur, ſed tamdiu retinere illam, quàdiu ad ſuum munus deſeruire poſſunt, conſtans eſt omnium ſententia.

12 Dico ſecundò, requiri pallam lineam, albam, mundam, benedictam, qua poſt primam oblationem cooperiatur calix; & quæ ab Italis vocatur *Animeta*, ab Hiſpanis *Hijuela*, Latinè Filiola, eo quòd ſit velut pars adempta ex Corporali, eaque parva, & minor; meritòque debet eſſe linea, alba, & munda quoad interiorem ſaltem partem contingentem calicem, cum enim ſucceſſerit vice Corporalis, cuius extremitate cooperiebatur olim calix; rationi congruit, vt eaſdem Corporalis conditiones ſibi aſſumat. Attamen ſicut illud circa oram, vbi non ponitur Xpi corpus, neque calix, poteſt eſſe non lineum, ſed ſerico, vel auro intextum, vt colligitur ex verbis Pij V. & Clemētis VIII. ita Filiola partes exteriores, & extremas non imminentes Chriſti ſanguini poteſt habere non lineas, ſed ſerico, vel auro ornatas; & cuiuſuis coloris decentis. Neceſsitas benedictionis patet ex ratione ſuperiori, & ex Clemente VIII. aiente, Corporale debere eſſe benedictum ſimul cum palla, hæc enim eſt vnum quid, & veluti pars illius. Vnde eadem benedictio deſervit in Pontificali ad vtrumque.

13 Sotus in 4. Diſt. 13. q. 2. art. 5. in fine, Ledeſma C. 20. de Euch. pag. 279. Rodriguez in Sūma C. 247. Concl. 18. Villalobos Tract. 8. C. 26. numero 3. Moure parte 3. C. 5. §. 12. numero 10. Marcus de los Huertos, Ludovicus de S. Ioanne, & Machadus apud Garciam Tract. 3. Diff. 8. dubio 3. puncto 1. n. 14. diſſentiunt tam quoad materiam parvæ pallæ, quàm quoad benedictionem, negatque huius neceſsitatem Sà V. *Miſſa* num. 10. Quorum opinio improbabilis viſa eſt Vazquio D. 233. C. 3. num. 24. diſplicetq; mihi cum Suario D. 81. ſect. 6. V. *Tandem*, & cum alijs paſsim, etſi enim non contingat immediatè ſpecies conſecratas, verſatur valde proximè circa illas, magiſque, quàm aliæ mappæ præter Corporale; aliæ autem mappæ debent eſſe lineæ, atque benedictæ; & præterea vrget ratio anteà aſsignata. Quæ confirmatur ex Rádulpho Decano Tungrenſi dicente in propoſitione 23. de Canonum obſervātia, *In componenda Oblata in altari eſt duplex modus, vnus Romanus, quem ſeruant Itali, & Alemanni, cum duobus Corporalibus, quorum vtrumque purè lineum debet eſſe:: Gallicani verò calice deplica vnius Corporalis cooperto*, &c. Iuxta morem illum Romanum intelligo Innocentium III. ſcribentem Lib. 2. de ſacro altaris Myſterio C. 56. *Interim verò Diaconus corporales pallas ſuper altare diſponit, quæ ſignificant linteamina, quibus inuolutum fuit corpus Ieſu. Pars autem, quæ plicata ponitur ſuper calicem*, &c. Et infra, *Duplex eſt palla, quæ dicitur Corporalis, vna, quā Diaconus ſuper altare totam extendit, altera, quam ſuper calicem plicatam imponit*, &c. Vocant & hanc Ivo in Epiſt. 233. Hugo Victorinus Libro 2. de Officijs Eccleſ. C. 38. *corporalem pallam*, quin declarēt, ſit, necne, diſtincta ab extenſa ſuper altare. Et S. Anſelmus Lib. 3. Epiſt. 136. ſeu Opuſculo de Sacramētorum diverſitate

ſitate C. 3. ait, *Quòd verò nonnulli ab initio calicem operiunt quodam Corporali, alij panno complicato propter cuſtodiam mundi-tiæ*, &c. Rex Alfonſus Sapiens leg. 57. tit. 4. Part. 1. nominis Corporalium originem deſcribens ait, * Appellari ſic pannos albos, qui ponuntur ſuper (correctiùs, ſubtus) calicem, & quibus cum operitur, quãdo Sacerdos cõficit Sacramentum corporis Domini.*

14 Corporalis igitur palla parua, linea, & benedicta neceſſaria eſt celebrantibus iuxta ritum præſentem Romanæ Eccleſiæ, licet in Orientali non ſit vſitata, neque in vna, aut altera Eccleſiæ Occidentalis Religione, vt de ſua teſtabatur Sotus ſupra. Non excuſarem autem à peccato eum, qui arbitrio ſuo immutaret ritum communem hodiernum vtendo ad cooperiendum calicem Corporali oblongo vice Filiolæ: quæ ſi caſu abeſſet, ſufficeretque Corporale ad calicem cooperiendum, aſſerit Arriaga D. 55. ſect. 2. num. 8. poſt Villalobum ſupra, poſſe Miſſam nõ omitti. Eum verò, qui aut ſine Corporali, aut cum illo, ſed non benedicto, ſacrificaret, nemo liberat à culpa graui, quippe violaret Eccleſiæ præceptum in re graui, quin appareat indicium aliquod vel ad ſuſpicandum, Eccleſiam nõ velle obligare graviter.

15 Dico tertiò, requiri Purificatorium ad abſtergendum calicem, & patenam, labia, digitoſque Sacerdotis ablutos poſt Sacramenti contactum. Huiuſmodi Purificatorium debere eſſe mundum, notat Miſſale in titul. de ritu ſervando §. & num. 1. licet à Pio V. tacita ſit hæc conditio; & tam à Pio V. quàm à Clemente VIII. an debeat eſſe lineum, & benedictum? Sed oportere, vt ſit lineum, colligitur tum ex paritate Corporalis, aliarumque mapparum deſervientium in altari, tum ex munere, ad quod adhibetur, & ad quod materia linea eſt magis conducens, ac frequens. Oportere etiam, vt ſit benedictum, poſſet inferri tum ex priori capite prædicto, tum quia evenire valet, & non rarò, quòd Purificatorio tangãtur Sacramentales ſpecies panis, & vini, quæ manſerint in patena, & calice. *In reuerentiã autem huius Sacramenti, à nulla re contingitur, niſi conſecrata. Vnde & Corporale, & calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum*, vt ait S. Thomas quæſt. 82. art. 3. in Corp.

16 Cæterùm hæ rationes etſi movere poſſent Eccleſiam, vt decerneret, benedici Purificatorium, tamen, dũ non decernit, non eſt, cur nobis imponamus obligationem non vtendi Purificatorio, niſi benedicto; ſatis attentè, & exquiſitè providit ipſa omnibus ſpectantibus ad reverentiam, decentiamque Sacrificij; quæ ſi impleantur, non modica res erit. Quare cum nuſquam in Iure, neque in Pontificali, neque in Miſſali fiat mentio de benedictione Purificatorij, libenter adhæreo Authoribus, qui dicunt, non debere illud benedici eiſdem etiam orationibus, quibus tobaleæ, ſiue linteamina altaris. Ita Suarius D. 81. ſect. 3. V. *Quartò addendum*, Gavantus in Rub. Miſſalis parte 2. tit. & num. 1. lit. *I.* pag. 84. Averſa quæſt. 11. ſect. 13. V. *Item ad ſuſtinenda*, Caſpenſis Tract. 25. D. 3. ſect. 4. num. 78. Gaſpar Hurtadus D. 4. Diſſ. 9. V. *Corporale autem*, Cardinalis de Lugo D. 20. ſect. 2. num. 76. Garcia Tractatu 3. Diſſ. 8. dub. 3. punct. 1. num. 16. Frãciſcus Amicus Diſp. 33. ſect. 12. num. 364. Thomas Tamburinus Libro 1. de Miſſa C. 5. §. 2. num. 1. Reginaldus, Bonacina, & ſiqui ſunt alij apud Franciſcum de Lugo Lib. 5. C. 7. quæſt. 4. num. 36. vbi cum Fagundez, & Laymano ait, neceſſariam eſſe, vel tutiorẽ benedictionem Purificatorij; & conuenientem ſaltem eſſe, pronunciat Caſtro Palaus Tractatu 22. Diſputatione vnica, puncto 10. num. 2. Certè cum per ſe non ſit deſtinatum ad contingendas ſpecies Sacramentales, ſed tantùm ex accidente aliquo poſsit evenire earum contactus, non vrget ratio mutuata ex Sancto Thoma. Et olim non erat in vſu Purificatorium, ſed quædam mappulæ, quas Sacerdotes tenebant manibus, & quæ deſerviebant non ſecus, ac nunc Purificatorium, quin de earum benedictione dimanarit ad nos vlla notitia. Videatur Gavantus ſupra.

***

SECTIO

SECTIO II.

De lotione, & contactu Corporalium, aliarumque rerum siue benedictarum, siue consecratarum.

17 QVÆRES primò, quisnam possit lavare Corporalia? Respondeo, extare Decretū de hac re in Cap. *Nemo per ignorantiam* 40. de Consecratione Dist. 1. vbi à Sancto Clemente Papa in Epist. 2. ad Iacobum (seu potiùs ad Simeonem fratrem Domini, vt advertunt Bellarminus, Possevinus, & Binius, etsi Turrianus Lib. 2 pro Epistolis Pontificum C. 13. defendere conetur priorem inscriptionem) dicitur, *Pallas Ecclesiæ, & vela, quæ in Sanctuarij sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus Ministris intra Sanctuarium lauent; nō eycientes foras à Sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne fortè puluis Dominici corporis malè decidat à syndone foris abluta: & erit hæc operanti peccatum. Id circo intra Sacrarium Ministris præcipimus hæc sancta cum diligentia custodire. Sanè peluis noua comparetur, & præterhoc nihil aliud tangat. Sed nec ipsa peluis velis apponatur lauandis, nisi quæ ad Dominici altaris cultum pertinent. Pallæ altaris solæ in ea lauentur, & in alia vela ianuarum.* Sic ibi. Et per *Pallas* intelliguntur Corporalia, non secus ac in Can. *Sacratas* 25. Dist. 23. Sed in Can. *Omnis Presbyter* 106. de Consecratione Distinct. 4. pallarum, & Corporalis nomina distincta habentur. Ibi: *Ad Corporale lauandū, & ad pallas altaris propria habeantur vasa, in quibus nihil aliud fiat.*

18 Possunt igitur iuxta priorem textum Corporalia lavari à Diacono, & à Sacerdote potiori de causa; imò ad solum Sacerdotem pertinere hanc functionem, dicitur in lege 64. titul. 4. Partita 1. Sed immeritò restringitur concessio textus illius ad pallas, quæ non sint Corporalia. Insuper debet lotio mitti in piscinam sacram, aut baptisterium ob periculū, ne residua sit particula aliqua consecratarum specierum panis. Possunt, inquam, Corporalia lauari primò leviter, nam operosior lotio, vt & refectio, commendari potest fœminis, maximè virginibus, aut Monialibus, tum quia id non prohibetur Can. illo, tum quia in secunda lotione non vrget ratio eadem prohibitionis, & favet ratio maioris industriæ fœminarū, tum quia sic est cōsuetudine receptum. Sed & ad primam lotionem possunt admitti humiles Ministri in cōfortio Diaconorum, vt exprimitur in eodem textu. Aitque Villalobus Tract. 8. Diff. 29. n. 5. primam illam lotionem posse fieri in flumine, seu in aqua currente; & non fore peccatum mortale, si fœmina tangens in extremitate Corporale, & quin manum intromitteret in aquā, præsertim fluvialem, lavaret illud. Si verò aliter lavet primò fœmina, vel quiuis alius Laicus non privilegiatus, & sine necessitate, sunt qui damnent peccati mortalis; quod nimis durum videtur: imò & oppositum esse certum, quia materia non est gravis, asseverat Thomas Tamburinus L. 1. de Missa C. & §. 2. num. 3.

19 Qui Author eò procedit, vt nec venialis peccati damnet, tum quia cōtactus Corporalium à Laico citra vllam culpam est: quidni & prima lotio? Tum quia Canon *Nemo per ignorantiā* est abrogatus consuetudine quoad lotionem intra Sacrarium, fit enim in quouis alio loco; item quoad id, vt fiat à Diaconis, vel à Sacerdotibus, siquidem fiat à Subdiaconis; item quoad alia, quæ non sint Corporale, & purificatorium, vt notat Glossa ad eum Canonem V. Et *vela*: cur ergo non poterit rationabiliter abrogari quoad primam lotionem Corporalium? Ipsæque aliæ lotiones vltra primam est quædam eius abrogatio. Tum denique quia verba Canonis illius, etsi imperativa, non eo ipso præcisè significant prohibitionem sub peccato, maximè cum ibi finis Pontificis sit, declarare è Diaconorum officio esse lavare Corporalia, ita vt relinquat indecisum, num alij, quauis nō ex officio, & per se, possint, necne?

20 Sed ad primam rationem responderi potest, negando Antecedēs; eoque permisso, non valere argumentum à tenui contactu ad primam lotionem. Vnde etsi communiter concedatur, licitum esse Subdiaconis, imò & alijs inferiorū quatuor Ordinum tāgere Corporalia, nō tamen ea primò lavare. Ad secundam rationem fateor, fore, vt

possit

poſſet conſuetudine abrogari Canon ille quoad primam lotionem, ſicut quoad ea alia eſt actu abrogatus; ſed nec etiam Sylveſtri, nec Suarij ipſum referentis Diſp. 81. ſect. 8. V. *Quartò addendū*, nec noſtra prævaluit conſuetudo, quatenus fœminæ, aut Laici audeant ſine ſcrupulo lavare primò Corporalia. Ad tertiam rationem dico, ex toto Canonis illius contextu colligi prohibitionē ſub peccato, & inibi haberi; *Erit hæc operanti peccatum*, niſi quis cogitet, verba iſta cadere ſolummodò ſupra proiectionem lotionis foras à Sacrario, nempe ad viam publicam, & communem; quod iuxta Villalobum eſſet peccatum lethale, & iuxta Ludovicum de Sancto Ioanne apud Garciam Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. puncto 1. num. 15. eſſet veniale notabile. Addo, eo ipſo quòd Pontifex tradat, lotionem Corporalium pertinere ex officio, & per ſe ad Diaconos cum humilibus Miniſtris, quibuſcum concurrant dirigendo, vel potiùs phyſicè efficiendo, colligi excluſionem aliorū, quatenus debeant non ſe ingerere ad eam functionem. Et quicquid ſit de ſpeculativa probabilitate opinionis P. Tamburini, moveor, ne ei in praxi aſſentiendum putem, quia in contrariū ſtant non modò conſuetudo, ſed etiam Doctores: quibus, & non alijs armis decertat contra Tamburinum Diana parte 11. Tract. 3. Reſol. 16.

21 Subdiaconos videntur excludere multi Doctores à prima lotione Corporalium ex officio, & per ſe. Sed cum Sà V. *Miſſa* num. 16. Tannero tomo 4. Diſp. 5. quæſt. 10. dub. 3. num. 50. Amico Diſp. 33. ſect. 12. num. 378. Coninch 3. p. quæſt. 83. art. & dub. 3. num. 249. cenſeo, non eſſe excludēdos, quia etſi in C. *Nemo per ignorantiam* nominentur Diaconi cum humilibus Miniſtris, & non Subdiaconi, ideò fuit, quia eo tempore Subdiaconatus non habebatur inter Ordines ſacros, vti habitus eſt tempore S. Gregorij Papæ I. qui Lib. 4. Epiſt. 88. loquitur de Subdiaconatu tanquam diſtincto à minoribus Ordinibus, conſtatque ex eius Lib. 1. Epiſt. 42. & ex Innocentio III. Cap. *A multis* 9. de Ætate, & qualitate, & ordine præfic. Cap. *Miramur* 7. de ſeruis non ordinandis, necnon ex Vrbano II. Can. *Nullus in Epiſcopum* 4. Diſt. 60. Ideo autem poſteà numeratus eſt inter Ordines ſacros, quia denuò attulit ſecum annexum votum ſolemne caſtitatis, vt noſcitur per Cap. *Ante triennium* 1. Diſt. 31. multòq; clariùs ex tempore Vrbani II. vt videre eſt in C. *Erubeſcant* 11. Diſt. 32. & in Synodis Melfitani, & Claramontana celebratis ab eodē Vrbano, apud Baronium anno 1090. num. 3. & 1095. num. 26. cum tamen antea non afferret, vt palàm fit in Cap. *Quicumque* 3. Diſt. 77. & in Capite *Miniſtri* 19. Diſt. 81. Scio, Vazquium Diſput. 248. C. 3. operam ſuam locare, vt probet, legem continentiæ in Subdiaconis fuiſſe longè antiquiorem S. Gregorio Papa I. ſed ſimul fatetur, non viguiſſe in Eccleſia primitiva: quod nobis ſufficit; & quod non vbique Eccleſiæ etiam Latinæ ante præfatū tempus recepta fuerit, neque conſtanter omnino, vbi ſemel: de quo puncto tractare, non eſt huius loci. Legantur Azor tomo 1. Lib. 8. C. 13. quæſt. 2. Landtmeter Lib. 2. de vetere Clericorum, & Monachorū victu, & diſciplina C. 80. Auguſtinus de Herrera Lib. 1. de Origine, & progreſſu cœremoniarum Miſſæ Cap. 21. Neq; itē huius loci eſt, recenſere alios, qui de hoc puncto ſatis copiosè egerūt. Quapropter (vt intra proprios cancellos me contineam) mirum non eſt, ſi Sanctus Clemens Papa in Canone illo *Nemo per ignorantiam* non deſignarit Subdiaconos ad lotionem primam Corporalium, vt competentem eis ex officio, & per ſe, nos verò è contra dicamus, eſſe munus non alienum ab ipſis eo ex tempore, quo Ordo ipſorum eſt ſacer obſolemne votum continentiæ. Et in hoc ſenſu intelligendus venit S. Iſidorus Hiſpalenſis coætaneus S. Gregorij Papæ 1. dum inquit Lib. 2. de Officijs Cap. 10. *De Subdiaconis placuit Patribus, vt quia ſacra Myſteria contrectant, caſti ſint, & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia ſint liberi*, Sic Sāctus Iſidorus, cuius verba eo non nominato tranſcribūtur ab Innocētio III. L. 1. de Myſt. ſacro altaris C. 4. Sed & pro noſtra ſententia adeſt palmaria authoritas Concilij Rhemenſis apud Burchardum Lib. 3. C. 48. Ibi: *Quando Corporale abluitur à Sacerdote, Diacono, vel Subdiacono, primò in Eccleſia in loco, & vaſe ad hoc præparato abluatur, eo quòd ex Dominico corpore, & ſanguine infectum ſit. Poſt hæc à lauandario in nitido loco paretur.* Quid clarius? Ad hæc:

22 Ad hæc: de vase ad Corporale lavandum videatur Cap. *Omnis Presbyter* 106. de Consecrat. Dist. 4. ex Concilio Ilerdensi, in quo tamen non reperitur; conferaturque cum præcitato Cap. Caput *De his clericis* 36. Dist. 50. vbi dicitur; *De his Clericis, qui in obsidionis necessitate positi fuerint, id statutum est, vt qui altario ministrant, & Christi sanguinem tradunt, vel vasa sacro Officio deputata contrectant*, &c, quæ verba ad quos Clericos extenderentur tempore Cōcilij illius celebrati anno 546. dignoscet satis Lector tum ex dictis, tum ex dicendis proximè. Sed notet, in Concilio Iliberritano Can. 33. impositam fuisse legem continentiæ Subdiaconis, quanquam ex Can. 5. Concilij Toletani III. paulò posterioris Ilerdensi colligatur, non fuisse servatam invariatè in Hispania, & ex Can. 6. Concilij Toletani VIII. constet, Subdiaconos aliquos ex prætextu non perceptæ benedictionis, seu Ordinationis ab Episcopo, sed à Corepiscopo contendisse, se non teneri ad continentiam. Sic explicat obscurum Canonem Gibalinus Disquisitione 3. de Clausura Regul. C. & §. 2. ex n. 7.

23 Petes iterùm, quisnam possit contingere Corporalia? Respondeo primò, neminem præter Sacerdotem, aut Diaconum ad summum, dum Christi corpus, aut sanguis supra ipsa existit. Eadem est ratio de calice, & patena, quando actu continent Christi sanguinem, aut corpus. Scripsi, *aut Diaconum ad summum*, quia cum ille possit certis in casibus (de quibus nos ad Disput. 15. de Euch. num. 39. & 40.) tāgere ipsam Eucharistiam, poterit multò potiùs in eisdem casibus, & in alijs vrgentibꝰ, quanquam nō tam strictim, contingere illa, quibus Eucharistia est superimposita. Responsionem nostram tradit Castro Palao Tract. 22. Disputatione vnica, puncto 10. num. 13. cum Suario (qui Paludanum citat) cum Filliucio, Bonacina, Laymano; aitque Suarius Disput. 81. sect. 8. §. *Tertium*, vix posse à peccato mortali excusari, si absque causa, & temerè ab alio, quàm à Sacerdote, vel ad summum à Diacono contingantur, quia videtur certè res gravis; & sic exponi posse, imò & debere, addunt Vazquez D. 238. Cap. 6. num. 61. & Gibalinus Disquisitione 1. de Clausura Regul. C. 1. §. 3. num. 9. C. *Non oportet, Subdiaconos* 24. Dist. 26. ex Concilio Laodiceno Cap. 21. Ibi: *Nō oportet, Subdiaconos licentiam habere in Secretarium (quod Græci Diaconium, vel* Diaconicon *apellant) ingredi, & contingere vasa Dominica.* Similiter C. *Nullus Acolythorum* 1. Dist. 24. vbi iubetur, *Vt nullus eorum, vel Subdiaconorum rem consecratam à Presbytero alijs porrigat (quia aliud Minister, aliud assistens) nisi tantùm supportet, quod ei Sacerdos imposuerit suo ore benedictum.* Ita Gratianus (quanquam in antiquioribus exemplaribus omissus sit hic Canon) Ivo etiam 2. p. Cap. 43. Burchardus Lib. 5. C. 34. referentes ex decretis S. Sylvestri Papę I. in Synodo Romana Cap. 9. licet in hac Synodo pro Subdiaconis legamus Acolythos, & pro Acolythis Lectores, & Ostiarios.

24 Verumtamen in Cap. *Non oportet, insacratos* 30. Dist. 23. ex Concilio Agathensi sub Symmacho Papa Cap. 66. solùm interdicuntur à contactu vasorum Dominicorum intra Sacrarium, vel Secretarium Ministri non sacrati; & in CC. *Non liceat* 31. & 32. Dist. 23. ex Concilio Bracarensi I. Cap. 10. & Concilio Martini Papę C. 41. non prohibentur Subdiaconi, & Acolythi. Similiter Sixtus I. Epist. 2. relatus Cap. *In sancta* 41. de Consec. Dist. 1. non alios removet, quàm non sacratos, Dominoque non dicatos, ait enim, *Cognoscat vestra sapientia, Charissimi Fratres, quia in hac sancta Sede Apostolica, à nobis, & reliquis Episcopis, cæterisq; Domini Sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa non ab alijs, quàm à sacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus, indignum enim valde est, vt sacrata Domini vasa, quæcumque sint, humanis vsibus seruiant, aut ab alijs, quàm à Domino familiaribus, eique dicatis, tractentur viris; ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo.* Sic Sixtus Pont. Max. Et in C. *Illud quoque* 66. Dist. 50. ex Concil. Carth. V. C. 11. dicitur, *Vt post pœnitudinem, ac reconciliationem nulli vnquam Laico liceat honorē Clericatus adipisci, quia quanuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamē debent gerendorum Sacramentorū instrumenta suscipere, qui dudū fuerunt vasa vitiorum.*

25 Vnde constat, non fuisse sēper idem Ius, neq; eandem consuetudinem circa eos, quibus liceret, aut non liceret cōtrectare vasa Dominica. De Corporalibꝰ, linteisq; alijs, & vestimentis

ſacris non contingendis à fœminis, neq; ab hominibus, qui non ſint Deo ſacrati, extant etiam complures Canones, vt Can. *Sacratas* 25. Diſt. 23. Can. *Nemo per ignorantiam* 40. Can. *Teſtamenta* 42. de Conſecratione Diſt. 1. Eritque operę pretium legere Concilium Pariſienſe tempore Ludovici L. 1. C. 45. & Regulam Sanctimonialium extantem in Epiſt. 8. Petri Abaelardi pag. 151.

26 Reſpondeo iam ſecundò, viros Deo ſacratos, qui nec Sacerdotes ſint, neque Diaconi, poſſe contingere Corporalia, calicem, ac patenam, quādo in his corpus, aut ſanguis Domini nō exiſtit. Sic præcitati Canones; nihilq; eſt, quod obſtet, ſiue ab authoritate, ſiue à ratione. Et Subdiaconis quidem traditur in Ordinatione calix tāgendꝰ; ſæpeque in Miſſa ſolemni tangunt Subdiaconi calicem, patenam, Corporale. Videatur Canon *Non liceat cuilibet* 31. Diſt. 23. Cum quo Canone poſſunt cōciliari Canones *Non oportet*, *Subdiaconos*, *Non oportet*, *infacratos* eadem Diſt. vel recurrendo ad diverſa tempora, & loca, vt ſuprà, dum de lotione Corporalium agebamus; vel dicendo, in Canone *Nullus Acolythorum* eſſe ſermonem de vaſis ſacris non continentibus actu Euchariſtiam; in alijs verò de ipsā actu includentibus, tunc enim non licebat Subdiaconis tangere illa, neque ingredi in Secretarium, vt ea illuc inferrent cū reliquijs Sacrificij, vel inde depromerent, hoc enim munus petinebat ad Diaconos iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas L. 8. C. 13. & ideo Secretarium vocabatur Diaconicon, vt coniectatur Durantus Lib. 1. de Eccleſiæ Catholicę ritibus num. 3. In Secretario autem, quod erat à parte dextra templi, ſervabātur ſacra vaſa cum præfatis reliquijs, & veſtimenta Sacerdotalia; indeque procedebat Pontifex ad celebrationem, vt noſcitur ex Sancto Gregorio Lib. 2. Epiſtola 51. Lib. 4. Epiſtola 11. ex Severo Sulpitio Libro 2. Dialogorum Cap. 2. ex Concilio Arelatenſi II. Capite 15. Et in alio Secretario, quod erat à parte ſiniſtra, Epiſcopus excipiebat venientes ſalutatum: qua de cauſa appellabatur Salutatorium, & Receptorium, vt conſtat ex Sancto Gregorio Libro 4. Epiſtola 54. & ex Sancto Sidonio Apollinari Libro 5. Epiſtola 1. ibique ad orationem conſiſtere licebat. De quo vtroque loco ſub nomine conchularum loquitur Sanctus Paulinus in Epiſtola 12. Legeſis Vazquium, & Gibalinum ſupra laudatos. Iamque quoad Acolythos, quatenus ad eos etiam extendatur noſtra reſponſio, expende Canonem *Non liceat cuilibet, miniſteria* 32. Diſtinctione 23. & Canonem *Nullus Acolythorum* 1. Diſt. 24.

27 Quapropter nimis ſtrictè aliqui Auhores, & cum eis Caſtrus Palaus Tractatu 22. Diſputatione vnica, puncto 11. num. 13. dicunt, Acolythos non poſſe tangere calicem, &c, niſi in defectum Subdiaconi Sacrificio miniſtrantis. Verius videtur, poſſe tam ipſos, quàm alios tribus inferioribus Ordinibus initiatos, ſunt enim quatuor Ordines verè ſacri, & vera Eccleſiæ Sacramenta, & qui ea ſuſcipiunt, ſunt ſpecialiùs ſacrati Deo, quàm alij Chriſticolæ, etſi fatendum ſit cum Magiſtro Sententiarum in 4. Diſtinctione 24. & cum Bellarmino Libro 1. de Sacramēto Ordinis Capite 7. Subdiaconatum, Diaconatum, atque Sacerdotium dici per excellentiam Ordines ſacros, & qui eis inſigniuntur, dici antonomaſticè ſacratos Deo.

28 Maior eſt difficultas de initiatis prima tonſura. Sed & de ijs inquit Suarez ſupra, poſſe extra ſacrum miniſterium, quia ita eſt in vſu. Quem tamen vſum aliqui negant, fortè quia, vbi ſcribunt, non eſt introductus; quod non infirmat veritatem atteſtationis Suarij, vbi ipſe ſcribebat; potuiſſetque alibi non eſſe introductus, ſed citra obligationis perſuaſionem. Adhuc tamen contra Suarium arguunt bifariàm, quia Noſtris, qui inſerviunt Eccleſijs Societatis in Sacriſtæ officio, conceſſum eſt olim viuæ vocis Oraculo, vt poſsint tangere calices, & Corporalia, ſi modo primam habeant tonſuram, vt refertur in Compendio Privilegiorum Verb. *Sacra*, §. 1. Si autem prima tonſura ſufficeret Iure communi, fruſtrà addita eſſet conditio primæ tonſuræ. Et quia in Cap. *Nemo per ignorantiam* 40. de Cōſecratione Diſtinctione 1. Diacono, & non alijs conſtitutis in inferioribus Ordinibus conceditur, vt primò lavare queant Corporalia.

29 Nihilominus pro Suario dicetur ad primum, fuiſſe temperatum

vſu

vsu Ius antiquum commune, vel in eo vivæ vocis Oraculo memorato ibidem à Suario, seu in cõcessione Summi Pœnitentiarij Cardinalis Sancti Angeli facta Patri Ioanni Polanco ex potestate, quam tunc ad id habebat, fuisse appositam illam conditionem ad tollendos scrupulos, & ob probabilitatem contrariæ sententiæ, quæ non solùm tonsuratis, sed etiam Acolythis illicitum esse calicum, & Corporaliũ cõtactum, pronunciat. Ad secundum patet ex numero 20. Est itaque probabilis opinio Suarezij, approbarique videtur à Dicastillo Tractatu 5. Disputatione 4. Dub. 11. num. 226. & expressè à Petro de Ledesma Cap. 22. de Eucharistia pag. 296 cui Garcia Tractatu 3. Diff. 8. Dub. 4. puncto 3. num. 29. associat Marcum de los Huertos, & Ludovicum de Sancto Ioanne. Adhęsit etiam Suario Castrus Palaus Tractatu 8. Disputatione 1. pũcto 6. num. 24. eo quòd initiati prima tonsura non sint prophani, sed sacri. Præterea subscribit Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa Cap. 2. §. 1. numero 9.

30 Respondeo tertiò, Laicos, & fœminas peccare, si immediatè contingant Corporalia, Purificatorium, calicem, patenam, & aram consecratam, quando etiam in his non continetur Christi corpus, aut sanguis, & quando illi etiam non contingunt ex contemptu. Hoc ad minus colligitur ex Canonibus adductis, & pręcipuè quoad fœminas ex Canone *Sacratas* 24. Dist. 23. qui Canon est Soteris Papæ in Epistol. 2. cui simile fuit Decretum Bonifacij I. Papæ relatum in Libro Pontificali his verbis, *Constituit, vt nulla mulier, aut Monacha pallam sacratam contingeret, aut lauaret, aut incensum poneret in Ecclesia, nisi Minister.* Quæ verba transcribuntur ab Orderico Vitali Monacho Vticensi Lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ pagina 443. In Ordine Romano habetur hæc admonitio inter alias faciendas in Synodo die 4. *Nulla fœmina calicem Domini tangat.* Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Epistola apud Baronium anno 335. n. 7. ait, *Sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant fœminæ.* De quibus videantur alia huc concernentia in Disputatione 14. ex num. 16.

31 Responsionem nostram suadet debita reverentia erga ea, quæ sustinent Christi corpus, aut sanguinẽ, vel quę vnctione saltem chrismatis cõsecrantur, vt ara, agni cerei; suadet deinde timoratorum Laicorum, & fœminarum vsus; tandemque cautio, ne residuæ aliquę species Sacramentales panis, & vini contingantur manibus Laicorum. Sed quia per accidens, & de raro evenire potest, quòd residuæ sint illæ species, & quia materia levis est, non peccabitur nisi venialiter; & nec sic peccabitur, si cum rationabili causa, & morali necessitate fiat, vti fit in secunda Corporalium lotione à fœminis. Vrgetque eadem moralis necessitas iudicio Antonij de Quintanaduenas tomo, & Tract. 2. Singulari 12. & meo in Sacristis etiam non tonsuratis, imò & cõiugatis (quales plures sunt) ad contingenda sæpe Corporalia, &c: quanquam non ad ea primò lavanda, possunt ad id enim tradi facillimè Sacerdotibus, vel Diaconis, vel Subdiaconis.

32 Sed ad tollendos scrupulos Sacristarum Laicorum Religiosorum eo in contactu concessum fuit Minoribus partim à Calixto III. partim à Sixto IV. Pontificibus Maximis, vt *Laici possent tangere Ecclesiastica paramenta, calices, & Corporalia debita cum reverentia*, imò *& eadem Corporalia lauare, cum expedierit*, sicq; refertur in Compẽdio Privilegiorum Societatis V. *Sacra*, §. 1. Qua facultate posse in Societate vti eos, quibus Superior commiserit, adnotabat Collector, iussu R. admodùm P. N. Generalis. Iam tamen illud privilegium cessavit, fuit enim vivæ vocis Oraculũ non authenticatum, illudque vnicum esse inter tot facta in favorem Religiosorum, quod non reperiatur in Bullis Pontificum, aiebat cum viro quodam doctissimo Brunus Chassaing de Privilegijs Regularium Tract. 1. Capite 2. Propos. 6. De qua tam generali assertione iudicium sit penes alios. Ius itaq; commune servandum est à Nostris Laicis Ædituis.

33 Sylvester V. *Missa* 1. q. 2. allegatur à Francisco de Lugo L. 5. C. 8 q. 7. n. 59. quatenꝰ solas fœminas excludat à contactu licito Corporalium. Ego autẽ pro hac sententia non auserim accensere Sylvest. inquit enim solũmodò * Minister Missæ non debet esse mulier; imò ipsa etiam si sit Monialis, pal-

las ſacratas, aut veſtes contingere non poteſt: ipſas autem pallas non ſacratas, ſuper quibus extenditur Corporale, tãgere poteſt, * Quibus ex verbis non poteſt deduci, quod ſolas fœminas excludat: quin potiùs V. *Corporalia* q. 1. docet, hæc non niſi à ſacratis hominib⁹ tangi poſſe. Meliùs citatur Dominicus Sot⁹, qui in 4. Diſt. 13. q. 2. a. 3. ad 3. ait; * Simpliciter tangere ſacra vaſa, aut veſtimenta, nullatenus eſt peccatum mortale; imò, ſi abſit contemptus, aut non eſt veniale, aut eſt leviſsimum. *

34 P. Emmanuel Sà V. *Sacra* numero 3. tranſcribens Sotum inquit, * Sacra tangi à Laicis ſine contemptu, aut nullum peccatum eſt, aut leviſsimum. * Sed cũ verba Soti illæſa manſerint, eadẽ ipſa in Sà prodierunt correcta ex authoritate (quã veneror) Magi Palatij ſacri, & commutata in hæc, * Sacra tangi à Laicis ſine contẽptu, non eſt peccatum mortale * Cæterũ in Indice Expurgatorio noviſsimo anni 1640. pro Catholicis Hiſpaniarum Regnis nullum nigrum theta præfigitur Patri Sà, ſolũmque apponendæ erunt duæ notulæ ad VV. *Abſolutio* numero 9. *Confeſsio* numero 14. non ſecus ac per multis alijs Authorib⁹, qui ſcripſerunt ante annum 1620; & in Indicibus anni 1612. 1632. dicitur, cætera Patris Sà non videri ſpectare ad Sancti Officij iudicium, neque habere grauem offenſionem. Et quidem vt aphoriſmus ad materiam præſentem attinẽs depromptus eſt ex Soto, ſic etiam alij, quos delevit, aut caſtigavit Magiſter Reverendiſsimus, inveniuntur vel in eodem Soto, vel in Doctoribus Dominicanis antiquioribus, vel in alijs extraneis à Societate ſiue prioribus, ſiue poſterioribus Patre Sà, quin à Reverẽdiſsimo Magiſtro fuerint emendati. In vno ſolo ex quinquaginta duobus correctis, eoque addubitanter prolato V. *Sacramentum* numero 1. deſiderant periti viri authoritatem extrinſecam, patrocinium imque Maiorum, aut ſubſcriptionem Minorum. Sed de eo cõſulatur Amadeus Guimenius in Libro adverſus quorundam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales Propoſitione 1. ex Tractatu de Matrimonio. Nec mihi in animo eſt probare omnes, quas in ſummam redegit P. Sà; id tantùm curo, vt novitatis calumniam ablegem ab Scriptorib⁹ Societatis, & ne apud vulgus dicãtur primas tenere in relaxanda Theologia morum: quod abſit, vt ego, & cordatus quiſque aſſerat de illis, quorum veſtigijs inſtiterunt Noſtri.

35 Iam verò pro Patris Sà pronunciato, quod huius eſt loci, non ſolũ ſtat Sotus Dominicanus, ſed etiam ex eadem eximia familia allegatur à Gaſpare Hurtado D. 4. Diſt. 11. V. *Obſeruandum eſt*, Bartholomæus ab Angelo, Dialogo 5. de Miſſa §. 321. Ad eandem ſententiam propè accedunt Fagundez Libro 3. in 1. præceptum Eccleſiæ C. 21. num. 28. Pellizarius in Manuali Regul. Tract. 10. Cap. 7. n. 22. Thomaſque Sanchez (qui iudicio Illuſtriſſimi, & ſapientiſsimi Petri de Tapia tomo 1. Catenæ Moralis L. 1. q. 8. art. 11 §. 3. n. 8. inter recentiores eſt Author Moraliſta Claſsicus) ſcribit Libro 2. in Decalogum C. 43. n. 27. * Sotus, quẽ multi Neotherici ſequũtur, dicit etiã, fœminas tangere Corporalia, & calices abſque contemptu, aut nullam eſſe culpam, aut leviſsimam venialem, & Canones id prohibentes intelligi de conſilio. Quare & Agnos Dei tangere, à fortiori non excederet culpã venialem. Imò credo, nullam eſſe culpam, eo quòd vſus obtinuerit, vt à Laicis etiam fœminis tangantur. * Sic Sanchez.

36 Noviſsimè verò Thomas Tamburinus L. 1. de Miſſa C. 2. §. 1. ex n. 12. vſq; ad 27. defenſat, non peccare venialiter Laicum, vel fœminam, ſi extra miniſterium ſacrum, ſeu extra Miſſæ celebrationem tangat ex mero ſuo libito, ſed ſine contemptu, Corporalia, vel calices. Idque probat, quia textus, qui allegantur, nõ conuincunt intentũ. Et in primis C. *Sacratas*, dirigitur contra mulieres, quæ ex prætextu, quòd eſſent Deo ſacratæ, audebant miniſtrare cominus Sacrificio Miſſæ, eaque occaſione cõtrectare tunc res ſacras. Videatur Baronius anno 179. n. 51. vbi ait, præfati Canonis illis temporibus edẽdi potuiſſe eam eſſe rationem, quod ex Montani Secta fœminæ ſe ſacris miniſterijs immiſcerent; & notetur, verba illius C. denotare graviſsimam culpam in eo, quod vetant. Deinde Cap. *Non oportet*, loquitur de contactu inter miniſtrandum altari, & vtitur verbo ſignificante tantùm decentiam, atque

que conuenientiam, & dirigitur ad Subdiaconos, respectu quorum est iam derogatus: vti etiam est alter Can. *Nō oportet, insacratos*, cum dicat, nō esse cōueniens, Laicos inservire Sacro. Rursus Cap. *Non liceat* 11. prohibet, ne Lectores in Processionibus publicis portēt vasa sacra continentia Sanctorum reliquias, vel ne intra ministerium Sacrificij gestent calices, & patenas; quorum primum est consuetudine revocatum, & secundum non est simplex contactus vasorum sacrorum. C. autem *Non liceat* 2. vetat alijs, inferioribꝰ Acolytho, cōtactum vasorum sacrorum in Secretario, id est, in altari, vel in loco, ex quo extrahuntur ad rei divinæ procurationem. Vlteriùs Cap. *In sancta*, agit de contrectatione sacrorum vasorum ad vsus prophanos; & similiter C. *Ad nuptiarum* 43. de Consecratione Distinct. 1. tractat de contactu ministeriorum sacrorum ad vsus etiam prophanos, vocatque improbos, qui eum exercent, & C. *In sancta* ait, *talibus præsumptionibus iratum Dominū plagas imponere populo suo*: quę verba denotant contactum non merum, culpamque non levem. Tandemque Cap. *Vestimenta* in eadē Dist. explicandum est, vt infra. Hactenus ex Tamburino, quem non nego exenteraſſe penitissimè præcitatorum Canonū medullam. Attamen quia communis intelligentia Doctorum iam ab antiquo interpretatur illos de simplici tactu, qui sit culpabilis, & quia fideles, morē gerentes huic interpretationi, verentur, refugiuntque eum præsenti sæculo, omnibusque retrò alijs, ideo videtur milii, quandamquasi legem inde resultare, ob quam Tamburini opinioni applaudendum non sit.

37 Scripsi in responsione tertia, *Laicos, & fœminas peccare, si immediatè contingant*, nam si tantùm mediatè, scilicet medio aliquo velo, aut instrumento, minimè peccabunt, etsi absque rationabili causa, sed procul à cōtemptu, faciant, vt colligitur ex Ordine Romano apud Gavantum pag. 84. Dubitari potest, num peccent, quanquam immediatè contingant, sed tamen in partibus, supra quas non ponuntur species consecratæ, aut quę vnctione chrismatis non fuerunt delibutæ. Non peccare, asserit Dicastillus Disp. 4. dub. 9. num. 191. Quem impugnat Diana parte 10. Tract. 11. Resol. 2. quia alioqui liceret tangere cuppam calicis à parte externa. Cęterùm concederet Dicastillꝰ, si cuppæ pars extima nō fuerit invncta. Nihilominus quia tota cuppa consecratur, etsi non ea tota invngatur, ideo ego dicerem, non esse licitum contactum partis externæ. Vbi obiter adverto, nō esse admodùm conueniens, quod suadet Possevinus C. 2. de Officio Curati numero 34. nimirùm Corporali vti nunc ex vna, nunc ex altera parte inversa, vt mundum habeatur. Eritque id minus conueniens, quando Corporale non regitur alio linteo, sed solùm fertur in cluſum bursa.

38 Respondeo quartò, Laicos, & fœminas neutiquam peccare etiam venialiter, si absq; morali necessitate, sed cum reverentia contingant quæcūque alia supellectilis sacræ non suscipientia immediatè species cōsecratas, aut non delibuta vnctione chrismatis. Ita tenet communis sententia, favetq; praxis, nec refragantur plerique Canones præcitati, nec fideles concipiunt, vllam in hoc irreverentiam esse. Canō *Vestimenta* 42. de Consecratione Dist. 1. in quo dicitur, *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omnì cum honorificentia, & honestate à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta; quibus alijs in vsibus (cum Deo, eiusque seruitio consecrata, & dedicata sint) nemo debet frui, quàm in Ecclesiasticis, & Deo dignis Officijs. Quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis, hominibus, ne vltio, quæ Balthasarem Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagellum ad ima*. Hic, inquam, Canon desumptus ex Epistola 1. Decretali Stephani Papæ I. ad Hilarium Episcopum, videtur esse adversꝰ. Sed vel desuetudine abrogatus est quoad tactum sacrorum vestimentorum, vel eius verba non sunt præceptiva, sed directiva ad maiorem decentiam, vel sermo est de tactu profano, & ad communem vsum.

39 Infertur ex quarta hac responsione, reliquas altaris pallas, & ornamenta prēter Corporale, etiamsi sint benedicta, contingi posse à Laicis, & fœminis, possęque ab eis reſici, imò & primò lavari. Gavantus in Rub. Missalis

p. 2. tit. & num. 1. lit. Q. Tamburin⁹ ſupra num. 6. Layman Lib. & Tract. 5. C. 6. num 19. non excipiunt Corporale benedictum, quod nondum contigit ſpecies ſacratas, aut ſi contigit, eſt iam lotum, nec denuò adhibitum ad Sacrificium: nam ſi ſit, excipitur à Gavanto, & Tamburino, necnon à Laymano numero 22. Qui Author num. 21. & Pellizarius in Manuali Regularium Tract. 8. C. 5. ſect. 2. num. 77. Caſtrus Pala⁹ Tract. 8. Diſput. 1. punct. 6. num. 15. Tamburinus ſupra num. 4. aliſque frequenter poſt Thomam Sanchez ſupra num. 26. ſimiliter excuſant à peccato veniali, ſi Laicus tangat, non irreligioſè, neque per contemptum, reliquias Sanctorum.

40 Et licet Sanctus Gregori⁹ Lib. 3. Epiſt. 30. dicat, *In Romanis, vel totius Occidentis partibus intolerabile eſſe, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit. Quòd ſi præſumpſerit, certum eſt, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Occurrit Azor tom. 1. Lib. 9. C. 9. q. 5. dicens, ✻ Gregorium certè de ijs temporibus locutum eſſe, in quibus nulli etiã Clerico in ſacris Ordinibus conſtituto licebat Sanctorum corpora, oſſa, vel particulas eorum è loco amovere, transferre, geſtare. Sed vſu deinde introductum eſt, vt transferantur, geſtentur è collo dependentes, vaſculis tamen, aut capſulis honorificè, & religioſè, vt decet, incluſæ, & obtectæ. Ex quo non mihi quidem gravis criminis videtur condemnandus ille Clericus, vel Laicus, qui eas reliquiarũ ſacratarum minutias, quas tenet apud ſe, piè, & religioſè tangit, aut decenter, & honeſtè in thecas includit, in quibus ſervat. Si tamen per contemptum eas contrectet, aut ita parùm honeſtè, & religioſè includat, & deferat, vt aliqua fœditate, turpive tactu pollui, & inquinari facilè queant, peccare graviter videtur. ✻ Sic magnus Moraliſta Azor.

41 Imò Sanchez, & Caſtrus Palaus docent, licere Laicis geſtare reuerenter Sanctorum Reliquias in proceſsionibus publicis, idque receptum eſſe conſuetudine, quæ prævaluit aduerſus Cap. *Non liceat* 31. Diſt. 23. vel potiùs huiuſmodi Canon non loquitur de vaſis continentibus reliquias, vt voluit ibi Author Gloſſæ, ſed de vaſis altaris, qualia ſunt calix, patena, &c. De cereis autem formis, atque imaginib⁹, ſeu de Agnis Dei magis dubitari poteſt, ſiquidem oleo ſacro, & chriſmate conſecrentur. Conveniunt præcitati Doctores, ſi tangantur à Laicis debito cum honore, & reverentia, nõ committi culpam gravem. An ne ſaltem culpa levis? Sanchez, & Caſtrus Palaus ipſum referens n. 24. Diana etiam parte 3. Tract. 6. Reſol. 12. creduht, nec levem incurri, ſi religioſè tangantur à Laicis ſiue viris, ſiue fœminis, quia ſic vſu obtentum eſt inter perſonas timoratæ conſcientiæ. Ego adhærerem affirmanti Azori quæſt. 3. niſi iuſta, vel honeſta cauſa excuſet, vbi de conſuetudine in contrarium non conſtet. Video quidem, religione duci Laicos, & fœminas plures, ne contrectent cereas illas bullas, cumque ſint non tantùm benedictione ſanctificatæ, ſed etiam ſacro chriſmate delibutæ, vrget in illis nõ minor ratio, quàm in aris conſecratis. Sed res eſt, in qua inſiſti nimis non debet argumento perito ex ſimilitudine, nam nullus vnquàm fuit ſcrupulus in eo, quòd Laici tangãt campanas, quæ in benedictione ab Epiſcopo fuerint ſacro chriſmate inunctæ iuxta Pontificalis Romani ritum.

42 Etſi autem nunc, & iam diu religioni habeatur, ne ab inſacratis Deo perſonis contrectentur prędictę res ſacrę; at antiquioribus temporibus fęminę accipiebant Euchariſtiã ſub ſpecie panis in linteo mũdiſſimo (quod Dominicale vocabãt) & viri nuda manu dextera ſuperpoſita ſiniſtræ per modũ crucis, indeque quiſque digitis ſuis in os ingerebat, ſæpeque domum ferebat, vt quotidie ibi ieiunus acciperet, ſi Eccleſiam adeundi facultas deeſſet, vel ob ingruentes perſequutiones, vel ob habitationum diſtantiam. De quibus vſibus meritò iam antiquatis conſulantur Scortia Lib. 4. C. 29. num. 9. Ioannes Dartis in Comment. ad Diſt. 1. de Conſec. pag. 451. Sed calicem tangere illicitum fuiſſe, deducitur ex S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 5. Myſtagogica, loquens enim cum communicaturo Laico ait, *Ad calicem ne extendas manum*: item ex Sancto Ambroſio dicente ad Theodoſium Imperatorem in Hiſtoria tripartita Lib. 9. Capite 30. *Quomodò huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum*

ctum Domini corpus? Quâ præsumptione ore tuo poculum sanguinis precioſi accipies?

43 Olim nonnullis in locis ſolebat Euchariſtia deferri ad ęgrotos, qui morbi gravitate impediri ſumere eam nō poterant, ſed veneratibnis gratia ipſam deoſculabantur. Sic refert Sacra Cardinalium Congregatio ad Concilij Tridentini Sef. 13. Can. 7 teſtans, prohibitum eſſe à Pio V. illum vſum, ſiue Euchariſtia deferatur adorationis tantùm de cauſa, ſiue etiam deoſculationis. Legantur Cardinalis de Lugo Lib. 1. Reſponſorum Moralium Dubio 11. & Laurentius Landtmeter Lib. 2. de Vetere Clerico Monacho Cap. 74. qui ſuſpicatur, delationem Euchariſtię ad infirmos, adorationis tantùm de cauſa, ideo prohibitam eſſe, ne ſumeretur inde occaſio ad putandum, communionem ſpiritualem, & in deſiderio tam eſſe operativam gratiæ, quàm Sacramentalem. Sed prohibitionis ratio ea ſimilior vero videtur mihi cū prælaudato de Lugo, ne minueretur cultus, & reverentia tanti Sacramenti, ſi alia de cauſa, quàm refectionis Sacramentalis aſſueſceret delatio ad ægrotos, prudenter namque timeri potuit, ne paſsim peteretur ad conſolationem ſpiritualē, aut ad applicandam Euchariſtiam læſis corporis partibus. Fuit aliquando eius conſpectus valde proficuus Maximiliano I. Cæſari Auſtriaco, qui de vita deſperans in rupe altiſsima, & abruptiſsima, in quam arreptaverat feras audaci inſectatus, & ex qua niſi in præcipitium referre pedem non poterat, nec humana alia induſtria inde extrahi, petijt magna voce, vt eminus ſibi monſtraretur Euchariſtia, quam adoraret, quando iam ſuſcipere, fas non erat. Atque ita factum eſt; paulòque poſt ſternente viam, porrigenteque dexteram Ruſtico (qui creditus vulgò fuit Angelus Cuſtos) extremum illud evaſit diſcrimen. Ita ex Stephano Pighio narrant Landtmeter ſupra, & Nicolaus Vernulæus Libro 1. Virtutum Auguſtiſsimæ gentis Auſtriacæ Capite 3. numero 2.

44 Porrò autem ſi nunc deferretur Euchariſtia, vt eam tantū deoſcularetur ægrotus, aut applicaret membris languidis, multò reprehenſibilius eſſet, quàm ſi adorationis ſolius de cauſa adduceretur ad ipſum. Quanquam quondam Gorgonia, ſoror Sancti Gregorij Nazianzeni, vexata gravi infirmitate *Ad altare cum fide procubuerit, eūq; qui ſupra ipſo honoratur, cum ingenti clamore inuocârit, ac deinde hoc ſuo pharmaco corpus totū perfuderit, et ſi quid vſpiam antityporum pretioſi corporis, aut ſanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiſcuerit*, vt refert ipſe Sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione 11. Scimuſque ex S. Cyrillo præcitato, ſolitos olim communicantes admovere oculis venerationis cauſa ſpecies Sacramentales panis, antequàm eas ori immitterent, & cum adhuc eſſet humiditas in labris ex vini Sacramentalibus ſpeciebus bibitis, ſolitos digitis attingere illa, poſteàque oculos, frontem, reliquaque ſenſuum organa contactu eorundem digitorum quaſi conſecrare.

45 Prætereà Sanctus Gregorius Magnus Lib. 2. Dialogorum Cap. 24. narrat, Sanctum Benedictum *dediſſe manu ſua communionem Dominici corporis*, vt poneretur ſuper pectus cuiuſdā Monachi defuncti. At Sanctum Benedictū non fuiſſe Sacerdotem, aſſerunt Petrus Bleſſenſis Epiſt. 86. & 123. Philippus Abbas de Dignitate Clericorum C. 84. Sanctus Bonaventura in C. 7. Regulæ Sancti Franciſci, Bellarminus Lib. 4. de Euch. C. 4. & L. 1. de Rom. Pontifice Cap. 27. Suarez tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. C. 1. num. 3. Contra quos arguunt ex verbis relatis S. Gregorij Antonius Yepes in Centuria 1. Chronici Benedictini anno 532. C. 5. & Ildefonſus de S. Victore in Sole Occidentis S. Benedicto, pręludio 1. Cap. 13. num. 29. Nec enim S. Benedictus tractaſſet manu Euchariſtiam, niſi eſſet Sacerdos, cum vetitum id ſit nedum Laicis, ſed etiam Diaconis in C. *Diaconos* 13. Diſt. 93. Non eſt mei, interponere cenſuram circa Sacerdotium Sancti Benedicti, cum vtrinque graviter, & eruditè agitata ſit hæc quæſtio à Benedicto Haefteno, dixerim tamen, argumentum illud non eſſe efficax, nam S. Benedictus tradidit Dominicum corpus parentibus Monachi defuncti dicēs, *Ite, atque hoc Dominicum corpus ſuper pectꝰ eius cum magna reuerentia ponite.* Ita refert Sanctus Gregorius ſupra. Nec tamen præfati parentes, in quorum manus Sanctus Benedictus Euchariſtiam tranſtulit, erant Sacerdotes. Cap. verò *Diaconos* non prohibet Diaconis ſimplicem

cem tactum Euchariſtiæ, ſed ne diſpenſent illam fidelib⁹ communicaturis, niſi in certis caſibus; quanquàm fatear, S. Thomam 3. p. quæſt. 82. art. 3. inter cauſas nō diſpenſandi ordinariè corporis Dominici à Diaconis aſsignare eā, ne manibus non conſecratis illud tangatur. Sed fuerit Sacerdos Sanctus Benedictus (quod iam dixi relinqui à me in medio) ſatis mihi ſunt vltima verba S. Gregorij, vt ex eis dignoſcatur, non tā cautos fuiſſe antiquos Laicos, ac hodiernos, in non tangenda Euchariſtia. Verùm quia de S. Benedicto incidit ſermo, noto, ipſum C. 59. Regulæ iubere, *Vt ſi quis fortè de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio; ſi ipſe puer minor eſt ætate, parentes eius faciant petitionem:: & cum oblatione ipſam petitionem, & manū pueri inuoluant palla altaris, & ſic eum offerant.* Quibus in verbis *per pallam altaris* intelligo non Corporale, ſed mappulam aliquam, qua involverētur ſyngrapha, donariumque nobilium, & manus pueri oblati Deo prope altare.

46 Denique vulgi perſuaſio eſt, Sanctam Claram ſuſtinuiſſe manibus capſulam argenteam, in qua erat ſacratiſsimū Chriſti corpus, quando ad Monaſterij oſtium ſe duci iuſsit, vt retardaret impetum Saracenorum, qui muris Aſsiſij iam appropinquabāt. Sed certè clariſsima Virgo non tulit ſuis manibus vas Euchariſtiæ, vt conſtat ex eius Vita apud S. Antoninum 3. p. Hiſt. tit. 23. C. 6. §. 3. & apud Vvadingum in Annalibus Franciſcanis anno 1251. num. 15. necnon apud Breviariū Romanum die 12. Auguſti, Lectione 4. aiunt enim, poſitam fuiſſe ad oſtium Monaſterij, & ante hoſtes, precedente eam capſa Euchariſtiæ, vel deductam fuiſſe ad portam, vnàque ſacrā pyxidē. Quòd ſi vulgi perſuaſio adhuc reclamet, reſtat recurſ⁹ ad ſpecialem inſtinctum divini Spiritus, vel ad præſentaneum periculum, vel ad tunc temporis non adeò detrectatam à fœminis tentionem vaſis continentis corpus Chriſti. Hactenus occaſione Corporalium egimus de tactu rerum ſacrarum. Et vniuerſim quidem de vaſis miniſterio ſacro deſtinatis inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 25. *Nō eſſe atrectanda vulgi manibus*, idemque in genere de ſupellectili, reque omni ſacra aſſeritur communiter, quaſi ſit vna ex præcipuis ipſius prærogativis, vt obſeruat Doctor Don Ioſephus Fernandez de Retes perpetuus Veſperarius Legum Anteceſſor in Academia Salmanticenſi (vbi Iuriſperitorum flos eſt) Lib. 1. Miſcellaneorum Cap. 15. ad leg. 1. ff. ad leg. Iuliam peculatus, num. 9.

SECTIO III.

De altaris mappis, de manutergio, & de ſudariolo.

47 ASSERO primò, ad altaris ornamentum requiri præter Corporale tres mappas benedictas, lineas, albas, & mundas. Ac ſanè tempore Pij Papæ I. (qui ad clavum Eccleſiæ cēpit ſedere anno Chriſti 158) de more erant tres, vt conſtat ex Cap. *Si per negligentiam* 27. de Conſecratione Diſt. 2. Ibi: *Si ſuper linteum altaris, & ad aliud ſtilla calicis, aut ſanguinis Chriſti peruenerit, quatuor diebus pœniteat Sacerdos. Si vſque ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vſque ad quartum, viginti diebus pœniteat*, &c. Linteum altaris primo loco memoratum eſt Corporale; tria alia lintea mina ſunt mappæ, aut pallæ, de quibus nunc loquimur. Pius V. in Miſſali, titulo de defectibus in celebratione occurrentibus §. de defectibus in miniſterio ipſo aſsignat inter defectus, *Si altare non ſit coopertum tribus mappis*; & paulò poſt, *ſi mappæ non ſint ab Epiſcopo, vel ab alio hanc habente poteſtatem benedictæ*; & poſteà ſermonem inſtituit de Corporalibus diſtinguens ipſa à mappis. Clemens VIII. titulo eodem, & §. 10. retinet eadem verba; & anteà in Rubricis generalibus §. 20. dixerat, *Altare operiatur tribus mappis, ſeu tobaleis mundis, ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ vſq; ad terram pertingat, duabus alijs breuioribus, vel vna duplicata.*

48 Vnde non probo, quod multi Doctores poſt recognitionē Miſſalis à Clemente VIII. nedum poſt editionem à Pio V. docuerunt, ſufficientes nimirùm eſſe duas mappas, vel vnam duplicatam. Mirorque Scortiam Lib. 2. C. 14. num. 8. ſcribentem, * Cōmuniter duæ tantùm exiſtimantur neceſſariæ,

cessariè, ex Rubricis Missalis Pij V. Paludano 4. Dist. 13. q. 2. art. 6. Sylvestro V. *Missa* 1. quæst. 2. & V. *Corporale*, Rosella ibidem; Innocentio Lib. 2. de Mysterijs Missæ C. 56. & alijs. ✻ Sic ille. Sed Missale Pij V. meminit trium mapparum. Et Innocentius III. in Capite, non 56. sed 55. loquitur tantùm de Corporali diviso in duas partes. Cæteri Authores citati à Scortia scripserunt ante Pium V. quo tempore in locis, vbi ipsi scribebant, præscripserat contrà Canonem *Si per negligentiam* consuetudo duarum tantùm tobalearum, aut vnius plicatæ. Illos Authores sequuti sunt alij posteriores editione Pij V. & aliqui recognitione Clementis VIII. silentiumque ipsorum de assignato ab his Pontificibus mapparum numero ostendit, nō legisse attentè Rubricas, si enim sic legissent, responderent, vel non esse in hac parte præceptivas, vel contrariā consuetudinem prævaluisse contra eas.

49 Quorum neutrum ego asseram, nec imitabor Antoninum Dianam parte 10. Tractatu 11. Resol. 5. in remittendo finalem determinationem huius quæstionis de numero, & benedictione mapparum ad Congregationē Sacram Rituum, siquidem abundè sufficiat authoritas Rubricarum, Canonisque præallegati *Si per negligentiam*. Et quoad consuetudinem attinet, Suarez D. 81. sect. 6. V. *Dico ergo* testatur, tres mappas esse in vsu apud eos, qui res diuinas diligentiùs tractant. Scioque, de hoc etiamnum curari in templis benè gubernatis. Sed vnum linteum tegit vndiq; aram, & aliud (quod breve est, appellaturque Castellanè *Palia*, ex nomine Latino *Palla*, & Lusitanè *Guarda*, vt notant Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. C. 5. §. 11. num. 7. & Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Capite 22. num. 10. eo quòd custodiat Corporale, cum quo in multis Ecclesijs solet simul ferri quasi eius tegumentum) extenditur supra solam aram in planitie altaris, aut in huius etiā fronte, seu anteriori parte supra palliū, quod vocamꝰ Hispanè *Frontal*; & aliud tertium, nominatum ordinariè *Mantile*, operit totam altaris planitiem, pertingitque vsque ad terram.

50 Tres istas mappas debere esse benedictas, exprimit Clemēs VIII, prçiveratque Pius V. Debere esse mūdas, exprimit etiam idem Clemens, probarique potest ex dictis de Corporalibus, vt & quòd lineæ debeant esse, atque albæ.

51 Suarez supra V. *Secundò præter pallas* ait, esse grave peccatum celebrare in altari, vbi præter Corporale non sit vlla alia mappa, quia est cōtra Ecclesiæ vniversalem, & indubitatam consuetudinem, pertinentem ad decentiam, reverentiamque Sacramēti; licet multò gravius esset, celebrare sine Corporali. Si autem secluso contemptu, & scandalo, & vrgente necessitate celebraretur cum vna simplici mappa, fortasse nō fore peccatum mortale, inquit Suarez, & post ipsum multi sine subdubitatione, vt videre est in Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. puncto 1. num. 11. & in Tamburino Lib. 1. de Missa C. 5. §. 1. num. 2. quia ad duas simplices, aut ad vnam duplicatam obligatio non videtur gravis, neque apud omnes Authores constans, negata quippe fuit ab Angelo in Summa Verb. *Missa* num. 37. scripsitque postea Emmanuel Sà verbo Missa n. 7. ✻ Præter Corporalia, adhibenda lintea duo, quāquàm vnum sufficiat, præsertim si sit duplicatum. ✻ In editione correcta ex authoritate Magistri Sacri Palatij omittitur adverbium *Præsertim*. Testatur Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. dub. 9. n. 153. visos à se in Germania non paucos celebrantes cum vna mappa in altari. Quos nō esse arguēdos nisi peccati venialis vllo in casu, asseverat Moure p. 3 Examinis C. 5. §. & num. 11.

52 Fateor ego, non fore peccatum mortale, siue vrgente, siue non vrgente magna necessitate. Ast si hæc non vrgeat, aut desit rationabilis aliqua causa, veniale erit, celebrare nō solùm sine duabus mappis, sed etiam sine tribꝰ siue omnes simplices sint, siue vna illarum sit duplicata, siue vnica adsit, sed triplicata, vt addit Arriaga D. 55. sect. 2. num. 8. siue Corporale duplicatum, quia sit satis latum ad bis tegendam arā, deserviat loco vnius tobalcæ, vt cum Præposito addit Pellizarius in Manuali Regularium Tractatu 8. Cap. & sect. 2 Subs. 1. num. 130. Ducor authoritatibus superioribus, quæ in hac re præceptivæ sunt, quin mihi constet, eis esse derogatum contraria cōsuetudine, quę communis sit inter Sacerdotes doctos,

&

& pios; magnumque pondus habet, quòd tres mappæ requirantur à Pontificibus, quãdo præcavent defectus, qui in ministerio Missæ possunt occurrere, non enim præcavent defectus nullius momenti; fortèque alicui videbitur, non præcavere nisi defectus graves. Hoc tamen indicium de gravitate defectus trium mapparum non est valde efficax, nam ibidem etiam à Pontificibus exigitur Matutini cum Laudibus ad Missam præmissio; & tamen plerique Authores huius ętatis post notitiam, & expensionem eius Rubricæ affirmant, non peccari graviter, si celebretur Missa ante Matutinum cum Laudibus recitatum.

53 Illud, quod dixi de celebratione venialiter illicita sine tribus mappis, intelligendum est extra feriam sextam in Parasceve, tunc enim vna tãtùm tobalea extendenda est super altare ab Acolythis, & posteà à Diacono Corporale super illam, vt dicitur in Rubricis Officij diei illius. Fortè tunc vna tantùm tobalea sufficit, quia nõ consecratur corpus, neque sanguis, & non celebratur Sacrificium strictè, ac rigorosè. Et hinc suspicari quis poterit, ideo tres mappas adhibẽdas esse in alijs diebus, vt, si casu aliquo decidat è calice sanguis, suscipiatur meliùs in tribus mappis, & ad terram, aut ad tabulam, lapidemve altaris non ita facilè defluat.

54 Celebrare in mappis, quæ benedictæ non sint benedictione pro ipsis deputata in Pontificali, Missali, Ordineq; Romano, non esset, secluso cõtemptu, & scandalo, peccatum lethale: vti foret, si celebraretur in Corporalibus non benedictis benedictione, quæ pro eis est designata. Vtriusque ratio colligitur ex dictis, patetque apertè disparitas, cum Corporalia attingant per se immediatè species consecratas panis, non autem aliæ mappæ. Verumque est id de defectu benedictionis mapparũ, siue vrgeat, siue non vrgeat magna necessitas; illud verò aliud de defectu benedictionis Corporalium est etiã adeò verum, vt Authores tam dicant, esse peccatum mortale, celebrare in Corporali non benedicto, quàm celebrare sine Corporali omnino, Perpendantur verba S. Thomæ ad 8. *Si Sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis, scilicet domo, & altari, calice, Corporali consecratis, & ceteris huiusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate corpus Christi, peccat tamẽ graviter, ritum Ecclesiæ non seruans.* Sic Sanctus Thomas; sic cum ipso Theologi omnes ad vnum. Quare aut nulla necessitas excusabit à peccato mortali celebrationem in Corporali nõ benedicto; aut paulò minor necessitas, quàm quæ excusaret celebrationem sine omni prorsus Corporali; quæ certè necessitas vel contingibilis non est, vel debet esse grauissima.

55 Celebrationem in mappis tribus non benedictis immunem reddet venialis peccati necessitas, aut causa aliqua rationabilis, vt quòd sit dies festus, imò & profestus, desitque Sacerdoti commoditas faciendi Sacrum in altari, vbi sint tres mappæ benedictæ. Quòd si nulla detur necessitas, aut causa rationabilis, reus erit venialis peccati, qui celebret in tribus mappis nõ benedictis, sic enim, vt minimùm, iudicare cogit me authoritas Rubricarum. Quòd si ob eas docent cõmuniter Theologi, vestes Sacerdotales debere esse benedictas. Quid ni ob easdem doceant id ipsum de mappis altaris? Quanuis quia vestes deserviant proximiùs, & principaliùs in Sacrificio, maior sit ad illarum benedictionem obligatio.

56 Enimverò cum Rubricarum præcipuè moveat authoritate ad necessitatem benedictionis in mappis, non me dimovebunt ab hac opinione multi Authores, qui talem necessitatẽ negant, sed omnino obliti Rubricarum. Multi etiam sunt, qui earum meminerunt; sed dicunt, vel esse tantùm directivas in hac parte, quin importent obligationem etiam levem, vel fuisse consuetudine contraria superatas. Negare nõ possum, esse id probabile propter authoritatem extrinsecam Doctorum, nimirùm Suarij Disp. 81. sect. 6. V. *Dico ergo*, Vazquij Disp. 233. C. 3. num. 23. Lessij 3. p. quæst. 83. art. 3. num. 87. Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. Cap. 22. num. 10. Villalobi tomo 1. Tract. 8. Diff. 26. num. 1. Rodriguez C. 247. num. 17. pag. 437. Amici D. 33. sect. 12. n. 362. Castri Palai Tract. 22. D. vnica, punct. 10. num. 1. Garciç Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. punct. 1. n. 12. Thomæ Tamburini infra num. 2. Laymani

mani infrà, Tanneri tomo 4. Disp. 5. quæst. 10. dub. 3. num. 48. Trullench Lib. 3. de Sacramentis Cap. 8. dub. 16. num. 8. Ledesmę C. 20. de Eucharistia Conclus. 6. Filliucij tom. 1. Tractatu 5. C. 4. num. 124. Victorelli in notis ad Sà infra, Moure supra, Pellizarij in Manuali Regularium Tract. 8. C. & sect. 2 Subs. 1. num. 130. Vnde mirabile est, Leandrum Tract. 8. D. 7. quæst. 11. dixisse, certissimum esse sibi contrarium in hac quæstione. Mihi probabilius tantùm est cum Francisco de Lugo Lib. 5. C. & quæst. 4. num. 41. allegãte Gabrielem, Sylvestrum, Graffium, Azorem, Bonacinam, Reginaldum, Aversam, Cardinalem de Lugo, quib⁹ addo Gasparem Hurtadum D. 4. Diff. 9 V. *Primò*, Arriagam D. 55. sect. 2. n. 8. Dicastillum Tract. 5. D. 4. dub. 9. numero 154. Gavantum in Rub. Missalis p. 1. tit. 20. pag. 73. Dianam parte 10. Tract. 11. Resol. 5. Basęum V. *Missa* 5. num. 4. Caspensem Tract. 22. D. 3. sect. 4. num. 78.

57 Expensione dignum in hoc loco est, quod Sà V. *Missa* n. 7. inquit, *Potest & quis, secundùm quosdam, in necessitate vti profanis linteis* (seu mappis) *eaque postea reddere domino suo vtenda*. Sà in hoc dicto respexit ad Sylvestrum V. *Benedictio* num. 5. Concordant Azor tom. 1. Lib. 10. C. 28. quæst. 8. in fine, Layman Lib. & Tract. 5. C. 6. numero 11. Aversa quæst. 11. sect. 13. V. *Rursus*, Bonacina D. 4. quæst. vltima, puncto 9 num. 25. Castrus Palaus, Pellizarius, Trullench., Amicus, Tannerus, Garcia, Ledesma supra, Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa C. 5. §. 2. num. 3. Sed mihi nonnihil indecentiæ videtur præseferre reditus ad vsum profanum, & exterso narium muccino, quo mundo vsus anteà esset Sacerdos in alri vice alicuius mappæ; dissonatque id valde à C. *Altaris palla* 39. de Consecratione Dist. 1. ab alijsque textibus adducendis in Disp. 27. Si strophium reseruaretur in posterum ad vsum altaris, vt vult Fagundez supra numero 10. & 13. minor apparet indecentia.

58 Assero secundò, requiri manutergium mundum ad ablutionem digitorum post Offertorium. Ita in Missali recognito à Clemente VIII. titulo de Rubricis generalibus §. 20. Et quidem si deesset, sequeretur, vel omittẽdam esse eam ablutionem, quod non careret gravi culpa, vel sequeretur, fore, vt summi digiti abstergerentur mappis altaris, aut Purificatorio, quorum vtrũ libet saperet indecentiam, & minorem munditiem in mappis, aut Purificatorio. Sed casu quo desit manutergium, facienda est potiùs absterso in extremitate mappæ superioris, quàm præterenda digitorum ablutio: de qua consulatur Scortia Lib. 4. C. 2.

59 Assero tertiò, solere esse in vsu sudariolum, quod Sacerdos defert secum ex Sacristia. Vnde in Regulis Æditui Societatis num. 6. monetur ille, *Tot habebit appensa sudariola in Sacristia, quot fuerint domi Sacerdotes, inscriptis singulorum nominibus, & addito vno, vel pluribus pro extraordinarijs*. De sudarioli huius antiquo vsu in Ordine Sancti Hieronymi paulò post annum 400. supra 1000. agit Iosephus Siguntinus parte 2. Lib. 2. C. 5. Lib. 4. Cap. 19. Chronici Religionis illius sanctissimę, quæ à sui in Hispania origine floruit eximiè in sacrarum ædium, & altarium cultu, atque ornatu, ceteriisque spectãtibus ad peragendum divinissimum Sacrificium cum decoro, & politie. Præfatum autem strophiolum, quàm sit ad munditiem conueniens, nullus est, qui ignoret.

60 Sed eiusdem elegantiæ de causa æquum foret, vt non portaretur supra bursam Corporalis à Sacerdote exeunte è Sacristia, neque ad eam redeunte, & vt non collocaretur supra altare, quando Sacerdos iam celebrat: dicitur enim in proximè citato §. 20. Rubricarum, *Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat*. Et in Concilio Rhemensi apud Burchardum L. 3. Cap. 97. similiter iam olim iubebatur, *Vt nihil super altari poneretur, nisi capsæ cũ Sanctorum reliquijs, & quatuor Euangelia*. In Concilio etiam Mediolanensi 1. p. 2. dum agitur de pertinentib⁹ ad Missam, cavetur, *Ne sudariolum in altari ponatur*. Vbi non possum non referre, quod de Emmanuele Lusitaniæ Rege litteris commendatum reliquit Hector Pintus in Dialogo de trãquillitate vitę C. 19. Cum enim Rex ille pijssimus ingressus valetudinarium Monasterij Hieronymiani Pennælongæ tradidisset chirothecas suas cuidam ex assectis, isque

alijs

aliis rebus intentus eas posuisset super altare, in quo rem sacram ęgrotis celebrare, mos erat, prorupit vehementer indignatus Serenissimus Rex in hæc verba, *Audes tu; chirotechas super altare Domini ponere?* Et hæc fatus, chirothecas accepit, & eas humi proiecit, & ante altare curvans genua orationem effudit, petens à Deo veniam. Quod exēplum institutioni esse potest, ne Sacerdos superponat altari sudariolum. Non igitur immeritò suadet Gavant[9] in Rubricas Missalis parte 1. tit. 20. pag. 77. vt ad cingulum appendatur. Quòd si id non fiat, ponatur saltem tam distans, vt discerni possit à Purificatorio cooperiente patenam. Videantur de sudariolo, aut manutergio Odo Parisiensis in communibus præceptis Synodalibus, in 27. S. Isidorus Episcopus Hispalensis in Epist. ad Laufredum Episcopum Cordubensem adducta à Loaysa in notis ad Concilium VIII. Toletanum, vbi de Subscriptionibus, & à Gratiano in Cap. *Perlectis* 1. Dist. 25. Idem S. Isidorus L. 2. de Officijs Eccles. C. 10. Concilium Carthaginense 4. Cap. 5.

SECTIO IIII.

De palla hostiæ, & patenæ, velo calicis, bursa Corporalis, pallio altaris, & linteo pyxidis.

61 AFFIRMO primò, requiri parvam pallam lineam, quæ tegat hostiam, quandiu hæc ante Offertorium super patenam manet; quæ item tegat patenam post factā communionem. Ita in Missali, titulo de ritu servando §. & num. 1. §. 7. n. 2. §. 10. num. 5. Parva hæc palla non debet esse linea nisi penes partem, qua cōtingit hostiam, aut patenam. Solet fieri rotunda, solida, & ponderosa, ne sit facilè mobilis; sicque cōgruit, vt ęgrè hostia ex patena cadat, quando discooperitur calix. Istam pallam debere esse benedictam, nullus, quem legerim, asserit. Gavantus parte 2. tit. & num. 1. lit. *M.* pagina 85. indicat, pallam hanc hostiæ, & patenę, pallamque calicis debere esse vnam, & eandem, nisi dispenset Pontifex Summus. Sed aut ego Gavantum non intelligo, aut Rubricæ exprimunt, debere esse distinctas; & ita in vsu sunt.

62 Affirmo secundò, requiri tum velum cooperiens calicē, tū bursam deservientem, vt intus habeat Corporale plicatū. Materiam veli fore sericam, dicitur in Missali, sed color subticetur; & de bursæ materia nihil traditur; de colore autem dicitur futurum esse eius, qui paramentorum: cōuenientsque est, vt eiusdem sit velum sericum. Cum autem dicitur, bursam futuram esse coloris paramentorum, intelligendum est, quoad fieri possit. Benedictio verò siue bursæ, siue velli nullibi habetur. Gavantus supra lit. *O.* pag. 85. inquit, * Pius V. dispensavit cum Hispanis, vt extra bursam Corporale portari queat:: Vereor ergo, ne pigeat aliquos educere Corporale de bursa: & quid si in via in terrā cadat? * Sic ille. Sed certè Pius V. in Bulla incipiente, *Ad hoc nos*, data anno 1570. die 17. Decembris dispensavit cum Hispanis, *Ne Sacerdos, quando ad Missam celebrandam exit, calicem manu, & Corporalia in bursa ferat.* Quæ sunt verba Bullę extantis inter alias ad initium Missalis editi Antuerpiæ ex Officina Plantiniana Balthasaris Moreti anno 1642. & in eis verbis non continetur dispensatio cogitata à Gavanto, sed vt Sacerdos, cum ad Missam procedit è Sacristia, non portet manu sua calicem præparatum, & cui inter alia sit imposita bursa includēs Corporalia plicata. Huius dispensationis vestigia vidi in Ecclesia Cathedrali Abulensi. Canonici enim, cum exeūt ad Missas etiam privatas, portant manibus crucem auream, vel argenteam elevatam ante pectus, inveniuntque calicem, cæteraque in altari, vbi ea Ædituus, vel Subminister Missæ antea locavit. Frustra igitur Gavant[9] veretur, timetque illa, quæ addit.

63 Affirmo tertiò, requiri pallium ornans frontem altaris; de quo pallio in titulo de ritu servando, §. 20. dicitur, *Futurum esse coloris, quoad fieri potest, diei festo, vel Officio conuenientis.* Scortia Lib. 2. Cap. 14. numero 8. & Gavantus parte 1. titul. 20. pagina 73. notant ex veteri cōsuetudine, quę colligitur ex Venantio Fortunato Libro 2. Carm. 3. comprobaturque à Iacobo Gretsero

Gretsero tomo 1. de Cruce Lib. 2. C. 13. decere, vt huiusmodi pallium sit cruce insignitum.

64 Vbi non tacebo, quod in Regulis Præfecti Ecclesiæ Societatis n. 31. habetur, *Panni omnes linei semper mundi seruentur, & separatim Corporalia, atque etiam Purificatoria (quæ quatuor cruces in angulis habeant) lauentur, & vtrorũque ablutio, & cineres eorum, quæ vetustate consumpta comburuntur, in sacram piscinam mittantur.* Sic ibi. Cui regulæ consonat quoad crucem in Purificatorio Cõcilium Mediolanense III. apud Gavantum in Rubricas Missalis p. 2. tit. 1. pagina 84. idemque Gavantus tit. 2. pag. 103. testatur, solere multos acu pingere crucem in Corporalibus circa oram, & in medio: anteàque pag. 85. dixerat, esse conueniens, vt bursa Corporalium habeat crucem in medio. Et de vsu antiquo exprimendi formam crucis, vel crucifixi Christi in panibus consecrandis consulatur Baronius anno Christi 58. n. 66. Cruce etiam insigniri debere Amictum, manipulum, stolam, constat ex Missali, titulo de ritu seruando §. 1. n. 3. Quare effortatio crucis in Purificatorijs non est eò tantùm referẽda cum Gavanto supra pag. 84. vt cognoscantur ab alijs pannis lineis ad tergendas manus.

65 Sed quia de cruce in Amictu, manipulo, & stola nonnihil dixi; addo, Nigrum apud Dianam infra velle, in eis induendis à Sacerdote celebraturo Missam de *Requiem*, omittenda esse crucis oscula; nam in hac Missa præter osculum altaris omittuntur reliqua oscula, vt iubetur in §. 13. eiusdem tituli. Est tamen Nigri placitum contra communem vsum, & cum Gavanto displicet Dianæ p. 10. Tract. 12. Res. 20.

66 Reuertor ad altaris pallium; cuius vsum valde antiquum esse, obseruat Scortia L. 2. C. 14. n. 8. ex Cõcilijs Rhemensi, C. 5. apud Burchardũ L. 3. C. 97. Coyancẽsi tit. 3. & ex M. S. Monasterij Casinensis; sed addit, non esse necessarium talem altaris ornatum, vt mos multarum Ecclesiarum ostendit. Quod Scortiæ dictum deforsit Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 9. n. 154. quatenus dixerit Scortia, non esse receptũ in aliquibus locis, vt prima, seu superior mappa altaris extendatur super totum altare, vestiatque illud. At Scortia nõ est loquutus de mappa, sed de pallio. Et mappã illam debere esse oblongã, pertingereque in planitie altaris extensam vsque ad terram, admonet Missale, vt visum est supra.

67 Pallium autem ferè vbique est in vsu extra feriam V. in Cœna Domini tunc enim post Processionem iuxta Ordinem Romanum antiquum, & modernum, necnon iuxta Concilium Toletanum 16. C. 8. altare denudatur vsq; ad Sabbathum in signum mœroris; ac tristitiæ ob Christi Passionem; cum tamẽ aliàs causa cuiuslibet alterius doloris, vel amaritudinis non liceat iuxta Concilium Toletanum 13. C. 7. relatum C. *Quicumque* 26. q. 5. Significationes cæteras illius denudationis reperies in Durando L. 1. de Eccles. Cath. ritibus C. 15. n. 9. Gavanto in Comm. ad Rub. de feria V. in Cœna Domini, & de feria sequenti, pag. 250. & 262. Extra dictũ tempus decet, vt anterior altaris pars ornetur pallio, ne rudis materia altaris offendat oculos. Quare & ferijs V. atq; VI. hebdomadę sanctę solet operiri pãno nigro. Vidimus in nonnullis templis frontes altarium permanenter tectas bractea metallica, aut laterculis cæruleis, aut velis variè depictis. Cœremoniale Episcoporum Lib. 1. C. 11. monet, ne circa altaris angulos ducantur coronides ligneæ. Sed de hoc Gavantus p. 1. tit. 20. lit. *S.* pag. 73.

68 Affirmo quartò, intra pyxidem, in qua corpus Christi seruari solet, non requiri linteum aliquod benedictum. Etsi enim Suarez D. 81. S. 7. V. *Tertiò obiter*, dicat, ✲ Potest autem intra huiusmodi pyxidem poni corpus Christi in alio vasculo ex linteo aliquo confecto; quod maximè fieri deceret, quando pyxis non esset argentea; & tũc omnino obseruandum videtur, vt illud internum vasculum sit ex materia linea, non ex alio panno, aut serico. ✲ Cum Suario consentit Ledesma C. 21. de Euch. ferèq; Trullench L. 3. de Sacram. C. 8. dub. 17. n. 5. Garcia Tract. 3 Diff. 8. dub. 3. punct. 2. n. 31. allegans Ludouicũ de S. Ioanne, Tannerũ tom. 4 D. 5. q. 10. dub. 3. n. 55. Etsi item Vazquez D. 233. C. 4. n. 29. scribat, ✲ Existimo ex cõsuetudine necessariũ, vt intra pyxidem, in qua Sacramentũ seruatur, sit vas aliquod ex lino, quod benedictione Corporalis benedictum sit, nam sicut, quãdiu celebratio Missę durat, corpus Christi semper debet esse

ſupra pallam Corporalem benedictam, quæ ſyndonem repræſentat, qua Chriſti corpus mortuum in ſepulchro involutum fuit, ita etiam, finita Miſſa, quādiu corpus Chriſti ſervatur. Tum etiā pyxis collocari debet ſuper lapidem conſecratum, qui ſit altare viaticum, ſicut etiā in ipſa celebratione: id quod conſuetudine etiam ſervari ab omnibus video. * Etſi, inquam, Suarez, & Vazquez, alijque pauci ipſos ſequuti ita ſentiant, favente partim, adverſoq; partim Cōcilio Aquileienſi anno 1596 titulo de Eccleſijs, vbi ait, *Ipſa cuſtodia ſanctiſsimæ Euchariſtiæ veſtiatur intus panno ſerico, ſeu villuto rubei coloris: in ſuppoſito Corporali pyxis locetur: in pyxide ſupponatur Corporale, in quo particulæ Sacramenti reſideant: ſi tamen pyxis interiùs ſit benè lenis, & ſplendida, atque inaurata, vt nihil aſperum, aut inæquale appareat, in ea poterit ſine Corporali Sacramentum reponi.* Sic ibi.

69 Tamen nec neceſſarium eſt, nec conveniens, vt intra pyxidis cauitatem inſeratur vas linteum, ſi pyxis ſit argentea, metallive alterius apti ad calicis cuppam, aut etſi lignea, ſed auro lita, quo facilè fragmenta dignoſci poſsint. Non eſt neceſſarium in primis ex conſuetudine, quia hæc non eſt, neque fuit vniverſalis, & vbi eam vidit Vazquez, habita eſt ratio decentiæ, & non obligationis; vel * Quandoque eſt vnicum tantùm ciborium, & quando novæ formulæ conſecrantur reponendę, vt conſumantur antiquæ, earumq; particulæ minutiſsimæ, ſolent afferri ad altare in vno tali vaſculo facto ex lino benedicto benedictione Corporaliū, vel ex aliquo Corporali, & aliud tale vaſculum antiquum ex eadem materia extrahi inde, & purificari. * Quæ sūt Dicaſtilli verba Tract 5. D. 4. Dub. 9. n. 194. Deinde non eſt neceſſarium ea de cauſa cogitata à Vazquio ex paritate exiſtētię corporis Chriſti ſupra Corporale, quandiu celebratio Miſſæ durat, tum quia dummodò pyxidi ſupponatur Corporale, ſatisfactum eſt paritati, tum quia ex eo, quod fit tempore celebrationis, non arguitur efficaciter; alioquin vltra Corporalem pallam ponēda eſſent tria etiam linteа benedicta intra pyxidē, vt benè conſiderarunt Caſtrus Palaus Tract. 22. D. vnica, punct. 10. n. 7. & Diana p. 2. Tract. 15. Reſ. 2.

70 Dicaſtillus ſupra n. 196. inquit, ſe non videre neceſsitatem, nec præceptum, nec conſuetudinem omnino receptam, vt pyxis collocetur ſuper Corporale. Ego de conſuetudine in templis Societatis noſtrę, ad quę acceſſi, teſtari poſſum, præſertim quando intra pyxidem non eſt poſitum linteū benedictum, nam ſi ſit, etſi aliquando viderim Corporale ſuppoſitum etiam pyxidi, exiſtimo, non fuiſſe id factum maiori conſilio, quàm Sacriſtæ illiterati.

71 De ſitu autem pyxidis ſiue ante, ſiue poſt conſecrationem, ſiue intra, ſiue extra celebrationem Miſſę obſervavi in Rub. Miſſalis, & in Rituali Romano, quæ ſequuntur. Dicitur in Rubricis titulo de ritu ſervando §. 2. n. 3. *Si Sacerdos eſt cōſecraturus plures hoſtias pro communione faciendā, quæ ob quantitatē ſuper patenam manere non poſsint, locat eas ſuper Corporale ante calicem, aut in aliquo calice, vel vaſe mundo conſecrato ponit eas retrò poſt calicem, & alia patena, ſeu palla cooperit.* Ex quibus verbis non conſtat manifeſtè, vas ponendum retrò poſt calicem debere locari ſuper Corporale: vnde fortaſsè quis diceret, fieri ibi licentiam, vt ponantur ſtatim extra Corporale, vel in tabernaculo ipſo, vel alio in loco, vt notat Arriaga D. 55. S. 1. n. 7.

72 Neque item conſtat ex verbis his §. 7. num. 3. *Si fuerint aliæ hoſtiæ non ſuper patenam, ſed ſuper Corporale, vel in alio calice, ſeu vaſe pro communione populi conſecrandæ, &c. Si autem adſit vas, ſeu calix cum alijs hoſtijs, ipſum cooperit alia patena, ſeu palla.* Neque rurſus ex his §. 8. n. 5. *Si adſit vas cum alijs hoſtijs conſecrandis, antequàm accipiat hoſtiam, diſcooperit manu dextra calicē, ſeu vas aliarum hoſtiarum. Cum autem finierit ſupra dicta verba, cubitis ſuper altare poſitis, ſtans capite inclinato, diſtinctè, reuerenter, & ſecretò profert verba cōſecrationis ſuper hoſtiā, & ſimul ſuper omnes, ſi plures ſint conſecrandæ, & hoſtiam ſuam pollicibus, & indicibus tantùm tenens dicit, Hoc eſt enim corpus meum. Quibus prolatis, celebrans tenens hoſtiam inter pollices, & indices prædictos ſuper altare, reliquis manuum digitis extenſis, & ſimul iunctis (& hoſtijs, ſi plures ſint conſecratæ, in loco, in quo à principio Miſſæ poſitæ ſunt, ſuper Corporali, vel in alio vaſe, aut calice demiſsis) genuflexus, eam adorat. Tunc ſe erigens, quantū cōmodè poteſt, eleuat in altum hoſtiam, & intentis in eam oculis*

(quod

(*quod & in eleuatione calicis facit*) *populo reuerenter ostendit adorandam. Et mox sola manu dextra ipsam reuerenter reponit super Corporale in eodem loco, vnde eam leuauit*, &c. N. 6. *Reposita hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur; si adsit vas aliarum hostiarum, patena, vel palla cooperit, vt supra.* §. 10. num. 5. 6. & 7. fit mentio pyxidis; sed non magis exprimitur eius super Corporale positio.

73 Rubricæ de feria 5. in Cœna Domini dicunt, consecratam hostiam, reservatam pro die sequenti, inclusamque alio calice, collocãdam esse in medio altaris, quin apertè tradant, Corporale mansurum tunc extensum super altaris medium; neque tradunt, debere poni Corporale super altare aliud, quò deferendus est calix cum hostia cõsecrata, aut super planitiem capsulæ, in qua idē calix recondendus est.

74 Rituale Romanum in ordine ministrādi sacram communionem notat, extractam è tabernaculo pyxidē ad communionem dandam extra Missā deponi debere super Corporale. Et cum agit de communione infirmorum ait, mensam, in qua sanctissimum Sacramētum deponendum est, debere cooperiri linteo mundo, & pyxidi supponi Corporale, quod in bursa plicatum delatum sit è templo ab aliquo Clerico comitante Sacerdotem; & ad abstergendos Sacerdotis digitos ponendum esse linteolum purificatorium propè Corporale.

75 Quibus omnibus perpensis, videtur mihi, pyxidem habentem formulas consecratas, carentemq; linteo interiori benedicto, extituram semper super Corporale. Consentiunt Concilium Aquileiense supra, Gaspar Hurtadus D. 4. Diff. 10. V. *Id verò*, Aversa q. 11. S. 13. V. *Addit*, Tho. Tamb. L. 1. de Miss. C. 1. §. 6. n. 5. Caspensis Tract. 23 D. 3. S. 5. n. 86. Card. de Lugo D. 20. S. 2. n. 69. Francis. de Lugo L. 5. C. 7. q. 1. n. 10. & Leãder Tract. 8. D. 7. q. 37. De consuetudine vbique recepta testatur Aversa, fortè * Ex vitio cõmuni Scholasticis, vt consuetudines iudicēt ex eo, quòd in illa Ciuitate, aut Prouincia, vbi versantur, fieri viderūt, * vt cõtra Vazquiū prudēter advertit Card. de Lugo S. 4. n. 97. qui S. illa alia 2. n. 69. inquit, præcipi in Rub. Miss. vt formulæ in Missa consecratæ * ponantur super Corporale vel ante calicem, aut in calice, vel vase mundo consecrato retrò post calicem. * Sed Rub. verba iam supra transcripsimus, & clara tantū sunt quoad positionē formularū super Corporale, quādo extra pyxidē existūt.

76 Cæterùm quanquam verū sit, pyxidem linteo interiori benedicto carentem (eademq; est ratio de ostensorio, in quo sanctissimum Sacramentū solet exhiberi publicè adorandum) debere semper poni super Corporale, tamen, vt monent Garsp. Hurtd. præcitatique alij, extra celebrationem saltem Missę non debet poni simul super aram. quia nusquam de hoc extat præceptū, nec vbique consuetum est, nec quando Eucharistia defertur ad ęgrotorum domos, iubet Rituale Roman. vt in mēsa, in qua collocanda est Eucharistia, supponatur Corporali ara. P. Azor tom. 1. L. 10. C. 27. q. 7. videtur probare id ipsū, quia cū nō sit necesse, pyxidē asseruantem Euch. esse cõsecratā, imò neq; benedictā; requiretur multò minus ara consecrata ad imponendam ipsam pyxidem. Sed hæc ratio nimis probat, scilicet neque opus esse ara consecrata, in qua locetur pyxis, quando formulæ intra hanc contentæ consecrantur.

77 Dicet quis, tempore, quo celebratur Missa, debent formulæ existere supra aram. Ergo & postea, non enim est sanctior cõfectio corporis Xpi, quàm ipsum Christi corpus confectum. Sed contra, quia plura solent exigi ad rei primum esse, quàm ad eius cõservationē; & in casu præsenti, vt corp^{s} Xpi cõvenienti modo iuxta ritum Ecclesiæ conficiatur, requiruntur præter aram, & Corporale tres mappę; at vt iam cõfectum conservetur sub speciebus Sacramentalibus, nemo dixit, necessarias esse in tabernaculo, thalamove sacro tres illas mappas. Adest etiam perspicua discriminis ratio, nam confectio corporis Christi est Sacrificiū, ad quod iure ordinario requiritur ara; ast corpus Christi iam confectum non est Sacrificium, sed res sacrificata, quam debere semper manere super aram, est omnino falsum, vt patet, quando Eucharistia defertur ad ægrotos, & quando in Ecclesia etiam ministratur.

78 Si deinde opponat quis Concilium Turonense apud Burchardum Lib. 5. C. 9. iubens, vt pyxis *Sem-*

per ſit ſuper altare abſerata propter mures, & nefarios homines. Contra, quia ibi altare ſumitur pro tabernaculo, quod eſt altari coniunctum. Num autem non ſolùm tempore conſecrationis, ſed etiam quandiu durat celebratio Miſſæ ante conſumptionem, debeant formulæ cõſecratę permanere ſupra aram? Diſcuſſimus in D. 24. n. 10.

79 Nunc finiamus Concluſionem hanc quartam probando, non eſſe conueniens, vt intra cavitatem pyxidis inſeratur vas linteum, nam, vt Gavantus advertit p. 2. in Rub. Miſ. tit. 2. pagina 104. & ex eo Leander ſupra q. 36. amydum infuſum linteo, vt durescat, ſtetque erectum, poteſt, & ſolet generare animalcula quædam in pyxide.

80 Inquies cum Granado Controv. 6. de Euch. D. 12. n. 6. ſi pyxis non ſit benedicta, fore conueniens intra ipſam linteum benedictũ, ne ſpecies Sacramentales tangant immediatè aliquid, quod non ſit benedictum. Fateor, deſumi hinc aliqualem rationem conuenientię; ſed reſtat videndum, an præponderet inconueniens propoſitum ex Gavanto? Et in dubio ſatius erit, non vti niſi pyxide benedicta. Multiq; Authores opinantur, non opus eſſe benedicta pyxide, quin recurrant ad vas linteum benedictum: quod, & non pyxis, attingatur immediatè ab ſpeciebus.

81 Inquies rurſus, ſi pyxis ſit lignea, fore conveniens intra ipſam linteum benedictum, vt dignoſcantur particulæ, & vt meliùs fiat purificatio. Reſpondeo, poſſe vtrumque id obtineri ſine linteo, ſi pyxis lignea ſit interiùs auro illita. Quòd ſi non ſit, expediret, non vti illa. Quòd ſi paupertas cogat ad illius vſum, non eſt facilè diiudicare, quodnam inconueniens ſit maioris momenti, an periculum minutorum animalium generabilium ex amydo, quo imbuatur linteum, an periculum non diſcernendi particulas, & nõ purificãdi benè pyxidẽ ligneã, ſi deſit linteũ illud?

82 Ego in pyxide lignea adhiberem linteũ ſine amydo, & in ea etiã, quæ conſtaret materia metallica, ſed nõ apta ad calicis cuppam, nam ſic evitatur prius periculum, & proſpicitur magis reverentiæ Sacramenti. Vnde non diſcedo ab inſtructione Concilij Aquileienſis, neq; à Suarij ſenſu, ſi Eximij Doctoris verba attentiùs ponderentur, quàm à Garcia; qui hæc * Eſt enim hoc magis conſentaneum vſui, & decretis Eccleſiæ, & ideo omnino ſeruandum, * Subſequuta proximè ad tranſcripta ſuperiùs diſtorquet ad neceſſitatem abſolutam interni vaſculi, cum tamen ab Authore non dirigantur, niſi ad id, vt, ſi præfatum vaſculum adhibeatur, ſit ex lino, & non ex alio panno, aut ex ſerico.

83 Pyxidis ornatum externum eſſe velum album, dicitur in Rituali Romano, dum agit de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento; additque, includendam eſſe intra *Tabernaculum conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum, in altari maiori, vel in alio, quod veneration, & cultui tanti Sacramenti videatur cõmodius, ac decentius :: ita vt nullum alijs ſacris functionibus, aut Eccleſiaſticis Officijs impedimentũ afferatur.* Sic ibi. Hucvſque nos de linteis altaris

84 Alia extra altare ſolent deſeruire, vt illud, quo teguntur ampullæ vini, & aquæ, illud etiam, quo abſterguntur digiti poſt miniſtratam Euchariſtiam extra Miſſam; velum item album, quod apponitur ſumpturis communionem, & mappula, quæ poſt eam ſumptam, & poſt ablutionem præbetur adabſtergendum os. Sed circa hęc lintea nihil eſt ſpeciali adoratione dignũ. Et de velis templorum, atque altarium Heribertus Roſvveydus notis in Sanctum Paulinum ad pag. 540. linea vltima colligit pulchra Eccleſiaſticæ Antiquitatis monumenta.

SECTIO V.
De Cruce.

85 IN Rubricis generalibus §. 20. dicitur, *Super altare collocetur crux in medio.* Præterea tit. de ritu ſeruando ſępè dicitur, faciendam eſſe cruci inclinationẽ capitis. Et in Cõcilio Mediol. VI. tit. de pertinentibus ad Miſ. iniungitur Epiſcopo cura, *Vt in vnoquoque altari, in quo Miſſa celebranda eſt, crux adſit.*

86 Hic crucis vſus in altari, vbi celebratur, eſt valde antiquus, vt conſtat ex Actis S. Martialis Diſcipuli Dñi, necnon ex Actis S. Gregorij Matyris, Epiſcopique Armeniæ apud Boſsium Libro 6. de Cruce Capite 8. ex Sozomeno L. 1. C. 2. Nicephoro L. 7. C. 50.

Niceta

Niceta Davide in vita Sancti Ignatij Patriarchę Constantinopolitani, Amalario Fortunato Lib. 1. de Officijs Ecclesiasticis C. 14. Gemma animæ L. 1. C. 135. Innocentio III. Lib 2. de sacro altaris Mysterio C. 21. Sancto Thoma in Opusculo 65. sub titulo de Horis Canonicis, Sancto Bonaventura de Mysterijs Missæ, V. Beda Lib. 2. Hist. Anglic. C. 20. Regula Sanctimonialium contẽta in Epistola 8. Petri Abaelardi pagina 199. Sigeberto in Chronico, an. 451. Guilielmo Durando Lib. 1. Rationalis divinorum Officiorum C. 3. num. 31. Et in Concilio II. Turonico congregato anno 570. C. 3. decernitur, *Vt corpꝰ Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* S. Paulinus in Epist. 12. ad Severum canit,

Diuinum veneranda tegunt altaria fœdus
Compositis sacra cum cruce Martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt Martyria Christi
Crux, corpus, sanguis, Martyris ipse Deus.

S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum ait, *Ciborium est, vbi est crucifixio.* Sanctꝰ Chrysostomus in Oratione quòd Christus sit Deus, testatur, solere semper crucem manere in altari.

87 Sine ea non est ausus Caranacæ celebrare Presbyter quidam captiuus, subitòque ab Angelis est allata; cuius crucis, & aliarum, quæ ipsam contigerint, miraculosa virtus aduersꝰ fulmina nulli in Hispania, multisque in nationibus exteris est incomperta. Scripsit vernacula lingua Hispana latè, & accuratè de cruce Caravacensi Ioannes Robles Corvalan, tractantque de ea Augustinus de Herrera in Origine, & progressu rituum Missæ Lib. 1. Cap. 31. num. 9. Alfonsus Ciaconus Lib. de Signis crucis C. 35. Gretserus tomo 1. de Cruce Lib. 2. C. 13. Iacobus Bosius Lib. 6. de Cruce C. 8. Ioan. Ludovicꝰ de la Cerda in Lib. 8. Æneidos ad Vers. 664. & Lib. de Excellentia Cœlestium Spirituum C. 24. num. 4. Colitur etiã in Camera sancta Ouetensi crux, quam ex auro, & gemmis acceptis à Rege Alfonso Casto perfecerunt duo Angeli assumpta specie aurificum peregrinorũ; quibus pijssimus ille Rex materiem pretiosam tradidit, cum vellet, vt inde crux fieret *ad opus Dominici altaris*, provt scribit Lucas Tudensis in Chronico Lib. 4. Quam ego crucem non semel adoraui, admiratus operis elegantiam, quæ certè superat humanam artem, & industriam. S. Franciscus Xaverius inuenit in altaribus cruces apud Socotorę Insulanos, qui retinebant adhuc vestigia quædam fidei Christianæ, quã Maiores sui ferebantur didicisse à S. Thoma Apostolo, vt narrant Turselinus L. 1. vitæ S. Francisci Xaverij C. 16. & Petrus Iarricus in Thesauro rerum Indicarum C. 6.

88 Ex his liquet contra Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ C. 21. n. 32. constare de consuetudine, eaq; antiquissima crucis in altari ad celebrationem Missæ; liquet etiã contra Gasparem Hurtadum D. 4. Diff. 9. V. *Tertiò*, & contra Dicastillum Tract. 5. D. 4 dub. 9. num. 162. non solùm Iure novo Missalis reformati requiri crucem; visum enim est, requiri ex Iure per consuetudinem iam diu introducto; & ante recognitionem Missalis à Clemente VIII. editio Pij V. frequenter repetebat inclinationes capitis exhibendas cruci in Missa.

89 Quæ si celebretur in altari, in quo est sanctissimum Sacramentum, aiunt aliqui probabiliter ex cẽsura Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 79. desiderandam non esse crucem: quod placet Aversæ q. 11. sect. 13. V. *Tertiò*, si sanctissimum Sacramentum sit publicè expositum, approbaturque à Thoma Tamburino Lib. 1. de Missa C. 5. §. 6. num. 1. & ab Authore libelli continentis ordinem recitandi Officium diuinũ, & celebrandi Missas in Hispania, vt legere est in quibusdam notis ad finem.

90 Sed nec vna, nec altera exceptio arridet mihi, quia nec vnius, nec alterius video vrgens fundamentum. Anne tunc desideranda nõ est crux, quia si sanctissimum Sacramentum sit intra, vel extra tabernaculum in altari, inclinationes, & genuflexiones fiunt Sacramento, incensaturque hoc, & nõ crux? Contra tamen, tum quia quando Sacramentum est intra tabernaculum, incensatur crux in Missa solemni; tum quia in Officio de feria 6. in Parasceve crux debet poni in altari iuxta Rubricas illius diei, quanquam inclinationes, genuflexiones, & incensatio fiant Sacra-

mento; tum quia alioqui à tempore conſecrationis vſque ad conſumptionē in Miſsis aliorum dierum ſuperflueret crux; tum quia non conſtat, poni crucē in altari ea ſolùm de cauſa, vt inclinationes ei fiant.

91 Rogo rurſus, num crux non eſt neceſſaria in priori caſu, quia ipſe Chriſtus Dominus crucifixus præſens eſt perſonaliter, quāuis veluti ſub cortina tabernaculi, & ſpecierum Sacramentalium; in poſteriori autem ſub harum tantùm velamine? Sed contra, nā Eccleſia requirit in altari crucem ad Miſſam generaliter, quin excipiat priorem, poſterioremve caſum, provt quidem potuiſſet non incongruenter mota ex conſideratione illa. Contra iterùm, quia in Proceſsione, in qua patens defertur ſanctiſsimum Sacramētum, præcedit de more crux. Et vt aliā omittam videnda in Gavanto parte 1. in Rubricas Miſ. tit. 20. pag. 74. & 75. contra denique ex Concilio Turonenſi præcitato, quod in altari cum pyxide Euchariſtiam continente aſſociat crucem. Circa cuius Concilij verba notandum eſt, legi à Durando Lib. 1. de rititibus Eccleſiæ Catholicæ C. 16. num. 6. & à nonnullis alijs, *Non in armario*, vbi nos, *Non in imaginario ordine*, id eſt, non inter ſacras imagines altaris, ſed ſub ipſa cruce in altaris meditullio, vt ſic corpus Domini digniorem obtineret locum, & ne confunderetur cum Sanctorum imaginibus, vt Baronius anno 570. num. 14. Binius in notis ad illud Concilium, Gretſerus infra Capite 33. interpretantur.

92 Diana parte 10. Tract. 15. Reſ. 28. cum quatuor alijs Authoribꝰ ait, ſi crux, aut imago crucifixi ſit depicta in fronte tabernaculi, vel ſi præcipuum inſigne altaris ſit crux, aut imago crucifixi, non requiri aliam crucem. Quod mihi non diſplicet, quia ſic ſufficienter ſalvatur, ſuper altare collocatā eſſe crucem in medio; nec debent verba Rubricarum accipi in ſenſu nimiùm Metaphyſicè rigido. Si cruci ſit depicta, vel inſculpata imago Chriſti crucifixi, erit proculdubiò id magis conforme Cœremoniali Epiſcoporum Lib. 1. C. 12. Et in Liturgia S. Chryſoſtomi leguntur hæc verba, *Sacerdos egreditur ex parvo oſtio, & converſus ad Chriſti imaginē, inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem*, &c. Intelliguntur autem à Bellarmino de imagine crucifixi in L. 2. de Miſſa C. 12.

93 Celebrare ſine cruce, non eſſet peccatum mortale, & ne veniale foret, ſufficeret quæuis neceſsitas, aut cauſa rationabilis, vt quòd crux commodè haberi non poſsit; nec enim ob non inventam crucem poſt aliqualem diligentiam factam omittenda eſſet Miſſa. Et loquimur, ſecluſo contemptu, atque ſcandalo. Ita communiter Doctores moderni apud Aversā ſupra, & apud Franciſcum de Lugo Lib. 5. C. 7. quæſt. 6. num. 48. Nobis ſatis ſit, referre Suarium D. 81. ſect. 6. V. *Quintò*, Vazquium D. 233. C. 3. num. 27. Philippum Fabrum in 4. Diſt. 14. D. 54. C. 2. num. 17. Petrum Ledeſmam C. 20. de Euch. pag. 281. Notatque Arriaga D. 55. ſect. 2. num. 9. facile eſſe, invenire duo parva ligna, ex quibus à Sacerdote formetur crux deſervitura ad Sacrum, nam opus non eſt, vt ſit benedicta, quanuis in Ordine, & in Pontificali Romano extet deſcripta benedictio crucis. Et hæc ſatis de cruce, ſi tantùm notemus, præfigi debere eam in loco, vbi ædificanda eſt Eccleſia, iuxta C. *Nemo* 9. de Conſecrat. Diſt. 1. & iuxta alios Iuris Civilis textus collectos à Gretſero tomo 1. de Sancta Cruce Lib. 2. Cap. 7.

SECTIO VI.
De Lumine.

94 HONORIVS III. Pont. Max. ſic ait ad Epiſcopum Brixienſem in C. *Litteras* 14. de Celebratione Miſſarum, *Intellecto iterùm, quòd prædicta Eccleſia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquiſitionis officium iterans ex eius confeſsione inueniſti, quòd idem ſine igne ſacrificabat, & aqua. Cum igitur ex aperta malitia, vel nimia deſipientia peccaſſe probetur, mandamꝰ, quatenus officio, & beneficio perpetuò ipſum priues.* Ita ibi; & gravitas pœnæ indicat manifeſtò gravitatem culpæ, licet puniatur Presbyter non modò ob celebrationē ſine igne, ſed etiam ſine aqua, & quia in pane fermentato, ſcyphoque ligneo conſecrarit, vt refertur in verbis præcedentibus. Sed Canoniſtæ omnes, & Theologi interpretantur, quatenus

tenus vel sola celebratio sine igne reputanda sit gravis culpa.

95 Missale tam ex editione Pij V. quàm ex recognitione Clementis VIII. titulo de defectibus in celebratione Missæ occurrentibus §. 10. num. 1. numerat inter defectus in ministerio ipso obvios, *Si non adsint luminaria cerea.* Et Missale ex recognitione Clementis VIII. in Rubricis generalibus §. 20. dixerat, *Super altare collocetur crux in medio, & candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc, & inde in vtroque eius latere.* Concilium Frisingense in tit. de Celebratione Missarum monuerat diu antea, nempe ad annum 1440. *Vt nullus diuina Missarum solemnia sine luminibus celebrare præsumeret.*

96 Consuetudinis huius Ecclesiasticæ antiquitas ostenditur dilucidè, & eruditè ab Scortia Lib. 2. C. 14. num. 6. Et quidem in Cœnaculo, vbi apud Troadem S. Paulus conuenerat *ad frangendum panem*, id est, ad celebrandũ, & participandum de Missæ Sacrificio, *erant lampades copiosæ*, vt dicitur Act. 20. V. 8. Quanuis autem lampades ibi fuerint ad noctis tenebras expellendas, tamen adhibitæ etiam sunt ad sacri cultus celebritatem, vt obseruant Baronius anno Christi 58. num. 70. Lorinus, & Cornelius ad eum locum Act: quem ritum Baronius, & Lorinus illustrant multis exemplis, vt & Durantus Lib. 1 de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Cap. 8. Quare non assentior Francisco Longo in Breviario Chronologico Pontificum, & Conciliorum pag. 30. dicenti, factum esse in Ecclesia Romana sub S. Telesphoro Papa, vt Sacra peragerentur accensis luminaribus, iam enim antea de more erat. Et inter Gentiles ipsos nullum Sacrificium sine igne fieri licebat, vt notat Alexander ab Alexandro Lib. 4. dierum genialiũ C. 17. pag. (mihi) 556. Mysticas autem luminis significationes in Missa attingit Gauantus breuiter, & clarè ad Rubricas Missalis p. 1. tit. 20. pag. 75.

97 Estque illud adeò necessarium, vt * Addant aliqui, si lumen extinguatur ante consecrationem, nec haberi possit, relinquendam esse Missam, etiamsi necesse esset, consecrare ad dãdum viaticum moribundo. Ita Fagundez Lib. 3. in 1. Præceptum Ecclesiæ C. 22. nnm. 19. * Sic refert Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 2. num. 77. & cum nihil aliud dicat de hoc puncto, potiùsque videatur approbare, quàm reprobare Fagundezij dictum, vel, vt summùm, nec approbet, nec reprobet, lectu est nimis celeriter à Leandro Tractatu 8. D. 7. quæst. 20. quando scripsit, Eminentissimum Purpuratum videri non obscurè indicare, durum esse ob extinctionem luminis relinquere Missam iam quocumque modo inceptam, in ea necessitate, in qua aliquis moribundus extremo viatico indigeat. Concordant cum Fagundezio Dicastillus Tract. 5. Disp. 4. Dub. 9. num. 159. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 5. num. 44. citans suum fratrem Cardinalem de Lugo, Thomas Tamburinus Libro 1. de Missa C. 5. §. 4. numero 1. Ast Leander dicordat, nullam rationẽ adducens, sed intutam allegationem. Dissentit etiam Quintadueñas tomo 2. Tractatu 8. Singulari 4. afferens rationes, quas enervabo in Disp. 27.

98 Egò nec auderem incipere Missam, nec prosequi inceptam, si tam in candela, quàm in lampade deficeret, aut extingueretur lumẽ ante consecrationem, etiam si alioqui populus in die festo non habiturus esset copiam alteri Missæ audiendæ, vt benè docet Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. puncto 1. num. 17. cum Fagundez; imo etiamsi moribundus esset decessurus sine viatico, quia reverentia erga Sacramentum, vt non conficiatur in defectu luminis, est maioris momenti, quàm quòd populus audiat Sacrum in die festo, & quã quòd moribundo ministretur viaticum. Post consecrationem verò, si extinguatur lumen, & accendi non valeat, debet Sacerdos prosequi Missam, etsi nõ vrgeat necessitas alia; potentior enim est strictissima obligatio perficiendi essentialiter, aut substantialiter Sacrificij.

99 Missale exigit duo lumina ad celebrationem, eaque vt minimùm. Sed si, secluso contemptu, & scandalo, non duo, sed vnum adhibeatur, non erit peccatum lethale, vt Doctores communiter fatentur. Vnde non omnes defectus, de quibus Rubricæ in §. illo 10. impediunt celebrationem sub culpa gratui. Fore verò peccatum veniale ob Rubricarum authoritatem præceptiuam in hac parte, persuadeo mihi, nisi adsit necessitas, aut causa aliqua rationabilis,

lis, vel nisi cõsuetudo contraria passim recepta pręvaleat contra illas.

100 Vti videtur prævaluisse contra easdem quoad aliud contentum in titulo de ritu seruando §. 12. num. 6. & in Concilio Mediolanensi I. parte 2. in pertinentibus ad celebrationem Missæ, de non extinctione candelæ vtriusque ante finitum Euangelium postremum; solent enim Ministri extinguere positam in Epistolæ cornu, interim dum Sacerdos legit Euangelium, ne, si differant vsque ad finem, expectet ille diutiùs in altari. Vnde ea Ministrorum anticipatio libera est à noxa veniali, vt censeo cum Diana parte 10. Tractatu 12. Resol. 20.

101 Prævaluit etiam vsus contra illud alliud de accensione intorticij traditum in C. *Cleros* infra, & in titulo de ritu seruando §. 10. num. 5. quæ accẽsio facienda est ante consecrationem, & durare debet vsque ad cõsumptionem, & ablutionem. Sed quando extra Missam ministratur Eucharistia, non exprimit Missale, neque Rituale Romanum, num facienda sit? in Rituali dicitur tãtùm, accendendos esse cereos, procedente ad altare Sacerdote ministraturo Eucharistiam. Seruatur hæc cœremonia, & prior alia in templis multis, præsertim circa altare principale, & circa reliqua Capellæ maioris, aut saltem circa duo collateralia; iubeturque posterior Nostro Ædituo in eius Regulis n. 7. simulque prior; & vt *Dum Sacra fiunt, accendat vt minimùm candelas duas.* Dicitur *Vt minimùm*, quia in Missis solemnibus solent plures accendi, nempe sex, aut quatuor. Et ad Missam privatã Vicarij Generalis, licet sit Protonotarius, non debere accendi quatuor, declaravit Sacra Rituum Cõgregatio die 7. Aug. anno 1627. apud Gavantum. Decẽt certè in privatis quibusuis Missis duæ candelæ, & nisi penuria ceræ in aliqua Provincia, aut Ecclesiæ pauperas excusset, tenetur Parochus, aut Prælatus curare, ne cum vnica celebretur. Nec momẽti est, quòd quandiu sanctissimum Sacramentum intra tabernaculũ existit, sufficiat vnum lumen, nam, vt supra notavi, plura requiruntur ad decentem confectionem Sacramenti, quã ad eius conservationem. Et quidem ad hanc ordinariè sufficit lumen olei; ad illam verò minimè, vt posteà dicam.

102 Concilium Tridentinum in Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ Sess. 22. intimat Episcopis, *Vt quarundam Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis superstitioso cultu, quàm à vera religione inuentus est, omnino ab Ecclesia remoueant.* Non loquitur Tridentinum de candelarum certo numero, qui approbatur in Rubricis ex fine religionis, & cultus Dei; sicut & nunc approbatur, quòd plerumque quotidie legatur in Missa Euangelium Sancti Ioannis, etsi quondam in C. *Quidam Laicorum* 2. de Celebratione Missarum improbata fuerit cupido audiendi illud per singulos dies, quia oriebatur ex superstitione aliquorum, qui ob famam vulgatam à vetulis credebant, non posse quem sine pœnitentia mori eo die, quo lectioni eius Euangelij in Missa interfuisset, vt Ioannes Andreas obseruat ad C. illud. Neq; item loquitur Tridentinum de certo numero, qui adhibeatur in alicuius Mysterij memoriam, vt duodenarius in honorem Apostolorum duodecim. Quapropter fatur de eo, qui, siue sit maior, siue minor, consueto in Ecclesia, adhibeatur nõ præcisè ex deuotione simplici, sed ex persuasione vana de frustratione effectuum Missæ, ac precum, si numerus ille augeatur, aut minuatur. Ita in præcepta Decalogi Sanchez L. 2. C. & num. 40. Fagundez Lib. 1. de primo C. 37. num. 1. Torreblanca Iuris spiritualis Practicabilium Lib. 9. Cap. 6. num. 5. Baldellus tomo 2. Theologiæ Moralis Libro 4. Disputatione 15. num. 8.

103 Lumina debere esse cerea, quando celebratur Missa, habetur in Rubricis; & cereorum Ecclesiasticorum mentio est non levis apud antiquos Patres, de quibus Bellarminus Lib. 2. de Missa C. 14. Rosvveydus in notis in S. Paulinum ad pag. 541. linea 3. Lorinus in Acta C. 20. V. 8. Ioannes Steph. Durantus Lib. 1. de Ritibus Eccles. Cath. C. 8. Scortia L. 2. de Missæ Sacrificio C. 14. num. 6. & in C. *Cleros* 1. Dist. 21. legitur, *Acolythi Græcè* (id est, sequentes Sacerdotem, hærentes ei) *Latinè Ceroferarij dicuntur*, (non ob prioris nominis Græci rationem, sed ob ministerium) *à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, aut Sacrificium offerendum, tunc enim accenduntur luminaria*

via ab eis, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum Sol eodem tempore rutilat, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hūc mundum. Sic ex Sancto Isidoro Lib. 7. Originum C. 12. qui ex S. Hieronymo adversus Vigilantium mutuatus est pleraque horum verborum. Habet paulò antea S. Hieronymus alia, quæ videntur pugnare cum his, *Cereos* (inquit) *non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lucem, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Sed Doctor Maximus non negat, Sole fulgente, accendi cereos, cum legitur Evangelium, & cum Christi corpus offertur; loquitur enim tantùm de accensione ad Martyrum sepulchra, quę, vbi scribebat S. Doctor, fieri non solebat siue interdiu, siue noctu in honorem eorum, nisi *propter imperitiam, & simplicitatem Sæcularium, vel certè religiosarum fœminarum*, vt proximè addit: quanquam tunc alijs in locis, nunc que vbinis Ecclesiæ Catholicę consuetum sit, honorare Sāctorum sepulchra accensis lucernis tam interdiu, quàm noctu. Aliam interpretationem exhibet Baronius supra citatus. Redeo ad comprobanda cerea luminaria, & adduco Canonem 71. Apostolorum dicentem *Si quis Clericus, aut Laicus ceram, aut oleum ex sancta subripiat Ecclesia, à communione seiungitor.*

104 Nihilominus non erit peccatum grave, celebrare cum lumine olei, dummodò absit contemptus, & scādalum. Ita communiter Doctores moderni. Et quanquam Aversa quęst. 11. sect. 13. V. *Requiritur item*, & Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. puncto 1. n. 17. in contrarium citent Bellarminum Libro 2. de Missa C. 14. §. *De cereis*, Henriquezium Lib. 9. C. 26. §. 3. C. 29. §. 7. Ast Bellarminus nihil tale dicit; nisi occasionem sumpserint Aversa, & Garcia exinde, quòd Bellarminus referat Micrologum scribentem C. 11. de Ecclesiasticis observationibus, *Iuxta Ordinem Romanum nunquam Missas absque lumine celebramus, non vtique ad depellendas tenebras, cum sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cuius Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus, vt in nocte.* Sic Micrologus.

105 Addo cum multis alijs apud eosdem; & apud Franciscum de Lugo Lib. 7. C. 7. quæst. 5. num. 46. si Sacrum fiat cum lumine olei, non fore veniale peccatum in casu aliqualis necessitatis: & post adhibitam moralē diligentiam, si non inveniatur cera, satius fore celebrare cum lumine olei, quàm omnino omittere Sacrum, si aliūdè scandalum præcaveatur; olei enim ad luminaria templi vsus fuit in lege veteri, vt patet ex Exodo C. 25. V. 6. C. 27. V. 20. & 21. ex Levitico C. 24. V. 2. & 3. illustratque perquàm eruditè Fortunatus Scacchus in Myrothecis sacrorum Elæochrismaton, imò nullū fuisse ceræ, affirmat Salmeron tomo 7. Tract. 38. num. 3. pag. 321. etsi contradicat Lorinus supra. Sed quidquid de hoc iudicetur; nunc vsus est olei coram venerabili Sacramento siue incluso intra tabernaculum, siue publicè exposito ad adorationem.

106 Maius dubium est de lumine ex sevo, vel ex adipe ballenæ, vel semine lini, vel ex tędis illitis resina, aut pice. Videtur Patribus Suario D. 81. sect. 6. V. *Tertiò requiritur*, Vazquio D. 233. Cap. 3. num. 29. alijsque pluribus, tale lumen nullo modo esse adhibendum, quia est valde indecens, & ab Ecclesiæ vsu prorsus alienum, proindeque, vrgente etiam necessitate celebrandi, fore peccatum mortale adhibere illud. Sed Castrus Palaus Tractatu 22. D. vnica, puncto 10. num. 3. cum Toleto, Azore, Laymano, & Bonacina, multique alij Doctores apud Dianam parte 2. Tractatu 14. Resol. 45. apud Franciscum de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 5. numero 47. & apud Thomam Tamburinum Lib. 1. de Missa C. 5. §. 4. numero 2. indicant, non fore peccatum mortale, secluso contemptu, & scandalo, in casu necessitatis. Quibus Doctoribus ego adhæreo; nec enim tale lumen certò dedecet graviter, nisi malè oleat, vt communiter solet, quod est ex adipe ballenæ, vel semine lini: esse autem insuetum provenit exinde, quòd leviter dedeceat, & quòd vix moraliter contingere possit, vt aliud lumen haberi nequeat, si quæratur.

107 Sed numquid erit peccatum veniale, cum tali lumine celebrare? Respondeo affirmativè, si necessitas nulla detur. Moveor ob authoritatem

tatem Rubricarum præceptivam In hac parte, quibus quoad id non derogavit contraria consuetudo vulgaris. Quo fundamento sæpe sum vsus in similibus casibus. Cæterùm si necessitas non sit magna (vt quòd alioqui infirmus non esset accepturus viaticum, aut populus nõ esset auditurus Sacrum in die festo) sed potiùs necessitas sit levis (vt quòd Sacerdos nõ dives vellet stipendio Missæ magis commodè parare sibi diarium victum, aut Sacerdos tentatus optaret præsidio Sacrificij magis faciliter superare tentationem) vehementer propẽdeo, vt asseram, fore peccatum lethale, quia levis necessitas non est sufficiens ad excusationem indecentiæ, quæ satis probabiliter iudicatur gravis à Doctoribus non paucis, eisque primi ordinis, vt sunt Suarez, Vazquez, alijque relatà Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. p. 1 num. 18.

108 Scio, Laymanum, & Gasparem Hurtadum dicere, non esse necessariam valde gravem causam ad vsũ licitum sevi; Tamburinum censere, esse sufficientem quamlibet ex illis, quas in exemplum necessitatis levis adduxi; Arriagam D. 55. sect. 2. num. 9. iudicare, satis esse devotionem Sacerdotis in non omittenda celebratione, quia materia luminis est valde remota ad Sacrificium, & requisita solummodò ratione ipsius luminis. Sed certè si tam de levibus causis liceret lumine ex sevo vti, cessaret, aut remitteretur cura præparandi lumen ex cera; atque adeò passim videremus celebrare cum eo alio; ego tamen nunquam vidi, neque præfati Authores testãtur, se vidisse. Quare saltem debuissent addere, esse sibi sermonem, quando post factam conveniẽtem diligentiam non posset haberi lumen ex cera, sed ex sevo. Ratio Arriagæ parùm me movet, nam alioqui non esset curandum nisi de materijs panis, vini, & aquæ, quæ deserviunt proximè ad Sacrificium. Et quanquam materia luminis requiratur ob ipsum lumen, non inde sequitur, non esse curandum de materia, quippe multùm interfit ad decentiam luminis pro actione tam sacra, ex qua materia alatur.

* **

SECTIO VII.

De Missali, & Tabella Secretarum.

109 DE Missalis necessitate ad celebrationem loquũtur sic Rubricæ titulo de defectib⁹ in celebratione Missæ occurrentibus §. 10. num. 1. *Si non adsit Missale, licet memoriter sciret Sacerdos Missam, quam intendit dicere.* Et §. 20. Rubricarum generalium ait Clemens VIII. *Ad crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cussinus supponẽdus Missali.* Hunc Liturgiæ librum denotat Concilium Rhemense apud Burchardũ Lib. 3. C. 97. & apud Garetium C. 6. de Sacrificio Missæ, cum ait, *Nihil super altare ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquijs, & euangelia*; cum etiam inquit apud Burchardum ibi, & apud Garetiũ C. 10. *Expleta Missa calix cum patena, & Sacramentorum liber cum vestibus Sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondatur.*

110 Eundem librum denotant S. Optatus Milevitanus Lib. 6. contra Parmenianum dicens, *Extorsistis cum codicibus pallas; iudicio superbiæ vestræ vtraque arbitrati estis esse polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis, lauistis proculdubiò pallas. Indicate, quid de codicibus feceritis? in omnibus iudicium prouidentiæ vestræ debet esse æquale.* S. Victor Vticensis L. 1. persecutionis Vvandalicæ inquiens, *Accenditur propter hæc aduersus Dei Ecclesiam Gensericus. Mittit Proclum quendam in Prouinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria diuina, vel libros canctos, Domini Sacerdotes, vt primò armis nudaret, & ita facilius inermes hostis callidus captiuaret.* De eodem libro consulantur Rupertus Lib. 3. de Officijs diuinis C. 23. Hugo Victorinus in Speculum Ecclesiæ C. 7. Guilielmus Durandus Lib. 1. Rationalis Cap. 3. num. 33. Cerda Cap. 98. Advers. sacrorum numero 8. Gavantus in Rub. Missalis parte, & titulo 1. initio. Videturque hic fuisse Evangeliorum liber, qui in sede nobiliori, & media inter Episcopos collocabatur in Cõcilijs, vt observant Baronius anno Christi tum 325. tum 451. Quem prisci ævi ritum, & alios circa sacrorum Evangeliorum codicem exquisita

quisita diligentia investigavit Aloysius Novarinus Lib. 3. Schedismatum sacro profanorum per quatuor priora Capita, necnon Landtmeter de vetere Clerico Monacho Lib. 2. Cap. 71. pag. 206. Nos transeamus ad ea, quę Theologiæ Moralis propria sunt.

111 P. Vazquez Disp. 233. C. 3. num. 26. scribit, ✻ Cum prædicti Doctores (scilicet S. Antoninus 3. parte tit. 13. C. & §. 6. Navarrus in Summa C. 25. num. 84. Author Directorij Libro 1. tit. 7. §. 55.) solùm requirant Missalem librum, qui saltem Canonem Missæ contineat, idque solũ ne lapsu memoriæ Sacerdos in recitando Canonẽ, & alia, erret; fieri potest, vt, si cesset scandalum, & omnis nota exterior, & Sacerdos sine Missali aliqua de causa rationi consentanea celebret, non peccet, si nullum sit periculũ; sicut re vera esse potest, omittendi aliquid ex Officio Missę. ✻ Ita Vazquez; cuius decisioni subscribo cum alijs Doctoribꝰ allegatis à Francisco de Lugo L. 5. C. 7. q. 6. n. 52. & ab Aversa q. 11. sect. 13. V. *Requiritur quoque.*

112 Sed noto, vt secluso contemptu, & scandalo (quod est de facili vitabile, adhibito alio libro ad apparẽtiam) non peccetur saltem venialiter, requiri rationabilem causam, quę in tenente memoriter Canonem, & reliqua Missę excuset non adimpletionem Rubricæ. Erit rationabilis causa dies festꝰ; aut specialis devotio, ardensque desiderium celebrandi in die etiam non festo, si ad manum non possit haberi Missale. Nam si posset, & Sacerdos omitteret illud ex sola negligentia, & non ex contemptu, peccaret adhuc lethaliter iudicio Garciæ Tract. 3. Diff. 8. dubio 3. puncto 1. numero 19. etsi teneret memoria totam Missam. Quo tamen in casu videntur non agnoscere peccatum lethale Authores, quos referunt, & sequuntur Aversa, & Franciscus de Lugo, necnon Arriaga D. 55. sect. 2. n. 9. atque Thomas Tamburinus infra numero 1.

113 Regulariter quidem Sacerdos nequit adeò cõfidere de sua memoria, vt moraliter non dubitet de perfecta, & ordinata omnium recitatione, præsertim si celebret coram multis alijs, tunc enim timor labendi cõstituet Sacerdotem in maiori periculo lapsus, vt Aversa, & Franciscus de Lugo obseruant supra. Et ideò mirum non est, plures Doctores ante Suariũ (quorum authoritatem ipse veritus est D. 81. S. 6. V. *Quartò*, etsi sufficientem rationem non viderit respectu probè callentis totam Missam) & plures post affirmare, fore ordinariè peccatum lethale, celebrare sine Missali præsente; quo, si erret, iuvetur Sacerdos. Sed quid si in defectu Missalis, legeretur Missa ex papyro, in qua ad supplendum eum defectũ fuisset scripta tota de B. Virgine in Sabbatho v. g. cum integro Canone? Placet mihi cum Tamburino L. 1. de Missa C. & §. 5. num. 2. non fore peccatũ, si abesset scandalum.

114 Prosequitur Vazquez, & ait, ✻ Hoc autem præcipuè valde notandum est pro aliquibus Sacerdotibus, quibus adeò debilis est facultas videndi, vt legere non possint, & tamen satis videant, vt calicem, & hostiam consecratam debita cum reverentia elevare, adorare, & sumere possint, & reliqua omnia, quæ circa illam fieri solent, absque vlla irreverentia, efficere. Nam & hi permitti debent Missam celebrare memoriter, quanuis non sine libro, ne notam aliquã incurrant apud alios ✻ Addo ego, quanuis non sine aliquo assistente, qui in memoriæ lapsu, tam facilè contingibili, succurrat, nisi ex longa experientia concipiatur moralis securitas de firmitate memoriæ.

115 Hinc deducitur, cæcum Sacerdotẽ posse licitè celebrare, quanquàm in Liturgiæ libro Missam legere non valeat, si aliunde obtineat à Papa dispensationem in irregularitate prouenient ex cæcitate, & moraliter non sit obnoxius periculo errandi, vel ex alterius assistentiâ eatur obviàm huic periculo, aliisque invertendi calicem, & relinquendi fragmenta hostię super patenam, aut Corporale. Dominicus Soto in 4. Dist. 9. quæst. vnica, art. 2. V. *Possumus autem* testatur, se novisse Tridenti Antistitem cæcum dispensatione Pontificis Sacrum quotidie facientem. Similiter P. Henriquez Lib. 14. C. 8. §. 2. in Glossa, littera *M.* asseverat, se vidisse cæcos aliquos dispensatos.

116 Vbi obiter notetur, quanta sit cura in Ecclesia, vt Sacerdos celebrans queat legere Canonem, declaratur

claratur enim irregularis, non tantùm qui vtroque oculo cæcus est, aut omni orbatus visu, iuxta Canonem 77. Apostolorum, & iuxta C. *Hinc etenim* 2. §. *Cæcus* Dist. 49. sed & iuxta C. *Si Euangelica* 13. Dist. 55. qui caret videndi virtute in vno oculo nempe in sinistro, quo legendus esset Canon; vnde sinister vocari solet oculus Canonis: si tamen dextri visus deficiat, & nulla appareat notabilis deformitas, non contrahitur irregularitas, quia sinistro sufficienter, & decenter legi potest Canon. Consulantur Suarez tomo 3. in 3. partē D. 51. sect. 3. num. 15. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 42. num. 31. & Gibalinus C. 3. de Irregularit. num. 9. qui cum Navarro in Enchiridio Cap. 27. num. 99. docēt, si ea sit vis oculi dextri, vt absq; indecenti conversione faciei possit firmiter, & sufficienter Canon legi, non incurri irregularitatem. Sed quid, si totus Canon constanter insideret in memoria? Quid, si subsidio esset tabella directo ante faciem posita, in qua facilè legeretur totus Canon exaratus, vti in ordinaria leguntur verba consecrationis? Non est huius loci, decidere dubitationem istam, sed monere, vt ex prefata irregularitate confirmetur libri Canonem saltem continentis necessitas ad celebrationem, & vt colligant inde Parochi, atque Prælati, specialem sibi inesse obligationem, ne Missalia quoad partem saltem Canonis sint lacera, aut deformia, sed integra, & aptè exarata. Petrus Damiani Lib. 4. Epist. 14. obiurgat negligentiam in huiusmodi libris concinnandis. En eius verba, *Quid postremò de codicibus dicam, in quibus nimirum hæc ipsa quoque legere inoffensè non possumus, quæ tenaci adhuc memoria reseruamus? Quæ nimirùm omnia oculis subiecta cernentibus, & leuibus excutiunt risum, & sapientes prouocant ad lamentum.* Sic ille.

117 Advertitur in Rubricis, cusinum, seu pulvinum supponendum Missali, & tabellam Secretarum locandam esse ad crucis pedem. Sed huius tabellæ vsus, si adsit Missale, non est admodùm necessarius, quanquam valdè conducat, vt Sacerdos maiori cum commoditate, & decoro legat, dicat q; secreta, & præsertim verba consecrationis. Inuenitur quidem prefata tabella in multis altaribus, in multis etiā desideratur. Quare existimo, non fore vllum peccatum, si absque vlla necessitate, sed tantùm ex deuotione ordinaria celebretur in altari, in quo non sit posita, quia contraria consuetudo satis recepta interpretatur Rubricā vt merè instructiuam circa præparationem tabellæ, vel prævaluit aduersus præceptiuam eius vim. De cusino, seu pulvino legatur Scortia Lib. 2. C. 14. num. 8. Et de Missali notetur contra Sylvestrum V. *Benedictio* q. 4. non debere esse benedictum, nam, vt monet Amicus D. 33. sect. 12. num. 367. non præscribitur in Pontificali peculiaris benedictio pro eo.

SECTIO VIII.
De Flabello, & de Floribus in altari.
Finiturque Disputatio animaduersione quadam benigna pro scrupulosis.

118 OLIM in apparatu altaris erat flabellum ad abigendas muscas, & culices, ne in calicem inciderent, neve Sacerdotem molestarent, & perturbarent; pertinebatque ad Diaconum tenere illud, & mouere. Theosterict⁹ Oratione funebri in S. Nicetam ait, *Sanctus verò Athanasius assistebat cogitatione, & mente tota intuens, ministerij flabellum tenens, erat enim Diaconus, qui & Presbyter postea fuit; stabat, inquam, metuens, ac tremens, suasque genas, ac pectus lachrymis madefaciens. Sic totum sanctum illud, ac diuinum ministerium complebant.* Cyrillus Anachoreta in S. Euthymij vita, *Et aliquando quidē vno Sabbathorum die, ille quidem Deo ministrabat, & ei incruentum obtulit Sacrificiū. Domitianus autem adstabat ad dexteram cū mystico illo ventilabro, cum iam peragenda ter sancti glorificatio.* Quæ duo testimonia descripsit Ioannes Garetius C. 12. de Sacrificio Missæ.

119 Et alia accipere licet ex Sancto Clemente Romano Apostolicarum Constitutionum Lib. 8. Cap. 12. Iobio Monacho Libro 6. in Photij Bibliotheca Codice 22. pag. 607. S. Epiphanij vita die 12. Maij apud Surium; Epistola

Epistola 7. Hildeberti Episcopi Cenomanensis; ex Liturgiæ Expositione à S. Germano Archiepiscopo Constantinopolitano; ex Prato spirituali C. 150. C. 196. Chronico Alexandrino in Olympiade 351. Legantur Heribertus Rosvveydus in Onomastico ad Patrum Vitas, V. *Flabellum*, pag. 1030. Menardus pag. 319. Sacramentarij Gregoriani, Iosephus Vicecomes Volumine 3. Obseruationum Eccles. Lib. 1. de antiquis Missæ ritibus Cap 17. Durantus Libro 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Cap. 10. Scortia Libro 2. C. 14. n. 8.

120 Nunc rarus est flabelli vsus; sed alicubi Hispaniæ à me visus in æstate, & autumno, quo tempore maior est copia muscarum, & culicum; testaturque Turrianus in Scholio ad locum citatum ex S. Clemente, cum Sūmus Pontifex Missam celebrat, adhiberi flabellum.

121 Quondam etiam fuisse ornata floribus altaria (quod & modò fit) ostendunt illa S. Hieronymi in Epitaphio Nepotiani verba, *Erat solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, vela semper in ostijs, si Sacrariū mundū, si vasa luculenta; & in omnes cæremonias pia solicitudo disposita, nō min⁹, nō mai⁹ negligebat officium. Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diuersis floribus, arborum comis, vitiumque pampanis adumbrabat, vt quicquid placebat in Ecclesia tam dispositione, quàm visu, Presbyteri laborem, & studium testaretur.* Sanctus Augustinus Libro 22. de Ciuitate Dei Cap. 8. bis meminit florum, qui in altari erant Sancti Stephani. *Solitus erat Sanctus Seuerus*, referente Sancto Gregorio Turonensi de Gloria Confessorum Cap. 50. *flores liliorum, tempore, quo nascuntur, colligere, ac per parietes ædis sacræ appendere.* Videantur Sanct⁹ Paulin⁹ in Natali 3. Sancti Fœlicis Carmine 108. Fortunatus Lib. 8. Epigrammate 9. Ipsis etiam Ethnicis non fuit insuetum curare floribus aras. Vnde illud Maronis Lib. 1. Æneidos,

Thure calent aræ, floribusque recentibus halant.

Hactenus de ornatu altaris.

122 Pro coronide Disputationis aduerto, Sacerdotes debere non esse nimis scrupulosos in omittenda Missa, si perveniant ad templa, quorum in altaribus desit aliquid ex ijs, quæ cum tutiori, & probabiliori opinione diximus requiri ad licitam Missæ celebrationem; debere item non esse importunos Sacristis, vt ponāt v. g. tres mappas super aram, si in illo templo de more non sunt, & sic de alijs. Novi Sacerdotem valde molestum in exigendis ijs omnibus, cum agens iter accedebat ad templa extranea, vt Sacrum faceret; omittebatque illud diebus profestis, si iuxta suum votū omnia non parabantur

123 Audiant scrupulosi isti Franciscum Victoriam in Summa Sacramentorum numero 98. dicentem, * De alijs ritibus si aliquid intermittatur non ex malitia, sed ex negligentia quacumque, non existimetur mortale. Vnde si quispiam celebrans obliviscatur manipuli, vel non aduertat, se sine ara celebrare, non timeat peccatum mortale. * Audiant Dominicum Sotum aientem in 4. Distinctione 13. q. 2. articul. 3. in fine * Colligito ergo, genere suo esse peccatum mortale, aliquod istorum prætermittere. Attamē quia omnia sunt de iure positivo, sola negligentia, si absit scientia, & contemptus, non erit peccatum mortale. Non enim tenetur explorare Sacerdos, vtrum vasa sint consecrata, vel vtrū linteola sint ex lino, aut ex alia simillima materia, & ab subt⁹ ara lapideâ lateat? * Audiant Iosephum Anglem dicentem in quæst. de Valore Missæ, articulo vltimo, Difficultate 5. Conclusione 8. propositione 1. * Sacerdos, qui non ex malitia, sed ex negligentia quacumque sine ara celebrat, vel sine manipulo, aut stola, mortaliter peccare non videtur. *

124 Qui tres Authores institerunt vestigijs Caietani in Summa Verb. *Missæ celebratio* scribentis, * Si contingat, inadvertenter aliquid omitti ex necessarijs ad celebrationem, non est iudicandum mortale, quoniam formaliter, & per se non est omissio volūtaria: nisi forte inadvertentia sit adeò culpabilis, vt redeat omissio in naturā sui criminis * Sic Eminentiss. Caietan⁹. Quem explico, quaten⁹ omissio alicuius requisiti sub gravi præcepto sit immunis ab omni culpa, si contingat ex naturali inadvertentia, & oblivione; è contra verò sit lethaliter culpabilis, si proveniat ex crassa, atque supina inadvertentia, seu ignorantia; de-

mumquesit venialiter peccaminosa, si procedat ex negligentia leviter damnabili. Cuius explicationis puncta perspicua sunt ex principijs generalibus de ignorantia circa præcepta positiua. Et de eis principijs ad præsentem materiã applicatis agit Suarez D. 82. sect. 3. V. *Secundò*. Si autem aliud voluerunt dicere Victoria, Sotus, & Angles, minimè eis assentiar quoad illa, quæ in celebratione Missæ cadunt sub præcepto graviter obligante.

125 Tandem scrupulosi audiant Azorem quærentem tomo 1. Libro 10. C. 27. quæst. 11. * An Sacerdos volens in aliquo certo altari Sacrificium facere, debeat priùs inquirere, sit ne altare consecratum, Corporalia itidem, ac cætera linteola, vestesque sacratæ? * Et respondentem * Quando hæc rei divinæ inserviunt de more, nihil est inquirendum; quando item hęc à proprio Parocho offeruntur. * Consentit cum Azore Ioannes Baptista Scortia Lib. 3. Cap. 5. n. 6.

DISPVTATIO XXVI.

DE VASIS AD MISSAE CELEbrationem.

HABET DE EIS SERMONEM *Angelicus Doctor in responsione ad 6. Cum quo agendum in hac Disputatione nobis est de calice, & patena, necnon de consecratione eorum, loquemurque simul de pyxide, in qua asseruatur Christi corpus.*

SECTIO I.

Post exarata, & explicata S. Thomæ verba, tractatur de calicis, & patenæ necessitate, atque materia.

SANCTVS Thomas sic fatur, *Sicut in Dist. eadem 1. dicitur C. Vasa, Quondam Sacerdotes non aureis, sed ligneis calicibꝰ vtebantur. Zepherinus autem Papa patenis vitreis Missam celebrari constituit; deinde Vrbanus omnia fecit argentea. Postmodùm autem statutum est, vt calix Domini cũ patena, siue ex auro omnino, siue ex argenta fiat, vel saltem stanneus calix habeatur. Do ære autem, aut ex orichalco non fiat, quie hoc vini virtute æruginem parit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, seu vitreo calice præsumat Missam cantare, quia scilicet lignum porosum est, & sanguis consecratus in eo remaneret; vitrum autem fragile est, & posset fractionis periculum imminere; & eadem ratio est de lapide. Et ideo propter reuerentiam Sacramenti statutũ est, vt ex prædictis materijs calix fiat.* Hactenus Sanctus Thomas, citans duos Canones.

2 Quorum alter incipit *Vasa*, estque

estque 44. in Dist. 1. de Consecratione; & desumptus est ex Concilio Triburiensi celebrato anno 895. C. 18. vbi vltrà verba adducta à Sãcto Thoma habentur hæc, *In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis, & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum. Nostris enim diebus qui serui Patris familias sumus, ne decus matris Ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus, vt deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Xpi in ligneis vasculis vllo modo conficere præsumat, ne, vnde placari debet, inde irascatur Dominus.* In hoc Canone Zepherinus vocatur XVI. Romanus Episcopus, & Vrbanus XVIII. numerando ante Zepherinum, & benè quidem, Petrum, Linum, Cletum, Clementem, Anacletum, Evaristum, Alexandrum, Sixtum, Telesphorum, Higinum, Pium, Anicetum, Soterum, Eleutherium, Victorem; numerandoque ante Vrbanũ, & benè quidem, Zepherinum, atque Calistum. Ideoque aliquę editiones S. Thomæ, in quibus Zepherinus appellatur XIV. corrigendæ sunt; sed in plerisque deest numerus. Constitutio Zepherini refertur in Lib. Pontificali Damasi istis verbis, *Fecit constitutum de Ecclesiâ, vt patenas vitreas Ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret, & vt Sacerdotes omnes adstarẽt, dum Missæ sic celebrarentur.* Non constat, num memoratæ patenæ vitreæ deseruirent ad suscipiendum Christi corpus, neque rursus, an deservirent in omnibus Missis, neque item an ad aliud ministerium, quàm communicandi populi? Radulphus Decanus Tungrensis propositione 23. de Canonum obseruãtia ait, Apostolos celebrasse in ligneis calicibus (quod etiam asseritur ab Honorio Augustodunensi L. 1. de antiquo ritu missę C. 89.) & Zepherinum constituisse, vt in vitreis, Vrbanumque, vt in argenteis. Platina in Zepherini vita scribit, statuisse, * Vt consecratio diuini sanguinis in vitreo vase, non autẽ in ligneo, vt antea, fieret. * Sed ego dubito, num etiam de calicibus, vel de solis patenis decreverit Sanctꝰ ille Põtifex? De his solis loquitur Vvalafridꝰ Strabo Cap. 24. rerum Ecclesiasticarum. Constitutio, seu factum Vrbani narratur in eodem Pontificali his verbis, *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas viginti quinque apposuit.*

3 Alter Canon exorditur *Vt calix*, sequiturque proximè post allegatum, & confectus est in concilio Rhemensi congregato anno 813. Capite 6. Subticet Sanctus Thomas verba alia in illo contenta, videlicet hæc, *Nec cantent Presbyteri, auaritia suadente, de paupertate, vel impossibilitate, cum quarta pars ex omnibus, quæ ad Ecclesiam pertinent, in fabricis ipsius Ecclesiæ sit imponenda. Admonendus est etiam populus, vt aliquid in donarijs Domini offerat, sicut ille antiquus populus sub Mose in tabernaculo Domini fecisse legitur. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat*, &c. Ita apud Burchardum in Decreto Lib. 3. Capite 96. & apud Ivonem in Decreto parte 2. Capite 131. atque in Pãnomia Lib. 1. Capite 161. partimque apud Gratianum. Vnde ratione tantũ paupertatis permittebatur in Concilio Rhemensi stanneus calix, & ita intelligitur Synodus illa à Rege Alfonso Sapiente leg. 56. titulo 4. Partita 1. Nec de calice, vt posset esse stanneus, quidquam antea decreverat Zepherinus Papa, vt falsè ei attribuit cum Martino Polono Genebrardus Libro 3. Chronographiæ sub annum 206. Verba illa *Quia scilicet*, & cætera vsque ad finem sunt Sancti Thomæ. Cuius doctrina præsupposita, aggredior tractationem de ijs, quæ promisi.

4 In primis igitur est omnino indubitatum, ad celebrationem Missæ sub præcepto graui requiri calicem, & patenam. Calicem quidem, tum quia non nisi in vase potest commodè consecrari vinum, tum ob Christi exemplũ. Aitque Paschasius Rathbertus Libro de Corpore, & sanguine Domini Capite 21. * Mos benè inolevit, vt sanguis Christi nunquam in catino, nunquàm in cratere, neque in alio vase, quàm in calice consecretur. * Patena autem exigitur tum ob exemplum illud, patena enim respondet catino, & paropsidi apud Marcum 14. & Matthæum 26. tum ob commodam receptionem hostiæ, & particularum, quæ ex ea decidant, tum ob facilem extersionem Corporalium, tum ad superponendas formulas, ex quibus sint communicandi alij, deficiente pyxide.

5 Deinde conſtat ex præcitatis Canonibus, ligneos fuiſſe olim multos calices; & in eis Apoſtolos ſacrificaſſe, dicitur ab Honorio Auguſtodunenſi, & à Radulpho Tungrenſi ſupra; videturque Richardus Armachanus in quæſtionibus Armenorum Lib. 9. C. 6. non renuere, quòd Chriſtus Dominus ligneo calice vſus fuerit, quando inſtituit, & celebravit Sacrificium incruẽtum ſui corporis, ac ſanguinis. Scribitque Gabriel in Canonem Miſſę Lectione 52. lit. C. * Chriſtus, qui Apoſtolis ſuis poſſeſsionem auri, & argenti interdixit, non creditur fuiſſe vſus calice argenteo, vel aureo; ſed fortè nec ſtanneo, quia paupertatem ſuam nobis declarans ait, Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. * Stephanus Eduenſis C. 16. de Sacramento altaris ſimiliter inquit, calicem à Chriſto acceptum ad conſecrationem fuiſſe fortaſſe ligneum, aut luteum. Et de catino quidem ad cibum in poſtrema Cœna ſignificat Clemens Alexandrinus Lib. 2. Pædagogi Cap. 3. confectum ex vili materia; fictileque fuiſſe, exprimunt Zacharias Chryſopolitanus Lib. 4. in vnum ex quatuor C. 1 Rabanuſque Maurus, & ex eo S. Thomas in C. 26. Matthæi. Vniverſimque de toto apparatu ad menſam inquit S. Chryſoſtomus in Homilia 60. ad Antiochenum populum, *Non erat illa menſa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo ſanguinem proprium Chriſtus ſuis dedit diſcipulis; pretioſa tamen erant illa omnia, & tremenda, quoniam erant ſpiritu plena.* Sic Os aureum.

6 Conſtat præterea ex illis Canonibus, necnon ex Tertulliano L. de Pudicitia C. 10. S. Epiphanio hæreſi 34. S. Hieronymo in Epiſt. 4. ad Ruſticum, S. Gregorio Magno Lib. 1. Dialogorum C. 7. Cypriano Gallo in Vita S. Cęſarij Epiſcopi Arelatenſis, Authore Anonymo in Vita S. Vvinoci Abbatis 6. Novembris apud Surium vſus antiquus vitreorum calicum, & patenarũ

7 De cryſtallino etiam calice compertum nobis eſt ex Sancto Gregorio Turonico Lib. 1. Miraculorum Cap. 46. & ex Vita Sancti Berneucardi Epiſcopi Hildesheimenſis, vt refert Novarinus in Agno Euchariſtico, num. 819. ibidemque fit mentio calicis onychini. Sed & marmorei in Vita Sancti Theodori Archimandritæ 22. Aprilis apud Surium. Fuiſſeque ex lapide Agatha, vel Chalcedonio illum, in quo Chriſtus ſuum conſecravit ſanguinem, colique nunc Valentiæ Cidi, tradunt multi, vt Ioannes Baptiſta Laurus de Deiparæ Virginis annulo pronubo, fol. 9. Didacus de Guzman parte 1. de Excellentia Sacrificij Legis Evangelicæ Capite 11. parte 2. Capite 8. Gavant in Rubricas Miſſalis parte 2. titulo, & num 1. littera *F.* cum Carthagena L. 9. in Homilia 26. de Euchariſtia, Henricus Henriquez Libro 9. Capite 28. §. 2. Salmeron tomo 9. in Evangelia Tractatu 10. pag. 77. Barradas tomo 4. in Evangelia Libro 2. Capite 11. Ioannes Vvalterius de triplici Cœna Chriſti Capite 38. Cœnæ 3. Fagundez in 1. præceptum Eccleſiæ Libro 3. Capite 21, numero 13. Auguſtinus de Herrera Libro 1. de Origine, & progreſſu cœremoniarum Miſſæ Capite 26. numero 4. Gundiſalvus de Illeſcas in Hiſtoria Pontificali Lib. 5. Capite vltimo in Rege Alfonſo VII. Antonius de Molina Tractatu 1. de inſtructione Sacerdotum Capite 14. §. 1. Leander Tractatu 8. de Sacramentis Diſputatione 1. quæſt. 10. cum Vrreta Libro 1. de Rebus Æthyopiæ Capite 11. Andreas Sauſſay in Panoplia Sacerdotali parte 1. Libro 8. Capite 3. cum Hadriano Maghertio, Thomas Tamburinus L. 1. de Miſſa C. & §. 1. n. 3. Thomas Alvarez in Diſcur. de Sacrif. Miſſæ n. 75. Gaſpar Eſcolanus in Decade 1. Hiſtoriç Civitatis, Regnique Valentini Lib. 5. Cap. 2. vbi de verbo ad verbum exarat inſtrumentum quoddam authenticum donationis, quam eius calicis anno 1499. fecerunt Martino Regi Aragoniæ Prior, & Regulares Monaſterij Sancti Ioannis de Penna. Initium autẽ litterarum publicarum habet ſe in hunc modum: *Cum Excellentiſsimus Princeps, & Dominus D. Martinus Dei gratia Rex Aragoniæ*, &c. *affectuosè expetierit habere in Capella ſua Regia illum calicem lapideum, in quo Dominus Noſter Ieſus Chriſtus in ſua ſancta Cœna conſecrauit pretioſiſsimum ſuum ſanguinem, & quem Sanctus Laurentius in :: miſit acceptum de manu Sixti Papæ, cuius diſcipulus, & Diaconus erat, poſteàque calix ille datus eſt Monaſterio, & Conuentui Sancti Ioannis de Penna*, &c.

Creditur

Creditur asseruatus fuisse eo in Monasterio ex tempore irruptionis Maurorum in Hispaniam. Extat nunc in templo maximo vrbis Valentinæ, summaque veneratione suspicitur.

8 Calices æreos antiquitus etiam fuisse vsitatos, noscitur ex Actis SS. Columbani, & Galli apud Novarinum supra; imò & corneos, ex Concilio Calcuthensi, anno Christi 787. C. 10. vetatur enim ibi, ne amplius fiant *de cornu bouis calix, aut patena ad sacrificandum, eo quòd de sanguine sunt.*

9 Et hæc de antiquitatis Ecclesiasticæ exemplis quoad materiam calicum. Non tamen desunt alia, ex quibus patet, argenteos, & aureos non fuisse insolitos vel in prioribus sæculis Religionis Christianę. Beda Cap. 2. de locis sanctis refert, argēteum fuisse calicem Domini, & sua ætate tangi, & osculari Hierosolymis. Id si verum sit, ruet omnino prænarrata traditio Valētina. Respondet Gaspar Escolanus, calicem, de quo Beda, deservijsse ad Cœnam agni Paschalis, alterum verò, qui Valentiæ manet, ad Cœnam Eucharisticam; Herrera respondet, acci disse miraculosam mutationem ex argento in lapidem pretiosum siue post tempora Bedæ, siue anteà, quanquam Beda vocet argenteum calicem ob priorem statum; potest etiam dici ex Gavanto, calicem, de quo Beda loquitur, adhibitum fuisse ad potādum Christum fel, & aceto in cruce, non autem ad vltimam Cœnam. Verba Bedæ sunt, *In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exedra est, in qua calix Domini, scriniolo reconditus, per operculi foramen tangi solet, & osculari: qui argenteus calix hinc, inde duas habens ansulas, sextarij Gallici mensuram capit, in quo illa est spongia Domini potus ministra.* Si vrgeat non nemo, videri incredibile, quòd vas ex argento delatum sit ad locum crucifixionis Christi. Dici adhuc potest, materiam quidem vasis ignobiliorem fuisse, sed ob tenuem bracteam argenteam, qua ad maiorem cultum, & securitatem obtectum extaret tempore Bedæ, appellari argenteum. Sentio minorem difficultatem in hoc modo respondendi, quàm in alijs Herrerę, & Escolani. Quis enim antiquorum enarravit miraculosam illam transformationem? Quo tēpore illa contigit? Vt omittam, conuenire non posse traditioni de calice Valentino, & tabulis supra adnotatis narrationem Bedę de calice Hierosolymitano. Contra Escolanum verò facit, quòd in Cœna postrema vnus tantùm calix sit appositus, vt Gregorius II. Papa rescripsit ad Bonifacium Apostolum Germanorum his verbis, *In Missarum solemnijs obseruandum est, quod Dominus Noster Iesus Christus sanctis suis tribuit discipulis, accepit namque calicem dicens, Hic est calix, &c.* Marci 14. & Lucæ 22. *Vnde congruum non est, duos, vel tres calices in altario ponere, cum Missarum solemnia celebrantur.* Sic Gregorius II. apud Baronium anno 726. num. 46. Et quanuis probabile sit, Christum propinasse Apostolis duas bibitiones, alteram, eamque cōmunem post esum Agni Paschalis, alteram sui sanguinis, tamen in vno, eodemque calice. Nec Paschasius Rathbertus, alijque citati ab Escolano, & à Barrada tomo 4. Lib. 3. Cap. 1. loquuti sunt de duobus calicibus, nisi in primo sensu. Et siue calix Dominicæ Cœnæ fuerit ex lapide pretioso, siue ex argento, non obstant, quæ de paupertate Christi aiebat supra Gabriel Biel, siquidem Christus fecit Pascha in domo aliena, hominisq; divitis, vt monstrat Cœnaculum magnum stratum, de quo Lucas C. 22. & Marcus C. 14. Et quid mirùm, in apparatu ad mensam intra ędem Patris familias non inopis adfuisse calicem argēteum, vel factum ex Chalcedonio? Plinius Lib. 27. Historiæ naturalis C. 7. testatur, factitata vasa potatoria hoc ex lapide.

10 Calicum aliorum argenteorum, & aureorum in Christianorum Sacris tempore primitivæ Ecclesiæ notitia habetur ex Tertulliano C. 7. & 10. de Pudicitia, ex Prudentio in hymno de S. Laurentio, & ex huius Actis, ex S. Augustino L. 3. contra Cresconium Grammaticum, C. 29. & Epist. 165; S. Optato Milevitano L. 1. contra Parmenianum, S. Gregorio Turonensi C. 38. de gloria Martyrum. Legantur Baronius anno Christi 233. num. 2. anno 303. num. 7. & 78. in notisque ad Martyrologium Romanum 7. Augusti, Vvadingus in Epistolam 13. S. Francisci, Vvalterius de triplici Cœna Christi C. 39. Cœnæ 3. Obseruatque Baronius in priori loco, Sacrificium Christianorum non sine diuino quodā consilio illustra-

tum fuisse his fulgoribus, industria præcipuè S. Vrbani Papæ, quo tempore Sacrificia Gentilium avaritia Alexãdri, & Maximini Imperatorum decrescere visa sunt, alter enim ne guttulam quidem, aut bracteolam auri obtulit, & non nisi quatuor, aut quinque libras argenti, vt tradit Lampridius; & alter abstulit è templis quidquid erat pretiosum, vt refert Herodianus Lib. 7.

11 Sed ex præfatis materijs lignea, & vitrea iam dudum prohibitę sunt in Concilijs Rhemensi, atque Triburiensi supra transcriptis; & Honorius III. Papa C. finali de Celebratione Missarum edixit, privandum officio, & beneficio perpetuò quendam Presbyterum, qui vltra alia enormia sacrilegia ibi memorata *in scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit*. Addo vulgatis, notisque textibus authoritates alias minus communes. Leo IV. Papa in Epistola per Provincias ad Episcopos missa, legenda Presbyteris, ait, *Nullus in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat Missam agere*. Innocentius IV. Papa anno 1254. apud Bzovium inquit, *Vnusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solũ, aut saltem stanneo calice sacrificet*. S. Isidorus Hispalensis in Epistola ad Redemptum Archidiaconum scribit, *Quod etiã de vase agitur ligneo, fictili, vel metallino, quo agitur immolatio Sacrificij, quia nullus Euangelistarum expressè ostendit, cuiusmodi fuerit, ad legis videtur recurrendum potiùs authoritatem, quia in ministerio tabernaculi, aut domus Dei nulla vasa sacra vnctionis oleo delibuta leguntur lignea, vel fictilia, sed magis ex metallo erant. Dominus etiam quæque de melioribus sibi offerri præcepit, & tabernaculum testimonij cum maxima diligentia, auri, & argenti mira pulchritudine adornare. De Salomonico templo quid? Re vera idem. Quòd si cæremonialia illa, quæ vmbra erant veritatis futuræ, quibus pecudum carnes immolabantur, vel sanguis, tanto voluit Deus decore perfrui: quãtò magis sanctum altare, sacrumque vas, in quo ipsa veritas Vnigenitus Deus quotidie Deo Patri offertur, quanto honore, reuerentia, gloria, & decore debent studio, & diligentia adornari? Liquidè patet, tam Inæstimabile Sacrificium in vase luteo, vel ligneo, nisi necessitate vrgente, vel cogente inopia, offerre, turpe, ac vile, præsumptuosum esse, ac temerarium, quod potest iusto examine reprobari.* Hactenꝰ S. Isidorus. Concilium Coyãcense anno 1050. tit. 3. statuit, vt Sacerdotes *non sacrificent cum calice ligneo, vel fictili*. Concilium Londinense anno 1175. similiter decernit, vt *non nisi in calice aureo, vel argẽteo; & ne aliquis Episcopus stanneũ calicem amodò benedicat*. Concilium Eboracense anno 1194. imperat, vt *cum calice argenteo, vbi facultas supperit, Sacramentum Eucharistiæ conficiatur*. Pontificale Romanum in Ordine Synodi celebrandę in Exhortatione ad congregatos, *Calix, & patena sint aurei, vel argentei: non ærei, aut orichalcei, vitrei, vel ligner*. Petrus Damiani Opusculo 26 conqueritur, *Quòd nonnulli circa sacri altaris vtensilia tantæ negligentiæ sunt, & tã segnis incuriæ, vt stanneos, vel etiam suppares cuiuscumque metalli calices longo situ scabredinis inhorrescere patienter aspiciant*.

12 In his Canonibus, & authoritatibus vetita etiam est materia æris (Hispanè *Broncę*) orichali (Hispanè *Laton*, *Azofar*) Ita speciatim in Pontificali Romano, & in Concilio Rhemensi. Materia stanni non omnino reprobatur ab hoc Concilio, neque ab Innocentio IV. sed permittitur in casu paupertatis; quanquã Concilium Londinense videatur excludere illam. Materia plumbi reijcitur à Leone IV. & quæ cupri est, non placet Regi Alfonso Sapienti leg. 56. tit. 4. Partita 1. neque item quæ metalli vocati ab Hispanis *Alambre*. Reijcitque S. Thomas materiam lapideam. Et hæc de calicis, & patenæ materia edocuit nos Antiquitas Ecclesiastica.

13 Pius verò V. & Clemens VIII. sæculo proximè elapso, & præsenti hoc in Rubicis Missalis titulo de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. 10. num. 1. inquiunt, esse vnum ex defectibus, qui in ministerio ipso possunt occurrere, *Si non adsit calix cum patena conueniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea, vel vitrea*. Quibus verbis permittitur calix, cuius cuppa sit stannea; nec exigitur, vt, si cuppa sit argentea, vel stannea, deauretur intus. At idem Clemens VIII. titulo antecedenti de ritu seruando §. & num. 1. scripserat, *Deinde Sacerdos præparat calicem, qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus deauratam, & simul cum patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus*.

Non

14 Non est facilè concordare vnam Rubricam cum alia. Nec dici potest, Clementem VIII. in his verbis derogasse illis alijs Pij V. nam & illa alia prodierunt in Missali recognito per Clementem VIII. quare vtraque censenda sunt propria istius Pontificis, & ab eo esse approbata illa, quæ sub vtriusque Pontificis nomine retulimus primo loco. Dicastillus Tract. 5. D. 4. Dub. 9. num. 171. respondet, explicari posse, vt loquatur Clemens in verbis secundo loco exaratis *de eo, quod plerumque iam fit, & de eo, quod fieri procurandum est; non verò de eo, quod est simpliciter necessarium.* Quæ responsio non quietat animum, nam verbum *Debet* tã in puncto calicis, quàm in alio eiusdem tituli, paragraphi, & numeri innuit necessitatem, & non præcisè vsum iam receptum, aut quem recipi deceat.

15 Authores aliqui attendentes solùm ad Clementis VIII. verba postremo loco adducta dicunt, cuppam calicis, & patenam debere non esse stanneas, sed vel aureas, vel argenteas; quãuis posse esse in vsu stanneas, quæ antiquitus sint factæ, concedat Tamburin⁹ Lib. C. & §. 1. num. 2. Alij, sunt que multò plures, aiunt, posse esse stanneas, fierique de novo; attendunt enim ad Canonem *Vt calix*, & ad verba Pij V. Clementisq; VIII. nec requirunt causam paupertatis, vt possint esse stanneę, nam neque hi duo Pontifices, neque S. Thomas eam causam postulant, etsi olim in Can. *Vt calix* fuerit requisita.

16 Addunt que nonnulli, posse esse plumbeas, quia plumbum, quod dicitur stannum nigrum, est eiusdem rationis cum stanno, quod dicitur plũbum candidum. Ita Astensis L. 4. Summę cum antiquiori alio non benè intellecto, vt notat Sylvester V. *Calix*, num. 1. Ita etiam Sà V. *Missa* num. 8. dicens, *Calicem, & patenam oportet saltem ex stanno esse, aut plumbo.* Videturque cum Sà transire Amicus D. 33. sect. 12. num. 357. Et Iacobus de Graffijs parte 2. Decisionum aurearum Lib. 2. C. 15. n. 28. inquit, ✻ Non licet consecrare calicem, nisi sit de auro, argento, vel de de plumbo. ✻ Sed probandi non sunt, tum quia plumbum nõ est eiusdem omnino rationis cum stanno: tum quia plumbum, etsi non contrahit æruginẽ, vt observat noster Bernardus Cęsius L. 5. de Mineralibus C. 2. S. & quæst. 7. secus a lasfordes, &, vt ait Rex Alfonsus Sapiens supra, est in se nigrum, tingitur semper, abluique benè non potest: tum quia Leo IV. Papa supra vetat calices plumbeos.

17 Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 4. num. 90. inquit, consuetudinẽ esse omnino contrariam Theologis asserentibus, cuppam calicis non posse esse ex alia materia, quàm auri, vel argenti, vel stanni, ✻ Sunt enim in Ecclesijs ad communem vsum Sacrificij plerique calices ex ære tori, seu cupro inaurato, Italicè *Rame*, Hispanicè *Cobre*; & hìc Romæ sunt innumeri, & plures patenæ; ex stanno autem nullus reperitur. Quàm præxim, nescio, quomodò nostri Recentiores non adverterint, qui quotidie in his vasis sacrificabãt. ✻ Sic Cardinalis Eminentissimus; cum quo, & cum Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 21. num. 10. censent Leander Tract. 8. D. 7. quæst. 26. Aversa quæst. 11. S. 13. V. *Secundò*, licitè posse nunc fieri cuppam calicis ex ære, aut ex cupro, si ea inauretur quoad interiorem partem; idemque est de patena, si inauretur quod partem superiorem, nam per inaurationem impeditur ærugo, & hac impedita cessat periculum nauseæ in bibentibus.

18 Verùmtamen materia ęris excluditur & à Concilio Rhemensi, & à Pontificibus Pio, atque Clemente; materia cupri à Rege Alfonso Sapiente à Sylvestro suprà, & alijs, inter quos Thomas Tamburinus ait, debere non fieri de novo cuppam calicis ex cupro, tametsi possit esse in vsu, quæ antiquitus sit facta. Advertitque Sylvester, eo ipso, quòd Canones, & Pontifices iubent, vt calix fiat ex auro, vel argento, vel stanno, prohibere cõsequenter omnem aliam materiam metallicam, & proinde eam, quę est æris, aliorumque metallorũ pertinentium ad æris genus, vti pertinet cuprum. Et quidem omne aliud metallum rarò assumitur ad fundenda vasa, in quibus bibatur.

19 Quòd si ad inaurationem recurritur, quia per illam impeditur ærugo, & periculum nauseę, atque vomitus, licebit etiam conficere calices ex orichalco, ex ferro, siquidem & in his metallis per inaurationem remoueatur rubigo. Illud de inadvertentia

Recen-

Recentiorum nõn debuit eſſe mirum Cardinali de Lugo, nã inauratio æreę, aut cupreæ cuppæ obſtat, quominus facilè diſcernatur viſu materia ærea, aut cuprea, & qui in inferiori parte pedis calicis videt materiam eſſe æream, aut cupream, ſimulque videt cuppam inauratam, diverſique coloris, facilè illudetur putans, cuppam eſſe auream, aut argenteam, diverſæque materiæ, niſi metallarius ſit, aut cuppam examinet ad cotem.

20 Mihi exploratum non eſt, an conſuetudo in conficiendis calicibus ex ære, aut cupro prævaluerit contra Canones, & Rubricas? Si non vicit, erit vt minus peccatum veniale, vti calicibus, quorum cuppa ſit ærea, aut cuprea, etiam inaurata, niſi neceſsitas, cauſave rationabilis excuſet. Idem cum Concilio Rhemenſi, etſi non cum tam vrgenti ratione, dico de patena; quam confici ſolere ex orichalco, teſtatur Filliuci Tract. 5. Cap. 4. quæſt. 11. num. 130. Sed orichalcum excluditur expreſsè in Concilio Rhemenſi.

21 Pes calicis fieri poteſt ex quocumque metallo decenti, vt permittitur in Rubrica Clementis VIII. dummodò cuppa ſit aurea, vel argentea, vel etiam ſtannea iuxta plures. Dices, in Can. *Vt calix*, legi apud Gratianum, *Si non ex auro, omnino ex argento fiat*; apud Burchardum, *Si non ex auro omnimodis, ex argento fiat*; apud Ivonem, *Si non de auro, omnino tamen ex argento fiat*; apud S. Thomam, *Siue ex auro omnino, ſiue ex argento fiat*: quibus verbis ſatis ſignificatur, debere totum calicem eſſe aureum, vel argenteum. Reſpondeo, adverbium *Omnino*, *Omnimodis* aſſumi ibi non ad omnem, totamque materiã calicis denorandã, ſed vt prorſus, planèque abſque excuſatione fieret calix ex auro, vel argento. Si hoc non placeat, dicam, mitigatum eſſe rigorem Canonis.

22 Quando cuppa non ſit aurea, ſed argentea, debet inaurari intus iuxta Rubricam Clementis VIII. præſcribentem id etiam circa ſuperiorem partem patenæ argenteæ ob eam certè cauſam, quòd in auro diſcernentur meliùs fragmenta, & guttulæ ſpecierum conſecratarum. Sed hanc obligationẽ non eſſe gravem, cenſuit Granados, & ex ipſo Cardinalis de Lugo ſupra; & cũ & cum hic addit, eſſe in vſu, vt non inaurentur, quando ſunt ex argento, indicare videtur, vt & Arriaga Diſp. 55. ſect. 3. num. 11. clarèque Tamburinus ſupra n. 4. neque tunc dari obligationem ſub peccato veniali; & Rubricæ præcipienti derogatum eſſe per contrariam conſuetudinem: quæ certè eſt valde communis; meminiq; non multis abhinc annis ordinatum eſſe a Noſtræ Societatis Provinciali in hac Caſtellæ Provincia, vt ad Rubricæ normã omnino corrigeretur. Authores, qui exiſtimant, licere cuppam, & patenam ſtanneam inauratam, dicent à fortiori, licere argenteam nudam.

23 Aſt tam quæ ſtannea ſit, quàm quæ ærea, aut cuprea, debebit eſſe inaurata, vel contecta argento, idque ſub obligatione gravi, vt docent Franciſcus de Lugo L. 5. C. 7. quæſt. 1. num. 5. & Leander Tract. 8. Diſp. 7. quæſt. 28. ſignificareq; videntur apud Franciſcum de Lugo Granadus, Cardinalis de Lugo, & Averſa: qui indicat, quodcumque metallum ſufficere ad calicem, dummodò cuppæ interior pars auro, vel argento ſit illita, idque ſolùm ſuaderi ex ratione Concilij Rhemenſis. Sed verba Concilij illius aliud denotant; & ratio de nauſea non fuit vnicè motiva, neque allata, niſi ad excludendum æs, & orichalcum.

24 Henriquez Lib. 9. C. 28. §. 2. ait, lapideam materiam fore aptiorẽ ad calicem, attenta ſepulchri Dominici repræſentatione, quam præſefert calix, niſi eſſet periculum, vt frangeretur, aut vt imbiberet ſacras vini ſpecies. Conſentit Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Eccleſiæ C. 21. num. 13. addirque Tamburinus Lib. C. & §. 1. n. 3. poſſe nunc confici calicem ex gẽma, quæ ſit æquè pretioſa, ac aurum, vel argentum, ſi deſit vtrumque illud periculum, ob quod S. Thomas non approbavit lapideam materiam ad calicẽ, nam, ſi abſit, conceditur implicitè in Canonibus, & Rubricis licentia ad materiam æquè pretioſam, ac eſt aurea, vel argentea, quæ explicitè iubetur. Sed contra, quia ſi ex conceſſa vna materia arguitur ad alteram æquè pretioſam, vel pretioſiorem, quidni liceret, vti Corporalibus ſericis? Quidni calice eburneo, vel facto ex electro, ſeu ſuccino duriſsimo, qui ſtanneo permit-

so pretiosior absdubio foret? Non igitur benè argumentatur Tamburinus; proindeque oportet sistere in materijs, quas designarunt Canones.

25 Et cum materia communis, consuetaque calicum sit argentum, si quis leget Ecclesiæ calicem, quin exprimat materiam, sentiunt Henriquez supra, Fagundez supra num. 13. Amicus D. 33. sect. 12. num. 357. Caspensis Tract. 23. Disp. 3. sect. 5. num. 82. citatis Bartholo, Abbate, Romano, itē Didacus Covarruvias in C. *Indicante* de Testament. num. 5. & 6. & Moronus latissimè cum alijs in Responso 69. ex 100. Moralibus à num. 23. vsque ad 45 intelligendum esse argenteum non solùm quoad cuppam, sed etiam quoad pedem, ex leg. *Titia testamento* 38. §. *Seia* 2. ff. *de Auro, & argento legato*, iuxta quam legem, eiusque lectionem germanā determinatio facienda est penes magis consuetum, qualis est calix totº argenteus (nam aureus totus, vel quoad solam etiam cuppam rarus est, & extraordinarius) non verò quoad minus, qualis est calix habens tantùm cuppam argenteam. Nihilominus ex iudicio P. Thomæ Sanchez Lib. 4. Summæ C. 13 n. 8. plurimique apud ipsum, & post ipsum sufficeret determinatio penes calicem postremæ conditionis iuxta legē illam *Titia de testamento*, communioremque eius lectionem, iuxtaque C. *Ex parte* 18. de Censibus, & quia in obscuris semper quod minimū est sequendum, de Regulis Iuris in 6. semel, & iterum; præsumique debet de testatore, velle gravare hęredem, quanto minus fieri potest, *leg. Vnum ex familia* 67. §. *Item* 8. ff. *de Legatis* 2. tandemque quia legata vt quod minimum sunt interpretanda, *leg. eadem, leg. Nummis* 75. ff. *de Legatis* 3. *Leg. apud Iulianum* 39. §. *Scio* 6. ff. *de Legatis* 1. Longi negotij esset, dirimere quæstionem hanc. Probabilis est vna, & altera opinio. Sed si secunda magis arrideat, non inde inferatur, satisfieri, si detur Ecclesiæ calix totus cupreus, aut stanneus, maximè vbi tales calices sunt insoliti, aut si in vsu sint, sed cogente paupertate. Certè legata sunt iuxta vsum loci intelligenda, vt constat ex *leg. Nummis* præcitata.

26 Hactenus circa calicis, & patēnæ materiam, de qua inquirere iubentur Magistri, & Decani in Capitulis Hincmari art. 8. Et qua diligentia custodiantur. Interrogatusque de eadem materia S. Bonifacius Martyr, & Episcopus, *Si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere? respondit, quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Ita refertur à Concilio Triburiensi in C. *Vasa* toties repetito, & ab Vvalafrido Strabone C. 24. de Eccles. rebus. Sed Ioannes Trithemius in Chronicis Monasterij Hirsaugiensis anno 837. alludens ad idem dictum reddit illud sic, *Cum calices olim essent cuprei, Sacerdotes aurei fuerunt: hodie autem calices sunt aurei, & cuprei Sacerdotes.* Faxit Deus, vt nunc temporis omnes Sacerdotes simus aurei! Noster Bernardus Cæsius L. 1. de Mineralibus C. & S. 2. pag. 11. relato apophthegmate S. Bonifacij exclamat graviter, ✲ O tempora! O mores! O deplorandam metamorphosin! Dic, quæso, ò aurum, libera tibi data optione, vtrum malles ex illis duobus? Quid taces, Rex inclyte metallorum? Iurè palles, & hæres, meritòque neutrum eligens, optas quiddam tertium, aureos nempe calices, aureosque Sacerdotes. ✲

27 Figuræ calicis, & patenæ debent esse accommodatæ ministerio vtriusque, & conformes consuetudini præsenti Ecclesiæ. In figura calicis potior cura habenda est circa cuppam, vtpote contenturam sanguinem Dominicum. Figura patenæ solet esse orbicularis. Magnitudo vnius, & alterius debet etiam esse proportionata muneri suo, & vsui recepto in Ecclesia. Olim fuerunt calices maiores, in quibus cōsecrabatur sanguis, & minores, atque ministeriales, in quos transfundebatur ille, vt ministraretur populo. Antiquitus etiam patenę fuerunt valde magnę. Sed de ijs legantur Suarez Disput. 81. sect. 7. V. *Dico secundò*, & V. *Tertiò obiter*, Durantus Libro 1. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Cap. 7. Cap. 11. & L. 2. C. 50. vbi etiam agit de etymologia patenæ, vt & S. Isidorus L. 20. Originum C. 4. Innocentius III. Libro 2. de sacro altaris Mysterio C. 58. Libro 6. C. 1. Vvalafridus Strabo C. 24. Amalarius L. 3. C. 27. Panvinio in Interpretatione vocum Ecclesiasticarum, Scortia L. 4. C. 1. n. 8, C. 23. n. vnico, Bullengerus C. 2. de Donarijs Pontificum.

SECTIO

SECTIO II.

De Pyxide ſacra. Vbi de nonnullis ſpectantibus ad Eucharistiæ cultum in ea contentæ.

28 PYxidis materia non eſt determinata in Iure. Rituale Romanum agens de ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento inquit, *Curare porrò debet Parochus, vt perpetuò aliquot particulæ conſecratæ eo numero, quo vſui infirmorum, & aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſsit, conſeruentur in pyxide ex ſolida, decentique materia, eaque munda, & ſuo operculo benè clauſa, albo velo cooperta, & quantùm res ferret, ornato in tabernaculo claue obſerato.* Concilium Eboracenſe celebratum anno 1194. ait, *Prouideatur etiam, vt in pyxide munda, & honeſta hoſtia reſeruetur, ſinguliſque diebus Dominicis renouetur.* His Decretis conformis eſt regula Præfecti Eccleſiæ Societatis, in cuius num. 16. dicitur, *Det operam, vt ſanctiſsimum Domini noſtri corpus decenter in cuſtodia conſeruetur, diligenter cauens, ne vnquam in ea Sacramentum deſit, habita cõmunicantium ratione; & vt ſaltem decimo quinto quoque die innouetur, & Sacris abſolutis in tabernaculo clauiꝰ obſeretur.* Sic ibi.

29 Decens, munda, ſolidaque materia pyxidis videtur fore ea, quæ calicis, & patenæ. Notatque Dicaſtillus Tract. 5. D. 4. dub. 9. num. 197. ✻ Si vaſculum intus inſertum aureum ſit, vel argenteum, etiamſi externa pyxis cum ſuo pede, & columna ex ære deaurato ſit, vel orichalco pulchrè, & decẽter elaborato, non videtur materia indecens, maximè ſi vſus Romæ habet, vt in cupro inaurato ſacrificetur. ✻

30 Conuenit maximè, vt interior pars cuppæ pyxidis ſit inaurata, hoc enim valde refert, vt diſcernantur particulæ minutiſsimæ, quando purificetur pyxis: quam totam inaurari iubet Concilium Aquileienſe anno 1596 titulo de Eccleſijs. Sed non eſt neceſſarium.

31 Materiam ligneam (vſitatam aliquando, vt noſcere eſt ex Actis SS. Martyrum Indæ, & Domnæ in Suri ad diem 26. Ianuarij, & ex Rupertо in L. de incendio Tuitienſis oppidi C. 4. & 5.) iudico indecentem nunc, etiamſi capſulæ inſeratur vaſculum lineum, vt vidi in nonnullis Galliciæ Eccleſijs, cũ in Miſsionibus verſarer anno 1640. per pagos Archiepiſcopatus Compoſtellani ad inſtantiam Eminentiſsimi, Illuſtriſsimique Archiepiſcopi Cardinalis de Spinola, Prælati quidem non immeriti, qui cum priſcis illis Eccleſiæ conferatur. Sed admonitus de ligneis capſulis remiſit piiſsima liberalitate permultas argenteas diſtribuendas, vbi opus fuiſſet. Thomas Zerola in Praxi Epiſcopali V. *Euchariſtia*, num. 1. notat, poſſe eas eſſe. ✻ Argenteas, vel eburneas: non ligneas, propter periculum vermium; non vitreas, ob fractionem; non lapideas, ob humiditatem, & ponderoſitatem. ✻ Sic Zerola. Eburneas fuiſſe communes æuo Richardi de S. Laurentio, & ætate Odonis Epiſcopi Pariſienſis, colligitur ex prioris L. 10. de laudibus Virginis tit. *Maria Eburnea*, columna 552. & ex poſterioris ſtatutis Synodalibus in C. de Sacram. Poſſe nunc vſitari ex ſolida, & pretioſa materia gemmeas, affirmat Tamburinus Lib. & C. 1. §. 6. num. 3. nam non imminet periculum, quod in calicibus, vt imbibatur in eis ſanguis Dominicus.

32 Quæ de pyxide dixi, accõmodanda etiam ſunt ad oſtenſorium, in quo Chriſti corpus proponi ſolet populo adorandum publicè; & ſaltem circulus ille, in quo includitur hoſtia conſecrata, curandum eſt, vt ſit aureus, vel argenteus inauratus, quãquam reliqua oſtenſorij ſint ex ære, aut orichalco, vt ſolent in Hiſpania eſſe. Concilium Mediolan. 4. parte 2. Conſtitutionum tit. de pertinentibus ad ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum habet, quæ ſequuntur, *Tabernaculum, quod agendis Proceſsionibus, vel exponendæ ſacræ hoſtiæ vſui eſt, pellucido vitro, vel cryſtallo vndique circumdatum ſit; lunulamque forma in inſtructionibus ſupellectilis Eccleſiaſticæ præſcripta huiuſmodi habeat, vt aperiri commodè poſsit, & fragmenta colligi, ſi quæ ibi fortè relicta ſunt. Ipſa autem lunula ſaltem cum ſuppoſito parvulo ſcuto ex argento conſtet.*

33 Figura pyxidis, & oſtenſorij nuſquam decreta reperitur. Hierothecam ſacram habuiſſe alicubi figu-

ram

ram turris, ostendit Rosvveydus notis in S. Paulinum ad pag. 147. linea 16. Baronius tomo 7. anno Christi 570. ex Fortunato Lib. 3. Carm. 25. S. Gregorio Turonensi Lib. 1. de Gloria Martyrum C. 86. quibus addo Flodoardum Lib. 1. Historiæ Ecclesiæ Rhemensis C. 18. in testamento S. Remigij, Lib. etiam 2. C. 3. & 6. Alicubi fuisse instar columbæ aureæ, aut argenteæ, tradunt ijdem, primus ad pag. 140. lin. 10. notaque 34. ad vitam S. Basilij inter alias vitas Patrum: & secundus anno Christi 57. ex Epistola Clericorum, & Monachorum Antiochiæ relata in 5. & 7. Synodo Action. 1. & 5. Tradit etiã Ioãnes Stephanus Durantus Lib. 1. de Ritibus Eccles. C. 16. num. 5. exornantque latè Alfons. de Ribera in Historia sacra de sanctissimo Sacramento Tractatu, & §. 2. ex num. 1. Aloysius Novarinus in Agno Eucharistico Cap. 55. Claudius Espencæus Lib. 2. de Eucharistiæ adoratione C. 5. Sausayus part. 1 Panopliæ Sacerdotalis Lib. 9. C. 4. Bulengerus L. 2. de Pontificũ donarijs C. 3. Prętereà S. Basilius, vt C. 6. eius vitæ narrat Amphilochius, sacram Eucharistiam asservabat intra auream columbam, non secus ac nunc feria 5. in Cœnâ Domini videmus recondi nonnullis in templis intra pectus pellicani efformati ex pretiosa materia, vel saltem pellicanus imponitur tabernáculo, vbi custoditur Eucharistia. S. Paulinus in templo, quod Nolę erexit, dextrum absidis locum designavit pyxidi Eucharistiæ, & sinistrum sacris codicibus divinæ Scripturæ, iussitque dextro latęri inscribi hos versus,

Hic locus est, veneranda penus qua cõditur; & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.

& sinistro hos,

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hìc poterit residens sacris intendere libris.

Ita refert ipse S. Paulinus in Epistola 12. ad Severum.

34 De custodia pyxidis, obseratione que tabernaculi, in quo claditur, extant celebres Canones *Sanè* 10. de Celebratione Missarum, & *Statuimus* 1. de Custodia Eucharistię; consonatque Concilium Turonense Cap. 4. apud Burchardum Lib. 5. Cap. 9. dicens, *Pyxis semper sit super altare obserata; & de septimo in septimum die semper mutetur: ne forte diutiùs reseruata mucida fiat; quod absit.* S. Petrus decrevit anathematis pœnam in eum, qui Eucharistiam negligenter custodijsset, vt videre est in Turriano, Libro quarto pro Epistolis Pontificijs Capite decimo nono. S. Franciscus Assisias in Epist. 13. ait, *Vbicumque fuerit sanctissimum corpus Domini Nostri Iesu Christi illicitè collocatum, & relictum, remoueatur de loco illo, & in loco pretioso ponatur, & consignetur.* Rursus in suo Testamento, *Hæc sanctissima Mysteria volo super omnia honorari, & venerari, & in locis pretiosis collocari.*

35 De renouatione Eucharistiæ contentæ in pyxide monetur Parochus in Rituali Romano his verbis, *Sanctissimæ Eucharistiæ particulas frequenter renouabit. Hostiæ verò, seu particulæ consecrandæ sint recentes, & vbi eas consecraverit, veteres primò distribuat, vel sumat.* Quę renouatio eò dirigitur, *ne qua putredo in Sacrario inueniatur, ne quum negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis irroget iniuria*, vt ait S. Clemens Papa in Epistola 2. ad Iacobum, seu potiùs ad Simeonem fratrem Domini, indeq; hortatur Presbyterum, Diaconum, & Hypodiaconum, *vt cum timore, & tremore reliquias fragmentorum corporis Dominici custodiant.*

36 De lumine ante tabernaculum, in quo manet pyxis, vocata *arca illustrationis Dei* ab Hesychio apud Bullengelum de donarijs Pontificum C. 18. loquitur sic Rituale Romanum suprà, *Lampades coram eo plures, vel saltem vna, die, nocteque perpetuò colluceat.* Vnde benè in Regulis Æditui Societatis numer. 13. iniunctum ei est, *Det operam, vt nullo modo lumen desit ante sanctissimum Sacramentum, neque interdiu, neque noctu.* Præceptum Ritualis Romani obligat grauiter, ne diu desit lumen ante tabernaculum, nisi paupertas Ecclesię excusset. Vbi non possum non meminisse lucernæ, quæ perpetuò ardebat ante stolam Pontificiam Hierosolymis in turri Antoniâ, vt narrat Iosephus, Antiquitatum Iudaicarum Lib. 18. C. 6. Non ergo novum, nec mirum, si ante ipsum Christum, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, occultatũ sub speciebus

ciebus Sacramentalibus debeat perpetim accensum lumen micare. Gentiles oleum ad lumen in templis ponebant, vt constat ex *L. Si sponsus 5. §. Proinde 12. ff. de Donationibus inter virum, & vxorem.* Id quod ne à Christianis fieret in Sacris Gentilium, vel Synagogis Iudæorum prohibet Canon 70. Apostolorum; & 3. & 71. nos edocēt, quàm laudabiliter fieri consueseeret in Ecclesijs Christianorum; consonatque Canoni 71 Concilij Aquisgranense anno 836. Lib. 1. C. 29. Hinc in C. *Nemo Ecclesiam* 4. de Consecratione Dist. 1. Nouella *Vt nullus* 67. C. *Deinde* 2. In Concilio Turonensi anno 813. C. 46. decernitur, vt Ecclesia non ædificetur, nisi dote designata ad luminaria; & in Capite *Placuit* 10. quæst. 3. ex Cōcilio Bracarensi 2. Can. 2. prementis vestigia Bracarensis 1. Can. 7. statuitur quota pars facultatum Ecclesię reseruanda sit ad luminaria. Sed quia non possumus probare, habitam esse specialem rationem Eucharistiæ seruatæ in templis, retrahimus calamum, ne excurrat in alia antiquitatis monumenta, quorum plura accumulat egregiè Sherlogus Vestigatione 131. in Cantica ex n. 23. vsque ad 27.

37 De lumine præcessuro Sacerdotem, quando ad egrotos defert in pyxide Eucharistiam, constat ex præcepto Honorij III. grauiter obligante in C. citato, *Sanè*. Ibi: *Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, vt, cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet; idem faciens, cum eam defert Presbyter ad infirmum. Quā in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat manifestè, ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia, & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides, & deuotio augeatur. Prælati autem huiusmodi mādati grauiter punire non differant transgressores, si & ipsi diuinam, & nostram volunt effugere vltionem.* Colludunt Rituale Romanum, & Statuta Synodalia Ecclesiæ Rhemensis per Dominum Sonnacium num. 10. in editione Biniana Cōciliorum parte 2. tomi 3. pag. 678. necnon Constitutiones Odonis Episcopi Parisiensis C. de Sacramento altaris num. 6 in eadem editione, & p. pag. 656. Alfonsus Sapiens l. 61. & 62. tit. 4. Partita 1.

38 Est one valdè notandum, quòd Rex ille non minus pius, religiosusque, quàm sapiens; cum vltra statuta in Can. *Sanè* imperat, vt obvians Eucharistiæ delatæ ad infirmum comitetur eam, habere hęc verba, quæ grauitatem, maiestatemque ingentem legi conciliant, & quibus similia non inuenio in Partitis, *Edemas desto Nos Don Alfonso Rey por honra del cuerpo de Nuestro Señor Iesu Christo mandamos, que los Christianos, q̄ se encontraren con el, que vayan con el, a lo menos fasta en cabo de la calle do se fallaren: è eso mismo deben facer los otros, que estuvieren en la calle, fasta que llegue el Clerigo a la casa, do es aquel, a quien van a comulgar. Si algunos vinieren caualgando, deben descender de las bestias. Si tal lugar fuere, en q̄ no lo puedan facer, deben se tirar de la carrera, por que pueda el Clerigo pasar por la calle sin embargo ninguno. Casi los homes, que se topasen con el Rey temporal, que fuese por algū lugar a pie, descenderian a el, por facerle honra, quanto mas lo deben facer a Nuestro Señor Iesuchristo, que es Rey sobre todos los Reyes, è Señor de los Cielos, è de la tierra.* Huc vsque ille, qui, nisi in Prologo, nusquam aliàs profert nomen suum, & soli huic legi illud præponit, tum vt manifestet deuotionem suam erga tantum Sacramentum, tum vt quidquid in se est potestatis Regalis quasi vibret, nervosque omnes, & vires intendat in iubendo cultu erga illud. Sed quanvis videretur imperari non posse quid vltra in hac re, adhuc Rex Ioannes I. addidit, vt genuflexionis in via publica coram Eucharistia ad ægrotos portata non prætenderetur excusatio ratione sive luti, sive pulueris, siue cuiuslibet alterius rei, & vt Infantes, Principes, Regesq; ipsi Hispani immunes non essent ab obligatione associandi corporis Domici; si fortè eis obvium se daret. Ita in l. 2. tit. & L. 1. nouæ Recopilationis, vt vocant. Hinc altissimo Dei consilio factū puto, vt Hispanum Regnum, cuius Reges antiquitam reuerentes fuerunt erga istud Sacramentum, nonnisi in Austriacos deuenerit, quorum obseruantia erga idem Mysterium satis est decantata in augustissimæ gentis capite Rodulpho I. Imperatore, alijsque successoribus.

39 Præcedit etiam lumen, cū ante Summos Pontifices extra Romam iter longum peragentes defertur Eucharistia

chariſtia incluſa in capſula; quem Romanæ Eccleſiæ ritum innuit Anaſtaſius Bibliothecarius in Stephano 3. dum inquit, *Chriſto præuio,* ſuſcepiſſe viam in Gallias ad Regem Pipinum. Ita coniectantur Baroni⁹ anno Chriſti 753. n. 9. Cerda in Adverſarijs Cap. 184. n. 1. & alij. Idque pluribus exemplis confirmat Franciſcus Longus in Breviario Chronologico Pontificum, & Conciliorum, anno Domini 1592. Luiſius de Babia in Hiſtoria Pontificali parte 4. Capite 80. reſtaturque primus legi de Pio II. *His arcula iungebatur aurea, equo albo vecta, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Euchariſtia, id eſt, hoſtia Saluatoris ſacrata, & ſericum deſuper vmbraculum.*

40 Præit itidem lumen, cum in ſupplicationibus ſolemniter circumgeſtatur Euchariſtia patens, præcipuè in Proceſsione feſti diei Corporis Xpi, de qua etſi Vrbanus IV. inſtitutor eius feſtiuitatis, non faciat expreſſam mentionem in Conſtitutione incipiente *Tranſiturus,* neque Clemens V. qui eam proſequutus eſt, in Clementina vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorū; tamē Iacob⁹ Philipp⁹ Bergomas in Supplemento Supplementi Chronicarum Lib. 13. anno 1262. ſcribit, Vrbanum IV. *Inſtituiſſe ſolemnitatem Corporis Chriſti cum Proceſsionibus, & Octauis à cunctis fidelibus celebrari; pro quibus & maximas conceſsit Indulgentias;* & Martin⁹ V. anno 1429. in Bulla, cuius initium, *Ineffabile Sacramentum,* loquitur de Proceſsione illa. extatque eius veſtigium, & adumbratio in Concilio 3. Bracarenſi, anno 675. C. 6. vbi agitur de progreſſu Epiſcoporum ad Eccleſiam in ſolemnitatibus Martyrum, comitante Clero, & populo; portabatque Epiſcopus collo ſuo pendentes reliquias, non quidem Martyrū, ſed ſpecierum conſecratarū, vocantur enim ibi *Sanctæ Dei reliquiæ,* & *arca Dei* capſula, in qua ferebātur incluſæ.

41 Quanuis verò Rituale Romanum ſupra, continuans ſermonē de pyxidis cum Euchariſtia delatione ad infirmos, notet, *Quòd ſi longius, aut difficilius iter obeundū ſit, & fortaſſe etiā equitandum, neceſſe erit, vas, in quo Sacramentū defertur, burſa decenter ornata, & ad collum appenſa aptè includere, & ita ad pectus alligare, atque obſtringere, vt neque decidere, neque ex pyxide excuti Sacramentum queat,* quanuis, inquam, Rituale notet id, attamen nō declarat, num in hoc caſu lumen præire debeat, neque an Sacerdos proceſſurus ſit ſuperpelliceo, & ſtola indutus? Poſſe vinus Cap. 5. de Officio Curati C. 39. affirmat, eſſe in hoc etiam caſu neceſſariū, nec vnquam licere ferre aliter viaticum, etſi aliæ ſolemnitates poſsint omitti, vrgēte neceſsitate, ne infirmus obeat ſine viatico.

42 Nihilominus ſi periculū mortis ſit in mora expectandi, aut habendi lumē, quod præcedat, & ſuperpelliceū, ac ſtolam, qua induatur Sacerdos, cenſeo, fas huic fore, portare occultè viaticū ſine vlla ſolemnitate, quia præceptum latū in C. *Sanè* non obligat cum tāto moribundi detrimento, neque eius præcepti non adimpletio cedit in irreuerentiam Sacramenti, ſi hoc occultè feratur in extrema neceſsitate. Favet Concilium Eboracenſe anno 1194. dicens, *Quoties communio exhibenda eſt infirmis, Sacerdos in propria perſona hoſtiam in habitu Clericali, tanto Sacramento conueniēti, deferat, lumine præcedente, niſi aeris intēperies, vel viarum difficultas, vel alia ratio præpediat.* Hinc tamen non inferas, fore, vt etiam poſsit celebrari Miſſa ſine lumine, & veſtib⁹ ſacris ad viaticū ęgrotō dandum. Non, inquam, inferas, cum manifeſtum ſit, plura requiri ad decentem, & religioſam confectionem Sacramenti, quàm vt iam confectum adminiſtretur ſine irreuerentia culpabili.

43 Si Sacerdos pedes, aut eques perrectur⁹ ſit ad locum valde diſtantē, non videtur decens, vt ſuperpelliceo, & ſtola veſtitus incedat, aut equitet, neque item, vt luminis ſigno oſtendat, deportari à ſe viaticum abſque ſolemnitate, & comitatu. Cōgruentius erit, ni fallor, occultè omnino ferre, comitante vno, aut altero Miniſtro; poſteàque in domo moribundi aſſumere ſuperpelliceum, & ſtolam, præſtareque cætera, quæ ad ſuum munus ſpectant; poteritque redire ſine Sacramēto, quia nimirūm ęgroto dederit quidquid ſpecierum conſecratarum detulit. Si autē cum ſuperpelliceo, & ſtola peragat iter, curet, vt à Miniſtro præeunte portetur lumen incluſum laterna.

44 Sed cur tanta cura prævij ad Euchariſtiam luminis? Reſpondeo, tum vt etiam extra Sacrarium

nō deſit ſignum honoris, & cultus erga Illam, vbiviſq; proſpiciatur maieſtati, & religioſæ pompæ ſummi Sacramenti: tum vt ſicut olim Regibus, & Imperatoribus prodeuntibus è ſuo Palatio, vel ingredientibus Vrbes præferebatur ignis, ita & Chriſto Regi Regum, Dominoque Dominantium. Veterem illum morem illuſtrant Martinus de Roa Libro 2. Singularium Cap. 16. Gaſpar Sanchez in Cap. 3. Iudith, num. 5. Petrus Faber in Agoniſtico Libro 2. Cap. 10. Bullengerus de Imperatore Romano Libro 2. Cap. 16. Iuſtus Lipſius, & Ludovicus Dorleans ad Librum 1. Annalium C. Cornelij Taciti circa verba *Cætera aulæ* pagina 32. De campanulæ ſonitu ante Sacramentum in pyxide delatum ad ægrotos dixi in Diſputatione 14. numero 26. Et hæc fas fuerit per benevolum Lectorem adnotaſſe occaſione ciborij ſacri: de quo conſulat Bullengerum Cap. 18. de Donarijs Pontificum, & Cap. 27. de Templis, ſi velit noſcere, quàm pretioſa ciboria olim habuerit Eccleſia.

SECTIO III.
De benedictione Pyxidis ſacræ.

45 CVM de pyxide immediatè dixerim, pergo ad cætera, quę ad ipſam ſpectant, & proinde agam priùs de eius benedictione, quàm de conſecratione calicis, & patenæ. Igitur Miſſale, Rituale, Pontificale, Ordoque Romanus ponunt ſpecialem benedictionem pyxidis, vt poſſit ab eo fieri, qui habeat facultatem exhibendi benedictionem ſimplicem (id eſt, quę fit ſine vnctione chriſmatis) veſtibus Sacerdotalibus, linteis altaris, & ipſi pyxidi. Hac facultate gaudent Epiſcopi. Sed an eam delegare valeant ſimplici Sacerdoti? an item ea potiantur ex conceſsione Summi Pontificis Regulares Prælati? tractabitur in Diſput. 27. Cæterùm non ex eo, quòd ſpecialis benedictio aſsignetur pro pyxide, infertur inevitabiliter obligatio, aut neceſsitas benedictionis illius, ſed cōuenientia tantùm, & decentia, quandoquidem ibidem aſsignentur pro vaſis reliquiarum, pro campanis, alijſque rebus benedictiones, quas nemo ait, eſſe neceſsarias.

46 Miſſale tam ex editione Pij V. quàm ex recognitione Clementis VIII. titulo de ritu ſervando §. 2. num. 3. ait, *Si Sacerdos eſt conſecraturus plures hoſtias pro communione faciendâ, quæ ob quantitatem ſuper patenam manere non poſsint, locat eas ſuper Corporale ante calicem, aut in aliquo calice, vel vaſe mundo conſecrato ponit eas retrò poſt calicem, & alia patena, ſeu palla cooperit.* Verba hæc nota fuerunt Patri Suarez, vt liquet ex Diſputatione 81. ſect. 7. V. *Tertiò obiter*, vbi inquit, ✻ Addo verò, in Regulis Miſſalis de ingreſſu Sacerdotis ad altare expreſsè dici, formulas conſecrari debere in patena, vel ſuper Corporale, vel in calice, vel in alio vaſe mundo conſecrato collocari ✻ Vnde Dicaſtillus Tractatu 5. Diſput. 4 Dub. 9. numero 193. non benè ſcripſit contra Suarium docentem, haud neceſsariam eſſe benedictionem pyxidis, ✻ Nec me movet authoritas Sori, Suarij, & Vazquij, & ſimilium paulò antiquiorum, nam quo tempore ſcripſerunt, nondum prodiverat Miſſale reformatum, ac proinde facilè ita potuerunt ſentire. De Bonacina verò, Coninchо, & alijs poſterioribus non admodùm curo, nam hi ſequuti priores, nullo novo facto examine, ſatis tutam ſententiam amplecti putarunt, cùm tamen quo tempore ſcripſerunt priores, tuta fortaſsè eſſet in praxi, nondum edito Miſſali reformato. ✻ Sic ille. Sed certè Suarez, ac Vazquez ſcripſerunt poſt editionem Miſſalis à Pio V: in qua cōtinetur Rubrica illa eiſdem verbis, ac in recognito Miſſali à Clemente VIII. & Pater Suarez, non obſtante Rubrica illa, quam novit, & expendit, affirmat, non ſatis conſtare de præcepto benedicendi pyxidem.

47 Proſequitur Dicaſtillus dicens, ✻ Ideò melius, & cautiùs loquuti ſunt Reginaldus Libro 29. Cap. 9. numero 201. Rodriguez Cap. 249. Concluſione 21. vbi expreſsè docent, adhibendam eſſe benedictionem ſimplicem; id quod etiam priùs docuerat Guilielmus Durandus (corrige Ioannes Stephanus Durantus) Libro 1. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ Capite 16. numero 4. Atque ita tenendum eſt, niſi quis velit, Rubricā Miſſalis ita contemnere, vt malit Authoribus, qui priores fuerunt, & alijs, qui ipſos poſteà tumul-

tumultuariò sequuti sunt, adhęrere, quàm Missali Romano præcipienti. ✠ Sic iterùm Dicastillus. Sed non esset contemnere Missale, dicere, illam Rubricam non esse præceptivam, sed instructivam; vel affirmare, fuisse illi derogatum contraria consuetudine; ita enim Dicastillus ipse, & Theologi doctissimi, pissimique passim loquuntur de nonnullis alijs Rubricis, à quibus discedere, fas esse putant; & ad Rubricam, quam præ manibus habemus, sic in terminis respondent multi apud Aversam quæst. 11. sect. 13. V. *Adhibetur*; Leandrum Tractatu 8. de Sacramentis Disputatione 7. quæstione 25. Franciscum de Lugo Lib. 5. Capite 7. quæstione 1. numero 6. & apud Dianam parte 2. Tractatu 15. Resolutione 2. & & infra Prætereà ipse Dicastillus non spernit Missale, etsi contra rigorem verborum Missalis doceat, pyxidem non debere consecrari, sed sufficere, quòd benedicatur simpliciter, imò nec debere benedici, si intra pyxidis cavitatem includatur aliud vasculum amobile aureum, vel argenteum, vel ligneum, quod sit benedictum, vt addit numero 195.

48 Omisso hoc Authore, dicimus cum non paucis, pyxidem debere benedici, quia sic præcipitur in Rubrica illa. Sed huiusmodi præceptum non videtur obligare graviter. Nihil est, quod persuadeat, esse meram instructionem ex congruitate, atque decentia, & non præceptum. Nihil item est, vnde probetur, consuetudinem prævaluisse adversus præceptum: & quamquàm Vazquez Disputatione 233. Capite 4. numero 35. asseveret, praxim illam suo tempore, & loco receptam fuisse ab omnibus; ego tamen de meo tempore, & locis, in quibus vixi, non possum attestari nisi contrarium.

49 Verba Rubricæ indicare videntur necessitatem consecrationis strictę, nempe cum vnctione chrismatis. Ast non rarò consecratio sumitur latè pro benedictione, aut sumitur indifferenter pro consecratione stricta cũ vnctione chrismatis, & pro consecratione lata, quæ est simplex benedictio. Sint in exemplum verba Sancti Thomæ 3. parte, quæstione 82. art. 3. Corp. *In reuerentiam huius Sacramenti à nulla re contingitur nisi consecrata. Vnde & Corporale, & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum.* Hæc Sanctus Thomas. Sit etiam in exemplum Cap. *Consulto omnium* 46. de Consecratione Distinctione 1. vbi dicitur, debere Corporale consecrari ab Episcopo. Certumque est, Corporale non consecrari strictè.

50 Ideo verò Rubrica dicit, *In aliquo calice, vel vase mundo consecrato*, quia ciborium potest esse calix consecratus strictè, qui etiam aptus sit deservire ad celebrationem Missæ, & potest esse vas consecratum latè per benedictionem simplicem; idque constat exinde, quòd in fine Missalis, & in Pontificali, Rituali, Ordineque Romano præscribatur simplex benedictio *Tabernaculi, seu vasculi pro sacrosanctæ Eucharistia conseruanda.* Sed ad tollendas ambiguitates Vrbanus VIII. addidit Rubricæ illi, *In aliquo calice consecrato, vel vase mundo benedicto.* Quæ verba si nota fuissent Dianæ, non scripsisset parte 10. Tractatu 11. Resolutione 3. ✠ Non requiri pyxidem esse consecratam, vel benedictam, quia nullibi cavetur, & præcepta imponenda non esse absque firmo fundamento, ✠ vel saltem admonuisset non esse præceptivam additionem illam. Rursus si superiora illa verba Vrbani VIII. animadversa fuissent ab Arriaga, non dixisset Disput. 55. sect. 3. numero 15. ex vsu communi provenire, quòd ciborium benedicatur, cum tamen iuxta rigorem Rubricarum deberet consecrari.

51 Ad hæc: potest ex verbis Sancti Thomæ paulò ante relatis desumi argumentum non contemnendum pro benedictione necessaria pyxidis, cum enim pyxis contingat per se, & non per accidens species consecratas panis, spectat ad reverentiam Sacramenti, vt ea sit consecrata strictè, vel latè. Videatur numerus 16. Disputationis præcedentis; indeque elucesceret disparitas inter pyxidem, & Purificatorium, quod ibi dixi non debere benedici. Fatebor tamen non illibenter, argumenta à paritate non solere esse admodùm vrgentia in ijs, quæ à Iure sunt requisita. Nam si ab exemplo rem confici putes, rogo, cur, si calix consecratur strictè, quia con-

tingit perſe ſpecies conſecratas, non dices idem de pyxide, & de Corporali? Si reſpondeas, in calice fieri per ſe, & ſemper conſecrationem ſanguinis, non autem corporis in pyxide, & Corporali, ſi quidem fiat perſe, tenente Sacerdote hoſtiã in manibus. Cõtra, tũ quia ex vna ratione vertis te in aliã: tum quia patena conſecratur ſtrictè, in qua neutiquam fit conſecratio ſiue corporis, ſiue ſanguinis. Diſce igitur non fidere nimiùm paritatibus. Quare per me valeat, quantũ prudenti Theologo viſum fuerit, hæc alia, quam ſubijcio: ſicut materia, ex qua conſtruitur pyxis, par eſt, vt ſimilis ſit materiæ, ex qua conficitur calix, & patena, ita æquum eſſe, vt pyxis ſaltem benedicatur, quanquam non debeat conſecrari ſtrictè, vti debent calix, & patena.

52 De licito, aut illicito contactu pyxidis ab alijs, quàm à Miniſtris ſacratis Deo diſcurrendum eſt non ſecus, ac de contactu aliarum rerum, quæ, cum ſint tantùm benedictæ, ſuſcipiunt immediatè ſpecies conſecratas. Huiuſcemodi ſunt Corporalia, de quibus egimus in Diſputatione 25. Nunc notandum eſt, Dicaſtillum num. 191. dicere, ſe facilè conceſſurum, non eſſe peccatum vllum, ſecluſo contemptu, & ſcandalo, ſi quiuis contingat patenam à parte externa, ſeu inverſa, & calicem in pede, maximè, ſi pes ſit amobilis. Loquitur Dicaſtillus de patena, & calice, quando actu non continent ſpecies conſecratas. Qui autem id facilè admitteret in patena, & calice cõſecratis vnctione chriſmatis, faciliùs concederet de pyxide: de qua quidem abſolutè admittit expreſsè Thomas Tamburinus Libro 1. Capite 2. §. 1. numero 7. quia ex contactu ſolo ſpecierum ſacrarum non contrahit tantam dignitatem, quantam ex vnctione ſacra contrahit res conſecrata. Sed quoad Dicaſtilli dictum reviſatur numer° 37. Diſputationis illius 25. Et quoad aliud Tamburini ego non intelligo, vnde poſsit eſſe inferior dignitas proveniens ex contactu; neque deferrem minorem reverentiam pyxidi poſt contentas in ſe formulas ſacras, quàm calici conſecrato, in quo nondum fuiſſet celebratum; nonnullique Religioſi, & ſapientes viri, quos rogavi, reſponderunt, ſe delaturos maiorem. Et adhuc permiſſa inferiori dignitate ex contactu, eſt adeo ingens in re deſtinata ad illum, vt non relinquat liberã contrectationẽ à quouis homine. Quod ſi iuxta Tamburinum numero 3. Laicus tangens ex mero ſuo libito chriſma, & olea ſancta infirmorum, atque Cathecumenorum peccabit, & ad id aſſerendum movetur authoritate Azoris tomo 1. Libro, Capite, & quæſtione 9. Bonacinæ in 1. præceptum Decalogi Diſputatione 3. quæſtione 1. puncto 4. num. 13 (poteſtque addi Concilium Turonenſe anno 813. Capite 20. Arelatenſe eodẽ anno Capite 20. Moguntinum eodem anno Capite 27.) oportuiſſet moveri eorundem authoritate ad aſſerendum idem ipſum de Laico contrectante vaſa ſacra, quæ proximè contigerint ſpecies conſecratas, nam illi ab exemplo illicitæ contrectationis talium valorum arguunt ad illicitam contrectationem chriſmatis, & olei ſancti, tametſi ſignificent, hanc fore magis illicitam, fortè quia inter digitos, & manus adhæreſcet quidpiam chriſmatis, & olei ſancti.

53 Notandum rurſus eſt, ſubiungi à Dicaſtillo in præcitato loco, ſe non videre, cur non poſsint licitè tãgi à Laicis Corporalia, poſtquàm primò ſunt lota à Sacerdote, vel à Diacono; cum iam tunc queant licitè tangi à fœminis lotricibus, & refectricibus. Concordant cum Dicaſtillo alij, quorum memini in numero 9. Diſput. 25. Sed in primis datur patens diſcrimen, nam ab his fœminis tanguntur ex cauſa neceſſaria, vt & ab argentarijs, vel aurificibus calices, patenæque, quandò operoſiùs lavantur, quanquam conveniens tunc ſit, lavari priùs levi manu aqua tepida à Clerico, qui ſaltem ſit Subdiaconus: imò & de omni lotione dicit Gavantus in Appendice ad Rubricas Miſſalis pagina 324. præſtandam eſſe ab eo, qui in Sacris ſit; & Pontificale Romanum in Exhortatione ad cõgregatos ad Concilium, ſeu Synodum ait, *Corporalia, & pallæ ex lino fieri debent, & ſint mundiſsima: quæ, & alia linea, & vaſa ſacra proprijs manibus abluite, & extergite diligenter.* Sic ibi. Deinde timendum eſt, ne dicat etiam Dicaſtillus, ſe non videre, cur Laicis non liceat

ceat attingere pro suo arbitrio interiorem partem cuppæ calicis, & superiorem patenę, vel saltem cavitatem pyxidis, postquàm Sacerdos purificavit vasa hæc. Nec plura de tactu ciborij sacri, ne recocta crambe fastidium pariat, & nauseam Lectori.

54 Quæ dixi de benedictione pyxidis, extendas, velim, ad ostensorium, sphæram, seu lunulam, in qua patens Eucharistia exponitur populo adoranda; existimoque, adhibendam eandē benedictionis formulam, quam pro pyxide vsurpat Ecclesia Romana, quia etsi in ea dicatur, *Vt vasculum hoc pro corpore Filij tui D. N. I. C. in eo condendo fabricatum*, &c. verbum *Condo* quadrare etiam videtur in ostensorium.

55 Tabernaculum ligneum, intra quod obseratur sacra pyxis, non debere esse benedictum, affirmat Thomas Tamburinus Lib. & C. 1. de Missa §. & num. 6. Sed quia in Pontificali, Rituali, & Missali Romano ponitur titulus, & Rubrica *De benedictione tabernaculi, siue vasculi*, & quia in Concilio Mediolanensi VI. titulo de Sacramentalibus dicitur, *Sacra prece, ex formulâ libri Pontificalis tabernaculum etiam ligneum, in quo sanctissima Eucharistia recondatur, anteà benedicatur, quàm ad illius recondendæ vsum adhibeatur*, ideo non mihi displiceret, si benediceretur; & de praxi consulendum erit.

56 Calamus aureus, seu fistula, in qua Summus Pontifex solemniter celebrans haurit Christi sanguinē de calice iuxta antiquum vsum notatum ab Innocentio III. Libro 6. de sacro altaris Mysterio Cap. 9. consecreturnè, an tantùm benedicatur? me latet. Scietur Romæ; nam quod vnum è duobus fiat, non dubito. Franciscus de Lugo Lib. 5. Cap 8. num. 1. Filliucius Tractatu 5. Cap. 4. quæst. 11. numero 133. Bonacina Disputatione 4. quæstione vltima, puncto 9. num. 23. Tamburinus supra num. 1. post Suariū Disputatione 81 sect. 7. V. *Tertiò obiter* loquuntur eodem modo de fistula illa, ac de pyxide. Alia vasa magis remota à sacro ministerio, vt sunt ampullæ vini, & aquæ, pelvicula ad lotionem manuum, non debent benedici.

57 De vase, in quo asservatur sacrum chrisma, ait Layman Libro, & Tractatu 5. Capite 6. numero 22. decens esse, & vsitatum in Germaniâ, vt benedicatur. In Codice Karoldi apud Hugonem Menardum pagina 199. Sacramentarij Gregoriani vasculum Eucharistiæ vocatur *Chrismal*. An quia chrismate vngeretur, vel quia deserviret indifferenter iam ad Eucharistiam, iam ad chrisma? Sed & Corporale eodē nomine ibidem nuncupatur.

SECTIO IIII.

De Consecratione calicis, & patenæ.

58 DEBET calix esse consecratus? Ita in Missali, titulo de ritu seruando, §. & num. 1. Et in Cap. tituloque vnico de Sacra vnctione §. finali dicitur, *Vngitur præterea secundùm Ecclesiasticum morem, cum consecratur altare, cum dedicatur templum, cum benedicitur calix, non solùm ex mandato legis diuinæ, verùm etiam exemplo Beati Syluestri, qui, cum consecrabat altare, illud chrismate perungebat, præcepit enim Dominus Moysi, vt faceret oleum vnctionis, de quo vngeret testimonij tabernaculum, & arcam testamenti, mensamque cum vasis.* Quibus ex verbis constat, calicem non tantùm benedici, sed etiam vngi chrismate, proindeque consecrari strictè. Solet pro necessaria consecratione calicis comprobanda afferri Cap. vltimū de Celebratione Missarum, vbi deponitur perpetuò ab officio, & beneficio Sacerdos, qui celebravit in scypho ligneo. Sed hoc ex Capite inefficaciter argui, ostēdam paulò post.

59 Solent etiam adduci Canones *Sacratas* 25. *Non liceat* 31. Dist. 23. *In sancta* 41. de Consecratione Dist. 1. in quibus vasa altaris vocantur *sacra*, vt & in multis Patrum testimonijs collectis à Garetio Cap. 10. de Sacrificio Missæ. Sed vt sic appellentur, satis est, quòd serviant sacro altaris ministerio, quanuis non sint consecrata; nam & altaris lintea, quæ consecrata non sunt, dicuntur *sacra*; & *sancta* à SS. PP. eandem ob causam. Audiatur Sanctus Hieronymus in Epistola ad Theophilum Alexandrinum Episcopū, *In opere tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant, qui ignorant, eruditi testimonijs Scripturarū, qua debeant veneratione sancta suscipere,*

& altaris Christi ministerio deseruire sancta velamina, & cætera, quæ ad cultum pertinent Dominicæ Passionis, non quasi inania, & sensu carentia, sanctimoniam non habere. Audiatur item Sanctus Augustinus inquiens in Psalmum 113. Concione 2. *Pleraque instrumenta, & vasa ex huiusmodi materia, vel metallo* (scilicet auri, & argenti) *habemus in vsum celebrãdorum Sacramentorum, quæ, ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in eius honorẽ, cui pro salute nostra inde seruitur.* Vbi altaris vasa nuncupantur sancta ex consecratione non cœremoniali, aut Episcopali per vnctionem chrismatis, sed per contactum corporis, & sanguinis Christi. S. etiam Chrysostomus Homilia 20. in 2. ad Cor. ait de altari, *Lapis quidem est natura, sanctus autem fit, quoniam corpus accipit Christi.* Quibus in verbis sanctificatio altaris per corpus Christi in eo oblatum est quædam dignitas moralis ratione sancti ministerij, posteriorq; cœremoniali ipsa consecratione. Et in eodem sensu dixit Coninch 3. p. quæst. 66 art. 2. num. 15. contactu sanguinis consecrari calicem, si quis celebret in non consecrato.

60 Nihilominus ex superioribus alijs textibus, ex Ecclesiæ more, & Theologorum omnium concordi sensu calix debet esse consecratus per vnctionem chrismatis. Idem censendum est de patena, etsi de eius consecratione nõ inveniam textum expressum, sed sub nomine calicis videtur debere subintelligi. Et ita omnes Theologi, atque Canonistæ docent, esse consecrandam. In Pontificali Romano extat ritus, quo facienda est cõsecratio. Quæ adeò stricte requiritur in calice, & patena, vt ex omnium consensu esset grande piaculum celebrare in eis nondum consecratis, quia violaretur præceptum in materia gravi: in qua Ecclesiam voluisse obligare tantùm leviter, diceretur absque vllo fundamento.

61 Quin imò celebranti cum calice inconsecrato impositam esse depositionis ab officio, & beneficio pœnam, scribit Bonacina Disp. 4. quæst. vltima, puncto 9. num. 17. Et Suarez Disput. 81. sect. 7. V. *Alia autem*, ait, ✻ In C. vltimo de celebratione Missarum deponitur Sacerdos, qui sine sacro calice consecraverit. ✻ Quo etiam modo loquuntur alij Authores apud Dianam parte 11. Tract. 8. Resolut. 31. & apud Barbosam in C. vltimum de Celebratione Missarum, num. 3. Sed tamẽ multi ex illis, cum agunt de depositionibus, aut suspensionibus ob pravum exercitium Ordinum, tacent omnino de præfatâ depositione ob celebrationẽ in calice non consecrato. Evolvi plures in Tract. de Suspensione, & neminem reperi tractantem de hac in particulari. Præterea non constat, Pontificem iubere, vt deponatur Sacerdos precisè, quia celebravit in calice inconsecrato; sed quia in pane fermentato, in scypho ligneo, sine igne, & sine aqua: qui excessus cum quatuor fuerint, & pœna depositionis post eos quatuor relatos fulminanda dicatur à Pontifice, non est, cur ob vnum solum celebrationis in calice inconsecrato incurri debeat. Vnde Bernardus Diaz in Practica Criminali Canonica Cap. 31. refert ex Abbate ad præfatum Cap. ✻ Quòd Doctores non exprimunt, an debeant concurrere omnia supra dicta ad hoc, vt Presbyter deponatur? & quòd procedendum sit secundùm qualitatem loci, & contemptum Presbyteri, considerando, an habuerit illud in consuetudine? ✻

62 Præterea aliud est sacrificare in scypho ligneo; aliud in vase inconsecrato. Vnde nam scitur, scyphũ illũ non fuisse consecratum? Etsi enim ob defectum calicis Presbyter Brixiensis vsurpavit scyphum ligneum, fortè qui esset consecratus, & qui antiquioribus sæculis, aut annis deservijsset in altari? Ad hęc: multò minus delictum est celebrare in calice argenteo, aut aureo inconsecrato, quàm in scypho ligneo etiam consecrato, in quo desit calicis tum figura, tum materia vsitatæ, & præceptæ ab Ecclesia. Quo igitur iure pœna imposita ob celebrationem in scypho ligneo extẽditur ad eam, quæ fiat in calice argenteo, aut aureo non consecrato? Tandem Pontifex non imponit ibi pœnam vniversalem, sed Brixiensi illi Sacerdoti. Et quanquàm ex pœna inflicta personę singulari fieri possit deductio ad quasvis alias reas eiusdẽ delicti; tamen mirandum est silentium Theologorum, & Canonistarum circa suspensionem, de qua in C. vltimo de Celebrat. Miss. quando sermonem habent de suspensionibus ob pravum exercitium Ordinum.

Ego

63 Ego dicerem, mulctandum esse pœna suspensionis ab officio, & beneficio, qui imitaretur Presbyterum Brixiensem in quatuor illis excessibus coniunctim patratis intra eandem celebrationem. Nam ratio, quæ movit Summum Pontificem, vt mandaret Episcopo Brixiensi suspensionem ferendā, movere etiam potest, & debet alios Prælatos, vt ferant eandem suspensionem, si occurrant similes quatuor excessus. Rursus dicerem, si occurrant tres tantū, vel duo, vel vnus, non teneri Prælatum ad præfatam pœnam ferendam, sed posse alia gravi arbitria punire delinquentem. Et quoad casum præsentem, si Presbyter celebret in calice non consecrato, sed cuius materia sit licita, neq; incurri suspensionem ipso facto, neque teneri Prælatum ferre illam adversus reum, affirmo sequutus propendentem Scotum 4. D. 13. q. & art. 2. num. 17. §. *In 2. casu*, Thomam Tamburinum Lib. 1. de Missa Cap. 1. §. 3. Idemque sentio de celebrante in altari non consecrato; estque potior ratio, quia non reperitur Canō, de quo ad pœnam possit esse tanta dubitatio, quantam ingerit expensum Caput vltimum de Celebratione Missarum circa pœnam sacrificantis in calice non consecrato. Legātur Bernardus Diaz C. 32. & Iacobus Menochius de arbitrarijs ludicū quęstionibus, & causis Lib. 2. Centuria 3. casu 408. Gibalinus C. 5. de Irreg. n. 31.

64 Consecratio calicis, & patenæ fieri debet ex iure ab Episcopo. Et ita adnotatur in Missali supra, colligiturque ex C. vnico de Sacra vnctione, si committatur §. postremus cum primo. Potestas hæc Episcopi est quasi Ordinis, nec potest per ipsum delegari simplici Sacerdoti; potest tamen per Summum Pontificem, qui eam actu cōcessit nonnullis Religiosis. Sed de isto puncto longus texetur sermo in D. seq.

65 Consecratio calicis, & patenæ est adeò necessaria in opinione plurium, vt non modò graviter illicitè, sed etiam invalidè ministraretur Ordo tam Subdiaconatus, quàm Sacerdotij absque calice, & patena consecratis, quia, vt ait Castrus Palaus Tract. 27. Disputat. vnica, puncto 4. numero 18. * Secluſa consecratione non sunt vasa Sacrificij, neque ad Sacrificium deputata. Ergo eorum traditio, & contractus ad Sacrificium referri non potest, neque significare, tangentem ea vasa, eo contactu in Sacrificij obsequium, aut in ipsum Sacrificium deputari * Quæ ratio vt est breviter proposita, sic est vnica pro hac sententia, cuius patronos recensent Diana parte 10. Tractatu 11. Res. 9. Leander Tract. 6. de Sacramētis D. 3. q. 16.

66 Sed necessitate Sacramenti non requiri præfatam consecrationem, docent Henriquez Lib. 10 C. 5. §. 2. C. 8. §. 3. Sanchez Lib. 7. Consiliorum C. 1. dub. 2. num. 5. Filliutius tomo 1. Tract. 9. C. & quæst. 2. num. 3. quæst. etiam 8. num. 45. multique alij posteriores tam intra, quàm extra Societatem. Et ex antiquis Paludanus in 4. Dist. 23. quæst. & articulo 1. n. 8. ait, * Cum Missa de facto in calice non cōsecrato possit celebrari, videtur, quòd si calix non consecratus sibi (nempe Sacerdoti) traderetur, nihilominus esset Sacerdos. * Ita Paludanus, qui pro cōtraria sententia citatur in Dist. 24. q. 2. à Sylvestro V. *Ordo* 2. n. 4. dicto 3. Sed ibi tantùm inquit articul. 1. numero 6. * Subdiaconus habet, materiam consecrandam ponere in vasis sacris. * Quæ verba non sunt adversa prioribus. Sotus, & M. Ledesma non designatis locis referuntur etiam ab Henriquez. Eosque, & Paludanum sequutus est Sà V. *Ordo* num. 6. in priori editione, nam in Romana correcta desunt hæc verba, *Sufficit verò calix etiam non consecratus.* Moventur autē hi Doctores, quia nullo iure constat tanta necessitas consecrationis calicis, & patenæ. Durumq; mihi videtur, validitatem Sacramenti dependentem fieri ab aliqua materiæ circumstantia, de qua nec Concilia, nec Patres vllum verbum protulerunt.

67 Ad rationem Castri Palai facilè respondetur, vti in vasis inconsecratis potest validè, quanuis illicitè, sacrificari, ita per vasa inconsecrata posse validè, quanuis illicitè, significari ministerium tam Subdiaconi, quàm Presbyteri in Sacrificio. Et quidem de necessitate Sacramenti nō est, vt ministerium significetur per materiam affectā circumstantijs omnibus, quibus eius vsus sit licitus, sed tantùm illis, quibus sit validus; alioqui si in Ordinatione Subdiaconi traderetur calix consecratus cupreus, aut ligneus, & in Ordinatione

Presby-

Presbyteri Latini patena cum pane fermentato, foret irrita vna, & altera Ordinatio. Dices, reſponſionem noſtram peccare ab exceſſu, nã ex ea fieret, ſufficere ad Ordinationem Presbyteri traditionem panis in manibus, & vini in quocumque vaſe. Scio, Paludanum n. 8. præcitato dediſſe ferè manus ſequelæ. Sed ab ea concedẽda ego longè ſum, ſiquidem Concilium Florentinum in Decreto Eugenij IIII. poſt vltimã Seſſionem, §. *Sextum Sacramentum* habeat hęc verba, *Sextum Sacramentum eſt Ordo, cuius materia eſt illud, per cuius traditionem confertur Ordo: ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cũ pane porrectionem*. Sic ibi. Requiritur igitur tanquam materia vltra panem patena, in qua recipiatur, & vltra vinum calix, in quo contineatur; & proinde non tãtùm eſt materia panis, & vinum, circa quę verſatur poteſtas Ordinis Sacerdotalis, ſed etiam eſt materia patena, & calix, in quibus panis, & vinum recipiuntur, aut continentur. Cuius non alia ratio aſsignari poteſt, quàm determinatio Eccleſiæ Latinæ, vt ſuppono ex Tractatu de Sacramentis in genere. Cum verò eadem Eccleſia Latina non determinaverit in patena, & calice circumſtantiam conſecrationis ipſorum, cumque ſuperius exemplum, ſimiliaq; alia manifeſtè oſtendant, materiam Ordinationis Presbyteratus nõ debere affici omnibus circumſtantijs requiſitis ad id, vtlicitè vndequaque adhibeatur, manet ſalva reſponſio noſtra, quin aperiamus portam ſequelæ illi.

68 Vti poſt Paludanum videtur aperuiſſe Dicaſtillus Tract. 6. Diſp. 1. dub. 12. num. 182. inquiens, * Si Presbytero tradatur ab Epiſcopo materia vera panis, & vini in calice, & patena non conſecratis, aut in alijs quibuſcumque vaſis, omnino puto, Ordinem eſſe validum, quia poteſtas officij, & Ordinis ſui circa materiam ipſam panis, & vini eſt, non circa ipſa vaſa. * Ita Dicaſtillus. Cuius ratio vt procedit de pane, & vino in quibuſuis vaſis, ſic etiam de pane in manibus abſque vllo vaſe, ſeu abſque patena, in qua recipiatur. Id autem quomodò ſtare poſsit cũ doctrina Cõcilij Florentini, qua inſtructus ipſe Dicaſtillus docuerat in dub. 10 num. 149. traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane pertinere ad materiam Ordinationis Presbyteratus, relinquo alijs conſiderandum. Sed quia Dicaſtillus in poſteriori loco contra nos ſentit, conſecrationem calicis, & patenæ in Ordinatione Subdiaconatus neceſſariam eſſe ad valorem Sacramenti, arguo ad hominem adverſus illum, nam ſi non eſt de neceſsitate Sacerdotalis Ordinis calix conſecratus, neque etiam erit de neceſsitate Ordinis Subdiaconatus. Eritne ideo, quia Subdiaconus ordinatur ad miniſtrandum Sacerdoti calicem conſecratum, vt ait Dicaſtillus? Aſt & Sacerdos ipſe ordinatur ad ſacrificandum in calice conſecrato, quin tamen conſecratus calix ſit materia neceſſaria Ordinationis Sacerdotalis.

69 Impono finem quæſtioni huic probatione, quæ apud prudentes Theologos erit forſan non parùm efficax, quia ſi conſecratio calicis, & patenę ſit de neceſsitate Subdiaconatus, aut Sacerdotij, prementur magnis ſcrupulis initiati vtrolibet Ordine ob non certam notitiam conſecrationis calicis, & patenæ. Novi nonnullos valde anxiatos ob ſubortos ſcrupulos, an contigerint phyſicè calicem, patenam, & hoſtiam, an contactus coinciderit phyſicè eodem tempore cum prolatione verborum formæ ab Epiſcopo, an hic impoſuerit manus ſupra caput eorum; ita vt phyſicè tetigerit illud? Et nonnunquã fuit neceſſe, connivere in Ordinatione aliquorum ſub conditione. Si autem ad valorem Sacramenti neceſſaria dicitur conſecratio calicis, & patenæ, quot inde ſcrupuli pullulabunt, nemo nõ videt; & non deerit, qui recuſet initiari, niſi adhibitis calice, & patena, quorum conſecrationi præſens ipſe fuerit.

70 Inquies, vt ſcrupuloſi angãtur, foré ſátis, quòd noverint probabilitatem contrariæ ſententiæ. Sed ego pro illa invenio Sylveſtrum tantũmodò dicentem ſupra * Imò ſecundùm Petrum, & Albericum intelligitur de calice ſacrato. * Quæ verba ſine textu, & ſine rationis præſidio parùm movere poſſunt; notavique ſupra, Petrum Paludanum minimè favere. Non curavi videre Albericum. Citantur etiam Durandus in 4. Diſ. 24. q. 3. num. 6. Turrecremata in Co*Perlectis* Diſt. 25. Sed Durandus ſolùm ait, * Subdiaconum habere duos actus, ſcilicet legere Epiſtolam, & materiam Euchariſtiæ ordinare,

dinare, & ponere in sacris vasis.* Legi Turrecrematā ad illum Canonē, & non reperi quidpiam ad rem præsentem. Hæc, & non alia est ex antiquitate authoritas contrariæ sententiæ; ex modernis Theologis præcipui sunt illi, quos allegaui, rationemque eorum dissolui. Iam ergo considerent sapientes viri, quos consulant scrupulosi, num possint respondere ipsis, quòd trepidēt timore, vbi non debeat esse timor?

SECTIO V.

An celebratio Missæ in calice, & patena inconsecratis suppleat defectum consecrationis ipsorum?.

71 NIMIRVM an si quis Sacerdos celebret in calice, & patena nondum consecratis, maneant eo ipso consecrata, vel quasi, ita vt in posterum possit licitè in eis celebrari, non expectata consecratione per vnctionem chrismatis? Diana parte 2. Tractatu 14. resolutione 69. respondit affirmatiuè, si bona fide celebratum primò sit in calice, & patena non consecratis, motus exemplo Ecclesiæ, in quā polluta si bona fide celebretur, non opus est deinceps noua reconciliatione. Accepit, vt puto, eam paritatem ex Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ L. 3. C. 21. num. 15. Sed quia Diana tunc nullum pro se Authorem adduxit, posteà parte 5. Tract. 13. Resol. 60. allegat Nigrum, Peyrinum, Trimarchum, Cœlestinum; & parte 9. Tract. 7. Resolut. 18. Bordonū, ac Pellizarium, qui celebrationem etiam malā fide factam putant sufficientem, vt calix, & patena non egeant vnctione chrismatis. Addo Brunonem Chassaing de Priuilegijs Regularium parte 2. Tract. 8. C. & propos. 1. §. *Notandum* 2. Busembaū, Thomam Tambutinum, qui duo, & alij censent, esse probabilem hanc sententiam.

72 Ast contraria defensanda à nobis est cum Hieronymo Llamas 3. p. Methodi curationis animorum C. 5. §. 16. pag. 506. vbi ait. * Peccat etiā mortaliter Sacerdos celebrans Missam sine calice, & patena consecratis, si ex malitia, & crassa ignorantia id fiat. Vbi obiter quoddam vulgare proloquium ridentes volumus ab allegantium cordibus eliminare. Dici enim ab antiquis audiui, quòd si quis in calice non consecrato sanguinem consecraret per malitiam, vel ignorantiam, quòd remaneret consecratus deinceps. Quod falsum est, nam eadem ratione, si solo ex contactu specierum Sacramentalium vasa, vel res, quas tangunt, consecrarentur, à fortiori linteamina, Corporalia, & capsella, in qua reconditur Eucharistia, essent consecrata: quod est falsum. * Ita Llamas ante Dianam, nempe anno 1600. Post Dianam verò eadem opinio contraria placuit Caspensi Tract. 23. D. 3. S. 5. num. 84. Arriagæ D. 55. S. 3. num. 13. Garciæ Tract. 3. diff. 8. dub. 3. puncto 2. num. 27. Cardinali de Lugo D. 20. sect. 4. num. 92. Raphaeli Auersæ quæst. 11. sect. 13. V. *Posset etiam*, Ioanni Dicastillo Tract. 5. D. 4. dub. 9. à num. 198. Francisco de Lugo Lib. 5. C. 8. quæst. 21. à num. 9. Leandro Tract. 8. D. 7. q. 31.

73 Et probatur primò, quia consecratio calicis, & patenæ sicut introducta est ex Iure Canonico, & dispositione Ecclesiæ, ita non aliter, neque alio ritu, aut cæremonijs habenda est rata, quàm quibus Ecclesia designauit. Celebratio autem Missæ siue bona, siue mala fide nusquam designata est ab Ecclesia pro consecratione sufficiente calicis, & patenæ. Quòd si tibi licet, eam celebrationem vt sufficientem consecrationem designare, quidni licebit, dicere, si casu, vel à consilio extra celebrationem imponatur patenæ in sacrate corpus Christi, hanc etiam esse consecrationem sufficientem?

74 Probatur secundò, quia non minus instituta est ab Ecclesia consecratio calicis, & patenæ ad sustinendas species consecratas vini, ac panis, quàm consecratio manuum Sacerdotis ad tangendum species consecratas panis. Ergo quemadmodùm huic consecrationi non æquivaleret, quòd, qui Sacerdos nunc fit, tetigisset anteà licitè, vel illicitè, fide bona, vel mala species consecratas panis, ita neque æquivalebit illi alteri consecrationi calicis, & patenæ, quòd bona, vel mala fide celebretur in calice, & patena non consecratis, & quòd proinde ab his substineā tur species consecratæ vini, ac panis.

Con-

Confirmatur, nam non liceret in Ordinatione non vngere manus initiandi Sacerdotio, etsi ille licitè, vel illicitè antea retigisset Eucharistiam; neque itē liceret non supplere eam vnctionem, si adhibita non fuisset, quando quis est ordinatus Sacerdos, etiam si ipse posteà celebrando tenuisset manibus consecratas species. Et quòd si prætermissa sit vnctio manuū, debeat suppleri, colligitur ex C. *Cū venisset* vnico de sacra vnctione.

75 Probatur tertiò, quia per celebrationem in Ecclesia, non benedicta, aut non consecrata, nō redditur hęc benedicta, aut cōsecrata, alioqui cuncta Oratoria manerent etiam benedicta, & consecrata eo ipso, quòd in illis Sacrum peragatur. Ergo similiter, &c. Si dicas, minus requiri, vt purgetur, quod est iam benedictum, aut cōsecratum, quā, vt fiat benedictum, aut consecratum, quod est profanum. Impugnaberis ex dictis in D. 23. num. 18. in D. 24. num. 53. Si rursus dicas, & fatearis, Ecclesiam non benedici, neque consecrari per celebrationem pręcisè, secus calicem, & patenam, quia species Sacramē tales non contingunt Ecclesiam, vti cō tingunt calicem, & patenam, qui contactus æquivalenter est deputatio ad Sacrificium per cæremonias Ecclesiasticas facta, imò eam continet eminenter. Contrà, quia iam deseris exemplum, quo excitatus fuisti ad opinionem, quā impugno.

76 Et illud quidem, à Diana acceptum ex Fagundez, non habita ratione discriminis ab ipso præstiti, deficit in primis, quia Ecclesia non reconciliatur per celebrationem in ea factam, siue mala, siue bona fide, vt visum est in D. 13. num. 24. & sequentibus contra Alfonsum à Castro, qui Lib. 2. de potestate legis pœnalis C. 15. seu vltimo, In fine Conclusionis 3. scripsit. * Nūquid, si post celebrationem Missæ in tali Ecclesia violata factam publicaretur in iudicio crimen, quod ante Missæ celebrationem fuerat in iudicio occultū, oportebit tunc Ecclesiam reconciliare? Credo, quòd non, quia celebratio Missę, quę post secretam violationem successit, pro sufficiente reconciliatione tunc erit reputanda. Nam cum per Missæ celebrationem Deus ipse corporaliter in Ecclesia assistat, talis corporalis assistentia sufficere mihi videtur ad omnem reconciliationem, & purgationem perficiendam. * Sic vir doctissimus, quin declaret, an censeret idem ipsum, si celebretur in Ecclesia tē pore, quo sit notorium crimen inducēs violationem? Et in priori sensu opinio Castri non reprobatur ab Henriquez L. 9. C. 27. §. 6. Abila parte 5. de Censuris D. 7. dub. 3. Bauny parte 1. Theologiæ Moralis Tract. 6. quæst. 13. Tannero D. 3. quæst. 10. dub. 2. num. 36. Benedicto Remigio Noydens in Praxi Parochorum, & Confessorum Tract. 5. C. 4. §. 3. num. 2. Bonacina quæst. 4. de Matrimonio, punct. vltimo, n. 27. secus in posteriori. Sunt tamen non pauci, qui admittant & in posteriori, si cum Ordinarij licentia, vel si absque ea, sed cum bona fide tunc celebretur: & sunt nonnulli, qui nec de bona fide curandum esse dicant ad præfatum effectum, nam mala fides, etsi peccati reum faciat celebrantem in Ecclesia polluta, non tamen tollet efficaciam, virtutemque Sacrificij ad sanctificandum locum, vbi peragatur. Id quod meo iudicio asseritur consequentiùs, quàm veriùs; vt & celebrationem de licentia Ordinarij sufficere ad reconciliationem potiori de causa. Quanquam quia videmus non desisti à reconciliatione, si Ordinarius in casu necessitatis permittat vnam, vel alteram Missam in Ecclesia polluta; & quia qui vltra vices permissas sacrificaret, incurreret pœnas, quibus fit obnoxius celebrans in Ecclesia polluta, ideo doctrina illa verior non est, sed absolutè falsa. Et adhuc magis arguitur falsitatis, quia si incæpto Canone polluatur Ecclesia, licitum est, & debitum prosequi Missam vsque ad consumptionem, & tamen ex celebratione Missę illius non reconciliatur Ecclesia. Nec dicas, perinde se habere ex dispositione Canonum Missam illam, ac si ante templi pollutionem fuisset absoluta. Nam prętereà quòd gratis id cogitatur, nequiret Canonum dispositio adimere Sacrificio virtutem, & efficaciam reconciliatiuā templi polluti, quā ex se, & suapte natura habeat.

77 Deinde similitudo illa adducta ab Antonino Diana est remotissima, quia non agimus de reconciliatione calicis, & patenæ, sed de consecratione. Illud autem exemplum, vt quidpiam valeret, deberet procedere à consecra-

secratione Ecclesiæ ad consecrationem calicis, & patenæ. Quē sanè processum refugiet Diana, ni illo exemplo velit iugulare se ipsum, vt monstrat probatio nostra tertia.

78 Trimarchus ferens opem Dianæ contra Cardinalem de Lugo ait, * Paritates Doctorum non debere currere quatuor pedibus, sed duobus tantùm humano modo. * At ego nec vnum pedem in illa paritate video; vel tot pedibus tam longè à nobis recedit, & currit, vt nec, si præmittamus Gallicum canem, poterimus assequi. Quid enim distātius, quā ex benedicti priùs, aut consecrati templi reconciliatione per celebrationem superuenientē violationi arguere ad primam calicis, & patenæ consecrationem, quæ per celebrationem fiat? Anne reconciliatio est consecratio templi? Si ita sit, omnia templa reconciliata manebunt consecrata. Præter quàm quod reconciliatio non supponit amissionem consecrationis, aut benedictionis, sed rei consecratæ, aut benedictæ violationem, & maculā superinductam, quam quasi eluit, & purgat, vt res consecrata anteà, aut benedicta deseruiat vsibus sacris, non minus, quàm anteà.

79 Sed vrgebit quis, si celebratio Missæ sufficit ad violati templi reconciliationem, vt ex abundanti permittimus, cur non erit satis ad calicis non anteà sacrati consecrationem? Sūma enim dignitas Missæ tam potest sufficere ad vnum, quàm ad aliud. Respondeo, nō esse satis ad id aliud ob primam nostræ sententiæ probationem; sicut ob similem rationem, qui arguit, debet fateri, celebrationem Missę non sufficere, vt templum, non anteà sacratum, aut benedictum, reddatur consecratū, aut benedictum denuo.

80 Hinc, si rursus quis vrgeat, ad consecrationem calicis satis est vnctio chrismatis, cæremoniæque aliæ institutæ ab Ecclesia. Ergo multò potiùs satis erit celebratio Missæ, vtpote quæ præponderet ei vnctioni; illisque cæremonijs. Respondetur, dignitatem Missæ non dirigi ab Ecclesia in eum finem, vt sit consecratio calicis, vti non dirigitur, vt sit consecratio templi; ideoque etsi bona, aut mala fide celebrētur in templo nondum consecrato, aut benedicto, opus est, vt posteà consecretur, aut benedicatur.

81 Sed adhuc quis premet cum Nigro apud Dianam, per contactū sanguinis Christi sanctificatur calix, & iam non est amplius materia profana, sed sacra: * Qua ergo alia consecratione dicendum est indigere calicem per contactum sanguinis Christi sanctificatum. * Quibus verbis concludit Diana parte 5. Tract. 13. Resolut. 60. Cū primùm eam resolutionem legi, timui, ne aliquis abuteretur verbis Dianę, & argumento Nigri ad improbandam institutionem Ecclesiæ circa consecrationem calicum, patenarum, & tēplorum. Demus, hęreticum abuti, & superfluitatis arguere tot cæremonias, assumptas in cōsecratione templorum, conquerique de reseruata Episcopis horum, & calicum, ac patenarum consecratione, cum abundè sufficeret sanctificatio inducta per celebrationem Missæ à quocumque Sacerdote. Necesse est, vt tunc responderet Diana, meritò Ecclesiam instituisse aliam sanctificationem, quæ omnem præcederet celebrationem, atque sanctificationem ex hac ipsa celebratione prouenientem. Sic & nos respondemus, calicem sanctificari quadantenus per contactum sanguinis Christi, & non secus ac sanctificaretur tapetum altaris, si super illo defluereret sanguis; vltrà tamen in calice requiri sanctificationem ex consecratione per Ecclesiam legitimè institutā deriuatam.

82 Vlteriùs possunt contra nos obijci Patres Ecclesiæ transcripti in num. 59. Canon etiam 17. Concilij Arausicani 1, vbi dicitur: *Cum capsa, & calix inferendus est, & ad mixtione Eucharistiæ consecrandus*; item Canon *De fabrica* 24. de Consecratione Distinct. 1. desumptus ex Epistola 2. Vigilij ad Eleutherium Episcopum Bracarensem; quo nomine cum Sedis Episcopalis loco, & cum mentione Epistolæ ad eum scriptæ appellatur à Iuliano Petri in Chronico, num. 281. ex editione D. D. Laurentij Ramirez de Prado, cuius clarissimi viri recens mors acerbum mihi dolorem excit, nam me immeritum amari ab ipso, tam sciebam, quàm ipsum à me meritissimè coli ob tot præstantissimas animi, & omnigenæ litteraturæ dotes, quot, & quales vix sperare possis in Equite primariæ nobilitatis, & Consilia-

liario Senatus Regij ſupremi. Concordat cum Iuliano Chronicum Marci Maximi Epiſcopi Cæſarauguſtani anno 540. Vnde corrigendi ſunt, qui eum; ad quem reſcripſit Vigilius, vocant Eucherium, vt Gratianus; Eutherum, vt Ivo 3. parte Decreti, C. 25. etſi in Pænomia ex editione Melchioris à Voſmediano L. 2. C. 14. nomen Eleutherij retineatur. Sed apud Baronium, Binium, & alios Eutherius dicitur; quem fuiſſe Epiſcopum in extremis Hiſpaniæ oris, Occeano coniunctis, aut in Luſitania, aut Gallæcia, colligebat Baronius anno 538. n. 21. ex argumento Epiſtolæ ad eũ datæ. Canon autẽ in illa contentus ſtare videtur expreſsè contra nos hiſ verbis: *De fabrica verò cuiuſlibet Eccleſiæ, ſi diruta fuerit, inſtauranda; & ſi in eo loco conſecrationis ſolemnitas debeat iterari, in quo Sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere* (*efficere* habet Binius, an ex Typographorum errore?) *ſi per eam minimè* (*minima* habet Burchardus, an ex illorum incuria?) *aqua exorcizata* (*benedicta* habet Binius) *iacturi: quia conſecrationem cuiuslibet Eccleſiæ, in qua Spiritus ſancti arrha* (*aram* habent Burchardus L. 3. C. 62. Ivo ſuprà, Collector Epiſtolarum Pontificiarum, & Binius) *non ponitur, celebritatem ſcimus tantùm eſſe Miſſarum. Et ideo ſi qua Sanctorum Baſilica à fundamentis etiam fuerit innouata ſine altaris motione* (quæ poſtrema verba in ſolo Gratiano leguntur) *ſine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Miſſarum ſolemnitas celebrata, totius conſecrationis ſanctificatio implebitur. Si verò Sanctuaria, quæ habeba-, ablata ſunt, rurſus eorum repoſitione, & Miſſarum ſolemnitate reuerentiam ſanctificationis accipiet.*

83 Reſpondeo, Patres illos intelligendos de conſecratione, non qua ſint vaſa, lintea, altare ſufficienter deputata ad Sacrificium, ſed qua ſint cum quadam dignitate morali proueniente ex contactu ſpecierum conſecratarum, vel ex miniſterio tam diuino, ad quod ſunt aſſumpta, ſiue præceſſerit, (vt de Iure Eccleſiaſtico debet) ſiue nõ præceſſerit conſecratio, vel benedictio cæremonialis. Ad Concilium Arauſicanum dico, ſermonem ibi eſſe, non de cõſecratione calicis, ſed de Euchariſtiæ conſecratione in ipſo. Et alia quidem lectio eius Canonis ſic habet, *Admixtionem Euchariſtiæ ſimul conſecrandam cenſuimus.*

84 Ad Canonem *De fabrica* reſponderi primò poſſet, non eſſe magnæ authoritatis, nam Epiſtolam, ex qua eſt decerptus, ſcriptam conſtat à Vigilio anno 538, cum eſſet Pſeudopapa, & invaſor Romanæ Cathedræ, in qua legitimè non ſedit vſque ad annum 540. defuncto iam S. Siluerio. Id quod ex Eccleſiaſtica hiſtoria manifeſtum eſt. Secundò Canonem illum, ſi quid directè in ſpeciem probat, maximè, quòd Eccleſia celebratione Miſſæ maneat conſecrata. Et cum id neque ab aduerſarijs noſtris aſſeratur, incumbet non minus ipſis, quàm nobis explicare Canonem illum. Tertiò intelligendum eſſe de conſecratione templi per celebrationẽ Miſſæ, non ſolam, ſed coniunctam cum alijs cæremonijs, & ritibus, ſiue ea ſit de ſubſtantia conſecrationis, ſiue ſit tantùm de eius integritate, vt cum communi ſententia cenſeo. Si quis vrgeat verbis illis, *Celebritatem ſcimus tantùm eſſe Miſſarum.* Dicetur, non excludi alios ritus, vt neceſſarios, ſed denotari celebrationem Miſſæ, vt quid poſtremum in conſecratione, & ex quo hæc perfectè, & completè innoteſcit.

85 Trium harum reſponſionum prima non ſatisfacit plauſibiliter; cum enim Canon ille ſit inſertus corpori Iuris Canonici, videbitur inde pactus aliquantam approbationem; & Decretiſtæ non acquieſcent eius exauthorationi; ſed ne nimiũ deferant Gratiani Decreto, oportebit, vt legant Bellarminum in Lib. de Scriptoribus Eccleſ. Salam Tract. 14. de Legibus D. 8. ſect. 13. per totam, Dianam parte 5. Tract. 14. Reſ. 68. Quintanaduẽnas tomo 2. Singularium, Tract. 2. Sing. 11. Reſponſio ſecunda, etſi nos liberet abſpeciali cura, non tamen à communi. Tertia placeret mihi, ſi de totius Canonis percepto ſenſu ſecurus eſſem. Sed cãdidè fateor, quõ pluries eum lego, me magis in aqua hærere. Conſului Gloſſas, Turrecrematã, alioſque antiquos, & modernos Interpretes, & adhuc non potui aſſequi plenam eius intelligentiam.

86 Dartis in Commentario ad Decretum pag. 431. exiſtimat, ſubaudiri debere *diruta* poſt *Sanctuaria non fuerint*, & poſt *non ponitur* ſubintelligendum eſſe *de novo, cum non eſſet ablata.* Et iuxta ipſum propoſita quæſtio fuit,

an

an Ecclesia diruta, non diruto Sanctuario, seu altari, esset denuò consecranda? Responsio autem, non esse necesse, eam consecrare, & aqua aspergere, sed sufficere Missarum in ipsa celebrationem. Sic vsque ad *Tantùm esse Missarū*. Et posteà ex verbis *Et ideo* subdistinguitur quæstio, vel Ecclesia est ita diruta, & rursus innovata, vt altaris motio facta, vel non facta fuerit? Si primum, sufficit, tunc Missas in ea celebrari, nec opus est alia consecratione, quia medijs Missis impletur satis tota eius consecratio. Si secundum, repositione altaris, & Missarum celebratione manebit sanctificata, vt anteà. Sic Dartis exponit Canonem. Sed in primis verborum additio ad textus siue Canonicos, siue Civiles non benè solet excipi. Deinde non evitat, ne Missarum celebratio suppleat consecrationis vicem. Tertiò admittit, Ecclesiam non esse reconsecrandam, etsi parietes ex toto, vel maiori ex parte ruant, dummodò altare immotum maneat, & ibi celebrentur Missæ: admittit etiam è contra, debere Ecclesiam reconsecrari per celebrationem saltem Missæ, si vel altare solummodò fuerit motum, tametsi parietes illæsi maneant: quorum secundum vt concedatur esse conforme Canoni illi, primum tamen est omnino alienum. Quartò quoad reconsecrationem per celebrationem Missæ non assignat discrimen inter vtrumque casum subdistinctionis; sed reducit tantummodò differētiam ad repositionem altaris in secundo casu.

87 Noster Stephanus Bauny parte 1. Theologiæ moralis Tractatu 6. quæstione 18. movetur ex Canone *De fabrica*, vt asserat, Ecclesiā reconsecrandam esse, cum parietes incendio fuerint absumpti, destructi, seu diruti, omnes, aut maiori ex parte. At Dartis dicit, inferri oppositum ex illo Canone; vnde notet Lector, quàm obscurus sit textus, ex quo viri adeò oculati, & attenti deducunt conclusiones tam repugnantes. Et ego obiter observo, Baunyū ibi ex authoritate Ivonis Carnotensis affirmare, Ecclesiam denuò consecrandam esse, cum est motum altare. Sed vellem, meminisset Canonis *Ad hæc* 1. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, atque item Glossæ ad Can. *Si motum* 19. de Consecratione Distinctione 1. V. *Ecclesiā*, vbi nimis violenter sumitur Ecclesia pro altari, ne contra Can. *Ad hæc* de non reconsecranda Ecclesiā, moto præcisè altari, staret Canon *Si motum*. Necessaria tamen non fuit violenta illa interpretatio, cum in ipso Canone *Ad hæc* Alexander III. fateatur, aliquos Canones, nempe Can. *Si motum*, & Can. *De fabrica*, innuere contrarium: quos proinde correxit Alexander, exclusitq; doctrinam Ivonis, qui ante ipsum scripsit. Et adversus Ivonē facit eiusdem Bauny in quæstione 12. testatio, * de communi praxi Episcoporum, quos constat non reconciliare Ecclesias, ac eas denuò consecrare, cum in ijs præter amotionē arę nihil accidit contra earum sanctitatem, ac reverentiam admodùm memorabile. * Quanquam posteà addat, contrariam sententiam in praxi vt securiorem, ita præferendam ob Canonē *Si motum*. Sed hic Canon est correctus per Can. *Ad hæc*, vt iam monui. Quapropter nec Can. *Si motum*, neque Ivonis authoritas debuit avocare Baunyum ab eo, quod dixerat esse receptum praxi inter Episcopos. Idem Baunyus ibidem ait, vix se posse adduci, vt credat, polluto altari fixo, pollui Ecclesiam, nam si potest altare fixum consecrari sine Ecclesia iuxta Can. *His*, seu potiùs *Cum sis* 5. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris: quid ni & pollui sine illa? Sed iam nos in Disputatione 24. numero 51. sufficientem rationem discriminis assignavimus, quantùm fas est in his, quæ sunt iuris merè positivi, in quibus argumentum à simili non solet valere, vt advertit idemmet Bauny Tract. 10. q. 21.

88 Pertæsus tenebras Can. *De fabrica*, & velut refugiens eius anfractus, ac labyrinthos declinavi paululùm à via. Sed quoad illum Canonem nihil amplius se mihi offert, quo magis elucidetur. Atque vtinam vt Castrus Palaus Tract. 22. Disputatione vnica, puncto 8. numero 13. inter alia argumenta pro sententia Alfonsi Castrensis de reconciliatione Ecclesiæ per celebrationem Missæ adduxit illum Canonem, ita præluxisset nobis interpretatione aliqua! Sed omisit respondere. Et Tannerus D. 5. q. 10. dub. 2. n. 36. pro eadem sententia, in quam propendet, citavit illum textum.

89 Iam ex nostra opinione de non consecratione calicis, & patenę per celebrationem in eis infertur a fortiori, non consecrari altare, neque benedici Sacerdotales vestes, eo quòd in illo, aut cum illis celebretur, quia ratio contingendi species consecratas nō militat in eis, & aliunde eorum ex priuata authoritate adhibitio ad ministerium sacrum non est sufficiens deputatio ad continuatum vsum. Quæ posterior ratio vrget in Corporali, ne benedictum maneat per celebrationem Missæ, etsi illud contingat species consecratas panis.

90 Rursus infertur cum Posse vino de Officio Curati Capite 2. numero 38. Gauanto in Rubricas Missalis parte 4. titulo 19. numero 21. Thoma Tamburino Libro 1. Capite, & §. 3. numero 6. fas non esse, supponere, vel insuere novam vestem Sacerdotalem non benedictam antiquæ benedictæ, celebrareque in vtraque eo ex fine, vt nova prodeat benedicta, proindeque possit in posterum vsui esse ad Sacrificium: quia si supponitur vt Sacerdotalis, est peccatum lethale ob benedictionis defectum, quem habet, & adhuc non obtinet benedictionem requisitam ad alias Missas, vt constat ex dictis. Si autem supponitur merè materialiter, non evadet benedicta ob ministerium in Sacrificio, sicut neque vestes aliæ vsuales, super quibus Sacerdos induit sacras. Dices, alias vsuales, & communes non esse aptas, vt illis solis indutus ritè Sacrificus operetur rei diuinæ, quamuis possit validè. Sed contra, quia neque quæ sunt factæ in formam Sacerdotalium aptæ sunt moraliter, vt, nisi superueniat benedictio Ecclesiæ, adhibeantur vt Sacerdotales, queatque ritè Sacerdos litare in illis. Rursus inquies, si semel intendatur sacrificare in vestibus conformatis ad qualitatem, & figuram Sacerdotalium, adhiberi eo ipso vt tales, & non posse non manere benedictas, seu cum non minori proportione ad Sacerdotale ministerium, quàm si essent initiatæ cæremonijs Ecclesiæ. Sed contra, tum quia si adhibentur vt Sacerdotales, vt quid coniunguntur cum alis benedictis? tum quia redeunt rationes, quibus priorem partem refutavi.

SECTIO VI.

De exsecratione calicis, & patenæ.

91 AFFIRMO primò, calicem non amittere cōsecrationem per pedis à cuppa separationem, quando hæc fit absque fractura, eo quòd ab initio elaborata sit tornatilis iunctura cuppæ cum pede, vt ad libitum sine artificis ministerio possint à quolibet homine disiungi, & coniungi. Ita communiter Theologi, & Canonistæ contra Paludanum in 4. Distinctione 13. quæstione 2. articulo 3. numero 19. Sanctum Antoninum, Sylvestrum, Tabienam, & Bartholomæum ab Angelo, necnon contra Comitolum Libro 1. Responsorum Moralium quæstione 51. Optima probatio est, quia homines, qui hæc tractant, manibusque versant, persuadent communiter sibi, per talem separationem non amitti cōsecrationem, & absque vllo scrupulo celebrant ordinariè Sacerdotes in calice, quē sciant fuisse iterùm coniunctum nexu tornatili, & hæc videtur esse voluntas Ecclesiæ: esset que nimis onerosū toties reconsecrare calicem, quoties nexus fuerit dissolutus; nec commoditas abstergendi, aut transportandi melius calicem (quæ est causa conficiendi eum tornatilem) momenti vllius foret respectu illius oneris.

92 P. Tamburinus Lib. & C. 1. §. 5. n. 2. probat idem ipsum, quia calix tornatilis est aptus ad Sacrificium, si dissolutæ partes coniungantur iterū; & aliunde reputatur idem moraliter, ac anteà; non secus ac horologium, cuius rotæ disiungantur, & postea vniantur. Sed hoc exemplo confidere nimium nō oportet, nā horologium existimaretur idem moraliter, si fracta rotula repararetur. Ergo & calix, si cuppa per rupturam diuisa à pede compaginaretur. Nec tamen concedit Tamburinus, calicem in posteriori hoc eventu nō amisisse consecrationem, aut retinere illā. P. Suarez reddit hanc rationem D. 81. sect. 7. V. *Alia autem*, quia * sola calicis cuppa est per se necessaria, vt recipiat sanguinem Christi; pes verò solùm requiritur ad illam sustentandam; quod posset fieri, etiam si non esset ita coniuncta, vt vnū propriè cōponerent,

&

& ideo potest consecratio in solam cuppam cadere, & in eadem conservari. * Quæ ratio placet nobis.

93 Si obijciatur, sequi ex ea, calicem non perdere consecrationem, quando pes à cuppa separatur per rupturam. Dico, non sequi, nam tunc vna pars seiungitur ab alia, cum qua per modum totius physicè continui est consecrata, atque adeò non minus per modum vnius, sed magis, quàm quando altaris fixi planus superior lapis cõsecratur cum tota structura inferiori, qui proinde, si ab ea separetur, perdit consecrationem.

94 Si opponatur rursus cum Cardinali de Lugo Disputatione 20. S. 4. numero 93. * Cuppa absque pede non est calix aptus ad Sacrificium; nusquã autem indultum est, quòd cuppa sola absque pede consecretur, nec vllus Episcopus consecrabit nisi calicẽ integrum. * Aio, neque portatilem aram sine fulcro esse aptam ad Sacrificium, & tamen illius consecratio non cadit supra fulcrum. Et obiter notes paritatem aræ, quæ, quando consecratur vt portatilis, seu vt amobilis sine ruptura ab altaris basi, aut pede, non perdit consecrationem per separationem ab ipso, aut à tabulis, quibus circumdatur. Idem ergo continget in cuppa calicis tornatilis. Addo, non apparere, cur irrita esset consecratio solius cuppæ, & cur nequeat concedi indultum ad solius illius consecrationem. Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 8. quæstione 2. numero 21. fatetur, posse cuppam simul, & pedem consecrari, quamuis non essent actualiter coniuncta tornatili nexu. Quando autem sic non sunt coniuncta, calix non est aptus ad Sacrificium. Præterea durum videtur, quòd si perdatur calicis pes tornatilis, & loco eius inseratur cuppæ alius omnino similis de novo, vel olim confectus, non posit iam in eo calice celebrari, nisi recens cuppæ consecratio fiat.

95 Inquies, durum non esse, quandoquidem tunc non maneret idem artefactum calicis, quod anteà erat, quodque consecratum fuerat, sed resultaret aliud diversum. Contra tamẽ, quia persisteret idem calicis artefactũ quoad cuppam; quæ ad celebrationem sufficit siue cum hoc, siue cum illo pede, & quam vt indifferentem ad hunc, vel illum pedem consecrari, potest optimè intelligi. Et licet molestè contẽdere possis, non manurum eundem numero physicè calicem. Ast idem erit moraliter, & cuppa, quæ principaliter deservit ad Sacrificium, erit eadem numero physicè. Si autem vlteriùs instes ab absurdo, quod sequeretur, vt si cuppæ aureæ, vel argenteæ insereretur pes tornatilis cupreus loco pedis aurei, vel argentei deperditi, posset in tali cuppa celebrari, quin ea denuò cõsecraretur. Nec Arriaga D. 55. S. 2. num. 12. nec ego agnoscimus absurditatẽ in sequela, maximè si pes cupreus distractus fuisset è cuppa, quæ ipsi coniuncta consecrata fuerit.

96 Video, inferri ex dictis posse, in calice etiam habente firmum pedem consecrari solam cuppam, quæ sola contingit sanguinem Christi, & proinde, etiam si pes separetur per rupturam, posse celebrari in eadem cuppa absque nova eius consecratione, dummodò ei alius pes arte agglutinetur. Et ratio à nobis in contrarium allata n. 93. non omnino concludit; potest enim consecrari pars totius physicè continui, quin huius reliquas omnes partes necesse sit consecrari; nam Sacerdotis manus consecrantur, quin totum corpus, cui sunt physicè continuæ, consecretur.

97 Video, inquam, inferri id posse non planè improbabiliter, stando rationi. Sed in his rebus malo deferre authoritati, quàm argutijs, subtilitatibusque Metaphysicis: Theologi autem communiter dicunt, calicem amittere consecrationem, si per fracturam cuppa separetur à pede, vti aiunt, exsecrari altare fixum, si lapis planus superior amoveatur ab structura inferiore, siquidem sit consecratus vt affixus, & conglutinatus ei structuræ, siue consecratio sistat in lapide plano superiore, siue extendatur etiam ad structuram inferiorem, quo de puncto egi in num. 37. Disput. 24. Vnde & de calice, cuius cuppa sit physicè continua cum pede, siue ea sola consecrationem susciperet, siue etiam pes, sentiendum est exsecrari eo ipso, quòd cuppa disiungatur à pede. Et ita censent Theologi omnes, nisi quòd Amicus D. 33. S. 12. n. 359. non prorsus asseuerãter, sed sub adver-

bio *Fortè* loquatur. Existimant etiam consequenter Theologi, etsi pes iterũ arte coniungatur cuppæ, indigere consecratione, non secus ac Ecclesia indiget, quando ex eisdem etiam lapidibus reædificatur, si tota, aut maior eius pars corruit, vt dixi in numero 84. Disputationis 23. Rationem vtriusque reddit Azor tomo 2. Libro 9. Capite, & quæstione 7. quia non est idem calix, neque eadem Ecclesia. Sed expeditior ratio est, quia iterata coniunctio cuppæ cum pede, & parietum inter se nequit facere, vt deperdita consecratio quasi reviviscat.

98 Cardinalis de Lugo supra, insistens doctrinæ datæ de calice tornatili, decidit simul alium casum his verbis, * Idem esset in Alba v. g. quæ manicas haberet non fixas, sed amobiles, quæ globulis, vel funiculis coniungerentur, tunc enim per separationem non perderetur benedictio; sicut neq; Planeta, si pars anterior cum posteriori aliquibus resticulis coniungi, & separari facilè posset. * Notatque Franciscus de Lugo supra, Albam, & manicas eo modo coniungibiles posse consecrari, etiam quando actu sunt separatæ.

99 Ego verò observo, ex benedictione tam Albæ, quàm manicarum, siue eo modo coniungibilium, siue inter se consutarum, non posse efficaciter probari consecrationem calicis extendi ad pedem, & non sistere in sola cuppa. Datur enim manifestũ discrimen, nam sola cuppa contingit sanguinem Christi, cuius contactus de causa consecratur. At tota Alba cum manicis æquè deservit, vt vestiat Sacerdotem, cuius ministerij ratione benedicitur. Animadverto rursus, si probabile cui videatur, pedem calicis non consecrari, minus fore periculi in eo, quòd Laicus pro libito suo contrectet calicis pedem, dum in cuppa non continetur Christi sanguis.

100 Iam contra conclusionis nostræ præcipuum punctum non se offert quidpiam, quod speciali responsione indigeat. Et altaris quidem exemplum, quo Paludanus, cæterique assecłæ mouentur, facit potiùs pro nobis, nam altare portatile non exsecratur, si separetur à mensa, cui insidet, neque item si à capsula lignea, intra quam includitur, vt notavi supra, necnon in Disputatione 24. numero 33. Henriquez Libro 9. Capite 28. §. 2. in textu accedit ad sententiam Paludani, si pes fiat ex materia apta calici, non autem si ex inepta, vt ex plumbo, aut cupro, limitatque in Glossa sententiã Paludani ad pedem ita ferè continuum, vt sine fractione separari non posset à cuppa nisi per peritum artificem. Sed certè nostra argumenta æquè probant de pede ex quacumque materia, & separabili per quemcumque à cuppa sine discontinuatione physica, aut fractione.

101 Affirmo secundò, non deperdi consecrationem calicis argentei, quando per vsum tollitur aurum, quo interior pars cuppæ erat inaurata. Ratio est, quia adhuc manet absolutè eadem cuppa, apta, & vtilis ad Sacrificij vsum, quæ antea fuerat consecrata non solùm secundùm illam superficiem auream, quæ vsu tollitur, sed etiam secundùm sublatentem materiam argenteam. Vnde amissa inauratione succedit alia superficies argentea sanguinem Christi contactura, quæ non minus fuit consecrata, quàm aurea vsu detrita. Hæc ratio æquè valet iuxta Tannerum Disputatione 5. quæstione 10. dubio 3. numero 53. & Franciscum de Lugo infra, numero 13. casu quo non paulatim, sed simul, non vsu, sed arte adimatur inauratio. Quòd enim tota simul, vel paulatim, quòd arte, vel vsu auferatur, nihil magis obest, aut prodest, si alia mutatio non interueniat. Confirmatur in calice omnino aureo, cuius prima superficies deficiat, & alia appareat de novo; id quod satis non est ad eius exsecrationem.

102 Si opponas exemplum consecratæ Ecclesiæ, quæ perdit consecrationem, quando, etsi parietes perseuerent illæsi, decidit tota crusta ipsorũ, aut maior pars, vt diximus Disput. 23. num. 80. Quòd si vt Ecclesia exsecretur, sufficit decrustatio parietum, quia non soli ipsi fuerunt consecrati, sed etiã crusta, ita similiter ad exsecrationem calicis satis erit, quòd inauratio deficiat, tametsi reliqua interior materia argentea maneat, quippe non hæc sola, sed aurum etiam superinductum participaverit consecrationem.

Vnde

Vnde ſicut ibi non ſufficit permanentia vnius materiæ, quæ fuit conſecrata; ita neque hic ſufficiet. Et ſicut ibi vnctio conſecrativa facta eſt in cruſta, ita hic in ſuperficie aurea Et ſicut ibi cruſta valde confert, vt per ſigna impreſſa deducat nos in conſecrationis notitiam; ita hic ſuperficies aurea deſervit immediatè, & principaliter ad continendum, & contingendum ſanguinē Chriſti.

103 Reſpondet Ludovicus Lopez in Inſtructorio Conſcientiç parte 2. Cap. 79. V. *Quod autem dictum eſt*; pag. 301. remittens ſe ad conſuetudinem, quæ eſt legis interpres. Sylveſter V. *Calix*, quæſt. 2. reſpondet, conſecrationē Eccleſiæ adhærere cruſtæ, vtpote ſatis corpulentæ; at conſecrationem calicis non ſiſtere in ſuperficie aurea, vt potè tenuiſsima, ſed tranſire ad ſublatentem materiā. Sylveſtrum imitatur Fagundez Libro 3. in 1. præceptum Eccleſiæ Cap. 21. num. 24. Reſponderi etiam poteſt, vel ſenſim tolliturcruſta Eccleſiæ, vel tota ſimul? Si primum: Eccleſia non perdit conſecrationem, præſertim ſi cruſta ſenſim reparetur. Et idem contingit reſpectu calicis, cuius inauratio paulatim vſu conſumatur, maximè ſi paulatim etiam renovetur. Si ſecundum: vt Eccleſia tūc amittit conſecrationem, ita etiam calix, cuius inauratio tota ſimul adimatur. Quæ reſponſio erui poteſt ex doctrina Azoris tomo 1. Lib. 10. Capite 28. quæſt. 5. tomo 2. Libro 9. Cap. 7. quæſt. 4. & 5. Henriquezij Lib. 9. Capite 28. §. 2. in textu, & in gloſſa lit. Y. Barboſæ L. 3. de Iure Eccleſ. C. 2. n. 23.

104 Solutio prima non ſatisfaciet cupientibus rationem diſparitatis. Secunda perplexitatem involvit, nam ſi conſecrationem Eccleſiæ adhærere cruſtæ, ſit idem, ac ſolam cruſtam conſecrari, ceſſat quidem obiectio; ſed, ni fallor, nemo concedet, parietes Eccleſiæ eſſe omnino expertes conſecrationis; vel ſi liceat concedere id de parietibus, quidni etiam de cuppa calicis, ita vt ſola inauratio dicatur, & ſit conſecrata? Si conſecrationem Eccleſiæ adhærere cruſtæ, ſit tantùm, quòd vnctio non penetret vltra cruſtam, non obeſt id, quominus parietes conſecrationem participent, non enim ad omnes partes totius conſecrati debet pervadere vnctio, vt pater in aris, quæ non totæ vnguntur, & tamen totæ ſunt conſecratę. Præterea vnde conſtat, ſubtilē vnctionem calicis multò anteà inaurati pertingere vltra primam ſuperficiem? Tertia ſolutio non convenit cum concluſione noſtra quoad id, quod addidimus in fine ex Tannero, & Francisco de Lugo. Nec Authores illi, ex quorum doctrina tertiam ſolutionem deduci poſſe dixi, admittent, manere Eccleſiam conſecratā, ſi nulla omnino cruſta ſucceſſerit, & omnino nulla, quæ conſecrata fuit, perſeveret, etſi paulatim ceciderit, cum tamen fateantur, conſervari conſecrationem in calice, cuius nulla prorſus inauratio, quę primitùs conſecrata fuit, duret, & nulla prorſus ſuperinducta fuerit loco eius. Quare, velint, nolint, agnoſcēda eſt aliqua diverſitas in deſtructione Eccleſiæ, & in detrita calicis inauratione reſpectu conſecrationis.

105 Enuncio ingenuè, me non eſſe reddendo ſufficientem rationem eius diverſitatis. Tantùm dixerim, cōſecrationis in Eccleſia amiſsionem per decruſtationem aſſeri à Theologis, & Canoniſtis vnanimiter, præeunte Gloſſa ad C. *Eccleſijs* 20. de Conſ. Diſt. 1. V. *Exuſtæ*. Cæterùm de exſecratione calicis per amiſsionem inaurationis neque extat textus, neq; Gloſſa recepta: quare, cum ſit res odioſa, non debet admitti ob argumentum à ſimilitudine, quod in huiuſmodi materijs ſolet ſæpe eſſe fallax.

106 Si rurſus opponas, amittendam ſaltem conſecrationem, quādo vſu deficiat inauratio in calice, cuius cuppa eſſet ex materia, quam niſi inauratam nō liceat conſecrare, neque primò adhibere ad continendum Chriſti ſanguinem. P. Tamburinus infra num. 4. non recuſat concedere permanentiā conſecrationis in hoc caſu, ſiquidem perſeveret idem calix. Et quanuis non declaret, an in tali calice poſt deperditionem inaurationis fas eſſet celebrare? videbitur ſequi ex conceſſa permanentia conſecrationis. Cur enim in calice conſecrato nō liceat celebrare modò, ſicut anteà? Ego cenſeo, ſi cuppa eſſet ex materia non apta, intendendam conſecrari ſolam inaurationem; proindeq; hac pereunte, defecturā conſecrationē. Atq; ita videor mihi colligere ex Azor tom. 2. L. 9 C. 7 q. 5. V. *Atverò*.

Sed quid si Episcopus expresse intendisset consecrare non solam inaurationem? Dicam, non fore magis licitum sacrificare in tali calice post amissam inaurationem, quam in alio simili materiæ, & non inaurato, intento consecrari ab Episcopo.

107 Difficilioris quæstionis est, num si de novo inauretur cuppa argentea, quæ prius fuerat consecrata, siue inaurata, siue non inaurata, debeat de novo etiam consecrari? Ex vna parte videtur, debere, quia superficies aurea de novo addita contactura Christi sanguinem, & hac de causa consecrationem requirens, vt pars magis principalis quoad munus, & dignitatem, etsi non quoad quantitatem, non fuit vnquàm consecrata, non enim existebat, quando consecrata est cuppa siue inaurata, siue non inaurata, neque ab hac potest trahere consecrationem vtpote à min^r principali penes mun^r, & dignitatem. Ita communiter Doctores apud Dianam parte 2. Tractatu 15. Res. 3. & apud Leandrum Tractatu 8. Disput. 7. quæst. 34.

108 Sed ex alia parte videtur, non debere reconsecrari illam cuppam, fuit enim iam prius consecrata, & non obstante noua inauratione manet eadē moraliter, quæ anteà fuerat, perseveratque non minus vtilis ad vsum Sacrificij, atque anteà existebat. Persistere eum æquali vtilitate physica ad Sacrificium nemo negabit; cum æquali etiam vtilitate morali, probatur eodem modo, ac quòd maneat eadem moraliter, quæ anteà fuerat. Id verò probatur, tum quia mirum esset, si quis diceret, aliam moraliter à præcedenti esse eam cuppam, in qua de novo facta solùm est tenuis inauratio; tum quia alioqui alia esset moraliter illa cuppa, quæ vsu amisisset omnem inaurationem antiquam; ex quo sequeretur, talem cuppam, vt in ea celebretur, debere reconsecrari; quæ sequela est contra conclusionem secundam, & contra vulgatam Theologorum sententiam. Et quidem iuxta Sanctum Thomam 2. 2. quæstione 39. articul. 3 in Corpore, *Omnes consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manentere, quæ consecratur. Nam altare semel consecratum non consecratur iterùm, nisi fuerit dissipatum*; & vt addit in eadem 2. 2. quæst. 88. artic. 11. in Corpore, *Calix consecratus non desinit esse consecratus, si maneat integer.* Quis autem neget, manere integrum calicem, quando tantùm amittit, vel adquirit superficiem aureā delicatissimam?

109 Accedit confirmatio desumpta tum ex benedicto Corporali, quod, vt docet Sylvester V. *Corporale*, quæst. 2. non est rursus benedicendum, etiam si per vsum, aut per lotionem discedat amylon, quo est imbutū, & postea reponatur: tum ex consecrato templo, quod, etsi dealbetur, non est denuò consecrandum, vt traditi in Disput. 23. num. 80. Si dicas, parietes templi consecrari vt includentes locū Sacrificij, & ad id novam illorum crustam habere se per accidens. Vnde etsi ea fiat ex laminis aureis, aut marmoribus, non ideo templum exlecratur; cū tamen exlecraretur calix, si integeretur bractea aurea subtilissima. Contra, quia etsi parietes consecrentur vt includentes locum Sacrificij, tamen prima crusta non habet se peraccidens, alioqui per totam eius amissionem nō exlecraretur templum. Ergo nec secunda crusta habebit se peraccidens. Quare idcirco per novam incrustaturam adiectam antiquæ, in qua factæ sunt cruces, & liniti ones chrismatis, non desinit consecratio templi, quia adhuc istud censetur idē, ac anteà, etiam si noua incrustatura conficiatur ex auro, aut marmoribus: non secus ac denuò inauratus calix censetur idē, ac anteà. Quando autem inauratio non vniretur calici, sed ex auro fieret tenuissima bracteola, quę posset inseri cuppæ corpulentiori, & ab ea extrahi, tunc non reputaretur vnus calix, vnumque vas, neque traheret consecrationem ex cuppa ob defectum vnionis cum illa.

110 Ad rationem verò principalem prioris sententiæ respondet Cardinalis de Lugo Disput. 20. sect. 4. num. 95. hunc in modum, * Nec obstat, quòd illa quasi superficies aurea, de novo addita, sit, quæ sola tangit sanguinem Christi, nam illa superficies per coniunctionem cum calice consecrato manet sacra: sicut si Corporale lacerum reficiatur, & assuatur illi aliqua exigua pars, hæc absq; noua benedictione manet benedicta propter coniunctionem cum Corporali benedicto. Et licet hęc pars noua sit in tali loco, vt

fortasse

fortasse illa tangat maiori ex parte hostiam, vel aliquando totam particulam consecratam pro aliquo, qui vult communicare, adhuc non indiget noua benedictione, sed sufficit benedictio totius, cui advenit. Idem ergo dici potest de superficie aurea subtilissima, quæ per inaurationē de nouo advenit. Quæ non se habet, sicut si vna cuppa subtilior intra cuppam calicis poneretur, vt obijciūt Suarez, & Vazquez suprà, quia tunc illud vasculum subtilius non est pars maioris, nec facit vnum cum illo, sed semper manent duo vasa distincta; cum in nostro casu non sint duo, sed vnum. Quod cum iam fuerit consecratū, non potest non retinere consecrationē, quandiu idem numero perseuerat. ✻ Ita Eminentissimus Purpuratus. Sed Authores aduersi eandem difficultatē agnoscent in casu illo de Corporali refecto quoad partem, quæ ordinariè contingat Christi corpus; nam si esset pars, quæ tantùm extraordinariè, & peraccidens contingeret, languet instantia illa de Corporali, siquidem à noua superficie aurea calicis ordinariè, & per se cōtingendus sit Christi sanguis.

111 Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 9. num. 185. & 186. nimis metaphysicatur in re morali, vt occurrat eidem rationi, quam de Lugo conatus est enervare. Argumentatur enim ad homines Dicastillus sic: nam in cuppa consecrata inaurata, cuius aurum vsu est detritum, quin proinde requiratur noua consecratio, superficies, quę succedit contactura Christi sanguinem, non est ipsissima, quæ anteà fuerat, & consecrata, quia ✻ superficies omnes, quæ latent intra corpus argenteum calicis, sunt superficies continuatiuæ, non terminatiuæ; superficies autem continuatiua non potest esse terminatiua. ✻ Prę. vidit Dicastillus, responderi posse, superficiem argenteam de nouo apparentem esse aliquid cuppæ argenteæ iam anteà consecratæ; at aurum, quo de nouo inauretur, esse aliquid omnino adventitium, & distinctum à cuppa argentea iam anteà consecrata, Nihil ominus addit Dicastillus, hoc parùm referre ad moralem, & communem æstimationē. Sed certè idem dici potest ad Metaphysicam ipsius subtilitatem de superficiebus continuativis, & terminativis.

112 Hactenus à rationibus

verificati sumus vtrique opinioni: quarum prior comitatissima quidem est; sed posterior graditur suis etiam comitata Authoribus. Nam in primis eam tuetur Guilielmus Durandus, dictus Speculator, Episcopus Mimatensis (qui vivebat anno Domini 1280) Lib. 1. Rationalis diuinorum Officiorum C. 6. n. 33. vbi hæc habet, ✻ Quid si calix cōsecratus deauratur, nunquid est reconsecrandus? Et videtur, quòd sic, quoniam nouus calix esse videtur, novum enim opus videtur facere, qui pristinā operis faciē innovat, ff. de Operis noui nunc, l. 1. §. Opus nouum: & reficit qui rei iam factæ remediū facit, ff. de Itinere, actuq; priuato, l. 3. §. penultimo, ff. de Vsufructu, l. Vsufructuarius. Extrav. de Iudęis. Cap. Consuluit. Siquidèm consecratio in superficie consistit. Et hinc est, quòd Ecclesiam, muris decrustatis, reconsecrandam esse, prædixi. Contrarium tamen verum est, quia nec propter murorum dealbationem, aut propter picturam, aut propter modicum additamentum Ecclesia consecrāda est, vt iam dixi. Cum enim propter hoc calicis forma non mutetur, idē calix manet, quare reconsecrandus non est, sicut & Ecclesia reparata, quoniam eadem manet, id est, consecrandam non esse, præmissum est. Si verò forma prior immutaretur, secus esset, quoniam forma dat esse rei, vt dixi. Honestum tamē est, quòd tam propter pollutarum manuum contactum, quàm propter profanæ materię appositionem calix aqua exorcizata lavetur priùs, quàm ibi sacrosanctum corpus, & sanguis Domini immoletur. De Consecratione Dist. 1. C. Si motum. ✻ Sic Guilielmus. Pro eadem opinione stant Selua de Beneficijs parte 1. quæst. 5. num. 99. citatus ab Azore, tomo secundo, Libro nono, C. 8. quæstion. 3. Emmanuel Sà in 1. editione anni 1599. V. *Calix*, num. 2. dicens, ✻ Calici non perit consecratio, nec si deauratio decidat, nec si de nouo deauretur. ✻ Sed in editione anni 1600. legitur, ✻ Calici non perit cōsecratio, nec si deaurato decidat, nisi de nouo deauretur. ✻ & in correcta iuxta Romanum exemplar, ✻ Calicis nō perit consecratio, si deauratio per vsum decidat: si tamen de nouo deauretur, solet iterùm consecrari. ✻ Attamen contentam in 1. editione opinio-

nionem approbant Coninch ad quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 246. & 247. Layman Lib. & Tract. 5. C. 6. num. 7. Diana parte 2. Tract. 15. Resolutione 3. Cardinalis de Lugo suprà, Thomas Tamburinus Lib. & C. 1. de Missa, §. 5. num. 6. Amicus D. 33. sect. 12. num. 358. Andreas Sauslay in Panoplia Sacerdotali, parte 1. Lib. 8. C. 11. Bauny p. 1. Theologiæ Moralis Tract. 10. quæstione 21. Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 8. C. 5. sect. 3. num. 118. Hermannus Busembaum in Medulla Theologiæ Moralis Lib. 6. Tract. & C. 3. dub. 4. V. *Calix exsecratur*, Leander Tract. 8. D. 7. quæst. 34. Agnoscunt vt probabiliorem ex rationum meritis Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 8. quæst. 2. num. 18. vt valde probabilē Dicastillus, Tannerus, Arriagaque suprà, Castrus Palaus Tract. 22. D. vnica, punct. 10. num. 12. Trullench Lib. 3. C. 8. dub. 17. num. 4. Caspensis Trac. 23. D. 3. sect. 5. num. 85. Bassæus V. *Calix*, num. 3. alijque. Vnde immeritò Reginaldus Lib. 29. C. 9. sect. 6. num. 199. appellavit eam periculosam.

113 Sit iam nostra quarta cōclusio, vtraque opinio est probabilis, sive attendatur rationum momentis, sive suffragantium numero; & in praxi poterit quisque se acommodare vel vni, vel alteri. Cum autem exsecratio sit res odiosa, æquumque non sit introduci in casu dubio sine textu expresso (qualis in præsentiarum desideratur) cumque ordinariò non soleat esse facile habere paratum Episcopum, aut alium, qui possit reconsecrare, propendeo magis in posteriorem sententiam; sed suaderem quod Durandus in verbis postremis suprà exaratis, & ex ipso Selva apud Azorem, Layman, & Pellizarius suprà.

114 Oportetque advertere, prioris etiam sententiæ patronos admittere permanentiam consecrationis in calice, si paulatim inauratio renouetur, prout paulatim decidat, etsi tandē tota pereat, dummodò non simul. Ita in terminis expressis Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum D. 23. quæst. 3. num. 5. Garcia Tract. 3. Diff. 8. dub. 3. punct. 2. num. 29. cum alijs. Qui omnes mouentur exemplo Ecclesiæ, hæc enim non est denuò consecranda, si parietes paulatim per partes corruant, & paulatim restaurentur, vt probat Azor tomo 2. Lib. 9. C. 4. quæst. 6. nosque confirmauimus ex num. 82. D. 23. Sed concesso eo, quod aduertimus, flaccescit valde ratio primaria cō trariæ opinionis, nam si tota inauratio calicis anno 1658. consecrati desijt anno 1659. quanvis alia loco eius sit sensim inducta, iam superficies aurea, quę anno 1659. contingat species Sacramentales, erit omnino diuersa à prima, eritque quid non consecratum ratione sui. Si verò dicatur, participatam sensim consecrationem ab ipsa tanquam ab accessoria ex calice tanquàm à principali, cui paulatim fuit adiuncta; deventum est ad eādem ipsam responsionem, quàm posterior opinio præstabat. Non enim video, quid magis referat ad resultantiam consecrationis ex accessorio in principale, si huic illud adiungatur morosè potiùs, quàm de repente.

115 Affero quintò, calicem non amittere consecrationem per ictū aliquem mallei, si non frangatur, neq; ita contundatur, vt maneat ineptus ad continendum sanguinem Christi. Ita Rosella, Tabiena, Armilla V. *Calix*, & cum eis Azor tomo 1. Lib. 10. C. 28. quæstione 5. Bonacina D. 4. quæst. vltima, puncto 9. num. 19. Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. num 39. Lib. 3. de Iure Ecclesiastico C. 2. num. 11. Basęus V. *Calix*, num. 3. Thomas Tamburinus L. & C. 1. de Missa, §. 5. num. 9. Pellizarius in Manuali Regular. Tract. 8. C. 5. sect. 3. num. 119. cum alijs. Discordat Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum D. 23. quęsito 3. num. 6. Sed, vt iudico, ex errore Amanuensis, aut Typographi, nam Armilla, Azor, & Bartholomæus ab Angelo, quos pro se citat, sunt pro nobis, vt de Armilla, & de Azor constat mihi ex eorum lectione, & de Bartholomæo ab Angelo ex fide Bonacinę allegantis eum pro sua, & nostra assertione. Cuius ratio satis liquet ex precedentibus, siquidem mallei ictus, neque scindens calicem, neque reddens cuppam inhabilem ad Sacrificij ministerium, non adimit, ne consecratus calix sit idem: & alioqui is exsecraretur eo ipso, quòd in terram, vel in quamvis rem aliam solidam alliderat. Adde ex prælaudatis priscis Summistis,

missis, nullam in Iure Canonico mentionem fieri huiusmodi causæ exlecrationis calicis.

116 Atque hinc inferunt Thomas Tamburinus suprà, & Stephanus Bauny Tract. 10. quæst. 21. si ex prolapsione in terram cuppa calicis contorqueatur nonnihil (Hispanè *se abolle algo*) & manu artificis, ictibusque nonnullis mallei reformetur, retinere adhuc cōsecrationem, quia supponitur, non fuisse ex casu ita contortus; vt esset absolutè inutilis ad Sacrificium; & ictibus mallei, industriaq; artificis non fit tunc in calice mutatio, propter quam desinat esse idem, qui antea: vti neque etiam fit, quando, vt inauretur, applicatur igni.

117 Azor tomo 2. Lib. 9. C. 7. quæst. 6. refert, solitos olim Prælatos, aut Æduos percutere aliquot ictibus calices, cum eos tradebant artificibus inaurandos denuò: cum enim soliciti essent, ne calices, quandiu consecrati persistebant, contrectarentur prophanorum, Laicorumque manibus, adhibebant ictus ad eos exsecrandos, vel quia, inauratione decidēte ex toto per ictus, putabant, cōsecrationem desinere, vel quia sibi persuadebant, inflictos ictus esse per se sufficientem causam exsecrationis, siue, quæ reliqua erat, inauratio decideret, siue non: vel quia tales fuerint ictus, vt frangerent calices, redderentve ineptos ad deserviendum celebrationi Missę. Nunc de illo vsu à me rogati Sacristæ antiqui dicūt, se esse illius inscios. Placeret mihi, si etiam nunc à Subdiacono lavaretur calix, antequàm aurifici traderetur inaurandus, non secus ac à Subdiacono lavādum est Corporale priùs, quàm committatur fœminis, quæ operosiùs lavent, & amylo imbuant.

118 Affirmo sextò, calicem exsecrari, si notabiliter dividatur, aut frangatur, ita vt eam formam, & quantitatem amittat, quę ad conveniētem eius vsum necessaria sit. Ità eisdem verbis Suarez D. 81. sect. 7. V. *Alia autē*. Ita etiam Vazquez D. 233. C. 4. n. 34. Gaspar Hurtadus D. 4. de Sacrificio Missæ Diff. 10. V. *Circà amissionem*, & passim reliqui Theologi, atq; Canonistæ tam recentes, quàm veteres. Ratio est, quia cum calix consecretur in ordine ad id, vt in celebratione Missæ convenienter contineat sanguinē Christi, amittet deputationem illam eo ipso, quòd amittat id, quod dictum est. Quæres, si in fundo cuppæ sit factū modicissimum foramen, per quod species consecratæ vini decidere possint, sed quod ab aurifice ita fuerit reconcinnatum, & interpolatum, vt absit periculum exsudationis specierum, & vix appareat commissura, an etiam tunc calix censendus sit exsecratus, indigeque noua consecratione? Thomas Tāburinus suprà, §. 5. num. 1. Diana parte 11. Tract. 8. Resol. 31. respondent affirmatiuè, quia ineptus remansit ad Sacrificiū, facto illo foramine. Inquies, aliqualis læsio in calice non tollit consecrationem, vt notant Sylvester V. *Calix*, quæst. 2. Angelus eodem verbo, num. 2. aliique Summistæ posteriores, & Gaufridus Boussardus 2. parte de diuinissimo Missæ Sacrificio C. 7. Respondebitur, sic quidem esse de lęsione, quæ non impediat conveniētem continentiam specierum consecratarum, vt si calix cædatur nonnihil in pede; imò etsi in cuppæ medio, vel saltē principio fieret parvissimum foramen, relinquit præcitatus Diana cogitandum, an tunc exsecraretur calix? Ast foramē in fundo cuppæ obstaret, quominus species consecratæ non distillarent ab ipsa. Inquies rursus, distillatio præcauetur per reconcinnationem dexterè factā ab artifice: quare cum calix possit tunc convenienter continere consecratas species, cur censeatur exsecratus? Respondebitur, non interesse, quòd posteà adhibitum sit remedium reconcinnationis, alioqui si cuppa, quę à pede fuerit scissa, coniungatur posteà ministerio artificis, sufficeret id, ne calix pro exsecrato haberetur. Quare remedium illud denuò appositum non efficit, vt calix non fuerit anteà exsecratus, quando ob perforationem constitutus est in statu ineptо ad continendas species consecratas. Assentior Thomæ Tamburino, & Antonino Dianæ.

119 Asseroseptimò, patenā exsecrari, quando ita notabiliter frangitur, vt non possit convenienter capere hostiam. Ita eisdem verbis Pellizarius suprà, num. 117. Ità etiam æquipollentibus cæteri Theologi, & Canonistæ. Eademque est huius assertionis ratio, ac præcedentis. Et quæ de cali-

ce

ce dixi in anterioribus conclusionibus; subintelligat de patena Lector meus.

SECTIO VII.

De Pollutione calicis, & patenæ.

120 PVNCTVM est, de quo in Iure Canonico nihil expressum inuenitur, & de quo Theologi, & Canonistæ vnum, aut alterum verbum solummodo proferunt. Recensui in num. 52. D. 24. perpaucos Doctores, in quibus illud notaui. Nunc addo Franciscum Amicum D. 33. sect. 12. num. 358. Conueniunt in asseueranda violatione calicis, & patenæ, non secus ac Ecclesiæ, per humani sanguinis, & seminis effusionem sacrilegam, seu per *Illicitam loci sacri præsumptionem*, qualem vocat S. Odo Abbas Cluniacensis Lib. 2. Collationum, C. 11. copulam etiam coniugatorum in Ecclesia. Vbi obiter invito Lectorem, vt de voce illa *effusio* videat Alfonsum Castrensem Lib. 1. de potestate legis pœnalis, C. 7. ex pagina 128. vsque ad 133. elegantissimè disputantem, contendentemque, non opus esse distinguere, an sanguis, vel semen sit modicum, aut multum? nisi forte tam modicum esset, vt meritò posset, pro nihilo reputari. Singularis certè est exclusio eius distinctionis, vt visum est in D. 23. num. 65. etsi cum eloquentia, & ingenio non vulgari defensetur à Castrensi. Sed eo omisso, concordant consequenter Doctores prælaudati in calicis, & patenæ recõciliatione, quæ posteà debeat fieri, non aliter ac circa Ecclesiam consecratam, vt possit in eis licitè sacrificari.

121 Quidnam autem dubij suboriri queat in huiusmodi violatione, attigi in numero illo 52. D. 24. Et modò vellem, vt consideraretur, an sicut ex pollutione Ecclesiæ per quædã sacrilegia non fit recta illatio ad eiusdẽ violationem per quæ vis alia; quia Iuris Canonici est, quòd in nonnullis certis casibus, & non in alijs impietur, vt docet Ioannes Baconius, tam in vtroq; Iure, quã in Theologia peritissimus, super 4. Dist. 10. quæst. 2. art. 3. obseruatque cum Ioanne Selua Azor tomo 2. Lib. 2. C. 5: quæst. 3: ita ex Ecclesiæ violatione per humani sanguinis, & seminis effusionem sacrilegam non arguatur conuincenter ad impiationem calicis, & patenæ per eaidem causas?

122 Cuperem etiam, vt cogitaretur, num quemadmodùm Ecclesia polluitur per homicidium, ita etiam calix, & patena? Si v.g. species consecratæ vini, & panis infectę essent veneno, quibus hausti exhalaret Sacerdos animam intra Ecclesiam, provt requiritur ad huius violationem per homicidium, iuxta Ioannem de Cruce, quæst. 3. de Sacrificio Missæ, dub. 2. Concl. 1. & iuxta Iacobum Gordonum Lib. 6. Theologiæ Moralis, quæst. 9. C. 4. n. 13. post Suarium, & alios allegatos à nobis in num. 45. D. 23. vel etiamsi Sacerdos moreretur extra Ecclesiam, provt satis est ad huius violationem per homicidium iuxta communem opinionem, nobilitatam suo suffragio à Baconio suprà; quo loci extensiùs, quàm vllus alius veterum Theologorum tractat de causis inducentibus pollutionẽ Ecclesiæ.

123 In Iure quidem non reperitur textus, qui speciatim loquatur de violatione calicis, & patenæ. Quocirca res est dignissima multo, & accurato examine, attentaque collatione plurium sapientum hominum inter se se. Interim ego accedo ad Doctores, quorum memini in n. 120. Et cum eisdem subiungo, calicem, & patenam nõ violari per prophanum vsum, vti neque per eum Ecclesia impiatur, reditur vè indigens recõciliatione, tametsi deceat aspergi aqua benedicta, iussu præsertim Episcopi, antequàm in ea celebretur, vt censent Baconius suprà, Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 6. quæstione 11. num. 78. Bauny part. 1. Theologiæ Moralis Tract. 6. quæst. 17. V. *Quæstio est*, cum alijs, quibus subscripsi in n. 64. D. 23.

124 Vnde infertur contra Andream Saussayum parte 1. Panoplię Sacerdotalis, Lib. 8. C. 11. contactum calicis, & patenæ, vt dem dentur auro vi, vel arte, non sufficere ad eorũ pollutionẽ. Idemq; censendum est de contactu, qui fiat ab hæretico, vel schismatico, vel excommunicato, vel degradato, etiamsi vterentur eis ad celebrationem

tionem. Certè quòd ea de causa non consecrarentur calix, & patena, deducitur ex decisione C. *Anobis* 2. de Sacramentis non iterandis, vbi instruimur, non debere iterùm benedici indumenta Sacerdotalia; neque consecrari altaria, quæ deservierunt ad celebrationem degradati. Ergo similiter nec reconsecrari debent calix, & patena.

SECTIO VIII.

De calicis, & patenæ necessitate ad Ordinationem Subdiaconi, & Sacerdotis.

125 CVM egerim adeò latè de calice, & patena, visum mihi est addere Sectionem hanc, ne quidpiam ad hęc sacra vasa pertinens desideretur in præsenti Opere, maximè cum decisio difficultatum, quas attingam, pendeat ex principijs huius Tractatus. Igitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij IV. supponendum est, *Ordinis materiam esse illud, per cuius traditionē confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, &c.* Ita in §. *Sextum Sacramentum*. Quæ verba etsi satis sint perspicua, nihilominùs

126 Controvertitur primò inter Theologos, an traditio sola calicis vacui sufficeret pro materia Ordinationis Subdiaconatus? Henriquez Lib. 10. C. 9. §. 3. litt. M. in Glossa ait, Innocentium, Supplementum, & Rosellam respondere affirmativè; Sylvestrum verò, & Tabienā cum Archidiacono negativè: quos sequitur ipse. Cui ego subscribo ob authoritatem tum Eugenij in Decreto superiori, tum Concilij Carthaginensis 4. C. 5. relati C. *Subdiaconus* 11. dist. 23. & dicentis, *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*. Accedit ratio, quia præcipuū munus Subdiaconi est, deferre ad altare non modò calicem, sed etiam patenam. Ergo traditio ab Episcopo facta, quæ est significativa illius muneris, & potestatis, debet non solùm esse calicis tanquam materię, sed etiam patenæ. Sic expressè Henriquez; aſt alij, quos pro se allegat, non loquuntur de Ordinatione Subdiaconi, sed Sacerdotis, vt constabit legenti Sylvestrum V. *Ordo* 2 § 11. ad finem, Tabienam eodem V. 2. num. 6. vt & qui in contrarium citantur; quod saltē de Rosella V. eodem 2. §. 8. possum securè asserere. Ioannes de Cruce in tit. de Sacramento Ordinis dub. 2 Concluſ. 1. inquit, * Materia Subdiaconatus est traditio calicis, * quin meminerit patenæ, vti faciunt Sà V. *Ordo*, num. 9. Dicastillus Tract. 6. D. 1. dub. 12. numero 183. Diana parte 10. Tract. 11. Resol. 9. Leander que cum alijs Tract. 6. D. 3. q. 15. vbi notat, Henriquezium retulisse addubitantem Sylvestrum, cū tamen is certus sit de invaliditate. Prodeant verba Sylvestri, * Quod autem dicunt Innocentius, & tenet Supplemē tum, & Rosella, si Sacerdoti non fuerit traditus calix patenatus, secundùm aliquos non esse supplendum, quia non sunt de substantia, sed tamen tutius esse supplere: meritò reprobat Archidiaconus, quia in hoc imprimitur eius character; imò incongruè vtitur verbis, cùm dicendum fuerit, tutius esse iterare. * Qui tutiorem tantùm dicit iterationem, non reputat omnino certam invaliditatem Ordinationis, quando porrectus non fuerit calix patenatus, vt ipse loquitur. Præterquàm quòd Sylvester non habet sermonem de Ordinatione Subdiaconi, sed Sacerdotis, & in casu, quo nec patena, nec calix fuisset illi traditus siue ex oblivione, ignorantiavè, siue quia cum nonnullis Doctoribus putaretur, Ordinationis Sacerdotalis materiam esse prorsus aliam, & distinctam. Quare etsi Leander, vt probatam faciat suam diligentiam in Authoribus legendis, soleat detegere aliorum negligentiam, datur hinc noscere, gnavum quemque Authorem hominem esse, & pati humana manum quid, exceptis Canonicis Scriptoribus.

127 Disputatur secundò, an traditio calicis cum vino, patenæque cum pane requiratur ad materiam Ordinationis Sacerdotij, ita vt neutra seorsim sit satis, & ita vt si calix sit vacuus

cuus, vel patena, Ordinatio non valeat? Henriquez Lib. 10. C. 6. §. 1. scribit, * Traditio vasis cum altera specierum videtur esse materia sufficiens, ita vt si id ex oblivione contigerit, non sit hic Ordo iterandus ex necessitate, nec enim diuisim datur potestas in vnam speciem, sed qui potest alteram, potest & vtramque speciem cõsecrare. Et vt Pontifex dispensauit cũ quibusdam nationibus, in quas vinum asportari, aut allatum conseruari non potest, vt licitè offeratur Sacrificium in solo pane consecrato; ita posset, vt ibidem Episcopus Sacerdotio initiet per traditionem vasorum cum materia panis, in qua tantùm celebrat. * Hactenus Henriquez, qui de hoc puncto clariùs, & extensiùs tractauit, quàm priores alij Theologi. Citat pro se Tabienam, Armillam, & Ledesmam: primum, quia dicit V. *Ordo* 2. num. 8. recipi characterem à Sacerdote, quando accipit calicem præparatum: secundũ, nam V. eodem num. 5. ait, imprimi tunc, cum datur calix: tertium, quia aliquando nominat vnicam speciem. Sed certè Tabiena, & Armilla loquuntur de calice præparato non solùm cum vino, sed etiam cum patena superposita, vt solet porrigi ab Episcopo in Ordinatione Sacerdotum. Mart. Ledesma 2. 4. quæst. 36. art. 5. intelligendus est eodem modo; vt & S. Thomas in 4. Dist. 24. quæst. 2. art. 3. vbi significari à S. Doctore quidpiam sibi fauens, visum est Henriquezio. Sed ex posteriotibus multi sunt, qui ei adhærent, Thomas Sanchez Lib. 7. Consiliorum C. 1 dub. 12. num. 17. Filliucius tomo 1. Tract. 9. C. 2. num. 43. Bonacina de Ordine, puncto 3. num. 3. Homobonus, Bartholomæus ab Angelo, alijq; apud Auersam quæst. 2. de Ordine, sectione 8. V. *Quartò tamen*, Dianam p. 3. Tract. 4. Resol. 186. parte, & Tractatu 4. Resol. 119. & apud Leandrum Tract. 6. D. 3. q. 8.

128 Hæc opinio non modicã patitur difficultatem ex verbis Eugenij IV. suprà exaratis, in quibus assignatur pro materia Ordinis Presbyteratus, non solus calix cum vino, nec sola patena cum pane, sed coniunctim calix cum vino, & patena cum pane. Consonat que Eugenio IV. Catechismus Romanus parte 2. C. 7. de Ordinis Sacramento, num. 25. Sed responderi potest, dici etiam ibidem ab Eugenio IV. §. *Quartum Sacramentum est pœnitentia*, huius *quasi materiam esse actus pœnitentis*, inter quos recensetur *satisfactio pro peccatis secundùm arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, ieiunium, & eleemosynam.* Et tamen satisfactio nõ est essentialis materia Sacramẽti illius, sed cordis contritio, & confessio oris, quos actus primo, & secundo loco enumerarat Eugenius. Vt ergo non est essentialis materia pœnitentiæ, quidquid ab Eugenio dicitur materia, sed ipsum exponim⁹ tã de essentiali, quàm de integrali; ita in præsenti puncto licebit interpretari eundem, quatenus alterutra ex illis traditionibus sit materia essentialis, sed nõ vtraque simul, atque coniunctim. Præterea ibidem in §. *Secundum Sacramentum est confirmatio*, ait idem Pontifex, *materiam* eius *esse chrisma confectum ex oleo :: & balsamo :: per Episcopum benedicto.* Nihilominus Melchior Canus apud Valentiam tomo 4. D. 5. quæst. 1. puncto 2. V. *Prima fertur*, intellexit Eugenium, quatenus ex oleo, & balsamo copulatiuè posset coalescere materia Sacramenti confirmationis, & ex quolibet disiunctiuè. Caietanus etiam 3. parte, quæst. 72. art. 2. Sotus in 4. Distin. 7. quæst. vnica, art. 2. alijque plures existimant, balsamum non esse de necessitate eiusdem Sacramenti; aitque Sotus, glossari posse verba Eugenij, vt balsamum sit dumtaxat de præcepto. Idem Caietanus ait, sequenti tradit, olei, & balsami benedictionem ab Episcopo non requiri ad essentiam eiusdemmet Sacramenti. Et Victoria in Summa num. 216. asserit idipsũ de benedictione olei infirmorum, etsi Eugenius ibidem §. *Quintum Sacramentum est extrema vnctio*, dicat, huius *materiam esse oleum oliuæ per Episcopum benedictum.* De materia tandem Eucharistiæ ibidem Eugenius §. *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum* pronunciat, *esse panem triticeum, & vinum de vite, cui ante cõsecrationem aqua modicissima admisceri debet*: ex præcepto quidem, & non de necessitate Sacramenti, vt contra Armacanum in quæstionibus Armenorum Lib. & C. 9. est intellectum, & receptum in Ecclesia Dei. Si igitur postrema hęc intelligentia, primaque illa verborum Eugenij

adeò

adeò est probata, & intermediæ aliæ Catholicas aures non exasperant, poterunt non absimiliter excipi verba illa, quæ de materia Presbyteratus proferuntur ab Eugenio.

129 Atque hinc opinio P. Hēriquezij non videtur mereri censuram improbabilitatis speculatiuæ. Ego tamen accedo ad oppositam, proindeque affirmo, fore invalidam Ordinationem, si non traderetur calix cum vino, & patena cum pane. Moueor, quia etsi Eugenij verba possint quasi vi quadam ita inflecti, vt ab eis non discrepet opinio Henriquezij; nihilominus suauis, planus, & spontaneus eorum sensus non est ipsi benignus. Decretorum autem Pontificiorum, & Cōciliarium verba, præsertim in re adeò gravi, qualis est Sacramentorum materia, debent capi vt sonant, quoties possunt sine aliquo manifesto absurdo, vel sine aperta ratione, aut sine æquali authoritate expressiori in contrariū; quæ omnia, & singula desunt in præsentiarum. Et ex hac regula ferendum est iudicium de interpretationibus ad alia Eugenij verba proximè allata. In quorum primis cum actus pœnitentis appellentur *quasi materia*, & in postremis cum post memoratum vinum adijcitur, *cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*, significatur satis id, quod communis intelligentia voluit. Intermediorum verò verborum interpretationes gratæ mihi non erunt, si cum præfixa regula non congruant; & quantùm nunc iudicare possum, reservato prolixiori examine in aliud tempus, non magis ad eam accedūt, quàm interpretatio, de qua nūc habetur sermo.

130 Et quidem vt tam calix cum vino, quàm patena cum pane non sit essentialis materia Ordinis Presbyteratus, vt sonant verba Eugenij, neque ex sacris litteris, neque ex sanctionibus Pontificum, aut Conciliorum allegant aduersarij expressiorem aliquam authoritatem; neque item ex admissa vtraque illa materia, vt essentiali, ostendunt præcipitij cuiuspiam periculum imminere; neque rursus causæ suę præsidium situm est in ratione aliqua admodùm robusta, & vrgenti, vt iam constabit ex responsione ad eam, quàm affert Henriquez; nec aliam ego inuenio in ipsius assertis, si excipiam Petrum Marchantiū, qui apud Dianam parte 10. Tract. 13. Res. 50. ait * Ordinationem cuiusdam, cui porrectus fuit calix vacuus, fuisse simpliciter validam, nec absolutè, aut sub conditione repetendam. Ratio fundamentalis, quia ex S. Bonaventura, & alijs porrectio calicis cum vino, sicut & patenę cum pane, pars materiæ integralis est, quæ ad essentiam non pertinet per se: modò tamen forma pronunciata fuerit. Quę autē tantùm ad integritatē, & expressiorem significationem spectāt, etsi sine culpa omitti non possunt, Ordinationem tamen, & Sacramentum non invalidant. * Sic Marchantius, qui in ea sententia esse videtur, vt manuū impositio ab Episcopo sit tota essentialis materia Ordinationis Sacerdotalis; & porrectio calicis cum vino, patenæq; cum pane sit tātùm materia integralis, nam S. Bonaventura, quem allegat, ita indicavit in 4. Dist. 24. parte 2. art. 1. q. 4. & sub dubio reliquit Petrus de Soto in Institutione Sacerdotum, Lect. 5. de Sacramento Ordinis, expressitq; Becanus de Sacramētis C. 26. q. 4. iuxta quā opinionē nō esset irrita Ordinatio, si omnino nulla traditio calicis, & patenæ interueniret. Sed mihi incredibile fit, Eugenium Papam penitus omisisse essentialem materiam Presbyteratus, quando tam minutim assignavit Sacramentorum materias. Non renuam tamen concedere; impositionem manuum ab Episcopo, quando is dicit, *Accipe Spiritum sanctum, &c.* esse respectu potestatis absolvendi à peccatis materiam essentialem, & tacitam ab Eugenio ob causas, de quibus alibi opportunus incidet sermo.

131 Deveniendo igitur ad rationem Henriquezij, respōdet ad eam Ysambertus D. 3. de Ordine, art. 3. pag. 426. si cui in Ordinatione Presbyteratus traderetur patena cum pane, & calix vacuus, proferēte Episcopo verba illa, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* non mansurum validè ordinatū ad consecrandām vtramque speciem, sed ad eam solam, quæ est panis. Adhuc tamen premit ratio illa, quia, cum verba formæ sint, quæ dixi, nequit iuxta eorum significationem, & iuxta intētionem Ecclesię conferri potestas ad consecrandam vnam speciem, & non ad aliam,

liam, siquidem Sacrificium coalescat essentialiter ex consecratione vtriusque speciei; & quanvis coalesceret ex vtralibet, ast intentio Ecclesiæ in eis proferendis est, vt conferatur potestas ad consecrationem tam vnius, quàm alterius speciei. Ob id Aversa suprà citatus respondet in § *Sed de facto*, Ordinationem fore prorsus invalidam, quia cõsecrandi potestas, quam Ecclesia intendit communicare integram, & completam, scilicet ad consecrandam vtramque speciem, significatur ab ipsa per traditionem vini, & panis institutam tanquam materiam; quare deficiente vino, vel pane, non cõmunicabitur ea potestas. Sicut si Episcopus dimidiaret formam, & solùm diceret, *Accipe potestatem consecrandi panem*, vel solùm diceret, *Accipe potestatem consecrandi vinum*, irrita evaderet Ordinatio. Placet mihi hæc responsio, si addatur, potestatis sacrificatiuæ collationem significari ex Ecclesiæ intentione per traditionẽ vini, & panis tanquam per materiam Ordinationis Sacerdotalis, quin habeamus fundamentum ad dicendum, perinde fore ex intentione Ecclesiæ eam significationem per vtramlibet speciẽ, ac per vtramque simul, vti caremus fundamento ad affirmandum; esse magis præcipuè per vnam speciem, quàm per aliam. Si vrgeas, significatio ex intentione Ecclesiæ per vtramque speciem colligitur ex verbis Eugenij. At hic loquens de alijs Sacramentis præscribit aliqua tanquam materiam, & formam, quę non sunt necessaria ad significationem effectuum prouenientiũ ab illis Sacramentis, v.g. in Sacramento infirmorum assignat tanquam materiam septem vnctiones, & in Sacramento Confirmationis præscribit tanquam formam *Signo te signo crucis, & cõfirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; cũ tamen neque hæc omnia verba in opinione plurium sint necessaria, neque septem illę vnctiones in omnium sententia, imò vnam esse sufficiẽtem, docent non pauci. Et in ipso Sacramento Ordinis non sunt de eius necessitate, & validitate iuxta communem sententiam verba illa *In nomine Patris, &c.* nihilominus inter verba formę ponuntur ab Eugenio. Respondetur, nullum comparere argumentum, quo inducamur ad discurrendum eodem modo in significatione per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane.

132 Iam quod dicitur ab Hẽriquez de potestate Summi Pontificis ad dispensandum, vel declarandum, vt in vna sola specie possit offerri Sacrificium, præterquàm quòd negatur à multis, nihil iuvat ipsum, quia etsi Põtifex dispensaret, vel declararet, non ideo deberet in Ordinatione Sacerdotali conferri potestas ad consecrandam vnam speciem, & non aliam; imò iuxta ipsum Henriquez deberet conferri potestas ad vtramque consecrandam eo ipso, quòd conferretur ad vnam, etiamsi vnius solius traditio fieret in ritu Ordinationis Sacerdotalis. Hinc si Ecclesia decreviſſet, aut in posterum decerneret, vt in ea Ordinatione non fuisset facta, aut non fieret traditio nisi vnius speciei, vel nullius, ita vt fuisset, aut foret materia traditio vnius tantùm speciei, vel ita vt nullo modo fuisset, aut foret materia; adhuc, potestate collata ad consecrandam vnam speciem, conferretur etiam ad aliam. Videatur Aversa suprà, & per totam Sectionem secundam.

133 Loquutus sum de traditione calicis, & patenæ cum vino, & pane tanquam materia essentiali Ordinationis Sacerdotalis in Ecclesia Romana, nam in Græca non fit ea Ordinatio nisi per impositionem manuum ab Episcopo tanquam per materiam, & per hæc verba tanquam per formam, *Diuina gratia promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum.* Quem ritum observant non modò Græci Schismatici, sed etiam qui cum Ecclesia Romana communionẽ habent, & qui degunt Romæ, quin Ecclesia Romana irritas censeat eorũ Ordinationes. Quomodo autem stet tãta diuersitas rituũ in iis, quę ad materiam etiam, & formam Sacramenti Ordinis spectant, indicarunt Bellarminus L. de Ordine C. 9. ad finẽ. Coninch D. 20. dub. 7. n. 65. Layman L. 5. Tract. 9. C. 5. n. 2. & prosequuti sunt copiosè Arcudius toto L. 6. de Cõcordia Ecclesiæ Occidentalis, & Oriẽtalis in administratione Sacramentorum, Cardinalis de Lugo D. 2. de Sacramentis, S. 5. Marchinus Tract. 2. de Ordine, p. 7. C. 2. & post ipsos cæteri scribentes, sed ante ipsos priscis Theologis,

logis, & Canonistis res hæc non modicum negotium facessivit, à quo multi non se expedierunt tam fœliciter, quã recentes laudati.

134 Hactenus de secunda controversia; cuius decisio à nobis præhabita approbatur ab omnibus alijs Theologis præter eos paucos, quos pro contraria parte recensui. Vnde repetendam esse sub conditione Ordinationem Sacerdotalem, si calicis cũ vino, & patenæ cum pane non fuisset facta traditio in priori Ordinatione, asse ro omnino cõstanter contra Hẽriquez, & Marchantium, quia etsi probabilis sit valor Ordinationis sine ea traditione, ast non est certus, sed valde dubius; nec ex persuasione de sui probabilitate adquirere potest Ordinatio valorem, quem aliàs non habere, probabile est, imò multò probabilius. Ergo saltem sub conditione iterari debet Ordinatio, si velit Ordinatus procedere ad exercendam potestatem Sacerdotalem, alioqui exponet se periculo consecrandi, & absoluendi invalidè: & aliunde *nequit in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur*, vt dicitur in C. *Cum itaque* 112. de Consecratione Distinct. 4. & vt dicitu C. *Solemnitates* 16. de Consecratione Dist. 1. *non monstratur iteratum, quod nescitur factum.*

135 Ex dictis infero id, quod iam attigi in n. 67. & 68. scilicet si traderetur Ordinando panis sine patena, aut vinum sine calice, quia immitteretur immediatè in manus, fore valde incertam eius Ordinationem, atque adeò iterandam sub conditione. Paludanus ibi citatus contrarium significare videtur, exprimitque Dicastillus ibidem adductus, necnon Præpositus 3. p. q. vnica de Sacramẽto Ordinis dub. 10. n. 89. Auersa q. 2. de eodẽ Sacramento sect. 8. V. *Tertiò, circa hanc partem.* Ratio illationis desumitur ex Eugenij Papæ verbis, quæ tam panem, & vinum, quàm calicem, & patenam dicunt materiam esse Ordinationis Sacerdotalis. Si respondeatur, nominari calicem, & patenam ratione tantùm commoditatis, & ritus Ecclesiastici in tradenda materia Sacrificij Eucharistici. Contra, quia Ecclesia Romana circa Sacramentum Ordinis valde solicita est quoad instrumẽtorũ porrectionẽ, vt patet in singulis Ordinibus: quod argumentum est apud me non parùm efficax, vt putem, non solùm materiam Sacrificij Eucharistici, sed etiam instrumenta, seu vasa, in quibus illud fit, esse materiam Ordinationis Sacerdotalis.

136 Rursus infero, panem contentum in patena debere esse triticeum, & vinum contentum in calice debere esse de vite; nam nomine panis absolutè prolato intelligitur triticeus, & nomine vini intelligitur virgineũ, nec nisi triticeus panis, & vinum vitigineum est materia Sacrificij. Si verò vinum nõ esset temperatum aqua, non ideo foret irrita Ordinatio, nam aqua non est de necessitate materiæ calicis consecrandi, vt benè notat Ylambertus in loco præcitato. Et ideo Eugenius Papa non meminit aquæ; quanvis Pontificale Romanum advertat, calicem tradendum Ordinando debere esse cum vino, & aqua; peccaretur que grauiter, si traderetur calix cũ solo vino. Et similiter nõ absq; culpa graui traderetur in Ecclesia Romana patena cum pane fermentato.

137 Non declarat Eugenius Papa, per quem debeat fieri traditio calicis, & patenæ. Idque est, quod tertio à Theologis controvertitur. Sed Concilium Carthaginense 4. C. 5. relatum in C. *Subdiaconus* 15. Dist. 23. ait, Subdiaconum debere accipere de manu Episcopi calicem vacuum, & patenã vacuam: atq; hinc deduco, Saterdotẽ debere necessitate Ordinis accipere de eiusdem manu calicem cum vino, & patenã cum pane. Ita Sanchez L. 7. Consilior. C. 1. dub. 5. n. 4. cum Silvestro, Armilla, Angelo, Tabiena, & cum Hẽriquez. Ita etiam Aversa suprà S. 2. V. *At retinendo*, & V. *Solùm videri potest*, Ysambertus suprà, art. 8 pag. 435. Trullẽch L. 6. de Sacramentis, C. vnico, dub. 2. n. 3. cum alijs apud Dianam p. 10. Trac. 15. Res. 20. & apud Leandrum tomo 2. de Sacramẽtis, Tr. 6. D. 3. q. 28. Quibꝰ addo Emmanuelem Sà, V. *Ordo*, n. 9. dicentem, * Sufficit in cęteris Ordinibus, præter Sacerdotium, tradere materiam per Archidiaconum. *

138 Taxant nonnulli in Sà vt dignum correctione, quòd solũ exceperit Sacerdotium, cũ debuisset etiã Diaconatũ, & Subdiaconatũ. Sed Sà adhæsit Dominico Soto scribẽti in 4. Dist. 24 q. 1. art. 3. V. *Tertio loco*, * Vigilt olim

vſus, vt Archidiaconus tam Subdiacono, quàm Diacono materiam præberet, & Epiſcopus proferret formam, vt loco citato Diſtinct. 25. ait Sanctus Thomas. Iam verò in Pontificali Romano ſcriptum eſt, vt Epiſcopus illam tradat. * Eadem ferè habet Diſtinct. 25. quæſt. & art. 1. V. *Ad primum igitur.* Quanquam verò citet S. Thomam pro illo vſu; aſt S. Doctor Diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 1. ad 2. conceptis verbis ait, *Archidiaconus dat Subdiacono ea, quibus ſuperioribus Ordinibus ſervit, & tamẽ in illis non conſiſtit principaliter actus Subdiaconi, ſed in hoc, quod operatur circa materiam Sacramenti; & ideo characterem accipit in hoc, quod datur ei calix ab Epiſcopo.* Quare P. Sanchez ſuprà, num. 3. monet, Sotum impoſuiſſe falſum S. Thomæ. Sed P. Sà fidem prębens Soto quoad illum vſum deduxit inde, porrectionem inſtrumentorum ab Epiſcopo non eſſe de ſubſtãtia Diaconatus, & Subdiaconatus: & pro hac ſententia allegat Sotum Averſa ſuprà. Non igitur ſingularis eſt Sà, ſed habuit quem ſequeretur ex Prædicatoria Religione, totius ſapientiæ centro, atque emporio. Ego tamen ob C. *Subdiaconus*, cenſeo, excipiendum Diaconatum, & Subdiaconatum non minus, quàm Sacerdotium.

139 Non me latet, dici in eodem C. accipiendum eſſe à Subdiacono de manu Archidiaconi vrceolum cum aquamanili, vel cum aqua, & mantile, aut bacile, ac manutergium; & in C. *Acolythus*, qui proximè ſequitur, & qui eſt etiã Concilij Carthaginenſis 4. C. 6. dici, accipiendum eſſe ab Acolytho de manu Archidiaconi ceroferarium cum cereo, & vrceolum vacuũ; nec ideo porrectio præfatorum inſtrumentorum per manum Archidiaconi eſt de ſubſtantia Ordinum Subdiaconatus, & Acolythatus; imò in Pontificali recognito non diu anteà, quàm Caietanus ſcriberet Tractatum vndecimum tomi 1. Opuſculorum, & in alijs hucvſque editis, & correctis non Archidiaconus, ſed ipſe Epiſcopus iubetur tradere Acolytho candelabrum cum cãdela extincta, & vrceolum vacuũ, quin traditio ab Epiſcopo ſit nunc de ſubſtãtia, & validitate Acolythatus, ſicut nec olim fuit traditio ab Archidiacono. Ergo quòd in C. *Subdiaconus* dicantur calix vacuus, & patena vacua debere ſumi de manu Epiſcopi, non convincet eſſe id de neceſsitate Subdiaconatus; & conſequenter non convincet, eſſe de neceſsitate Diaconatus, & Sacerdotij ſumptionem libri Evangeliorum, caliciſque cum vino, & patenæ cum pane de manu Epiſcopi: quemadmodùm quòd in eo capite dicatur Archidiaconus traditurus Subdiacono vrceolos cum vino, & aqua, bacileque cum manutergio; & quòd in C. *Acolythus* dicatur idem Archidiaconus traditurus Acolytho ceroferarium cum cereo, & vrceolum vacuum; & quod in Pontificali Romano dicatur Epiſcopus traditurus eadem eidem, non probat peremptoriè, eſſe id neceſſarium ad validitatem ſiue Subdiaconatus, ſiue Acolythatus.

140 Sed reſpondeo, authoritatem Concilij Carthaginenſis in C. *Subdiaconus*, iuncto Eccleſiæ Romanæ vſu, & Doctorum intelligentia, perſuadere mihi id, quòd dixi contra Sotum, & Sà: hæc autem adminicula deſunt, vt traditio inſtrumentorum aliquorum per manum Archidiaconi ſit de neceſsitate Subdiaconatus, & traditio ceroferarij, vrceolique per manum ſiue Archidiaconi, ſiue Epiſcopi ſit de neceſsitate Acolythatus. Præterea cũ in Eccleſia Romana olim traditio facta ſit per Archidiaconum, & nunc fiat per Epiſcopum, infertur, neque antiquũ, neque modernum ritum eſſe de eſſentia Acolythatus, alioqui Eccleſia Romana vel nunc erraret, vel quondam erraſſet, aut alioqui eſſentialis quoad materiam ritus in Acolythatu Romanæ Eccleſię fuiſſet varius.

141 Dicta de Ordinibus minoribus, & pręcipuè de Acolythatu efficiunt, ne facile ſit probare à ratione neceſsitatem accipiendi in Sacerdotio calicem cum vino, & patenam cum pane de manu Epiſcopi. Nam quòd is ſit Miniſter conficiendi, conferendique Sacramenti Ordinationis Sacerdotalis, & in Sacramentis Miniſter, vt debet proferre formam, ſic etiam per ſe ipſum applicare materiam, excepto Sacramento pœnitentiæ: ratio eſt, quæ patitur inſtantiam in Ordinibus minoribus, præſertimque in Acolythatu, ſiquidem Epiſcopus ſit eorum Miniſter, & tamen ad eorum validitatem nõ requiritur porrectio inſtrumentorum facta

cta ab Episcopo. Et si verò P. Vazquez D. 237. C. 2. num. 23. & 24. obid affirmarit, Acolythatū, treſque alios minores Ordines non esse Sacramentum; communior ſententia tenet contrariū. Et permiſſo, non eſſe Sacramentum, ſi Episcopus foret totalis Miniſter conficiendi, & conferendi Acolythatus, licet ipſe per manū ſuā non traderet candelabrū, & vrceolū, ſed in eius præſentia, & ad eius nutū Archidiaconus; & de facto ſi olim Episcopus fuit totalis Miniſter, quanvis Archidiaconus tradiderit prædicta inſtrumenta, quia, vt ait S. Thomas ſuprà, *Acolythus accipiebat characterem ex verbis Epiſcopi in hoc, quod accipiebat prædicta ab Archidiacono*: cur ſimiliter in Ordine, & Sacramento Sacerdotij conficiendo, & conferendo nō poſſet intelligi, Epiſcopum eſſe totalē Miniſtrum, quanvis alius in præſentia, & ad ipſius iuſſum præberet calicem cum vino, & patenam cum pane? Cur vt tu vteris exemplo aliorum Sacramentorum, non licebit alicui vti exēplo aliorum Ordinum, quæ Sacramenta non ſint? Et ſaltem Sotus, atque Sà, qui porrectionem inſtrumentorum in Subdiaconatu, & Diaconatu poſſe validè fieri per aliam manum, quàm Epiſcopi, dixerunt, tenentur fateri, rationem illam ſuperiorem circa Sacerdotium nullius eſſe momenti, cum Subdiaconatus, & Diaconatus ſint Ordo, ſimulque Sacramentum: quod de Diaconatu eſt propè certum de fide; & de Subdiaconatu negari non poteſt iudicio plurium, abſque nota improbabilitatis vt minimùm.

142 Quapropter cùm apud Doctores non inveniam, niſi ſuperiorē illam rationem, neque alia, quæ ſit vrgens, occurrat mihi, dico, neceſsitatem, vt Episcopus phyſicè manu ſua tradat inſtrumenta Ordinationis Sacerdotalis, revocandam eſſe ad C. *Subdiaconus*, qui Canon etſi de ſolo Subdiacono loquatur, ſed à fortiori intelligitur de Diacono, & Sacerdote: revocandam etiam eſſe ad præſcripta in Pontificali Romano tam antiquo, quàm recenti, ad Eccleſiæ praxim inolitam in ipſis ſuæ temporis principijs, ad Theologorum, & Canoniſtarum cōnſenſum: ex quib⁹ capitibus magis, quàm ex alijs ſpeculationib⁹ hæc res diiudicāda eſt, vt prudenter admonet Coninch ſuprà, n. 70.

143 Obijciet quis, ſi neceſsitate Ordinis opus eſſet, vt inſtrumenta phyſicè tangerentur, & traderentur per manus Ordinantis, opus etiam foret, vt manu Ordinati tāgerentur phyſicè, & acciperentur. Sed hoc poſterius non requiritur, vt docent Albertus Magnus in 4. diſt. 24. art. 38. ad 2. Caietanus in Summa V. *Ordinandi* (quā vis tomo 1. Opuſculorum Tract. 26: ſenſerit oppoſitum) Armilla V. *Ordo*, num. 4. Tabiena eodem V. 2. num. 1. Victoria num. 230. de Sacramentis, indicat Nauarrus C. 22. num. 17. propendentque Martinus de Ledeſma 2. 4. quæſt. 36. art. 5. & Sotus ſuper 4. Diſt. 24. quæſt. 1. art. 2. §. *Vnum hic ſuboritur dubium*: quibus adhærent è Societate noſtra Henriquez Lib. 10. C. 10. §. 1. Sà V. *Ordo*, num. 3. in editione antiqua, Vazquez D. 246. C. 2. ex num. 19. Reginaldus, Layman, Martinonus, Bauny, Gaſpar Hurtadus, Dicaſtillus, multique alij tam intra, quàm extra Societatem noſtram. Ergo neq; requiritur prius illud. Et quidem Bernal D. 47. ſect. 7. num. 16. ait, eandē eſſe vtriuſque rationem, vt ſcilicet ſi neceſſarium non ſit, inſtrumenta tangi ab Ordinato, neque itidem neceſſarium ſit, tangi ab Ordinante. Et neutrū requiri, concludit in num. 17. his verbis, * Satis igitur eſt, vt Episcopus percipiat materiam Ordinando ſufficienter præſentem, & vt iſte accipiat moraliter illam: ſicut quādo traditur, & accipitur alia quędam poteſtas moralis alicui perſonæ preſenti per contractum humanum ad preſentiam ipſius materiæ; v. g. quando quis fit Abbas traditione baculi, fit Comes traditione clavium vrbis. * Sic Bernal. Vnde iuxta ipſum, ſi calix cum vino, & patena cum pane exiſterent in menſa coram Epiſcopo, & Ordinando, diceretque ille, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificiū, &c.* hic autē verbo, vel nutu acceptaret, ſatis id eſſet: non ſecus ac cui more humano poteſt donari equus, dicique, vt illum accipiat, quanvis nec donans, nec donatarius illum tangant phyſicè, ſed ſolummodò interveniat oſtenſio præſens cum ſigno acceptatiuo per verba, vel per nutus: non ſecus etiam ac in matrimonij Sacramento ſine vllius contactus phyſici neceſsitate vir, & mulier mutuam in ſe ſe autho-

ritatem adquirunt per traditionē sui, & acceptationem reciprocam. Adhęc: * De minoribus Ordinibus non est dubium, nisi quòd non requiritur contactus, * quæ sunt verba Victoriæ suprà: & tamen in eis Ordinibus instantur omnia argumenta, quę pro maioribus adducuntur. Præterea etsi in Canone *Subdiaconus* dicantur instrumenta accipienda de manu Episcopi, videtur sufficienter intelligi id, si Episcopus manu designet illa posita super mensam coram Ordinando; sufficienterque intelligi videtur, quòd Episcopus tradat, & porrigat illa, vt dicitur ab Eugenio IV. quin proferat vllum verbum de contactu instrumentorum per manum Ordinandi. Et quanvis in Pontificali Romano iubeatur contactus per manus Episcopi, & Ordinandi, hinc non deducitur alia necessitas, quàm præcepti, eoquòd Ecclesia Romana voluerit, vt, tangentibus Episcopo, & Ordinando instrumenta, seu symbola externa significetur expressiùs spiritualis potestas data, & accepta in Ordinationibus. Obiectio hęc vocat nos ad id, quod quartò à Theologis disceptatur.

144 Respondeo primò cum S. Thoma in 4. Dist. 24. quæst. & art. 1. qui cum in 5. quæstiuncula de materia Ordinis proposuisset hoc tertiū argumentum pro parte negatiua, *In quolibet Sacramento habente materiam requiritur contactus materiæ ad eum, qui suscipit Sacramentum: sed, vt à quibusdam dicitur, contactus dictorum materialium ab eo, qui suscipit Sacramentum, non est de necessitate Sacramenti, sed solùm porrectio. Ergo prædictæ res materiales non sunt materia huius Sacramenti*: respondet sic, *substinendo illud dictum*, nempè quòd contactus Ordinandi non est essentialis, *apparet ex dictis causa eius. Quia enim potestas Ordinis non accipitur à materia, sed à Ministro principaliter, ideò porrectio materiæ magis est de essentia Sacramenti, quàm tactus*. En etsi S. Thomas permittat, contactum materię per manum Ordinandi non esse necessarium ad essentiam Ordinis, nihilominus affirmat, porrectionē per manum Ordinantis esse requisitam, assignatque rationem discriminis non incōgruam. Vnde non benè Bernal dixit, discurrendum esse eodem modo in vno casu, ac in alio. Et vltra authoritatem, rationēq; S. Doctoris, expersione dignum est, quòd cum tot Doctores, quot suprà retuli, conveniant in negandā ex presse necessitate contactus per manū initiandi Sacerdotio, nullus eorum, nisi Bernal, apertis verbis diffitetur necessitatem contactus per manum Episcopi. Vt verò ego eam pluries, & pluries asseram, habeo fundamēta, quę suprà proposui. Et quanvis in alijs sermonibus familiaribus, seu contractibus politicis similia verba ijs, quæ in Ordinatione dicuntur, possint, & soleant intelligi sine necessitate contingendi physicè rem, quam donas; ast in formulis Ordinū, præcipuè maiorum, verba significant contactum physicum instrumentorum principalium per manum Episcopi. Sic verba, *Ego te baptizo*, significāt in Sacramēto baptismi actionem personalem eius, qui dicitur baptizare; tametsi similia verba in alijs loquutionibus salvari possent absque actione mea personali, si alter nomine, iussuque meo, & coram me operetur.

145 Respondeo secundò cum S. Thoma, qui vbi suprà sic prosequitur, *Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quòd tactus materiæ ab Ordinando sit de essentia Sacramenti, quia dicitur, Accipe hoc, vel illud*. Enait, contactum physicum materiæ per manum Ordinandi esse de essentia Ordinationis, quanvis loquatur non omnino asseveranter; & ideo Victoria scripsit suprà, S. Doctorē reliquisse hoc sub dubio, & Sotus solummodò agnoscit propensiorem inclinationem S. Thomæ in necessitatē contactus physici. Post S. Doctorem innumeri ferè sunt Theologi, qui prorsus assertiuè præfatam necessitatem tueantur. Multos referunt Diana parte 2. Tract. 16. Resol. 3. parte 3. Tractatu. 4. Resolut. 185. Leander Tractatu 6. D. 3. q. 22. Auersa quæst. & S. 2. V. *Deinde*, possentque addi plures alij. Et quanvis B. Albertus Magnus dicat, non esse curandum de illis, qui in hoc puncto aliter sentiunt, ac ipse, *quia rationem parvam habent*. Attamen magni ponderis sunt, quę à Theologis recentioribus afferuntur. Ego maximè moveor praxi Ecclesiæ, & toties inculcata monitione Pontificalis Romani circa talem contactum, necnon cura Ordinandorum, vt eum non omittant, non tantùm quia in præcepto sit, sed

quia

quia recepta persuasio est, pertinere ad essentiam Ordinationis. Moueor etiam ex C. *Presbyter* 3. de Sacramentis non iterandis, vbi legimus, *Presbyter, & Diaconus, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali (ritu ab Apostolis introducto) recipiunt.* Notentur verba *Tactu corporali*; nam non sufficit in Ordinatione Diaconi, & Presbyteri, si Episcopus extendat manus super ipsos genuflexos ad eius pedes, sed requiritur, vt manibus tãgat capita ipsorum, quãvis primum illud posset significare vtcumque potestatem, quæ ipsis confertur. Ex his manent diluta omnia, quæ in obiectione adducebantur, si tantùm advertam, latere me, vnde Franciscus Victoria, Theologus egregiè doctus, dixerit, esse indubium id, quod ex eo retuli.

146 Addit ibidem Victoria, * Nec ego damnarem eum, qui negligentia, vel alia ex causa non tangeret calicem; & haberem eum pro Sacerdote. * Quod dictum gratum fuit Nostro Emmanueli Sà supra scribenti, * Contactus materiæ non est de essentia Sacramenti (etsi id quidam putent) nec oportet, suppleri, si modò Episcopus præsentavit, etiam si non tacta sit * Vel potiùs efformavit Sà hunc aphorismum ex Caietano dicente, * Quoniam Pontificalia non concordant adinvicem, nullius Ecclesiæ antiquum in vsu Pontificale damnandum videtur. Ac per hoc non videtur iterandum, aut supplendum alicubi, quod fortè secundùm aliud Pontificale iterandum, aut supplendum esset. Et de horum numero videtur esse contactus materiæ, vbi diuersa Pontificalia, antiqua, & in vsu diuersa ordinant, Propter quod in Concilio Florentino sub Eugenio IV. cum traditur materia Ordinis, nunquã fit mentio de tactu ipsius, sed solùm de actu tenente se ex parte Ministri, scilicet porrectione, datione, traditione, & assignatione. * Sic Eminentissimus ingenio, & purpura Caietanus in Summa, V. *Ordinandi.*

147 Sed Henriquez, Gaspar Hurtadus, Dicastillus suprà, Tannerus tomo 4. D. 7. quæst. 2. dub. 4. numero 98. Arriaga tomo 8. Dub. 56. S. 6 num. 24. Granadus tomo 5. Controv. 9. Tract. 1. D. 6. num. 8. Cardinalis de Lugo Lib. 1. Responsorum Moralium dub. 33. num. 3. sentiunt, & merito, debere repeti sub conditione Ordinationem, præsertim quę Sacerdotalis sit, si materiæ contactus defuerit. Rationem reddidi in num. 134 habetq; in hoc casu non minorem vim, cum nullus prudens Theologus nequeat non æstimare vt probabilem sententiam ne gantẽ valorem Ordinationis Sacerdotalis, quando ab Ordinando non tangitur materia. Accedit confirmatio, nam Clemens VIII. Papa iussit reordinari sub conditione quosdam, qui ab Episcopo Sagiensi fuerant ordinati, ostensa tantùm materia. Ita refert Ysambertus D. 3. de Ordine, art. 8. pag. 535. quanquam mihi non constet, an Clemens præceperit id, quia Ordinati non tetigerunt materiam, vel quia Episcopus non porrexerit, & tradiderit illam manu sua, vel ob vnam, & alteram causam simul? Et quanvis iussisset vel solade prima causa, testatur Ysambertus, statuisse id, amplectendo tutiorem partem, non autem definiendo. Præceptũque iterationis sub conditione non est argumentum improbabilitatis speculativæ in sententia non requirente cõtactum materiæ ad valorem Sacerdotalis Ordinationis, nam ad tale præceptum sufficit, quòd opposita sententia sit tutior, & reputetur probabilis; imò neque est argumentum minoris probabilitatis speculatiuæ, quia stante æquali, aut maiori etiam probabilitate daretur obligatio repetendi Ordinationem Sacerdotalem sub conditione, vt probat ratio posita in numero illo 134.

148 Cæterùm etsi contactus instrumentorum à Presbytero sit necessarius ad valorem Ordinationis, nõ tamen per vtramque manum, neque quo per vnam constringantur, & comprehendantur instrumenta; sed sufficit contactus per vnam manum, & per indices, & medios digitos; atque ita fit in Presbyteratu.

149 Sufficit præterea contactus interposito aliquo panno, aut velo, vt notant Castrus Palaus Tract. 27. D. vnica, puncto 4. num. 20. Auersa quæst. & sect. 2. V. *Non per hoc*, quia id non obstat, quominus instrumenta tangi dicãtur; quod quia obesset, quominus quis lavari, aut vngi diceretur, ideo validum non foret Baptisma, neque

que Confirmatio, neque Extrema vnctio, si aqua, chrismate, & oleo corpus immediatè non afficeretur.

150 Vlteriùs non requiritur contactus hostiæ, nam neque vini requiritur, neque fit; & quia in Pontificali Romano non præscribitur, nisi tactus calicis, & patenę, difficilisque est hostiæ præsertim habentibus digitos breviores, cum aliunde linteo sint colligatæ manus tempore exequendi eum ritum. Ratio à priori est, quia tacto calice continente vinum, & tacta patena continente hostiam censetur, & dicitur morali hominum æstimatione, & sermone tangi vinum, & hostiam. Ita Doctores communiter.

151 Sed Bernal suprà numero 16. existimat, esse æqualem rationem ad præceptum tangendæ hostiæ, atque ad patenę; testaturque, Episcopos omnes, dum ordinant, admonere, vt hostia physicè tangatur. Pace Bernalis, compertum mihi est ex dictis, & dicendis, diversam satis esse rationem; & de admonitione illa curare omnes Episcopos, non constat mihi. Solēt quidem Ordinandi soliciti esse de attingēda hostia. Quod * ortum habuit ex desiderio auferendi vel minimum timorem, aut scrupulum in re tam graui, * vt ait Granadus suprà, num. 12. Præterquàm quòd ego dixerim, eam solicitudinem esse ex nimio timore, & non ex scientia, imò neque ex opinione reapse probabili ab intrinseco, nam mihi certum moraliter est, non requiri contactum physicum immediatum hostiæ ad valorem Ordinationis. Scio, Antonium Fernandez de Moure parte 3. Examinis Theologiæ Moralis C. 11. §. 6. num. vnico, dicere * probabilius esse, vt necesse sit, simul patenā, & hostiam superpositam attingere. * Ast nec authoritatem, nec rationem affert Moure. Vnde dictum vnius dictum nullius. Scio etiam, Philippum Fabrum in 4. Distinct. 24. quæst. 1. num. 12. contendere pro necessitate contingendi hostiam, tum quia in Pontificali Romano præcipitur disertis verbis, vt Ordinandus tangat materiam porrectam, & præscribitur modus: tum quia in cōsecratione Apostolorum, in vltima cœna à Christo Domino facta, non solùm fuit traditus calix, & panis, sed etiam acceperunt calicem, & panem in suis manibus, siquidem manducauerunt, & biberunt. Ergo cum tunc præscripserit materiam huius Sacramenti, sequitur, quòd tactus sit de eius necessitate. Mirortamen, sapientissimum Theologum discessisse à communi, & recepta sententia ob ista fundamenta. Nam in Pontificali Romano exprimitur tantū contactus calicis, & patenæ, dum agitur de Ordinatione Presbyteri; & in Rubricis de Ordinibus conferendis intimatur tantùm Episcopo, vt moneat Ordinandos, ipseque respiciat, *vt instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant*: quæ verba non petunt, vt omnia instrumenta tanganturin se ipsis, alioqui vinū sic deberet tāgi ab eo, qui initiatur Sacerdotio. Illud aliud de exēplo Christi firmius non est, quippe in primis incertum sit, omnes Apostolos recepisse calicem, & panem immediatè de manu Christi. Videatur Sectio 3. D. 2. Deinde Christus dedit Apostolis, facta iam cōsecratione, suum sanguinē in calice, & suum corpus vel in manu sua, vel in patina, non autem vinum, & panem ante consecrationem, vt modo ab Episcopo exhibentur inaugurandis Sacerdotio. Non igitur quidquid fecit tunc Christus, nec modus, quo fecit, debet esse norma ad Ordinationem Sacerdotalem. Vt omittam, acceptionem calicis, & specierum panis per manus Apostolorum subsequutam esse ad ipsorum creationē in Sacerdotes quoad potestatem offerendi Sacrificium, respexisseq; eò, vt manducarent Christi corpus, biberentque eiusdem sanguinem. Quare probationes Fabri non possunt à me obtinere, vt desinam iudicare certam moraliter sententiam de nō necessario contactu hostiæ in se ipsa ad valorem Ordinationis Sacerdotalis.

152 Insuper non requiritur ad essentiam eiusdem Ordinationis, quòd contingatur patena in se ipsa, sed sufficit contactus calicis, cui ea actualiter sit superposita, quia id est moraliter tangere patenam. Huius censuræ sunt Theologi plerique apud Dianā parte 2. Tract. 16. Resolut. 3. parte 4 Tract. 4. Resol. 185. parte 6. Tract. 8 Resol. 19. parte 10. Tract. 13. Resol. 50. Tract. 15. Resol. 20. Tract. 16. Resol. 88. & aliqui indicant, neque ex præcepto requiri contactum patenæ, si attingatur calix ei suppositus.

Qui-

Quibus ego non assentior, nam in Pontificali Romano clarè iubetur contactus immediatus vtriusque per illa verba, *Cuppam calicis, & patenam simul tangunt* Ordinandi. Quibus ex verbis, & ex immemorabili omnium Ordinandorum vsu in vtriusque contactu probabilis mihi est necessitas ipsius ad validitatem Ordinationis Sacerdotalis, asseriturque à nonnullis. Et ideo qui solummodò tetigisset calicem, deberet iterùm ordinari Sacerdos sub conditione, vt infertur ex ratione præstita in num. 134. Et ita iudicant graues Authores recensi à Diana suprà. Consequenter censendum est, peccare lethaliter, qui sciens, & volens non tangeret patenam, tum quia violaret præceptum Ecclesiæ in re graui: tum quia temerè exponeret se periculo probabili Ordinationis Sacerdotalis invalidæ; quod est damnum magni momenti, & irreverentia enormis erga Sacramentum Ordinis, estque contra ipsius initerabilitatem, qui enim præsumit accipere illud cum materia dubia, & incerta, obligat se ad sub conditione reperitionem procurandam, casu quo posteà teneretur, aut vltrò vellet exercere actus illius.

153 Rursus non opus est ad validitatem Ordinationis Sacerdotalis, vt contactus materiæ existat physicè, & mathematicè simul in toto, neque etiam in parte cum prolatione verborum formæ facta ab Episcopo. Ita Doctores passim: testaturque Noster Martinus Fornarius C. 2. de Ordine, num. 5. fuisse Romæ in quadam Congregatione decisum pro validitate Ordinis Sacerdotalis, * quando multi simul ordinantur, & Episcopus, semel prolata forma in plurali, tradit deinde materiam tangendam; verumtamen non omnes simul tangunt, sed bini, vel terni, & sic deinceps interiecto aliquo temporis spatio.*

154 Pro communi hac sententia argumentor primò, nam in cæteris Ordinibus, siue minoribus, siue maioribus, necessarius nō est ad ipsorū substantiam concursus physicus verborum formæ, & contactus. Id quod de quatuor minoribus, & de Subdiaconatu constabit legenti Rubricas Pontificalis Romani editi tempore tam Pij IV. quàm Clementis VIII. nam vel post verba formę, vel ante dicuntur tradenda instrumenta sacra, quando multi Ordinandi conveniunt. Quoad Diaconatum non sunt tam clara verba: affirmat tamen Cardinalis de Lugo Lib. 1. Responsorum Moralium, dub. 33. non observari nūc in eius collatione simultaneitatem contactus, & verborum formæ; sed Episcopos proferre ea in numero plurali pro omnibus Ordinandis, & posteà singulos successivè tangere librum. Ergo neque necessarius erit ille concursus in Sacerdotio.

155 Argumentor secundo, quia in Baptismo, Confirmatione, & Extremavnctione validum fit Sacramentum absque coexistentia physica ablutionis, & vnctionis cum verbis formæ. Ergo & quin simul physicè confluant contactus, & verba formæ in Ordinatione Sacerdotali, erit salva huius essentia. De bonitate Consequentiæ dubitari non potest. Antecedens est in confesso apud plerosque. Nam etsi Author Glossæ ad C. *Detrahe* 1. quæst. 1. V. eodem dixerit, si post ablutionem succedat aliquod verbum formæ, fore irritum Baptismum, displicuit id reliquis Theologis; etsi item Scotus in 4. Distinct. 6. quæst. 3. Gabriel quæst. 1. art. 2. Conclus. 8. Guilielmus de Rubione quæst. 1. art. 2. Maior Distinct. & quæst. 2. argumento 4. Richardus Distinct. 3. art. 4. quæst. 2. Sylvester V. *Baptismus* 5. quęst. 2. num. 5. Tolętus Lib. 2. C. 19. num. 1. Zambranus relatus à Diana parte 3. Tract. 4. Resolut. 6. asseruerint, fore invalidum, si post verba formæ incipiat ablutio, vel post hanc incipiant illa, seu si aliqua pars verborum formæ non coexistat cū aliqua parte ablutionis; ast cæteri Theologi non approbant assertionem hanc, & nonnulli ex relatis respexerunt eò præcipuè, vt contra Glossam præfatam evincerent, salvum iri Baptismum, si verba formæ haberent physicam coexistentiam saltem partialem cum ablutione. Atque ita monet Antonius Hiquæus in Commentario ad Scotum.

156 Argumentor tertiò à priori, quia vt in Ordinatione Sacerdotali verificentur, & adimpleantur verba formæ, non ampliùs requiritur, quàm quòd significatum ponatur in tē pore consignificato. Atqui significatum,

tum, qui est cõtactus instrumentorum; ponetur in tempore consignificato, etsi immediatè ante, vel post prolationem verborum formæ; aut etsi paulò ante, vel post ponatur. Ergo, &c. Probatur, Minor, nam ea verba, & similia alia mo rali, & humano modo prolata non aliud petunt, quàm quòd referantur, & determinentur ad tempus immediatè, aut paulò antecedens, vel subsequens, tale quippe tempus est moraliter præsens. Vnde si ego dicam, *Accipe pallium*, verificabuntur, & adimplebuntur sufficienter ista verba, si immediatè ante, vel post, aut si paulò ante, vel post prolationem horum verborum tradam tibi librum. Et licet taxare non valeamus, ad quantum temporis spatium distendi possit verificatio, & adimpletio talium verborum, prudenti iudicio relinquẽdum id est, vt & in multis alijs casibus ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonij pertinentibus, sicut etiam quoad loci spatium in materia Sacramenti Eucharistiæ.

157 Hac ex ratione à priori manet enervata ea, quæ avocavit à cõmuni sententia Caietanum tomo 1. Opusculorum Tract. 26. V. *Quoad secundum*. Caietano videtur adhæsisse Navarrus in Manuali C. 22. n. 17. adducitq; textum in C. vltimo de Sacramẽtis non iterandis, vbi dicitur, *Impositionem manuum debere fieri, cum oratio super caput effunditur Ordinandi Presbyteri*. Sed Canonis verba sufficienter intelliguntur de debito ex præcepto, & non ad essentiam Ordinis; item de simultaneitate tantùm morali. Et non constat de qua manuum impositione loquatur ibi Gregorius IX. Papa, an de prima facta ab Episcopo, & ab omnibus alijs Sacerdotibus ibidem præsentibus, an de secunda facta à solo Episcopo? Si de prima, non concurrit oratio cum ipsa, sed post ipsam dicitur, tenentibus Episcopo, & Sacerdotibus non vtramque manum impositam super caput Ordinãdi, sed dextram tantùm extensam super illum. Si de secunda, cum illa quidem concurrit oratio, seu potiùs verbũ imperativum, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Ast id esse de necessitate Ordinis Sacerdotalis, vndenã probabitur? Imò multi Theologi docent, secundam hanc manuum impositionem nullo modo esse materiam Ordinationis Sacerdotalis, nulloque modo esse formam verba illa, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. atque adeò non iterandum Ordinem, si omissæ essent, sed eas tantùm esse supplendas.

158 Pro Caietani, & Navarri opinatione conducit magis, quod præscribitur in Pontificali, scilicet singulis Sacerdotibus tangentibus cuppam calicis, & patenam dicenda esse ab Episcopo verba formæ, *Accipe potestatem offerẽdi Sacrificium*, &c. Nam id præscribitur, vt possit forma simul cum materia existere saltem quoad aliquam partem. Respondeo, iuberi id in Pontificali (& vt existimo, sub obligatione gravi) sed restare probandum, quòd præcipiatur ex eo fine; & admisso, iuberi ex eo fine, restare probandum, quòd præcipiatur vt necessarium ad essentiã Ordinis Sacerdotalis, & non potiùs vt conveniẽs, ne, si non servetur simultaneitas physica contactus cum forma, oriantur trepidationes, & scrupuli circa valorem, quia etsi sufficiat simultaneitas moralis, possunt esse varia prudentum iudicia circa temporis intervallum, cum quo illa stet. Hanc ob causam in Catechismo, & in Rituali Romano monetur baptizans, vt eodem tempore faciat ablutionem, & proferat formam. Vnde qui à consilio se aliter gereret, peccaret lethaliter ob summam necessitatẽ, quam huius Sacramenti habet baptizãdus. Iudicoque idem ipsum de eo, qui vltrò in Ordinatione Sacerdotali non servaret cõiunctionem temporis inter contactum, & verba formę, nam conijceret Ordinandum in anxietates, perplexitatesque molestissimas; Sacerdotalisque Ordo est Sacramentum, quo non suscepto nec fiet consecratio vera Eucharistiæ, nec verè conficientur alia Sacramenta præter Baptismum, & Matrimonium; estque damnum valde notabile respectu communitatis fidelium, si re apse non sit Sacerdos, qui talis vulgò reputatur.

159 Et hęc pro communi sententia de non requisita ad Ordinationis Sacerdotalis validitatem coexistentia physica contactus, & verborum formę. Quæ sententia cum apud me sit certa moraliter ex principijs intrinsecis, ideo censeo, non fore obligationem repetẽdi eam Ordinationem sub conditione, casu quo quis esset Ordinatus, non seruata physica, sed morali simultaneitate contactus,

contactus, & verborum formę, si nimirum proximè, & immediatè, aut paululum ante, vel post contactum prolata essent ab Episcopo verba; & non adeò ante, vel post, vt dubitari meritò, prudenterque posset, num intervallum illud officeret simultaneitati morali? Meæ censuræ patroni sunt Granadus Controv 9. de Sacramentis Tract. 1. Disp. 6. num. 16. Cardinalis de Lugo Lib. 1. Responsorum Moralium dubio 33. num. 3. & seqq. Taceo alios, cum hi duo sufficiant pro multis; exagitarintque quæstionem intentiùs, quàm alij, quos consului.

160 Sed numquid licebit in præfato casu procurare, aut exequi iterationem Ordinis Sacerdotalis sub cõditione? Respondeo cum eisdem, fas fore, quia authoritas Caietani, & Navarri loquentium specialiter de Sacerdotio, item Scoti, & aliorum veterum, necnon Toleti loquentium de Baptismo (ex quo ad Sacerdotium sumitur argumentum ineluctabile) tantâ pro culdubiò est, vt ob eam tanquàm ob extrinsecum principium possit deponi, aut temperari iudicium, quod quis habeat de certa moraliter validitate Ordinationis Sacerdotalis cum sola morali coexistentia contactus, & verborum formæ; vel si tale iudicium tam altè insideat, vt deponi, aut temperari nequeat, eo quod quis sibi firmiter persuadeat, falsam esse illorum Doctorum sententiam, putare tamen poterit, probabilem esse aliam, quæ dicit; obligatoriam esse, vel saltem licitam iterationem Sacerdotij sub conditione, quãdo defuerit concursus physicus materiæ, & formæ. Difficulter intelligitur, quo pacto censeri queat probabilis ea alia sententia, si simul existimetur falsa opinio Caietani, & reliquorum memoratorum, in qua fundatur; vti debet existimari ad effugiendam necessitatem repetendi sub conditione Sacerdotalem Ordinationem. Sed penitior discussio istius puncti spectat ad Tractatum de Conscientia.

161 Si responsio, quam delibavi, placeat tibi, poteris eam extendere ad casum, in quo Sacerdos non tetigisset hostiam, & ad casum, in quo tetigisset calicem, qui non esset consecratus. Egi de priori casu ex n. 150. de posteriori ex num. 65. Sed notes, ad repetitionem Ordinis non Sacerdotalis sub conditione plus requiri, quàm ad Sacerdotalis, tum quia non proveniunt tot damna exinde, quòd quis non sit verè Subdiaconus, aut Diaconus, etsi reputatus esset: tum quia qui non sit verus, sed reputatus Subdiaconus, aut Diaconus, si ordinetur Sacerdos, non desinet esse verè Sacerdos ob defectũ Subdiaconatus, aut Diaconatus, vt deciditur in C. *Tuæ litteræ* vnico de Clerico per saltum promoto. Atque hinc breviter resolvitur quidam casus, de quo Cardinalis de Lugo tractat supra, dubio 30. longa, & polita manu. Titio in Ordinatione Subdiaconatus traditus fuit tangendus calix plenus vino, & aquâ. Quæstionis erat primò, an valida fuerit Ordinatio? Secundò, an si non fuit certò valida, sed tantùm probabiliter, iteranda esset sub conditione? Ad primum dico, fuisse probabiliter, & non certò validam, quia vtrinque apparent probabilia tantùm motiua ad eius validitatem, & invaliditatem: quia verò vltrà adducta à prelaudato Doctore non occurrunt mihi alia, ideo nolo actum agere. Ad secundum in promptu est responsio, nempe non esse iterandam sub conditione Ordinationem illam. Et hæc sint satis circa Disputationẽ de altaris vasis sacris, narrandis, seu potiùs adorandis toto Orbe, vt vocantur apud Cassiodorum L. 12. Variarum in 20.

*

DISPVT-

DISPVTATIO XXVII.

DE VESTIBVS AD CELEBRATIONEM Missæ.

1 DOCTOR ANGELICVS *non tractauit speciatim de materia hac in Summa, quia morte præuentus nõ peruenit ad quæstiones de Ordinis Sacramento, in quibus vt habuit sermonem de ea super 4. Dist. 24. quæst. & art. 3. Commentarijs suis illustrans Magistrum Sententiarum, ita videtur decreuisse agere ibidem de ea, cum scriberet Summam. Sed complementum nostri Operis exigit, vt nos non omittamus Disputationem istam: Et quidem iuxta Sanctum Hieronymum ad Cap. 44. Ezequielis*, Religio diuina alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu, vitaque communi. *Quod satis conspicitur ex habitu, in quo Deus sibi sacrificari olim præcipiebat*, Vt intelligat populus Christianus, *adnotante Iuone Carnotensi*, quia si in Sacrificijs, quæ tantùm fiebant ad emundationem carnis, cum tanta reverentia iste ritus ministrorum, & ministeriorum erat obseruandus: quantò magis in confecratione Dominici corporis, & sanguinis, in quibus consistit emundatio carnis, & spiritus, non statim ad mysticas benedictiones, & obsecrationes, quibus illa confecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primùm fuerit in Ordine Sacerdotali confecratus, & omnium congruentium supellectilium, & omnium circumstantium ministeriorum plenitudine subornatus. *Sic Iuo in Epist. 124. Nec solùm veri Numinis, sed falsorum etiam Sacerdotes in vsu habebant ad Sacrificia peculiares vestes distinctas à communibus, & profanis. Vnde apud Virgilium 12. Æneidos,*

——— puraque in veste Sacerdos.

De Camillo vulgatum est, deposuisse communem, profanamque vestem, & induisse sacram, vt quam rem diuinam delusus putabat, procuraret simul cum alio.

SECTIO

SECTIO I.

Referuntur verba Missalis circa Sacerdotales vestes. Praevièque ad has agitur de calceatu Sacerdotis celebrantis.

1 IN Missali, titulo de ritu seruando in celebratione Missæ §. 1. numero 2. dicitur, *Quibus ita dispositis, Sacerdos accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda, ac pulchra; & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta: vbi calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit Prælatus Sæcularis supra rochettum, si sit Prælatus Regularis, vel alius Sacerdos, supra superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas orationes inferiùs positas.* Sic ibi ex recognitione Clementis VIII. nam in editione Pij V. desunt illa verba *Quæ nõ debent*, &c. vsque ad *vbi calceatus* exclusiuè. Vestes autem, quibus per ordinem indutus se est Sacerdos ad Missam privatam, sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, seu Casula, vt continetur in §. 3. 4. & 5. Prænotatumque fuerat in Rubricis Generalibus §. 18. numero 1. *Paramenta altaris, celebrantis, & Ministrorum debere esse coloris conuenientis Officio, & Missæ diei secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ.* Hęc habet Missale circa vestes sacras Sacerdotis celebraturi.

3 Sed antequàm de ipsis vestibus agamus, expendamus aliqua ex transcriptis verbis Missalis. Et primò illa *Calceatus pedibus.* Quibus verbis prescribitur, ne Sacerdos excalceatus ad altare accedat sacrificaturus. Non absimiliter in Ordine Romano de die Parasceves dicitur, *Non licet Presbyterum, Diaconum, vel Acolythum ad altare ministrare per nudos pedes.* Et in Capitulis Caroli Magni, Ludouicique Pij Libro 5. Capite 219. *Vnusquisque Presbyter Missam Ordine Romano cum sandalys celebret.* Hæc eadem verba referuntur à Cornelio à Lapide in Acta Capite 12. Vers. 8. ex Synodo celebrata à Sancto Bonifacio. Odo Parisiensis Episcopus in communibus præceptis Synodalibus numero 39. iubet Presbyteris, *Ne celebrent sine caligis*, id est, sine calceis, qui olim significabantur nomine caligarum, vt obseruant, & illustrant Cornelius supra, Lęlius Biscióla tomo 2. horarum subsecivarum Libro 17. Capite 21. Iuliusque Nigronius in libello de Caliga. Vnde nudis omnino pedibus Missam celebrare, est contra Ecclesiæ consuetudinem iam diu receptam; est etiam contra maiorem honestatem, & decentiam diuini cultus; & esset occasio, vt Missa incæpta relinquatur ob incommoditatem, aut nocumentum, quod sæpe sequeretur ex pedum nuditate. Additque Richardus de Mediavilla in 4. Distinctione 13. articulo, & quæstione 4. * Sacerdotis calciatio Incarnationis est repræsentatio. In persona enim Filij Dei dicitur in Psalmo 59. Vers. 10. *In Idumæam extendam calceamentum*, id est, humanam naturam, quam assumam. Vnde Sacerdos, cum Christum repræsentet, Missam non debet dicere discalceatus. *

4 Nihilominus *celebrare sine calceamentis, si absit contemptus, & scandalum, non est mortale*, vt dixit Sà Verb. *Missa*, numero 15. & post ipsum, atque ante multi alij apud Franciscum de Lugo Libro 5. Capite 8. quæstione 6. numero 46. Adduntque aliqui, nec veniale fore, vrgente necessitate, & cessante scandalo. Ita Layman Libro, & Tractatu 5. Capite 6. numero 15. Amicus Disputatione 33. Sectione 12. numero 379. Thomas Tamburinus Libro 1. de Missa, Capite 7. §. 3. numero 1. Leander Tractatu 8. Disputatione 7. quæstione 48. seu Philibertus Marchinus apud ipsum, Ioannes Baptista Scortia Libro 2. de Missæ Sacrificio Capite 8. numero 2. Ex antiquis Sylvester Verb. *Missa* 1. quęstione 2. §. *Secundum*, refert, Directorium annumerasse vestibus sacris * calceamenta, licet de bene esse, &

non necessariò benedicta. * Angelus V. *Missa*, §. 36. scribit, * De calceamentis autem habendis non credo esse præceptum, cum non inveniatur in Iure. Vnde siquis ipsa omitteret nō ex contēptu, sed quia nō haberet, nō peccaret. Patet hoc, quia calceamenta non sunt de necessitate, quia sic oporteret habere specialia, quib⁹ nō vteretur, nisi celebrando, cuius contrarium servatur communiter. * Armilla V. *Missa* §. 6. inquit, * Sine calceamentis celebrare sine contemptu, & quia non habentur, non videtur mortale, cum non reperiatur. Botæ, vbi consuetum est, possunt esse loco calceamentorum. * Ex modernis Arriaga Disputatione 55. Sectione 4. numero 18. ait, si Capuccinus solitariè celebret, ministrāte alio Capuccino, non videri necessarios calceos; & significat, neque etiam casu, quo celebret in conspectu multorum. Villalobus Tractatu 8. Capite 28. numero 10. etsi obligationem tegumenti pedum agnoscat esse sub veniali, sed dicit, posse loco calceorum deseruire sandalias, & soleas. Garcia Tractatu 3. Difficultate 8. dubio 4. puncto 2. numero 26. testatur, Capuccinos vti crepidis, & reformatos Carmelitanos soccis. Sed si Garcia nomine soccorum intelligi vult calones, quos ordinariè gestant reformati Carmelitani, scio, deponi ab ipsis calones, & assumi crepidas, aut calceos ad Sacra suis in templis. Quando verò Sacerdotes Religionum Excalceatarum peregrinantur, non recusant sacrificare nudipedes ob difficultatem reperiendi calceos, aut mulleos. Sic ab eorum multis audiui.

5 Marchinus Tractatu 3. de Ordine parte 3. Capite 14. numero 3. ait, posse quem ad præseferendam magnam humilitatem, & reverentiam celebrare sine calceis, vt & ad Imitandum Christum, ac Apostolos, qui eis non sunt vsi, & tamen celebrarunt. Potuisset addere, ad ęmulandum etiam veteres Monachos Ægyptios, qui, referente Cassiano Libro 1. de habitu Monachorum Capite 10. nudi pedibus accedebant ad celebranda, seu percipienda sacrosancta Mysteria. Et Sanctus Odo Abbas Cluniacensis Libro 2. Collationum Capite 28. ait, * Sacrosanctum Mysterium Dominici corporis primordijs Ecclesiæ non tam frequenter, vt nunc, celebrabatur, tamen quanto rariùs, tantò religiosiùs agebatur :: Quod Mysterium qui participare debebant, discalceatis pedibus accedebant, propter illud, quod Moysi, & Iosue præceptum est. * Adsciscere etiā potuisset Marchinus quod ex Capite 30. Exodi Versic. 18. & 19. colligunt Ribera Libro 2. de Templo Capite 16. Arias Montanus in Icone Summi Sacerdotis; Torniellus in Annalibus anno mundi 2544. numero 78. & cum plerisq; Interpretibus antiquioribus Cornelius, atque Bonfrerius, videlicet nudis pedib⁹ Sacerdotes veteris legis ministrasse in Sanctuario, quanquam Abulensis, citato Iosepho, dicat, adhibuisse sandalias; sed Bonfrerius desiderat locum Iosephi. Demum Marchinus potuisset ex profana litteratura advocare illud Pythagoræ, *Nudis pedibus sacrifica, & adora*, multaque alia collecta à Cerda in Adversarijs sacris Capite 57. numero 9. & ad Librum 4. Æneidos, Carmine 17. necnon à Patre Cornelio suprà.

6 Ego tamen nunc non probarem signum illud humilitatis, atque reverentiæ. Et quoad exemplum Christi, Apostolorumque attinet, Daniel Mallonius ad Caput 19. Alphonsi Paleoti de Iesu Christi stigmatibus allegatus à Marchino non probat convincēter, Christum, & Apostolos ordinariè incessisse nudipedes. Imò contrarium persuadeo mihi cum Sancto Augustino dicente in Sermone 42. de Sanctis, *Nam de ijs calceamentis, quibus ambulamus, consolatur me idem Dominus meus. Si enim ipse calceatus non esset, non de illo Ioannes diceret, Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius.* Legantur Suarez tomo 2. in 3. partem Disputatione 28. Sectione 2. ex Vers. *Ex ijs verò*, Barradas tomo 2. in Evangelia Libro 1. Capite 6. Landtmeter de Vetere Clerico Monacho parte 1. Libri 1. Capite 16. Benedictus Haeftenus in Disquisitionibus Monasticis Libro, & Tractatu 5. Disquisitione 1. I. Eusebius Nieremberg. Libro 8. de Origine Scripturę sacrę Capite 7. Ioannes Hieronymus Sopranes Digressione 1 de re vestiaria Iudæorum Disputatione 3.

nè 3. Capite 5. §. 2. Sherlogus Vestigatione 32. in Cantica, numero 24. Quintanadueñas tomo 2. Tractatu, & Singulari 11. numero 9. Et vtcumque Christus incesserit, fuit iuxta modum civilem honestum, & temperatum cõprovincialium: indidem autem ad formam in vestitu inter sacrificandum non arguitur efficaciter; cum apud pleraſque nationes vsui fuerint ad Sacra diuersæ vestes, ac ad convictum politicum. Rursus quod attinet ad Sacrificantes in veteri lege nudis pedib⁹, fuerunt pro illo tempore suę causæ non incongruæ; ast nunc * Sacerdotes celebrant calceati, non nudipedes; tum ob castitatem, & verecundiam: tum quia sunt milites, & duces (quos decet esse calceatos, imò ocreatos) Christi, parati semper ad bellum contra Dœmones, & ad evangelizandum vbique. Hinc debent esse calceati pedes in præparationem Evangelij pacis, vt ait Apostolus Ephes. 6. 15. * Ita Cornelius supra. Et Landtmeter Libro 2. C. 81. addit, quia calceus symbolum est libertatis, constantiæ, atque confidentiæ, quibus novæ legis Sacerdotes effulgere debent.

7 Nostri muneris non est agere de Episcoporum, Pontificali ritu celebrantium, sandalijs, quanquàm & hoc nomine vocentur Presbyterorum calcei in Capitulis Caroli Magni supra, & ab Alcuino C. 39. de divinis Officijs; sed erat inter eas dissimilitudo, vt admonet Amalarius Lib. 2. de Ecclesiasticis Officijs Cap. 25. Videat, qui velit, de Episcopalibus sandalijs Durandum Libro 3. Rationalis Capite 8. Durantum Libro 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus Capite 9. ex numero 20. Suarium Disputatione 82. Sectione 3. dubio 2. Fagundezium Libro 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Capite 23. numero 21. qui notant, oportere, & debere esse benedictas, non tamen calceos, quia horum vsus inter celebrandum non est ex cæremonia, aut significatione aliqua sacra; quod secus est in vsu illarum.

*

SECTIO II.

An è contrario necessarium sit, caput Sacerdotis celebrantis esse discoopertum?

8 RESPONDEO, extare Decretum Sancti Zachariæ Papę Can. *Nullus Episcopus* 57. de Consecratione Distinctione 1. vbi dicitur, *Nullus Episcopus, aut Presbyter, seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere, quoniam Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia; & si temerè præsumpserint, communione priuentur.* Sic S. Zacharias; & Apostoli, quem citat, verba extant 1. ad Cor. 11. v. 4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum:* direxitq; illa ad Cor. ne, vt solebant iuxta Theodoretum, orarent operto capite; direxit, inquam cum Iustiniano, non ex traditione pertinente ad legem divinam, sed ex civili quadam, & potiùs Ecclesiastica præceptione locis, ac tẽporibus accõmodanda. Consonat Concilium Treverense celebratum anno 1548. C. de Missę sacrificio ritè peragendo. Ibi: *Et ieiunus quilibet celebret; & velato capite altari assistere, aut ita ad illud accedere, nullus omnino præsumat. Quæ & Diaconos, & Subdiaconos obseruare mandam⁹; si quis temerè contrarium facere præsumpserit, excommunicationis vinculo innodetur.* Item Concilium Mediolanense 1. parte 2. titulo de pertinentibus ad celebrationem Missæ, denuncians Sacerdotibus, *Vt operto capite celebrare non audeant.* Item Missale titulo de defectibus in celebratione Missarum occurrẽtibus §. 10. de defectibus in ministerio ipso, numero 1. Ibi: *Si celebrat capite coóperto sine dispensatione.*

9 Quam à Gregorio XIII. Pontifice Maximo fuisse ægrè concessam cuidam Episcopo valetudinario, vt excepto Canone, perageret publicè cum pileolo reliqua Missæ, testatur Scortia Libro 3. Capite 4. in fine. Et nunc ea dispensatio à solo Papa præberi potest iuxta Decretum Sacræ Congregationis Rituum confirmatum ab Vrbano VIII. & iussum prefigi Missali, cuius Decreti tenor is est, *Nemo audeat vti pileolo in celebratione*

Miſſarum ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.

10 Qualem fuiſſe in Polonia, vt omnes Sacerdotes, etiam Religioſi, in hyeme vſque ad conſecrationem cooperto capite celebrarent in altari, refert Vazquez Diſputatione 233. Cap. 4. num. 38. & modò etiam vigere, ſaltem vſque ad Offertorium, affirmat Arriaga Diſputatione 55. Sectione 4. num. 19.

11 Apud Sinas totum Sacrum peragitur operto capite, quia inter ipſos detectio probroſa eſt, & nefaſta, propriaque reorum afficiendorum ſupplicio. Vnde Sinæ Chriſtiani tunc tantùm nudant caput, cum ad Sacerdotis pedes ſua confitentur peccata. Ita obſeruat ex Prepoſito 3. parte, quæſtione 83. artic. 3. dubio 6. Thomas Tamburinus Libro 1. de Miſſa Cap. 7. §. 4. numero 5. conſultumque adhuc fuiſſe Paulum V. imò & ex ipſo obtentum fuiſſe Breve à Patre Nicolao Trigaultio, anno 1615. die 27. Iunij, tradit Pellizarius Tractatu 8. Capite, & Sectione 2. num. 127. & eruditus per omnia Author Tractatus de Pileo, cæteriſque capitis tegminibus tam ſacris, quàm profanis, Sectione 2. pagina 22. Sectione 14. pag. 148. Voluitque Pontifex, vt tegmen, quod vſui eſſet inter rem divinam, nuſquam aliàs geſtaretur, & vt à profano diſcreparet.

12 In Armenijs culpat Nicon apud Vvalterium de triplici Cœna Chriſti Capite 54. Cœnæ 3. quòd * celebrantes Sacrum non ſolùm tegmen non detraherent, ſed etiam capiti cucullum adijcerent. * Reprehendit idem ipſum Iſaac in 2. adverſus eos inuectiva, hæreſi 25. De Græcis vniuerſim ait Alcuinus Capite 38. divinorum Officiorum * pileos, id eſt, cuphias, (quas Hiſpanè vocamus *Coſias*, & *Eſcoſias*) geſtare in capite, dum aſsiſtunt altaribus, etſi in Romana Eccleſia moris non ſit, vt pileati divina Myſteria celebrent * Simeon Theſſalonicenſis loquens de Myſtagogia, ſiue Miſſa inquit * Aperto capite Epiſcopi, & Sacerdotes Orientis omnes, excepto Alexandrino Patriarcha, Sacris fungantur; non ob humilitatem aliquam, ſed ob cauſam altiorem, & longè diviniorem, videlicet quam divinus Paulus ponit, ac docet, Chriſtum caput nominans, nos autem membra ipſius; & oportere, nos Chriſtum caput noſtrum honorantes, caput inter orandum nudatum habere. Nec ob hoc tantùm, ſed quia etiam nudo capite, qui conſecratur, conſecrationem accipit. Atque ita quemadmodùm cum ordinatur, precibus, & ſacris operari debet. Et Hierarcha potiſsimùm, quoniam & dum conſecratur, à Deo tradita eloquia, ſiue ſacrum Evangelium ſupra caput habet, in Sacrificio diviniſsimo peragendo, velato capite conſpici non debet. Obijciat fortaſsè quiſpiam, hinc ſequi Alexandrinum Epiſcopum, & alios quàm plurimos ex veteri traditione tecto capite Sacris operantes, non ritè, ac ſanctè facere. Iſtud non dico. Nam illi antiqua nixi traditione, quæ magis legi antiquæ reſpondet, ita faciunt, quando & legis Sacerdos cidarim, quam & mitram vocabant, in capite gerebat. Quo eodem nomine Hierarchę eam geſtantes appellare conſueuerunt. At fieri poteſt, vt eo capitis tegumento aut ſpineam Domini coronam, aut ſudarium, quod fuit ſuper caput eius, in mentem nobis revocent. Verum tamen cum & hi id ipſum quibuſdam Sacrificij momentis neceſſariò deponant, B. Pauli traditionem potiùs ſeruandam hoc ipſo teſtificantur * Sic Simeon Theſſalonicenſis. Et hæc de vſibus diſcordibus à Romano.

13 Iam ex reſeruata Summo Pontifici poteſtate dandi licentiam celebrandi cum pileolo infero, rem eſſe gravem, ſecus facere, ſecluſo etiam contemptu, & ſcandalo, nam ſi per ſe levis eſſet, non videtur reſeruanda Sedi Apoſtolicæ conceſsio illa. Hoc argumentum efficacius eſt, quàm quod poſſet deſumi ex Canone *Nullus Epiſcopus*, & ex Rubricis Miſſalis in §. de defectibus in miniſterio ipſo occurrentibus. Nam Canoni ei ſatis eſſet, ſi obligaret ſub veniali, vt poſteà dicam, & defectus omnes, qui in præfato §. Rubricarum Miſſalis proponuntur, non incurruntur cum peccato lethali, ſed aliqui cum veniali tantùm, vt non ſemel animadverti in ſuperioribus.

14 Iam nunquam, vel non niſi rarò poteſt contingere caſus, in quo ſine facultate Papæ liceat ratione ſenectutis, infirmitatis, calvitij, frigoris magni,

magni, aut auræ valdè gravis, nociváque capiti celebrare cum pileolo in sacello etiam privato, tametsi Sacerdos detegat caput in Canone; multòque minus, in quo liceat celebrare publicè cum pileolo, quanquam Sacerdos, ne offendantur adstantes, reddat causam sui facti, quia eo ipso, quòd celebratio cum pileolo prohibeatur nisi de expressa licentia Sedis Apostolicæ, significatur, vel nunquam, vel non nisi raro posse contingere casum, in quo causa manifestè iusta interueniat excusans celebrationem cum pileolo, nō obtenta facultate à Summo Pontifice; is namque conscius earum rationum, & quàm frequentes sint, voluit ad se haberi recursum; voluisset autem incassùm, & omnino frustra, si illæ rationes essent communiter sufficientes, ne desideraretur Pontificia licentia, quando peti potest.

15 Nam si non potest, aut non nisi difficilè ad Pontificem recurri, placet mihi, quod ait Suarius supra, * Si gravis infirmitas, aut necessitas id exegerit, nec posset tam facilè dispensatio postulari, id fieri posset sine gravi (imò & sine levi) culpa: Et hoc maximè verum est, quando talis necessitas, & celebrandi modus non est continuus; sed solùm semel, aut iterùm occurrit. Et tunc etiam observandum est, vt secretò Sacrum fiat ad tollendum scandalum. * Sic Suarius, & nos cum ipso, ob id quidem quòd non temerè præsumat, neque audeat (vt cavetur in authoritatibus superioribus) assumens pileolum in præfatis circumstantijs. Sed numquid in eis debet fieri recursus ad Episcopum, aut ad Prælatum, qui vice Episcopi sit, vt dispenset; non secus ac recurri debet in multis alijs casibus necessitatis? Affirmant multi, si alter is recursus sit expeditus. Et Bauny tomo 1. Theologiæ Moralis Tractatu 10. q. 19. ait, * Ob locorum intervalla, causasque alias æquitatis plenas, de quarū numero est infirmitas, quam corroborari, ac crescere oporteret cum magno Presbyteri incommodo, ac dolore, si Roma expectanda facultas foret ei occurrendi vsu pileoli, mea est opinio, vt olim, ita & hoc tempore, Episcopum adiri posse, vt per eum sit hic vsus licitus. * Thomas etiam Tamburinus Libro 1. de Missa Capite 7. §. 4. num. 3. & 4. eiusdem est censuræ; additque, si difficilis sit ad Episcopum, vel ad quasi Episcopum recursus, posse non curari de licentia, si adsit aliqua ex rationibus dictis in numero 14. nec fore peccatum grave, si, remoto scandalo, & contemptu, & in casu necessitatis, non peteretur licentia, etiamsi hæc facilè esset obtinenda. Quod postremum non placet mihi, si sermo sit de licentia Sedis Apostolicæ. Multòque minus placet, quod inquit Arriaga Disputatione 55. Sectione 4. num. 19. videlicet facultatem reseruatam Summo Pontifici esse generalem, & quæ à casu necessitatis non pendeat, qualis est, quam vtendi pileolis vsque ad Offertorium habent concessam à Papa Cardinales.

16 Decretum Sacræ Congregationis Rituum loquitur de pileolo; & cogitabit aliquis, non ideo prohiberi Sacerdotem tegere caput Amictu. Et antiquitus de more videtur fuisse Sacerdotibus, velare caput Amictu, idque indicare verba illa, quæ recitat Sacerdos, dum illum sibi aptat, *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis*, &c. Poterunt pro ea cogitatione confirmanda adduci Navarrus Lib. 3. Cōsiliorum in eo, qui est 4. de Celebratione Missarum, Emmanuel Rodriguez in Summa Capite 247. Conclusione, & numero 13. tomo 1. in quæstionibus Regularibus, quæst. 24. art. 5. Emmanuel Sà V. *Missa*, num. 17

17 Nihilominus etsi Decretum illud loquatur de solo pileolo, tamen cæteræ authoritates adductæ excludunt expressè quodcumque capitis operimentum, vt & consuetudo, atque Authores, & speciatim Azor tomo 1. Libro 10. Capite 28. quæstione 16. Petrus de Ledesma Capite 21. de Eucharistia, pagina 292. Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 8. quæstione 6. numero 49. Granadus Controversia 6. Tractatu 14. Disputatione 12. numero 8. Trullench Lib. 3. de Sacramentis Capite 8. dubio 18. numero 8. Tannerus tomo 4. Disputatione 5. quæstione 10. dubio 3. num. 43. Scortia supra reprobant capitis cum Amictu tegmen. Non nego, Religiosos aliquos, cum ad celebrandum prodeunt, portare cucullum Amictu obuolutum tam altum, vt eo obtegant occiput, sed curant, ne totum caput.

Antiquus vsus frustra allegatur, tum quia non constat, Amictum non esse demissum ad collum post impositionem in capite; imò potius Rupertus Lib. 1. de Officijs diuinis Cap. 19. ait, *Quidam Amictu caput suum obnubit, donec super os Casulæ illum reuoluat; & velut caput, aut coronam illi coaptet.* Tum quia vsus ille iam est antiquatus, si viguit.

18 Præfatum Decretum, cum de pileolo loquitur, & Cap. *Nullus*, cum vetat velamẽ capitis, oportet intelligi de pileolo, & velamine ex lino, lana, aut serico, non autem de galericulo, qui gestari soleat ex coma ascititia ad tegendam calvitiem, is enim facit vnũ moraliter cum capite, & à coma nativa nõ internoscitur, vt notat appositè Author supra laudatus, sectione 2. de Pileo pag. 19. Si galericulus ille non sit in vsu ad obnubendam calvã, dixit Tannerus supra contra Henriquez Lib. 9. Cap. 27. §. 5. causam occultandi calvitij non esse sufficientem, vt assumatur calantica. Sed tamen cum Henriquez consentiunt Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap. 21. num. 33. Marchinus, & Tamburinus supra, Bonacina Disp. 4. quæst. vltima, puncto 9. num. 29. Mihique videtur, si caput sit omnino calvum, atque adeò deforme, & quod oculos spectantium offendat, esse causam, quæ meritò allegari possit apud eum, qui licentiam ritè concedere valeat. Henriquez in citato loco ad marginem transcribit verba hæc ex Glossa ad Can. *Clericus* Dist. 20. *Nec lineo pileo vtendum est, etiamsi Sacerdos capite laboret.* Sed in Distinct. 20. nullus est Canon eius initij. Henriquezio fidit Fagundez, vt sæpe solet. Extabit forsan alibi Glossa illa. Et in Clementina de Vita, & honestate Clericorum C. *Quoniam* 2. iubetur Sacerdotibus, & Religiosis, quibusdamque alijs, ne in capite publicè portent *infulam, seu pileum lineum*. De qua antiquata prohibitione consulat curiosus Menochium de Arbitr. Iudic. Lib. 2. Cent. 5. casu 392. ex num. 12. Carolum de Grassis Tract. de Effectibus Clericatus in Præludio, num. 276. & 277. alioſque scribentes in eam Clementinam.

19 Mirabitur quis Christianorum morem sacrificandi nudato capite, cum Hebræi, & Romani non nisi eo velato operati sint Sacris. Et de Hebræis quidem constat ex Levitico Capite 10. V. 6. Cap. 16. V. 4. Cap. 21. V. 10. alijsque ex locis veteris Testamenti; nec Sacerdotes soli, sed etiam alij, qui adibant templum causa orandi, vel assistendi Sacrificijs, habebant tecta capita, vt probat copiosè Abulensis ad Caput 13. Levitici, quæst. 10. De Romanis est etiam compertum, operto capite peregisse Sacra, si excipiantur ea, quæ fiebant Saturno, & Honori, cuius singularitatis causas tractat Plutarchus in quæstionibus Romanis: si item ea, quæ Herculi, vt noscitur ex Halicarnasseo Lib. 1. Antiquit. Romanarum, Macrobio Lib. 3. Saturnalium Cap. 6. & quæ in ara maxima, vt ibidem Macrobius tradit. Quoad alia Sacra reuocentur in memoriam carmina illa Heleni Vatis apud Virgilium 3. Æneidos,

Quin vbi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris iam vota in littore solues,
Purpureo velare comas adopertus amictu;
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum,
Hostilis facies occurrat, & omina turbet.
Hunc socij morem Sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.

Atque ita exequutus est Æneas; ait enim inferius,

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Qui plura huiusce litteraturæ cupiat, adeat Cerdam in notis ad Virgilium, Franciscum Ferdinandum de Cordova in Didascalia Cap. 3. pagina 19. Fortunatum Scacchum in Myrotheco 2. Sacrorum Eleochrismaton Capite 81. Ioannem Hieronymum Sopranem Digressione 1. de re vestiaria Iudæorum Disputatione 2. Capite, & §. 1. Laurentium Landtmeterem de Vetere Clerico Monacho Libro 2. Capite 81. Barnabam Brissonium Lib. 1. de formulis, & solemnibus populi Romani verbis, pag. mihi 36. Authorem Tractatus de Pileo, sect. 2. ex pag. 13. qui adeò diligenter collegerunt antiqua de hoc ritu monumenta, vt nec spicilegium nos facere possimus. Vnde lu-

cem

cem accipiunt verba illa S. Cypriani in Lib. de lapsis, vbi laudans Confessorum stantium in fide constantiam ait, *Ab impio, sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiua, caput vestrum liberum mansit. Frons cum signo Dei pura Diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reseruauit.*

20 Nihilominus Christianus mos intecti capitis in sacrificando, & orando fuit etiam Græcorum, vt Lilius Gregorius Gyraldus Syntagmate 17. historiæ Deorum, pag. mihi 499. alijque prælaudati obseruant; & aliunde probatior est, vt pote magis significans nostram erga Deum reuerentiam, præsertim in eis nationibus, in quibus nobilissimę partis corporis humani nudatio ad occursum alterius viri, quem colimus, signum est nostræ erga eum obseruantiæ eis de causis, quas videsis in Petro Mesia parte 1. variæ lectionis, C. 16. Adhæc: sunt multæ rationes morales ad eandem detectionem confirmandam, vt quòd lex noua sit perfectæ libertatis; quòd non timore, sed amore nos dirigat; quòd non erubescamus, vt ait Tertullianus in Apologetico C. 30. quòd reuelata facie speculemur Christum, secus ac Hebræi, *super quorum cor est positum velamen, cum legitur Moyses*, 2. Cor. 3. V. 15. Quam rationem præbet S. Epiphanius in Hæresi 80. Ad idem faciunt, quę habet Apostolus 1. ad Corinth. 11. V. 3. vsque ad 15. Ejusque authoritate vtitur Zacharias Papa in Can. *Nullus*, quem explicamus. Notat autem Salmeron tomo 2. in Epist. Pauli D. 18. pag. 187. ✻ Etsi Apostolus de omnibus tam Laicis, quàm Ecclesiasticis loqui videatur, præcipuè tamen videtur esse sermo de Sacerdotibus, & Ecclesiasticis, quorum est præcipuè in templo aut orare, aut prophetias exponere: quod aperto capite præstandum est. Nam olim in lege Summus Sacerdos nudis pedibus, & tecto capite Sacrificium perficiebat, vt habes Exodi 28. Contra nunc fieri debet, vbi pedibus calceatis, aperto tamen capite Sacrificium Missæ peragitur. ✻ Additque Salmeron, ✻ Debet etiam Sacerdos Euangelicus non solùm in Missæ Sacrificio pileum supremum aperire, sed etiam pileolum, quod sub altero gestat, vt satisfaciat huic Pauli Apostoli legi, deponere, nisi magna necessitas eius retinendi vrgeat, saltē à tempore consecrationis vsque ad corporis, & sanguinis perceptionem. ✻ Declarat id magis Salmeron in pagin. 188. his verbis, ✻ Non est statuenda religio, quasi nefas sit, Doctores pileolum gestare, cum prosuggestu ad populum verba faciunt. Nec in regionib⁹ Septemtrionalibus, si ministrantibus in Sacris non sint perpetuò detecta capita. Nam frigore compelluntur, capita tegere. Satisfaciunt autem Apostolicæ traditioni, quando initio sacræ functionis, aut subinde in medio, vel ad finem caput aperiunt. Non enim expedit, vt propter illam cæremoniam caput vehementer lædatur. ✻ Sic ille. Cuius verbis postremis conformia sunt hæc Arriagæ D. 55. sect. 4. num. 19. ✻ Non est censendum, Deum male omitti Sacrificium tam necessariū, aut quòd grauiter Sacerdotes de salute periclitentur (in regionibus, vbi sunt frigora ingentia) quàm quòd habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus. ✻ Ita Arriaga: eatenus à me probandus, vt & Salmeron, quatenus Sedes Apostolica generalem licentiam possit iustè concedere pro eis regionibus frigidissimis ad vsum pileoli inter celebrandum.

21 Erit, qui adhuc dicat, ad signum reuerentiæ erga Deum non videri necessariam depositionē pileoli in Sacrificio, cū in nationibus, vbi ille de more est, non soleāt viri graues, quando se salutant, exuere illo caput, sed tantùm pileo grandiori, aut galero. Verumtamen & quoad pileolum valent rationes adductæ, neque in præfatis nationibus, quando cum personis maximi status coram agitur, præfertur capite pileolus: quantò minus, quādo Deo sacrificatur. Olim plebs Christiana nudabat capita ad lectionem Euangelij in Missa, vt in Carmine de eius Officio canit Hildebertus Episcopus Cenomanensis,

Plebs baculos ponit, stat, retegitque caput.

Videturque loqui de depositione calanticarum, nam quis credat, non submouisse iam petasos ad ingressum Ecclesiæ? Estque propius vero, ex lectione Euangelij vsque ad finem Missæ man

manſiſſe populum ſine vllo capitum operimento. Vrget autem potior ratio in ipſis Sacerdotibus celebrantibus.

22 Cęterùm etſi de aperiendo à Sacerdotibus capite inter Sacra adeò curarit Eccleſia Romana, & Sanctus Zacharias Papa, dignum valde eſt adnotatu, quod idem S. Zacharias in eadem Synodo Romana, vbi anno 743. confectus eſt Canon *Nullus* ordine 13. & 14. præmiſſerat hunc, qui ordine eſt 3. & refertur in C. *Epiſcopi* 21. quæſt. 4. *Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus ſæculari indumento minimè vtantur, niſi, vt decet, tunica Sacerdotali; ſed nec, dum ambulauerit in Ciuitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumat ambulare, præterſi in itinere longo ambulauerit. Quia ſicut mulier orans in Eccleſia, non velato capite, deturpat caput ſuum iuxta Apoſtoli vocem; ita Sacerdos ſine operimento deturpat ſuum Sacerdotium. Nam ſi temerè præſumpſerit contra ſtatuta agere, communione priuetur, donec quæ ſtatuta ſunt, adimplere maturet.* En pro decoro, & grauitate Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum iniunctum illis, vt in quotidiana converſatione vterẽtur capitum operimento: quod an fuerit commune cum galeris Sęcularium, an ſingulare, vt nunc pileus Clericalis? nihil eſt, vnde affirmem, aut negem. Siquis cum Gloſſa, & cum communi Interpretum ad C. *Epiſcopi* intelligat vocem *Operimentum* de cappa, aut pallio, vel de tunica talari, non contendam cum illo, dummodò mihi concedat, poſſe etiam intelligi de tegmine capitis, vt ſuadet exemplum de mulie re, quæ dehoneſtaret caput ſuum, ſi eo non velato oraret in Eccleſia. Hactenus de incidenti circa pileolum quæſtione, ſed quæ propria eſt noſtri Tractatus, ideoque eam tam operosè diſcuſsi, non abſque aliqua elucidatione Canonis *Nullus*. Sed pro illius integra explicatione, & pro examine difficultatis, quæ ſolet ſimul in hoc loco exagitari, annecto Sectionem ſequentem.

SECTIO III.

De prohibita ad celebrandum aditione altaris cum baculo.

23 IN Can. *Nullus* non ſolùm vetatur aſsiſtere altari Dei, velato capite, ſed etiam ad Miſſarum ſolemnia celebranda introire cum baculo. Vt autem hanc ſecundam prohibitionem declarem, propono nonnullas animadverſiones. Quarum prima ſit, cum ibi prohibetur introitus, non eſſe ſermonem de baculo Paſtorali, ſed de communi. Ita Gloſſa ad V. *Cũ baculo*, & Durantus L. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ C. 9. num. 40. contra Turrecremata. Et patet, quia agitur de baculo non ſolius Epiſcopi, ſed Sacerdotis etiam, & Diaconi.

24 Secunda animadverſio ſit, inferri exinde communiter ab Authoribus, irregularem eſſe, qui ſine baculo non poteſt ad altare accedere, ibiq; functiones exercere. Sic Gloſſa præcitata, & germana alia ad C. *Siquis in infirmitate* 10. Diſtinct. 55. Sed Poſſevinus C. 2. de Officio Curati num. 39. ait, * omnia incommoda ſuperari, ſi Sacerdos (non valens ambulare ſine baculo) ſe ad altare ſacris veſtibus induat, & nõ referre, quomodocumque ad altare acceſſerit, dummodò, dum eſt ibi, ſine baculo poſsit officio ſuo fungi. * Poſſevini conſilio obſtare videtur Decretum Sacræ Congregationis Rituũ poſitum in Miſſali de mandato Vrbani VIII. Papæ, ne inferiores Epiſcopo ſumant de altari paramenta pro Miſſa. Sed dici poſſet, Decretum eò reſpicere, vt ex faſtu, & grauitate vltra ſtatũ perſonæ non ſe induant alij, quàm Epiſcopi, & Cardinales, in altari. Vnde Gavantus in Rub. Miſ. parte 2. tit. 1. pagina 86. non detrectat, vt in caſu neceſsitatis ob defectum Sacriſtiæ, aut mensæ ſeparatę quiſque priuatus Sacerdos veſtiat ſe in altari ad cornu Evangelij. P. Vazquez D. 233. C. 4. num. 48. ſcripſit, licere rationabili aliqua ex cauſa cum baculo accedere ad celebrandum, quin meminerit diſpenſationis: quæ certè requiritur in irregularitate, quam contraxit impotens conſiſtere ſine baculo in altari. Sed ſi quis non indigens aſſumeret illum ex mero ſuo libito, eſſet communione privandus, nam hanc pœnam comminatur C. *Nullus*; & iuxta pleroſque comminatio excommunicationis maioris eſt ſignũ culpæ gravis, quanvis non deſint Doctores, qui negent apud Gaſparem Hurtadum D. 12. de Excommunicatione, Difficultate 3. V. *Excommunicatio maior*. Quibus ego non aſſentior; ſed tamẽ agnoſco

agnoſco, comminationem de priuatione communionis in C. *Nullus* poſſe valdè genuinè explicari de pœna, quæ ſit leuior, quàm excommunicatio maior. Atq; ita exprimunt, aut indicant Gloſſa ibi, verbo *Nullus*, & Turrecremata; ſæpeque formula, *Communione priuetur*, non ſignificat in ſacris Canonibus aliud, quàm ſuſpenſionem à ſuſcipiendo corpore Dominico, aut à cõuictu cum alijs Clericis, vel fidelibus.

25 Tertia animadverſio ſit, fortè nomine baculi intelligendam eſſe virgam cum cuſpide ferrea, aut vaginã cum enſe intus incluſo ad defenſionem portantis. Et quidem eo nomine ſignificant, quod dixi, Hilbert⁹ ſuprà adductus, Amalarius Lib. 3. C. 18. de Eccleſ. Officijs, Hugo Victorinus in Speculo C. 7. Belethus C. 39. de Officijs divinis, Durandus Libro 4. Rationalis Cap. 24. num. 25. Durantus de ritibus Eccleſiæ Catholicæ Lib. 2. C. 23. numero 21. loquentes de baculorum depoſitione facta à Laicis præſentib⁹ Miſſæ, quando legebatur Euangelium. * Deponuntur, inquit Durandus, tunc baculi, & arma. Primò, ne imitemur Iudæos in conſpectu Crucifixi arundines, & arma ferentes. Secundò, adnotandum, quòd, Chriſto prędicãte, omnes legales obſeruantiæ, quæ per baculos ſignificantur, depoſitæ ſunt. Tertiò, depoſitio baculorum, & armorum humilitatem notat, & Chriſtianæ perfectionis eſſe, non ſe vindicare, ſed Domino reſeruare vindictam. * Hinc in Concilio Aurelianenſi III. anno 540. C. 28. iuſſum fuit, *Ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum vſum ſpectaret Sacrificia Miſſarum.* Cuius religionis antiquæ veſtigia videre eſt in Vizcayæ pagis, incolæ enim ingreſſuri templa relinquunt ad oſtium baculos ferrea cuſpide acuminatos, quibus frequenter vtuntur, vt teſtatur Ioannes Fernandez in Theſauro diuinarum Scripturarum L. C. & num. 2. quare Eccleſiarum atria die feſto, & hora ſolemnioris Miſſę ſpeciem militaris ſtationis referunt ob tot in altum erectas lanceas (quas *Azconas* vocant) quot intus ſunt viri. Prędicatus autem Fernandez explicat de baculo in hac ſignificatione Chriſtum dicentem Matthæi 10. V. 9. *Nolite poſsidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* aſt de baculo ſine ferro, & deſeruiente tãtùm ad nitendum interpretatur eiuſdem Chriſti verba Marci 6. V. 8. vbi præcepit Apoſtolis, *Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm.* Quam vtriuſque loci conciliationem tradidit antea Ianſenius, & approbarunt multi alij Interpretes. Si prior vocis *Baculus* acceptio in Can. *Nullus* placeat, adiungam non valde diſsimilem prohibitionem latam in Exhortatione Epiſcopi ad Cõcilium Prouinciale, ſeu Synodum iuxta Ordinẽ de eius celebratione præſcriptum in Pontificali Romano Pij IIII. Papæ, dicitur enim ibi, *Nullus calcaribus indutus, vel cultellis extra pendentibus celebret.* Et hæc habui, quæ adnotarem circa reliqua Canonis *Nullus*; quæ non coactè, ſed ſpontè veniunt ad Spartam noſtram ornandam.

SECTIO IIII.

Prauiè tractatur de veſtibus vſuarijs, quibus ſuperinduendæ ſunt Sacerdotales. Item de Superpelliceo. Dicitur nonnihil de tonſura capitis.

26 IAM circa illa verba Miſſalis *Et indutus veſtibus ſibi conuenientibus, quarum exterior ſaltem talũ pedis attingat*, vbi admonentur Sacerdotes de qualitate habitus in vſu, vitaque communi, legat, qui velit Canones contentos Cauſa 21. q. 4. C. *Clerici* 15. de Vita, & honeſtate Clericorum, C. *Quoniam* 2. in Clementina ſub eodem tit. C. 5. Concilij Matiſconenſis I. C. 1. Concilij Narbonenſis, titulum 3. Cõcilij Coyancenſis, Bullam Sixti V. inciplentem *Cum Sacroſanctam*, Conciliũque Tridentinum Seſ. 14. C. 6. de Reformatione, Seſ. 22. Cap. 1. de Reformatione. Legat etiam Barboſam parte 2. de Officio, & poteſtate Epiſcopi Allegatione 9. Landtmeterum Lib. 1. de Vetere Clerico Monacho, parte 1. C. 21. Scottiam Lib. 2. de Miſſæ Sacrificio. C. 8.

27 Quatenus autem veſtem exteriorem deceat eſſe talarem, facit C. *Non liceat* 32. Diſt. 33. comprobantque

que Authores congesti à Barbosa supra, num. 4. Clericus, quem à persequutore fugientem excepit domi S. Albanus, veste vtebatur ad talos demissa, vocata *Caracalla*, vt narrat V. Beda L. 1. Hist. Anglorum C. 7. indeque Baronius anno Christi 213. numero 10. confirmat, fuisse olim Clericis in vsu talares vestes: quas quia populo donavit Antoninus Imperator, filius Severi, dictus est Caracallus, vt notum est ex Spartiano, & alijs: suntque Sacerdotibus valde congruentes, vt quæ maiestatem, & decorem concilient eas indutis.

28 Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 10. num. 216. inquit, ✻ Se non approbare Sacerdotes, qui in breviori veste veniunt, vt se induant vestibus sacris, quanuis enim non videatur peccatum mortale, indecens videtur, nisi causa excuset, vt itineris. ✻ Suarez etiam Disput. 82. sect. 3. in fine, ait, ✻ Obseruandum id esse, quod in Missali admonetur, scilicet vt Sacerdos accedat decenter vestitus, ita vt superior vestis talum pedis attingat, quantùm commodè fieri possit. ✻ Sic ille. Quòd si permulti Episcopi, vt consulant decentiæ status Clericalis, minimè patiũtur, vt in habitu breviori coram se appareant Clerici, iustius longè est, ne in eo celebrare Missam permittantur Sacerdotes: exceptis peregrinis, & rusticanis, quibus vestis curta permitti potest, sed quæ medium saltem crus operiat; debetque adhuc Clericalis esse pro more regionis. Et quidem celebrare frequenter, ac sine causa in habitu Sæculari, vt & in eo incedere Sacerdotem, non carebit peccato; quod graue erit, præsertim si adsit contemptus, vel sequatur scandalum.

29 Vlteriùs circa illa Missalis verba, *Induit se, si sit Prælatus Sæcularis, supra rochettum; si sit Prælatus Regularis, vel alius Sacerdos, supra superpelliceum, si commodè haberi possit*, obseruo, superpellicei vsum, etiam si ad manum sit, & in promptu, rarũ in Hispania esse apud Sacerdotes celebraturos; quare in Hispania, & vbicumque in vsu non sit, omitti poterit absque peccato vllo, quã. quàm commodè haberi queat. Nec superpelliceum est vestis sacra Sacerdotalis, vt contra Fabium notat Leander Tract. 8. Disput. 7. quæst. 38. tum ex communi Doctorum consensu, tum exinde, quòd superpellicei tanquam vestis sacræ Sacerdotalis mentio non fiat in Concilijs, neque in Patribus. Vnde consequenter Paludanus in 4. Dist. 13. quæst. 2. art. 6. num. 22. Durandus ibidem, quæst. 2. num. 9. Sylvester V. *Benedictio*, quæst. 5. cum Archidiacono docent, superperpelliceum non esse benedicendum. De quo nihil occurrit mihi, quod addam vltra conquisita, & allata à Durando L. 3. Rationalis C. 1. ex num. 9. Gavanto in Commentar. ad exarata verba Rubricarum, Herrera L. 1. de Origine, & progressu cæremoniarum Missæ C. 24. num. 5.

30 In Missali nihil dicitur de corona, seu de tonsura in capite celebrantis Sacerdotis. Sed placet advertere cum Amico Disp. 33. sect. 12. ex num. 18. discurrendum esse eodem ferè modo de celebratione sine illa, ac absque habitu Clericali. Est enim illa Sacerdotis insigne, & ad quam, si crines habeat, obligatur per se graviter, dum etiam non sacrificat, & independenter à contemptu, atque scandalo. Sed vt ex causa potest esse licitus incessus sine ea, ita etiam celebratio; & vt breui tempore incessus sine corona ex negligentia non erit peccatum graue, ita neque celebratio per paucos dies, quia nimirùm inde non creatur notabilis occasio vilipendendi Sacerdotalem statum. Non deficiet aliquis, qui iudicet, celebrationem sine corona addere quid plũ gravitatis in culpa supra incessum communem sine illa; vt maior culpa esset sacrificare absque Clericali habitu, quã absque eo agere vitam Ciuilem.

31 Nec plura de corona; de qua præter Barbosam, & relatos ab ipso supra ex num. 10. Landtmeter supra ex Cap. 6. Carolus Paschalius Lib. 4. Coronarum C. 14. ad finem, Prosper Stellartius in tribus libris de Coronis, & tonsuris, quidamque Modernus in Resolutionibus, quas vocat valde confidenter Orthodoxo-Morales, perinde ac si prodirent ex Oraculo Summi Pontificis, aut Concilij cuiuspiam sacrosancti, æcumenici, & generalis, Digest. V. de tonsuris, & coronis ex pag. 370. & cũ locupletat⁹ pro iure cõmmi sit ex operoso, & laborioso scripto Stellartij, immemor tamen beneficij grauatè, & asperè tertio quoque verbo ipsum exagitat, si vel in leuissima interpunctione,

punctione, aut voce aures suas non titillet. Ludens nomine Prosperi Stellartij ait, non aspexisse prosperè, & benignè V. Bedam, cuius authoritatem transversum agens non æstimat; legisse malevolo aspectu S. Isidorum Hispalensem, erga quem habuit non pium affectum; esse lumen infaustum, & infelix, obortumque in vmbra multis, aut mortis; toto Cœlo aberrare, & contra omnem antiquitatem Ecclesiasticam; non attingere scopum; divinare multoties; manifestam esse omnibus insciti am eius, ingenium esse audax, mirandamque audaciam. Ne autem adverbium *audacter* conquereretur de sui non vsu, adaptat illud Ioanni Caramueli, inquiens, * Audacter, & contra omnes, vt assolet, ferè semper divinans, vt novitates introducat Ioannes Caramuel, * quem etiam compellat ignorantem antiquitatis.

32 Non magis humaniter se habet cũ N. Theophilo Raynaudo, è cuius libro de Martyrio per pestem ditauit suum de vero Martyrio fidei, quãquam stylum vertens (num meliorem reddens? alij iudicent) & vellicans nonnulla, quæ palato suo grata nõ fuerunt. Exempli gratia: Dixerat Raynaudus parte 4. C. 5. num. 3. Martyrum, excepto Christo, mortem non potiri vera, & propria ratione Sacrificij. Displicuit Moderno illi pronunciatũ hoc, arrisitque contrarium in Resolutione 64. §. 2. pag. 360. sed nullum ibi lapidem movet siue à loquutionibus Patrum, siue à rationibus addubitandi, quem non ciuisset iam eruditio, & ingenium Raynaudi. Præterijt is pro negante parte, vtpote apud se explorata, argumentum petitum ex singularitate vnius Sacrificij in Ecclesia Christi; omisit etiam Modernus ille contra affirmantem partem, quam delegit, cum tamen sit validissimum, & quod me ab ea maximè abalienet. Quippe omnium Sanctorum Scriptorum effatum sit (testibus Bellarmino Lib. 1. de Missa C. 2. §. *Quartum argumentum*, & Raphaele de la Torre tomo 1. de Religione quæst. 85. art. 4. D. 3. num. 21.) Ecclesiam Christi vno tantùm vero, ac proprio Sacrificio claruisse. Id quod non minus perspicuè traditur à Conciliis Toletano XII. C. 5. Tridentino Sess. 22. in proœmio doctrinæ de Sacrificio Missæ, vt iam ego obseruaui in D. 6. num. 1. anteaque in Disp. 1. numero 51. cum communi Theologorum, consentientibus Ludouico Cresollio Capite 4. de Selectis piorum hominum virtutibus S. 2. pag. 114. & Raphaele de la Torre supra, art. 3. D. 1. num. 6. accipiendos esse libros sacros, & Patres de metaphorico, & similitudinario Sacrificio, quando quibusdam actionibus charitatis erga Deum, & proximum, aliarumque virtutum attribuunt nomen Sacrificij.

33 Sit rursus in exemplum: P. Raynaudus parte 4. Cap. 6. ex num. 24. refutat Scriptorem quendam, qui Libro 45. Aduersariorum Cap. 9. asseruit, Martyres in extremi Iudicij die valituros adeò apud Christum, vt liberent è damnatorum numero quot quot velint. Ast Modernus ille Resolutione 47. pag. 243. transfert in suum vsum omnia, quæ Raynaudus conquisiuit. Fateor tamen, addidisse aliquid de suo, scilicet potentia Dei absoluta non repugnare eam liberationem ob intercessionem Martyrum. Quæ subtilitas excogitata fuit in gratiam hominis impugnati à Raynaudo sine nominis expressione: Sed est Caspar Barthius Hæreticus Lutheranus proscriptæ memoriæ Author in Expurgatorijs Sanctæ Inquisitionis Hispanæ, quamuis Aduersariorum libri permittantur cum correctione. Non nouit hominem Modernus ille, cum ex Raynaudi fide egit de ipso; licet in Digressione præcitata de tonsuris, & coronis, membro 6. pagina 377. ostendat, lectum à se Barthium alijs in locis, & honoret eum titulo eruditissimi, quo ego abstinerẽ loquens de infecto Lutheranismi peste; vt & planè, rotundèque repuli D. 17. num. 46. priuilegium, quod affinxit Martyrio, quodque ab ipso explicatur de extractione è reproborum cœtu, quæ fiat actu per potentiam Dei siue ordinariã, siue absolutam. Et cum tandem laudator Barthij concludat, SS. Martyres solummodò posse * Ex nunc pro tunc (Iudicij vniuersalis) orare Patrem, vt ille, qui vt hædus erat in libris æternitatis conscriptus (debuisset dicere, conscribendus) sit dexter agnus, & induatur vellere pulchro, ficque compareat in vniuersali Iudicio; * quæ sunt phrases decerptæ ex elegãtioribus alijs

Ray-

Raynaudi: quid, quæso, iuvant argutiæ illæ de excarceratione per potentiam Dei absolutam? Et hæc scripsi, vt encomiastes Barthij mitiùs tractet Catholicos, & Religiosos viros, alterum ex illustrissima familia Augustiniana, alterum ex Cistertiēsi Ordine clarissimo, alterum ex Societate nostra, quorum sudoribus, elucubrationibusque profecit. *Si sibi ob aliquam iustam causam displicuissent, meritò ab eis discedere potuisset, sed cum modestia, & Christiana vrbanitate, qualem decet virum Theologum, præsertim Religiosum, & tam sancti Instituti.* Quam fraternam monitionem adhibitā Sylvestro à grauissimo Theologo Alfōso Castrensi Libro 1. de potestate legis pœnalis C. 9. pag. 171. ob derisam quādam distinctionem Henrici Gandav. nō verebor ego natu minor adaptare Moderno illi, etsi iam propè octogenario; alloquarq; Stellartium, Caramuelem, & Raynaudum verbis, quæ alicubi Operum Ruperti Abbatis Tuitiensis legi, *Hoc passi sunt summi Philosophi, Poetæ nobiles, hoc nostri Doctores; sed tamen omnes priorum sectantes studia ex eorum sensibus præstantiora posteris condiderunt.*

SECTIO V.
Numerus, color, figura vestium Sacerdotalium.

34 DE numero in primis audiendum est Concilium Rhemēse apud Burchardum Lib. 2. Cap. 50. vbi inquit, *Nullus Presbyter absque Amictu, Alba, & stola, & fanone, & casula vllatenus præsumat Missam celebrare.* Concilium Covancense titul. 3. addit cingulum, & vocat manipulum, quem Rhemense Concilium dicit *Fanonem.* Leo IV. Papa apud Baronium anno Christi 855. refert eadem vestes, & non plures, quam Concilium Rhemense, & manipulum appellat etiam *Fanonem.* Ordo Romanus in Exhortatione Episcopi ad Concilium habet eadem verba, quæ Leo IV. Pontificale Romanum Pij IV. in eadem Exhortatione nō omittit cingulum, neque nominat *Fanonem*, sed manipulum. Vox *Fano* cum *f.* aut cum *p.* & *h.* reperitur etiam in Alcuino de divinis Officijs Cap. 38. in Rabano Lib. 1. de Institutione Clericorum C. 18. in Hugone de S. Victore Eruditionis Theologicæ de Sacramentis Lib. 1. C. 31. in Honorio Augustodunensi L. 1. de antiquo ritu Missæ C. 208. qui testantur, vsitatum à vulgo nomen esse *Fanonem*, aut *Fanonem.* In Durando Lib. 3. Rationalis Cap. 6. n. 1. legitur *Fanum*, & L. 4. C. 36. n. 27. *Fano*, vt & in Regula Sanctimonialium apud Abaelardum.

35 De qua voce ita Panvinius In Interpretatione quarundam Ecclesiasticarū, ✻ Fanon etiam appellabatur linteamen illud, quæ vox Germanorū esse videtur, à quibus vela illa ex hastilibus dependentia fanen vsque hodie appellantur. Guilielmus Durandus, *Cum fanone candido* exponit, cum mappula alba, & nitida. Hodie Veronæ in patria mea linteamina serica, & depicta ex hastis dependētia, & in Supplicationibus deferri solita, confanones vocant. ✻ Cerda in Adversarijs Cap. 94. num. 29. addit ad hæc verba Panvinij, vocari ab Hispanis *Pendones*, qui *Confanones* à Veronensibus. Sed Hispani nominis etymon derivatur ex Latina lingua, nimirùm quia in Labaris vela serica pendent ab hastilibus.

36 Landtmeter L. 2. de Vetere Clerico Monacho C. 78. suspicatur, irrepsisse mendum in textum Concilij Rhemensis, & vbi dicitur *Sine fanone, & casula*, legendum esse *Sine phanalione, siue casula*, nam *phanalion* Græcè est penula, & casula Latinè: Crediderim, Landtmeterem deveniſſe in hanc suspicionem, quia tunc non occurrerunt tot Authores, quot adduxi referentes ex vulgari vsu vocem *Fano*: quibus adiungo Ioannem Stephanum Durantum de ritibus Ecclesiæ Catholicæ L. 2. C. 9. num. 16. Democharem Lib. de Obseruanda Missarum celebratione C. 5. Consalvum Durantum ad Lib. 6. Reuelationum S. Birgittæ, C. 7. nota 4. Gabrielem Bielem in Can. Missę, lect. 12. lit. *G.* Bullengerum de Vestibus Pontificum, Episcoporum, & Sacerdotum Cap. 42. Sauffayum parte 1. Panopliæ Sacerdotalis L. 4. Eandem vocem reperio in Testimonio authentico inuentionis corporis Bonifacij VIII. Papæ apud Bzovium anno 1303. sed ibi non significat idem ipsum, quod manipulus Sacerdotalis, sed vestem quandā

propriam

propriàm Papæ, dictam & hodie *Fanon* à Marcello in Cœremoniali Papæ Lib. 1. folio 159. Et hæc de nomine *Fano* iam obsoleto, aut saltem non vsitato in Hispania; sed pro Canone Concilij Rhemensis elucidando non erunt invtilia.

37 Ne verò rursus redeam ad manipulum, agit de alijs vocibus apud antiquos Gavantus pagina 91. Et cum sint meræ voces, & ex quarum declaratione non videam pendere intellectum alicuius Concilij, Canonisve Ecclesiastici, decrevi tacere de eis. Illud tamen non omittam adnotare, videlicet hodiernum manipuli vsum esse longè diversum ab antiquiori. Nam nunc fas non esset applicare illum ad emundãdos oculos, os, & nares; quondam autem ad hæc omnia deservicbat, non secus, ac sudariolum lineum, de quo habuimus sermonem in Disputatione 25. numero 59. & 60. Petrus Blesensis Sermone 41. sic alloquitur Sacerdotem, * Sudarium, quod & manipulus dicitur, gestas in læva. (Quondam messores ob sudorem detergendum zonę alligatum sudarium portabant.) Intellige ergo, te messorem esse. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Et ideo misit te Dominus messis ad metendum, id est, ad colligendum vndecumque in Ecclesia fideles verbo, & exemplo, & Sacramentorum participatione. Hæc quidem messis nunc hominum est, finitima verò erit Angelorum, quando colligent omnia scandala de Regno Dei. Patres antiqui sudarium ferebant ad tergendam lachrymarum affluentiam, quibus dictum est, Beati, qui nunc fletis, &c. Beda dicit in Martyrologio suo, quòd Pater Arseni? semper sudarium ferebat aut in sinu, aut in manu propter lachrymarum affluentiam. Quo circa intellige, ò fili, ex sudario, quantos exitus aquarum deducere debent oculi tui pro incolatus prolongatione, & pro patriæ desiderio. * Hactenus Archidiaconus Bathonienſis. Et similia, quanuis breviora, inueniuntur in Alcuino, alijsq; veteribus supra citatis, necnon in Petro Damiano Opusculo 11. Cap. 17. in Beda, titulo de septem Ordinibus, in Collectaneis tomo 3.

38 Pergo ad cæteras vestes memoratas in Concilio Rhemensi: Et de amictu quidem fit mentio in Epistola quadam Innocentij ad Patriarcham Constantinopolitanum, & infra C. 35. Vt & de Alba tam supra, quàm in Concilio Carthaginensi IV. C. 41. in Narbonensi Can. 12. in Clementina *Ne in agro* de statu Monachorum §. *Rursus*, iuncta Glossa ad V. *Albis*, in S. Gregorio Magno L. 7. Epist. 63. S. Chrysostomo in C. 26 Matthęi Homil. 83. S. Hieronymo L. 1 Dialog. adversus Pelagianos, Innocentio III. Lib. 1. de Sacro altaris Mysterio C. 36. De stola verò, seu orario in Cõcilio Bracarensi I. Canone 9. Bracarensi III. Canone 4. Laodiceno Capite 22. & 23. relatis C. *Ministrum* 27. C. *Non oportet, Lectores* 28. Dist. 23. Toletano IV. Capite 28, & 40. relato C. *Vnum Orariũ* 3. Distinctione 25. Videantur etiam C. *Vt Presbyteri* causa 17. q. 4. ex Concilio Triburiensi, Caput *Nullus eorum* causa 21. q. 4. C. *Monacho* causa 27. quæst. 1 Conciliumque Moguntiacum sub Carolo Magno Capite 28. in quibus sermo est de orario, & stola; simulque legantur adnotationes Suarij Disputatione 82. sect. 2. V. *Dico secundò*, Loaysæ ad Concilium Toletanum IV. C. 28. Duranti Lib. 2. de Ecclesiæ Catholicæ ritibus C. 9. ex num. 5. Leonardi Coquęi ad S. Augustini Librũ 22. de Civitate Dei C. 8. Ioannis Hieronymi Sopranes Digressione 1. de re vestiaria Iudæorum D. 2. C. 1. §. 3. D. 3. C. 1. §. 3. Andreę Saussay in Panoplia Sacerdotali Libro 4. 5. atque 6. Et quidem de omnibus sex vestibus Sacerdotalibus tractant latissimè Authores, qui de ritibus, & cœremonijs Missæ. Adeat eos, quisquis originem nominum, & significationes morales desideret scire; vt & qui cupiat noscere, quæ, & quales vestes respondeant vsitatis à Pontifice, & Sacerdotibus veteris legis. Nos hęc omittimus, quoniam necessaria non sunt ad negotiũ Theologicum, aut Canonicum.

39 Materia prædictarum sex vestium non est definita in Iure; receptum tamen vsu est, vt amictus, atque Alba sint ex lino candido; possuntque esse ex cannabe, vt advertit Tullench Libro 3. de Sacramentis Capite 8. Dubio 18. numero 2. colligiturque ex dictis à nobis in Disputatione 25. numero 6. & in 7. id expressimus: possetque etiam esse ex gossipio. Aſt vestes cæteræ non solùm queunt esse ex his materijs, sed etiam ex lana, vel serico.

40 Quarum color conueniens Officio, & Missæ diei etsi præscribatur in Rubricis generalibus supra; at Franciscus de Lugo L. 5. C. 8 q. 3. n. 24. cum Suario, Fagundez, Homobono, Diana, & Aversa docet, nō præcipi propriè ibi. Ego tamen non video, cur potiùs in illis verbis, quàm in alijs contineatur regula tantùm directiva, & non præceptū. Sed fateor, cōsuetudinem invaluisse adversus præceptum, nam absque vllo scrupulo solent Sacerdotes timorati celebrare cum manipulo, stola, & planeta cuiuscūque coloris, siue albi, siue viridis, siue violacei; quanquam in vsu coloris nigri minor licentia soleat esse, nec enim eo vti videmus extra feriam sextam in Parasceve, & Missas defunctorum; admirationiq; foret, si ad Missam de Nativitate Dñi v. g. Sacerdos accederet cum ornamentis nigri coloris; & è contra, si ad Missam defunctorum cum ornamētis coloris albi. Cæterùm tanta posset esse Ecclesiæ paupertas, vt si ad Missam defunctorum desit color niger, soliusque albi detur copia, celebratio Missæ nō sit omittēda ob eam admirationē. Ædituus Societatis in suis Regulis n. 23 monetur, *Det operam diligenter, vt altaria sint munda, & benè præparata, & pro ratione temporum ornata.* Quæ admonitio supponit, respōdere debere altariū pro ratione temporum ornatui colorē indumentorum Sacerdotalium, quia iuxta Rubricas debet dari mutua correspondentia quoad colorem inter altare, & celebrantem, ac Ministros.

41 Figura vestimentorum Sacerdotaliū, ac magnitudo ea debet esse, quæ conveniat mori Ecclesiæ, vsibusq; ad quos deseruiunt. Et Alba quidem debet esse talaris; vnde à Græcis vocatur *Poderis*, vt notant S. Isidorus L. 19. Etymologiarum C. 21. & Author Gemmæ animæ L. 1. C. 202. Indecensque est, si Alba vsque ad talos non descendat, præsertim quando communis vestis exterior eos non attingit. Regula Æditui Societatis num. 4. maximè respiciens ad Albę in Sacerdotis corpore compositionem vult, à Sacrista curari, *Vt vestimenta, quæ Sacrum facturus induitur, sint rectè aptata, ipsumque circumquaque intueatur, antequàm è Sacristia exeat.*

SECTIO VI.

De benedictione vestium Sacerdotalium. Quis possit eam præstare? An Episcopus, an merus Sacerdos iure suo, vel ex delegatione Episcopi?

42 SACERDOTALES vestes debent esse benedictæ, vt enim dicitur Can. *Vestimenta* 42. de Cōsec. Dist. 1. *Vestimenta Ecclesiæ, in quibus Dño ministratur, & sacrata debent esse, & honesta.* De cingulo scripsere Scotus in 4. D. 13. q. 2. art. 1. n. 9. V. *Quæ autem*, Richardus ibi art. 3. q. 4. Sylv. V. *Missa* 1. q. 2. Angles in q. de Valore Mis. art. vlt. de eius ritu, Dif. 5. Concl. 1. Moure in Examine Theol. Moral. p. 3. C. 5. §. 13. n. 2. Antonius Hiquæus in Comment. ad Scotum, Sà V. *Missa* n. 10. alicubi inoleviſſe consuetudinē, vt non benedicatur, & non esse necesse, vt sit benedictū. Idque conceditur à Nicolao de Orbellis in 4. Dist. 13. §. 3. de locis, in quib⁹ obtinuit illa consuetudo. Sed nunc cōmunis Ecclesię praxis, & peculiaris pro cingulo benedictio assignata in Ordine, Pōtificali; Romano persuadent, illud debere benedici vel speciali ea benedictione, vel altera Sacerdotalium indumēto rum in genere, quæ habetur in fine Missalis, & in Rit. Rom. Licet verò cingulum non sit propriè vestimentum, sed ligatura vestimentorum, & ideo à Concil. Rhem. & à Leone IV. adductis initio S. V. non numerabatur vnà cum alijs vestibus sacris; iam tamen cōmuniter recēsetur inter eas, & antiquitus etiā cū eis referebatur in Conc. Coyācensi, vt dixi in præcitato loco. Voco semper Concil. Coyancense, cum tamen Binius, & alij appellent Coyacense. Ast non Coyaca, sed Coyanca, vel Coyanza dictum fuit Oppidum, quod nunc Valentia Dñi Ioānis, in Regno Legionensi satis notum; de quo fit mentio sub nomine Coyanzæ in divisione sedium Episcopatuum Hispaniæ tēpore Vvambæ Regis apud Loaysam post Concilium Lucense, pagina 136. Sed hoc omisso.

43 Sacerdotales vestes debent esse benedictę ab Episcopo, vel ab alio habēte facultatem, vt dicitur in Rubric. Mis. Potestas Episcopi ad eas benedicēdas est omnino

omnino indubitata. Imò Angelus V. *Benedictio* n. 1. ait, quemlibet simplicē Sacerdotē posse benedicere Sacerdotales vestes, cæteraq; egentia benedictione ad deserviendum in Missa, exceptis Corporalibus. Movetur autē Angelus, quia simplex Sacerdos potest omnia, quæ sunt Ordinis, nisi sint Ordinis Episcopalis, aut nisi sint specialiter interdicta ipsi. At benedicere vestes Sacerdotales, & alia prædicta, non pertinet ad Ordinem Episcopalem, vt colligitur ex C. *Quanuis Corepiscopis* 4. Dist. 68. vbi recēsentur, quæ sunt eius Ordinis, & nō fit mentio de tali benedictione: vt etiam probatur exinde, quòd per consuetudinem competit Abbatib⁹; id autem stare non posset, si esset Ordinis Episcopalis proprium munus, argumēto textus in C. *Aqua* 9. de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris. Ibi: *Non obstante consuetudine Ecclesiæ Bracarensis, quæ dicēda est potiùs corruptelā, quia licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Aliunde benedicere vestes Sacerdotales, & alia prædicta, nullibi est vetitum specialim Sacerdoti simplici, aut reservatum Episcopo; sed tantùm in C. *Consulto omnium* 68. de Consecratione Dist. 1. reseruatur Episcopo benedictio Corporalium. Ergo, &c. Agnovit Angelus, suam opinionem esse contra communem cæterorum Doctorum, tamen quia nullo iure, nullaque firma ratione suum dictum probarent, non veritus est recedere abeis, sed addidit, non decere, vt, Episcopo præsente, Sacerdos simplex exliberet benedictionem: quæ additio conformis est C. *Denique si in Epistola* 6. Dist. 21.

44 Navarrus L. 3. Consiliorum in 2. Consilio de Cons. Ecclesiæ, vel altaris pag. 365. editionis 2. Lugdunēsis anno 1594. expendit pro opinione Angeli, tum quòd omnis Sacerdos potest benedicere aquam lustralem iuxta C. *Aquam* 20. de Consec. Dist. 3. & iuxta C. *Perlectis* 1. §. *Ad Presbyterum* Dist. 25. maioris autē effectus videtur esse aqua lustralis, quā benedictio amictus v. g. tum quòd quilibet Presbyter potest expiare aquā à se exorcizata Ecclesiā pollutam, quæ anteà nō fuerit consecrata, vt dicitur in C. *Si Ecclesia* 10. de Cōsec. Ecclesiæ, vel altaris; quod maius quidam videtur, quā benēdicere v. g. zonam Sacerdotalem. Concludit autem Navarrus, attento solo Iure scripto, fore, vt posset Parochus benedicere indumenta Sacerdotalia: id quod, si alicubi servaretur, esset præfato Iuri scripto consonantius: sed quia contrarium inductū est consuetudine vniversali, quę, & non Ius scriptum, movit Doctores ad dicendum, id esse Iuris, ideo consuetudini huic parendum esse, quantū ad non benedicendas per Parochum vestes Sacerdotales, non verò quantū ad non benedicenda alia ornamenta altarīū, quia sola benedictio vestium Sacerdotalium subtracta videtur ab eius potestate ratione consuetudinis.

45 Non longè abit à relata opinione Castrus Palaus T. 22. D. vnica, pūct. 10. n. 2. dicens, quoties aliqua res sacranda nō est chrismatis vnctione, posse eius benedictionem simplici Sacerdoti committi ab Episcopo. Et Rituale Romanū editum ante annum 1614. videbatur agnoscere eam potestatē in Episcopo, vt testatur Victorellus in notis ad C. 2. Possevini de Offic. Curati n. 36. aitque Bassæus in Floribus Theologiæ practicæ V. *Benedictio*, n. 5. sæpissimè videri aliquos Parochos, & Decanos ex commissione Episcoporum benedicere paramenta sacra.

46 Nihilominus Doctores passim censent, non posse Episcopum (qui non sit Summus Pontifex) delegare simplici Sacerdoti potestatē benedicendi vestes Sacerdotales, aliaq; requirentia benedictionē ad vsum Sacrificij. Ita Possevinus supra, asserens, fuisse sic sibi responsum anno 1600. à Sacra Congregatione Rituum; & Victorellus supra inquit, * In novo Rituali libello Pauli V. Summi Pōtificis iussu, hoc anno 1614. edito; non est concessum Episcopis, vt facultatem benedicendi Sacerdotales vestes Sacerdoti concedere possint. Prioris editionis locus, in quo id videbatur Episcopis concedi, in 2. editione emendatus est; * Ita etiā Gavant. in Rub. Mis. p. 4. tit. 19. n. 23. pag. 307. cū Tabiena V. *Abbas* n. 12. & cum Hugolino de Episcopi potestate Capite 32. numero 5. item Augustinus Barbosa de Officio, & potestate Episcopi p. 2. Allegatione 27. num. 42. Lib. etiam 3. de Iure Eccles. Capite 2. num. 28. cum eodem Hugolino, & cum Homobono

de Examine Ecclesiast. Tract. 11. Cap. 7. quæst. 18. Resolut. 4. Thomas Tāburinus Libro 1. de Missa Cap. 3. §. 2. num. 4. Ascanius Tamburinus tom. 1. de Iure Abbatum Disput. 22. quæsito 2. num. 4. Garcia Tractatu 3. de Excellentijs Sacerdotij Diff. 8. dub. 4. puncto 1. numero 16. Franciscus Amicus Disput. 33. Sectione. 12. numero 376. cum Sylvestro V. *Episcopus*, quæst. 8. & cum Armilla in eodem V. num. 11. & V. *Abbas*, numero 8. Bassæus supra, Bauny Tractatu 6. quæst. 17. V. *Sacrari autem* cum Piasecio in Praxi Episcopali parte 1. Capite 2. art. 4. num. 13. & alij concordes quoad indelegabilem à priuato Episcopo authoritate propria facultatem, vt simplex Sacerdos benedicat vestimenta Sacerdotalia, quia potestas in Episcopo ad ea benedicenda nō est iurisdictionis, sed Ordinis, proindeque nequit ab ipso siue consecrato, siue tantùm electo, & confirmato delegari alteri, qui non sit Episcopus cōsecratus; vt & nequit exerceri ab ipso nisi iam consecrato; atque adeò non sufficeret, quòd esset electus, & confirmatus: vt etiam nequit fieri ab ipso etsi excommunicato, quin validè fiat. Præterea tam in Missali, quā in Rituali Romano dicitur, Sacerdotales vestes benedicendas esse ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente: quo dicendi modo significatur facultas dimanans nō ab ipso Episcopo priuato, sed à Pōtifice

47 Vtraque hæc ratio valet à fortiori contra Angelum, ne admittatur ipsius opinio faciens communem eā facultatem omnibus Sacerdotibus: vrget etiam contra Navarrum, vt excludatur eius sententia tribuens potestatē cunctis Sacerdotibus ad benedicenda alia, quæ non sint indumenta Sacerdotalia, sed quæ benedici debeant ad deseruiendum in Missa, cuiusmodi sunt altaris mappæ. Nā harum benedictio ęquè censetur esse actus Ordinis Episcopalis; & consuetudo nō minus denegavit hūc actum simplicibus Sacerdotib⁹, aut Parochis, quā eisdem ademit benedictionem vestium Sacerdotalium; & in Missali, Ritualique Romano tam dicitur, mappas altaris benedicendas esse ab Episcopo, vel alio habente potestatem, quàm dicitur idem ipsum de vestibus Sacerdotalibus. Vlteriùs aduersus Angelum, & Navarrum cōspiratur quasi ex cōdicto Theologi, & Canonistæ. Ne autem repetam Doctores citatos paulò anteà, addo Suarium tom. 4. de Relig. Tract. 8. L. 2. C. 30. n. 3. Laymanū L. 5. Tract. 9. C. 13. n. 10. Scortiam L. 2. de Sacrif. Mis. C. 14. n. 8. Pellizarium in Man. Regul. T. 8. C. 5. S. 3. n. 107. Emmanuelē Rodriguez tom. 1. qq. Regul. in 19. art. 1. Mirandā tom. 2. Directorij Prælat. Regul. q. 40. art. 1. Conclus. 2.

48 Ad fundamentum Angeli respondet Sylvester V. *Benedictio* q. 3. benedictionem vestium Sacerdotaliū esse actum Ordinis Episcopalis saltē ratione consuetudinis. Ego insistens formæ concedo Maiorem, & nego Minorem quoad primam partē; cuius prior probatio inefficax est, nam in Cap. *Quanuis* non referuntur omnia, quæ sunt Ordinis Episcopalis ex iure diuino Christi, vel ex institutione Ecclesiæ, nam Subdiaconorum, & aliorum inferiorū Ministrorū Ecclesiæ tacentur Ordinationes, necnon reconciliatio Ecclesiæ cōsecratę: qui sunt actus Ordinis Episcopalis; etsi ergo in Cap. *Quanuis* non fiat mentio benedictionis vestium Sacerdotaliū, non inde sufficienter colligetur, eam non esse actū Episcopalis Ordinis.

49 Secunda probatio nihilo efficacior est, etsi enim id, quod ex diuino iure Christi est Ordinis Episcopalis, non possit per consuetudinem competere nō Episcopo, iuxta C. *Quanto* 4. de Cōsuetudine, secus id, quod ex institutione Ecclesiæ est Ordinis Episcopalis. Cū autem benedictio vestium Sacerdotaliū sit actus Ordinis Episcopalis ex institutione Ecclesiæ, & non ex diuino iure Christi, nihil mirū, si conuenire posset Abbatibus per consuetudinem. An autē per eam actu competat? Dicetur in §. 7. Inquies, constare ex C. *Aqua* non posse per consuetudinem competere, aut per cōmissionem demandari non Episcopo id, quod ex institutione tantū Ecclesiæ est actus Ordinis Episcopalis, siquidem in dicto C. reprobatur recōciliatio Ecclesię consecratę facta à Sacerdote simplici per consuetudinem, aut per delegationem: quæ quidem reconciliatio est actus Ordinis Episcopalis ex sola Ecclesiæ institutione. Sed contra, quia per consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, aut per Summi Pontificis delegationem potest competere, aut iniungi non Episcopo actus pertinens ex institutione

ne

ne Ecclesiæ ad Ordinem Episcopalem: imò & actus aliquis ad eundē Ordinē ex iure diuino Xpi spectans committi valet simplici Sacerdoti à Summo Pontifice operante iuxta plenitudinem suæ potestatis, vt de benedictione chrismatis ad Confirmationis Sacramentum, & de administratione eiusdem Sacramenti censent, qui dicunt, tam administrationem hanc, quàm benedictionem illam posse à Papa delegari Sacerdoti mero: In C. autem *Aqua* improbatur consuetudo, & delegatio, quæ fuit Ecclesiæ solius Bracarensis, & tantùm ex authoritate priuata Antistitis illius. Legatur Suarez supra, n. 4. & 5.

50 Secunda pars Minoris nutat, nā quòd simplici Sacerdoti non sit specialiter in Iure denegatum benedicere Sacerdotales vestes; non sufficit, vt Iure possit, si non sit ibi positivè concessum. Et cum ipse Angelus fateatur, vetitam ibidem esse mero Presbytero benedictionem Corporalium, inde nos sumimus argumentum ad prohibitam benedictionem vestium Sacerdotalium, & aliorum ornamentorum altaris, eadē enim est ratio de his, ac de illis.

51 Ad ponderationes Navarri respondeo, eum, qui potest, quod maius est, non semper posse, quod minus est, vt patet in Sacerdote, qui potest iure suo conficere Eucharistiam, non tamen consecrare altaria, quod est longè minus. Omitto alia exempla, & assigno causam à priori, quia si quod est minus, sit diversæ rationis, & non contentum in eo, quod est maius, non valet argumentum à maiori ad minus, & præsertim in ijs, quæ dependent ex Iure positivo.

SECTIO VII.

De Vestium Sacerdotalium benedictione ex priuilegio Summi Pontificis.

52 SIXTVS IV. Papa concessit vivæ vocis Oraculo, *Quòd Fratres Sacerdotes Minorum obseruantiæ possint benedicere paramenta altaris, & Missalia indumenta, exceptis Corporalibus dumtaxat.* Ita apud Rodriguez in Bullario, pagina 215. vivæ vocis Oraculo 12. Sylvester V. *Benedictio* quæst. 3. meminit huius privilegij allegans Roselam, addiditque, * Et consequentes idem possunt simplices Sacerdotes Ordinis Prædicatorum. * Idemque de Sacerdotibus aliorum Ordinum cōmunicantium in privilegijs tradunt Ildefonsus a Vera cruce in Compendio priuilegiorum; & Bauny Tract. 6. quæst. 17. in fine, Ioannes de la Cruz in Epitome de statu Religionis, & privilegijs Lib. 2. C. 5. dub. 8. Conclusione 1. recitavit idem privilegium: quod esse in vsu apud Patres Dominicanos testatur Portel de dubijs Regularium V. *Benedicere*, in Additione, num. 2. licet apud Patres Minores restrictus fuerit in Capitulo Meclinensi eius vsus ad solos Prælatos. Quod etiam asseritur à Mirāda tomo 2. quæst. 40. art. 1. Conclus. 2. Ast Bruno Chassaing. parte 2. de Priuilegijs Regularium Tractatu 7. Cap. 4. propositione 1. inquit, prohibitionem Capituli Meclinensis non fuisse receptam in multis Provincijs Minorum, & Constitutiones illius Capituli derogatas fuisse per alias Capituli Segobiensis Capite 8. §. 7. concluditque, in Ordine Minorum praxim esse conformem priuilegio memorato. Marcus Vidal in Arca Vitali, Inquisitione 4. de Iurisdictione ex numero 7. vsque ad 24. totus est in eo probando, & liberando ab obiectionibus desumptis tum ex non vsu, tum ex concessione per vivæ vocis Oraculū, quod proinde revocatum sit ab Vrbano VIII. sicuti omnia alia similia. Posterior obiectio magni est apud me momenti, & ideo nunc non suaderem eius privilegij praxim. In Societate quidem nostra, cum à R. admodùm Patre N. Generali non sit facta eius communicatio, erit absque dubio invalidus, & illicitus vsus eius. Idemque aio de praxi alterius similis privilegij, quod dicitur datum in gratiam Patrum Prædicatorum à Bonifacio IV. Papa, & fuisse, non vivæ vocis Oraculum, sed bullatum, vt ex Confectio recitat Pellizarius Tractatu 8. Capite 5. Sectione 3. numero 106. vbi etiam refert aliud priuilegium bullatum Leonis X. Papæ, qui voluit, vt Fratres Ordinis Seraphici possent benedicere *Paramenta, & ornamenta, & alia quæcumque ad diuinum cultum, & vsum Fratrum necessaria, in quibus chrisma non interuenit, pro eorundem Fratrum vsu tantùm, si ad hoc in Capitulis generalibus deputati fuerint.* De

quo privilegio ait Miranda supra Cõclusione 3. idem ipsum, quod de vivæ vocis Oraculo Sixti IV. Papę, respectu Minorum, esseque respectu aliorum Ordinum communicantium in privilegijs revocatum per contrariam saltem consuetudinem. Transeo ad Religiosos Prælatos.

53 Innocentius VIII. Papa concessit vivæ vocis Oraculo *Prioribus, & Vicarijs in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cuiusque Monasterij Congregationis S. Iustinæ de Padua, vt possint benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia, tam sui Monasterij, quã etiam vndecumque sint.* Sic in Compendio privilegiorum Societatis V. *Benedicere* §. 3. De qua facultate notabat ibi Collector, fuisse factam communem à P. N. Generali Præpositis Domorum, Rectoribus Collegiorum, alijsque Superioribus, quibus Provinciales communicandam duxissent. Et quoad benedictionem ad externorum vsum, non nisi necessitate vrgente, & Prælatis distãtibus, & sine illorum offensione. Sed cum relata concessio facta fuerit vivæ vocis Oraculo, admoniti sumus, vt recurreremus ad alias bullatas, quę quidẽ in magno numero factæ sunt alijs Religionibus: aliquæ quidem cum limitatione ad proprios vsus, & aliquæ absq; ea limitatione. Frustra à me referrentur, siquidem notissimæ sint, & vsu ipso in omnibus Religionibus comprobatæ

54 Solùm post quasdam Declarationes Eminentissimorum Cardinalium suborta est quæstio, an revocata sint ea privilegia, pręterquàm ad vsꝰ proprios? Et in Societate nostra dubitari potest, an independenter à præfatis Declarationibus R. admodùm P. N. Generalis restrinxerit Superioribus facultatem pro vsibus proprijs? Atque ita quoad secundum asserit Thomas Tamburinus Lib. 1. de Missa C. 3. §. 2. num. 7. allegans Compendium privilegiorum in loco præcitato. Ast ibi non adimitur ipsis absolutè facultas ad benedicenda vestimenta extranea, sed dicitur, debere vrgere necessitatem, & Prælatos esse distantes, caverique eorũ offensionem. Neq; ibi exprimitur, has conditiones esse requisitas ad validum vsum; alicuique videbitur, esse tantũ appositas ob licitum, & conuenientem. Præterea adnotatio illa Collectoris omittenda forsan erit in nova editione Compendij, neque de illa fit mentio in additione ad Provincias missa à P. N. Generali pro ea editione.

55 Prior quæstio deciditur affirmativè à Gavanto in Rub. Missal. p. 4. tit. 19. n. 22. & in Manuali Episcop. V. *Abbas*, Diana p. 3. Tract. 2. Res. 40. Garcia in Politica Regulari Tract. 10. Diff. 9. dub. & n. 1. Tract. 3. de Excel. Sacerdotij Diff. 8. dub. 4. punct. 1. n. 10 Barbosa de Offic. & potestate Episcopi p. 2. Alleg. 27. n. 44. L. 3. de Iure Eccles. C. 2. n. 32. Aversa q. 11. S. 13. V. *Sextò*, Lezana in Summa, VV. *Altare*, & *Abbas*. Sed Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum D. 22. quæst. & num. 2. ait, eas Declarationes procedere, secluso vsu, & consuetudine antiquorum privilegiorum; Thomas Tamburinus supra inquit, constare de privilegijs, non verò de derogatione eorum. Marcus Vidal supra ex numero 25. vsque ad 29. scribit, non liquere authenticè de talibꝰ Declarationibꝰ; & non habere vim legis. Ego dixerim cũ Pellizario in Manuali Regular. Tract. 8. Cap. 5. sect. 3. num. 110. si præfatæ Declarationes sint authenticæ, promulgatæ sufficienter, & vsu receptæ, Prælatos Regulares debere abstinere à benedicendis vestibus Sacerdotalibus, & ornamentis altaris ad vsum aliarum Ecclesiarum. Et abstrahendo ab eis Declarationibus, suaserim quod supra retuli ex nostro Compendio. Ita Bassæus V. *Benedictio*, num. 7.

56 Rogabis, an Superior Regularis possit authoritate propria, (& non interueniente facultate Papæ, vt in casu, de quo ad finem numeri 52.) delegare Sacerdoti simplici facultatem benedicendi vestes Sacerdotales, & ornamenta altaris? Bordonus, & cum ipso Pellizarius supra, num. 113. & 114. censent, posse, quia facultas Superiorũ Regularium per privilegia perpetua ad prędictorum benedictionem est ordinaria, & proinde delegabilis non tantùm Sacerdoti sibi subdito, sed cuivis alteri, etiam Sæculari; vti delegabilis est huic potestas absoluendi Religiosum a peccato reservato in Ordine. Consentit Vidal supra num. 31. tum quia facultas Prælatorum Regularium ad prędictorum

dictorum benedictionem est concessa illis ratione officij vniversaliter, & simpliciter absque restrictione ad illorum dignitatem: tum quia delegatus à Papa potest rursus subdelegare C. finali de Officio, & potestate iudicis delegati, & C. *Cum causam* 62. de Appellationibus. Aversa suprà videtur non renuere, si Prælatus Regularis per singulas vices committat eam functionem inferiori Sacerdoti. Dissentio ab his Authoribus, quia si Episcopus non potest delegare simplici Sacerdoti facultatem ad huiusmodi benedictionem, vt visum est in S. 6. absurditatem præsefert, vt possit Prælatus Regularis. Et ratio à priori est, quia vt potestas ad huiusmodi benedictionem pertinet ex institutione primæva Ecclesiæ ad Ordinem Episcopalem, sic ex privilegio Romani Pontificis cõceditur Prælatis Regularibus, quatenus sapit conditionem potestatis pertinẽtis ad eum Ordinem; conditio autem illa est, vt talis potestas delegãri non valeat per authoritatem propriam eius, qui ipsa fruitur, vt adnotavimus in S. 6. Hinc vt fieret irregularis Episcopus, qui excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus exerceret actum Ordinis, benedicendo vestes Sacerdotales, & ornamenta altaris; quæ est doctrina Suarij tomo 4. de Relig. Tract. 8. L. 2. C. 30. num. 2. Barbosæ parte 2. de Officio, & potestate Episcopi Allegatione 27. num. 62: ita etiam incurreret irregularitatem Prælatus Regularis, qui aliqua censura affectus talem actum Ordinis exequeretur; quæ est doctrina Pellizarij Tract. 8. C. 5. S. 3. num. 116.

57 Et hæc de privilegijs Superiorum Regularium, qui Abbates non sint. Nam qui sint, sive benedicti, sive non benedicti, sed potentes exercere Pontificalia, habent absdubio facultatem ad benedicanda vestimenta Sacerdotalia, & ornamẽta altaris, passimque videmus illius vsum, viguitq; ex tempore immemorabili. Vnde in quadam Declaratione emanata à Congregatione Cardinalium super Tridẽtinum Sess. 23. Cap. 10. dicebatur iam olim, *Abbas, qui est benedictus, vel qui ex privilegio Sedis Apostolicæ habet, vt Pontificalia exercere possit, ac si esset benedictus, potest omnia sacra benedicere, illis exceptis, in quibus vnctio requiritur.* Indicat Sà V. *Benedictio* 3. Declarationem istam; quam integram adducunt Eximius Doctor Pater Suarez suprà num. 10. Amicus D. 33. sect. 12. num. 375. & alij. Num verò facultas hęc Abbatũ proveniat ex Iure, vel ex consuetudine, vel ex privilegio Pontificio? controverti potest. Ego in Iure non adverto vllum eius vestigium. Et licet Mẽdus Disquisitione 7. de Ordinibus Militaribus, quæst. 12. num. 125. afferat C. *Vt Apostolicæ* 6. de Privilegijs in 6. nihil in eo Capite continetur ad rem hanc; neque ex alijs Capitibus, in quibus est sermo de potestate Abbatum, potest desumi efficax argumentum, siquidem sint diuersæ rationis, & cum vna exprimatur, & alia taceatur, videtur potiùs negari, quæ non exprimitur. Quoad prescriptionem per consuetudinem in hac materia nullum extat Ius, vt cum Suario suprà, num. 6. obseruat Ascanius Tamburinus suprà, num. 5. Quare iudico oriri ex privilegio Pontificio; vel ex voluntate Papę fuisse annexam ritui, quo Abbates benedicuntur, indeque extẽsam ad alios non benedictos.

SECTIO VIII.

De privilegijs concessis à Summo Pontifice ad consecranda nonnulla deservientia in Sacrificio Missæ.

58 INTERTEXO Sectionem hanc, quam sæpe promisi in præcedentibus Disputationibus, & quæ hic post privilegia ad benedictionem Sacerdotalium indumentorum, & ornamentorum altaris sedẽ convenientem habet. Igitur Paulus III. Papa anno 1549. in Bulla exordiente *Licet debitum*, concessit Societatis nostræ Presbyteris degentibus *in Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terris, & Provincijs alijs remotissimis, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, vt possint vestes Sacerdotales, pallas, Corporalia, calices, altaria, cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat) Catholicus*

ibi

ibi non sit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare. Hoc privilegium non refertur in Compẽdio nostrorum; vnde ignoramus, quibus Societatis Presbyteris, & sub quibus limitationibus communicetur a R. admodùm P. N. Generali. Debent esse Societatis Sacerdotes illi, quos eius participes faciat Generalis Noster; debent versari in terris, de quibus loquitur Paulus III. & dummodò seiunctissimæ sint, & à quibus non sit expeditus recursus ad Summum Pontificem, quanvis sint terræ Christianorum, sive Hæreticorum, sive Schismaticorum, sive Catholicorum, videtur posse vsui esse hoc privilegium, nam sic significatur in illis verbis, *Et Provincijs alijs remotissimis, &c.* Conditio illa, *Si Episcopus*, &c. necessaria omnino est ad huius privilegij vsum, vnde vt vigore eius sive simplex, sive Prælatus Sacerdos Societatis operetur, requiritur conditio illa; quanvis qui Prælatus sit, poterit vigore aliorũ privilegiorum, de quib⁹ suprà, benedicere vestes Sacerdotales, pallas, Corporalia, etiam si ibi sit Episcopus Catholicus, qui posset ea benedicere.

59 Quanvis autem in privilegio non dicatur, vt possint Presbyteri Societatis consecrare calices, altaria, sed vt possint benedicere, tamẽ hoc verbum indifferens est ad significandam benedictionem simplicem, & consecrationem cum vnctione chrismatis, vt cum Azore, & Archangelo notat Bruno Chassaing parte 2. de Privilegijs Regular. Tract. 7. C. 4. Propos. 2. necnon Lessius in Resolutionibus variorum casuum conscientiæ, V. *Privilegium* Casu 1. vbi ait, * Nomine benedictionis sæpe intelligitur ea benedictio, quę fit cum vnctione chrismatis, quia hoc nomen est generale, & comprehendit etiam consecrationem, vt patet non solùm apud Doctores Sylvestrum, Angelum, & alios, sed etiam ex Pontificali Romano. * Sic Lessius. Et quemadmodum V. *Benedico* indifferens est ad vtramque significationem, ita etiam V. *Consecro*, vt animadverti in n. 49. D. 26.

60 In privilegio non nominantur patenæ, sed subintelliguntur, tum quia sunt accessorium respectu calicum, tum quia eadem est de patenis, ac de calicibus ratio; inutileque esset privilegium pro calicibus, si non extenderetur etiam ad patenas, quandoquidem cum solis calicibus nõ possit celebrari.

61 De Ecclesiarum per Nostros consecratione non fit vlla mentio in privilegio Et quanvis Summus Põtifex, non autem Episcopus alius, possit committere non Episcopo consecrationem Ecclesię, vt dixi D. 23. n. 10. post Azorem tomo 1. Lib. 10. C. 26. quæst. 10. & post Ascanium Tamburinum tomo 1. de Iure Abbatum D. 23. quæst. 7. cum alijs; nihilominus actu commissse nusquam legi, neque Ascanius Abbati etiam alicui benedicto delegationem huiusmodi factam invenire potuit. Nimirùm ad consecrationem Ecclesię in defectu Episcopi nunquam vrget necessitas, cum tamẽ sæpe è contrà vrgeat ad consecrationem altarium, & vasorum sacrorum.

62 In privilegio non fit mentio de reconciliatione Ecclesiarum, si profanatæ fuerint. Cumque absolutè loquatur de Ecclesijs profanatis, comprehendit benedictas, & consecratas; ad harumque reconciliationem cum aqua, à se benedicta, faciendam requiritur, & sufficit defectus Episcopi Catholici. De alio privilegio ad reconciliandas Ecclesias egimus in D. & n. 23. proceditque de Ecclesijs nostris, & de reconciliatione per Prælatos Societatis; ast hoc non limitatur ad Prælatos, neque ad Ecclesias nostras.

63 De cœmeteriorum benedictione per Presbyteros Societatis sermo est expressus in privilegio hoc; sed non de reconciliatione. Nihilominus cum exhibeatur potestas ad reconciliandas Ecclesias, quæstionis est, an concedatur ad reconcilianda cœmeteria, quæ polluta sint, quin polluta fuerint Ecclesiæ, & proinde quin Ecclesię sint reconciliandæ? Quod dico, quia si cœmeteria, & Ecclesiæ polluta fuerint, & reconcilianda sint, potestas ad reconciliandas Ecclesias est indivisim potestas ad reconcilianda cœmeteria; de quo non dubitabit, qui legerit n. 33 D. 23. Quare solùm remanet quæstio, an liceat per hoc privilegium reconciliare cœmeterium, quod non sit contiguum Ecclesię, aut etsi contiguum, sed pollutum, nõ polluta Ecclesia? Videtur,

detur, licere, quia concessio ad reconciliandā cœmeteria subintelligitur in concessione ad Ecclesias reconciliandas.

64 Communicant in hoc privilegio, seruatis eius limitationibus, Religiosi Presbyteri aliorum Ordinū, quibus cum Societate participatio est privilegiorum. Ita Portel in dubijs, Regularium, V. *Benedicere*, in additione num. 3. Villalobus Tract. 8. Diff. 27. num. 4. Thomas Tamburinus Lib. & C. 1. §. 2. num. 6. contra Fagundez Lib. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ Cap. 21. num. 14. Hucvsque de Pauli III. in Societatis fauorem privilegio, cuius meminerunt Suarez D. 81. sect. 5. V. *Tertiò additur*, sect. 7. V. *Alia autem forma*. Vazquez D. 233. C. 4. num. 32. Gaspar Hurtadus D. 4. de Sacrificio Missæ Diff. 8. V. *Deinde altare*, Dif. 10. V. *Deinde calicem*, Scortia Lib. 2. de Sacrificio Missæ C. 14. num. 4. Amicus D. 33. sect. 12. numer. 345. & 347. Layman Lib. 5. Tract. 9. C. 13. num. 9. Castrus Palaus Tract. 22. D. vnica, puncto 9. num. 3. Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 7. quæst. 1. num. 4. Quintanaduenas tomo 2. singularium Tract. 6. Sing. 11. num. 4. Pellizari, Tract. 8. C. 5. sect. 3. num. 109. Vbi ex Portel nominat Authorem privilegij Gregorium XIII. Papam, cum reuera non fuerit, nisi Paulus III. Meminerunt etiam Emmanuel Rodriguez tomo 1, qq. Regular. quæst. 28. art. 2. Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 8. n. 143. Cellotius de Hierarchia, & Hierarchis Lib. 6. C. 10. §. 1. pag. 449. alijque passim.

65 Simile privilegium concessum anteà fuerat Fratribus Minoribus versantibus inter Indos à Leone X. Papa anno 1521. & Adriano VI. Papa, anno 1522. vt videre est in Emmanuele Rodriguez suprà, & quæst. 19. art. 3. & in Summa C. 247. Conclus. 15. vbi à Fratribus Prædicatoribus apud Indos germanum aliud obtentum fuisse privilegium, significat, vt & Ioannes de la Cruz Lib. 2. C. 5. dub. 1. Cōclus. 4. quem expediet legere dub. 9. circa varia privilegia Prælatorum Regularium ad consecrationes altarium, calicum, & patenarum, necnon Brunonem Chassaing parte 2. Tractatu 7. propos. 2. circa quoddam privilegium Carthusiensium Priorum ad consecrationem altarium in eorum domibus.

66 Contra privilegij cōcessi Societati vsum opponet quis Declarationem Sacrę Congregationis confirmatam ab Innocentio X. Papa. Nam rogata Sacra Congregatio, *Vtrum Patres Societatis in Ciuitate, & Diœcesi Angelorum possint consecrare vasa sacra, altaria, & similia, in quibus vnctio requiritur?* Respondit, *non posse*. Hanc Declarationem commentarijs suis illustrandam suscepit Didacus Antonius Frances in Pastorali Regularium parte 2. quæst. 18. sed omnino siluit præfatum privilegium, in quo vertebatur cardo difficultatis, & per cuius communicationem factam à R. admodùm P. N. Generali consecrassent Presbyteri, aut Superiores Societatis vasa sacra, altaria, & similia in Ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana, & in alijs Indiarum Occidentalium, deficiente Episcopo, qui consecrationem præstaret, si verum sit, exhibitam actū fuisse à Nostris. Nemo non mirabitur silentium Didaci Antonij Frances, cum privilegium Societatis notissimum sit, & celeberrimum non modò in Scriptoribus nostræ Religionis, sed etiam in aliarum; nullusque prudens tribuet culpæ, si, obseruatis limitationibus, quas continet, deductum sit à Nostris ad praxim, præeunte licētia P. N. Generalis. Ast quid in posterum? Poterunt ne Nostri consecrare altaria, calices, &c? Respondeo, non posse in Ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana, si ibi adsit Episcopus, qui consecret. Sed si non adsit, num poterunt? Et saltem an poterunt in alijs terris Indiarum Occidentalium, & Orientalium casu, quo desit Episcopus? Declaratio quidem non loquitur nisi de Ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana; & neque in hac dicit, *non obstante Societatis privilegio*: qua clausula deficiente durum videtur, vt reuocatum censeatur privilegium indultum Societati tam matura deliberatione, & benigna liberalitate Sedis Apostolicæ, nec sine magna necessitate earum Prouinciarum ob penuriam, absentiamve Episcoporum.

67 Non secus, ac eadem de causa Nostris Sacerdotibus in Brasilia concessum est à Gregorio XIII. vt ministrarent Sacramentum Confirmationis,

nis; & Franciscanis ab Adriano VI. pro Indijs vniuersim, vbi non essent Episcopi: Ita testantur Suarez D. 26. sect. 2 V. *Hæc vero*, vbi errore Typographi positus est Gregorius III. pro Gregorio XIII. Petrus Arcudius Lib. 2. de Cõcordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis C. 15. pag. 90. Ludovicus Cellotius Lib. 3. de Hierarchia, & Hierarchis C. 20. §. 1. pag. 377. Henriquez Lib. 3. C. 6. §. 4. in Glossa lit. N. Quintanaduenas tomo 1. Singularium Tractatu 2. Sing. 5. adducens antiquius aliud Leonis X. pro Minoribus, Bruno Chassaing parte 2. de privilegijs Regularium Tract. 7. C. 3. propos. 7. referês tum istud Leonis X. tum alia pro eisdem Minoribus, pro Prædicatoribus, pro Carmelitis Discalceatis: quæ proculdubiò maiora sunt, quàm privilegium consecrandi altaria, & vasa sacra; sed Summi Pontifices ex prefata causa vrgenti impertierunt illa rationabiliter, prudenter, sanctèque.

68 Quapropter circa Declarationem Sacræ Congregationis, à qua nec in vno apice vellem discrepare, consulatur praxis, quæ post eam in partibus Indiarum invaluerit, inde enim petenda erit eius intelligentia. Recolantur etiam quæ scripsi D. 23. num. 129. num. 200. vsque ad 202. Et cum ad vsum privilegij in Societate necessaria sit Nostris licentia Præpositi Generalis, sciet is Romę, vbi ordinariè residet, an deinceps illam elargiri, & pro quibus regionibus possit, necne, considerata Declaratione Sacræ Congregationis, habitaque cura, quę tam innata est Societatis Maioribus, ne ex gratiarum, & facultatum Pontificiarũ vsu sequatur vel levis Illustrissimorũ Dominorum Episcoporũ offensio, quę iusta sit.

69 Vltra privilegia memorata extat insigne aliud concessum Abbatibus Cistertij Diœcesis Cabilonensis, & alijs quatuor Coabbatibus eius ab Innocentio VIII. Papa, anno 1489. in Bulla 121. apud Chrysostomum Hẽriquez pag. 190. incipienteque *Expoſcit tuæ devotionis ſinceritas*, in qua indulgetur, vt valeant, *quæcumque veſtimenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica, Corporalibus, vaſculiſque ad reponendam ſacram Euchariſtiam, ac imaginibus quibuslibet comprehenſis, in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quàm ſi ad vos aliunde nonnunquam deferantur; ac altaria de nouo conſtructa, ſeu trans lata, reſtaurata, ac mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, chriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto, conſecrare.* Hoc privilegium communicatum postea fuit, & extensum à Sixto V. Papa anno 1586. in Bulla incipiente *Romanus Pontifex*, & à Gregorio XIV. Papa anno 1591. in Bulla inchoante *Romanus Pontifex*, ad Abbates omnes Cistertienses Corgregationis Hispanæ, sunt que Bullæ 42. & 48. inter alias præfatæ Congregationis apud Chrysostomum Henriquez pag. 344. & 357. & de alia extẽsione facta à Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. ad Congregationem Fuliensem agit Chassaing parte 2. Tract. 7. C. 3. propos. 6. Legendusque est Llamas infra §. 3. & 4. ex pag. 992.

70 Abbati etiam Benedictino S. Æmiliani de Cuculla concessum est à Iulio Papa II. anno 1505. die 21. Iulij, *vt poſsit benedicere Corporalia, paremas, calices, cruces, veſtes, paramenta Monaſterio illi, & alijs locis ab eo dependẽtibus neceſſaria.* Quod privilegium legitur inter alia Benedictinæ Congregationis Vallisoletanæ fol. 239. fuit que viuæ vocis Oraculum, sed authenticatum, vt videtur. Complura alia Abbatum Benedictinorum addensat Ascanius Tamburinus tomo 1. de Iure Abbatum tota D. 23. per quæsita 14.

71 Notatque in 2. num. 2. etsi aliqua concessa sint Abbatibus benedictis, tamen non benedictos posse illis vti; si aliunde gaudeant communicatione privilegiorum; concessumque ipsis sit, vt potiantur eisdem privilegijs, ac si essent Abbates benedicti. Concordant Pellizarius Tract. 8. C. 5. sect. 3. num. 104. citans viros doctos à se consultos, Thomas Tamburinus L. & C. 1. §. 2. num. 4. allegans Hieronymum Rodriguez: cum quo addit, vt extra Monasteria Ordinis, vel Ecclesias illis annexas vtantur Abbates privilegio consecrandi altaria, & vasa sacra, opus fore licentia Diœcesani iuxta Tridentinum Sess. 6. C. 5. de Reformatione, nam talia consecrare, est exercere Pontificalia.

72 Cæterũm intra Monasteria Ordinis, vel Ecclesias illis annexas pote-

poterunt præfati Abbates consecrare altaria, & vasa sacra, vndecumque afferantur, & pro quorumcumque etiam exterorum vsu. Ita Aversa quæst. 11. sect. 13, cum Bordono tomo 1. Variarum Resolut. 17. num. 1. cum Gavanto in Manuali V. *Abbas* num. 21. & 22. cum Ascanio Tamburino D. 23. quæsito 13. Ita etiam Thomas Tamburinus L. & C. 1. §. 2. num. 3. Diana parte 3. Tract. 2. Resol. 15. Bauny Tract. 11. q. 6. V. *Est hæc sententia*, alijque. Estque expressum in Innocentij VIII Papæ privilegio pro Cistertiensibus, de quo in num. 69. Vnde qui in eo communicēt, poterunt quod dixi. Et per Declarationem Sacræ Congregationis non est revocata hæc facultas, vt admonent præcitati Doctores; atque ita fert vsus.

73 Quanquam mirandum sit, asseri ab Aversa, revocatam esse aliam facultatem benedicendi sacra ornamēta, & indumēta pro Ecclesijs extraneis, siquidem ea alia Abbatum facultas est multò minor, & communior, vt pote ad quam non sit opus vnctione chrismatis, neque functione Pontificalium, & cuius participes sunt Prælati Regulares, qui non sunt, neque dicuntur Abbates. Vnde si quæ extet Declaratio, quæ videatur revocatoria, intelligenda est, vt ex Iure communi, vel ex cōsuetudine, aut præscriptione non possint Abbates benedicere vestimenta Sacerdotalia, & paramenta altarium pro Ecclesijs extraneis, secus ex specialib⁹ privilegijs, quibus fruantur. Et cū probabile sit, Prælatos Regulares, qui non sint, neque dicantur Abbates, habere etiam nunc expeditam facultatem ad talium benedictionem pro Ecclesijs extraneis, vt patet ex authoritate Doctorum, quos laudavi num. 55. & quibus adhæret Bauny loco proximè citato, necnon Tract. 6. quæst. 17. probabilius multò erit in Abbatibus, nisi edita fuerit Declaratio, quæ omnem interpretationem respuat. Consuetudo quidem constantissima est, quantùm ego noscere potui in locis, vbi degi, vt ad Abbates Regulares, benedictos, & non benedictos, potientes privilegio memorato Innocentij VIII. Papæ, deferantur vndecumq; altaria portatilia, vasa sacra, Corporalia, pallæ altaris, vestes Sacerdotales, vt ab ipsis consecrentur, aut benedicantur.

74 Præfatorum Abbatum privilegium ad consecrationem altarium, vasorumque sacrorum extendendum nequaquam est per participationē priuilegiorum ad alios Prælatos Regulares, qui non sint, neque dicantur Abbates, neque valeant exercere Pontificalia. Ita Suarez tomo 4. de Religione Tract. 8. L. 2. C. 29. num. 27. Miranda tomo 2. q. 40. art. 4. Chassaing parte 2. Tract. 7. Cap. 3. propos. 7. Pellizarius Tract. 8. C. 5. sect. 3. num. 104. cum Cespedes, Thomas Tamburinus L. & C. 1. §. 2. num. 4. cum Hieronymo Rodriguez, Garcia Tract. 3. Diff. 8. dubio 3. puncto 2. num. 26. Diana p. 3. Tract. 2. Res. 15. Peyrinus tomo 2. de Prælato, quæst. 3. C. 8. num. 4. Hieronymus Llamas 4. parte Methodi Cap. 3. §. 7. pag. 997. Tamburinus de Iure Abbatū tomo 1. D. 1. quæst. 8. num. 7. Ratio præcipua est, quia istud privilegium collatum fuit ratione dignitatis Abbatialis, quę proximè ad Episcopalem accedit, & à qua non parùm recedit dignitas aliorum Prelatorum Regularium. Alias rationes vide in Suario. Et pro multis valet perpetuus non vsus Prælatorum Regularium, qui Abbates non sunt; atque item recepta apud eos omnes persuasio, quòd isto privilegio vti non valeāt per viam communicationis. Ioannes de la Cruz L. 2. C. 5. dubio 9. ponit primam hanc conclusionem. * Prælati Regularium possunt consecrare calices, & patenas suorum Monasteriorum, Grangiarum, & Beneficiorum. * Sed posteà non adducit alia privilegia, quàm quæ concessa sunt Abbatibus. Vnde vel intelligendus est de Prelatis Regularibus, qui Abbates sint; vel illa eius conclusio, quam, vt sonat, retulit Peyrinus supra, approbanda non erit.

75 P. Andreas Mendus Disq. 7. de Ordinibus Militaribus q. 12. num. 126. scribit, Priores Ordinum Militarium Hispanię, gaudentes iurisdictione quasi Episcopali in vtroque foro, posse consecrare vasa sacra, aras, & Ecclesias: tum quia ex munere proprio possunt quicquid non pertinet privativè ad Ordinem Episcopalem; talium autem cōsecratio non est privativè propria Episcoporum, vt constat ex dictis de Abbatibus Regularibus: tum quia saltem Prior Alcantaræ, & Prior Calatravæ (quando

(quando detur, nam nunc ſolus Adminiſtrator præſidet Conuentui Calatrauenſi) ſunt velut Abbates Ciſtertienſes, & participant privilegia eorum.

76 Ego dicò primò, miram eſſe facultatem præfatorum Priorum ad conſecrationem Eccleſiarum, nam ex Iure communi pertinet privatiuè ad ſolum Epiſcopum; & licet per privilegium ſpeciale poſsit Papa concedere eam non Epiſcopo, hactenus tamē non impertijt, quantum Aſcanius Tamburinus, & ego inveſtigare valuimus, vt monui in num. 61. Dico ſecundò, nulli, qui non ſit Epiſcopus, etiam ſi ſit Abbas, Pontificijs inſignibus vtēs, aut potiatur iuriſdictione ſpirituali in vtroque foro, cōpetere ex munere proprio, ſeu ex Iure communi conſecrationem altarium, & vaſorum ſacrorū. Sic Gloſſa in V. *Tonſura* ad C. *Abbates* 3 de privilegijs in 6. Francus, Ancharranus, Geminianus, & cum eis Azor tomo 1. Lib. 10. C. 28. quæſt. 2. contra Sylveſtrum, Tabienam, & Armillam, quos conatur interpretari, ita vt in re non diſcordent à communi aliorum ſententia; quæ eſt etiam Suarij tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 2. C. 30. n. 8. tomo 3. in 3. partē, D. 81. ſect. 5. V. *Tertiò additur*, Vazquij D. 223. C. 4. n. 32. Aſcanij Tamburini tomo 1. de Iure Abbatum D. 23. quæſt. 1. num. 2. quæſt. 4. num. 2. Barboſæ de Officio, poteſtate Epiſcopi parte 2. Allegatione 27. num. 36. de Iure Eccleſ. Lib. 1. C. 17. ex num. 62. Didaci Antonij Frances in Paſtorali Regularium parte 2. q. 17. num. 4. & 5. Pellizarij Tract. 8. C. 5. ſect. 3. num. 102. Fagundez in 1. Eccleſiæ præceptum Lib. 3. C. 21. num. 14. Emmanuelis Rodriguez in qq. Regular. tomo 1. quæſt. 36. art. 6. Et ratio eſt, quia huiuſmodi conſecratio eſt actus Ordinis Epiſcopalis ex inſtitutione Eccleſiæ, & Iure communi, vt omnes agnoſcunt: hoc autem ipſo nequit eſſe actus alterius, nō Epiſcopi, ex munere proprio, & Iure communi. Adde, fore alioqui, vt hoc modo eſſet etiam actus Proviſoris, nō Epiſcopi. Sede vacante. Vltra rationē à priori, & ab abſurdo facit pro nobis defectus textus Iuris cōmunis, in quo alterius, quàm Epiſcopi, deprediceretur facultas ad conſecrationē altarium, & vaſorum ſacrorum. Licet autem Abbates benedicti queant ex Iure communi tonſuram, & quatuor minores Ordines ſuis Monachis conferre, iuxta C. *Quoniam* 1. Diſtinctione 69. & iuxta C. *Cum contingat* 9. de ætate, & qualitate ordine præficiend. iunctis Gloſsis ad C. *Quoniam*, V. *Lectoris*, & ad C. *Requiſiuit* 1. de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui, V. *A non Epiſcopis*, C. *Abbates* 3. de Privilegijs in 6. Concilio Tridentino Seſ. 23. C. 10. de Reformatione: tamen ex vna facultate non arguitur efficaciter ad aliā nō ſubordinatam, neque eiuſdem rationis.

77 Dico tertiò, quòd Abbates Regulares poſsint ex privilegio ſpeciali Pontificio conſecrare altaria, & vaſa ſacra, non eſſe argumentum ad probandum, talem conſecrationem nō eſſe privativè propriam Epiſcoporum ex munere proprio, & Iure communi. Inde tantùm probatur, eam, quæ ſic eſt propria Epiſcoporum, poſſe ex peculiari gratia Summi Pontificis communicari Abbatibus, quibus ille voluerit. Declaratur exemplo petito ex C. *Peruenit* 1. Diſtinctione 95. vbi etſi Pontifex concedat Presbytero ſimplici, vt confirmet, non inde inferes, non eſſe privativè proprium Epiſcopi ex Iure communi, imò & ex Iure diuino Chriſti, quòd ſit Miniſter ordinarius Confirmationis. Dico quartò, ſi conſtet, Priores præfatos Ordinū Militarium habere communicationem in omnibus privilegijs Ciſtertienſium, fore, vt poſſint, quod ait P. Mendus. Sed Machadus apud ipſum deſiderat communicationem in hoc privilegio. Ego nec poſſum eam affirmare, nec negare. Examinent eam illi, quorum interfuerit vſus privilegij, ſimulque perpendant, quod tradidimus in num. 74. videlicet Prælatos alios Regulares non Abbatiales, communicantes cum Ciſtertienſibus in privilegijs, non ideo participes eſſe huius de conſecratione altarium, & vaſorum ſacrorum, de collatione minorum Ordinum; Subdiaconatus item, & Diaconatus, quæ omnia ab Innocentio VIII. concedūtur Ciſtertienſibus; ſed collario Subdiaconatus, & Diaconatus cenſetur revocata per Concilium Tridentinum Seſsione 23, Cap. 8, 10 & 12, de Reformatione, quanquam Llamas 4, parte Methodi Capite 3, 5, 5, & 6, & Chaſſaing parte 2, Tract. 14

7,

7. Cap. 1. propol. 4. videantur refragari. Collatio etiam minorum Ordinum per Priores Ordinum Militarium displicet Emmanueli Rodriguez tomo 1. quæstionum Regularium, quæstione 86 art. 6. exinde saltem, quòd nunquam fuerit in vsu.

78 Dico quintò, si Prior constituatur, non Frater Clericus, sed aliquis Monachus Cistertiensis, vt in Monasterio Montesæ Regni Valentini, & vt contendit Abbas Cistertiensis Morimundensis debere à se constitui in Monasterio Calatrauæ, vbi præfuerunt aliqui Monachi Cistertienses nominati, & electi à Rege Philippo Secundo, vt testatur Llamas parte 3. Cap. 11. §. 22. tunc disputationi adhuc subiectum fore, an posset consecrare altaria, & vasa sacra? siquidem non esset Abbas, sed Prior; quanquam ex alia parte videri queat nimis accidentale, quòd non Abbas, sed Prior vocaretur, cum tamen haberet similem, & parem dignitatem, quam Abbates Cistertienses in suis Monasterijs; & præterea iurisdictionem quasi Episcopalem in vtroque foro. Dico sextò, Fratres Clericos Priores Alcantaræ, & Villanouæ, seu Magacelæ posse ex privilegio Clementis VII. anno 1530. incipientis *Romani Pontificis*, vti ornamentis, & insignijs Pontificalibus in Officijs diuinis, benedictionem solemnem impertire populo interessenti; & concedere Indulgentiam, quam possunt Episcopi; sed tamen ex hoc privilegio non inferri facultatem ad consecrationem altarium, & vasorum sacrorum, vt probant quę adnotaui in num. 76. ad finem. Dico septimò, Priores prefatos Ordinum Militarium non posse consuetudine, & prescriptione adquirere potestatem consecrandi altaria, & vasa sacra, quia hæc potestas est Ordinis Episcopalis, quæ eo modo comparari non potest, sed tantùm privilegio speciali, vel adminus tacito consensu Romani Pontificis, vt docent Azor tomo 2. Lib. 9. Cap. 7. quæst. 2. Ascanius Tamburinus tomo 1. Disput. 19. quæst. 1. numero secundo. Disputatione 23. quæstione 1. numero 2. & alij communiter.

79 Opponet quis ex Bauny Tract. 6. quæst. 17. Vers. *Contrariùm*, eam potestatem non esse annexam Ordini Episcopali, alioqui non posset Abbatibus tribui à Papa, non enim hic potest supplere, quę sunt Ordinis. Si autem ea potestas est iurisdictionis, adquiri valebit consuetudine, & præscriptione à Prioribus Militaribus. Sed contra ex sæpe dictis, nam quæ sunt Ordinis Episcopalis non tantùm ex institutione Ecclesiæ, vt consecratio altarium, & vasorũ sacrorũ, sed etiã aliqua ex Iure diuino Christi queunt per plenitudinem potestatis Pontificiæ committi Presbytero non Episcopo. Et tunc in rigore non supplet Papa, quæ sunt Ordinis Episcopalis, sed concedit, vt actu sit Minister extraordinarius, qui ex institutione Ecclesiæ, vel ex Iure diuino Christi aptus existebat, vt esset. Et cum id admittat Bauny in ministerio extraordinario Confirmationis per merum Sacerdotem, dispensante Papa, vt legere est in Tract. 3. quęst. 7. cur difficile ipsi visum est in eo alio casu ministerij extraordinarij consecrationis altarium, & vasorum sacrorum per non Episcopum, accedente privilegio Papę, etsi ministerium ordinarium spectet ad Ordinem Episcopalem?

80 Dico octauò, Priores Monasteriorum, & Rectores Collegiorum Militarium, & in eorum absentia Subpriores, atque Vicerectores posse benedicere ornamenta Sacerdotalia, & paramenta altaris, vti possunt Superiores Regulares, quia privilegij horum sunt participes, vt pote Prælati verè Regulares. Ita P. Mendo Disquis. 7. quæst. 12. num. 125. quæst. 28. num. 232. Emmanuel Rodriguez tomo 1. qq. Regular. q. 36. art. 6. Quod secus est in Abbatibus Cõmendatarijs, vt notat Chassaing parte 2. Tractatu 7. Cap. 3. propos. 7. ad finem, constatque ex doctrina Ascanij Tamburini tomo 1. Disputatione 16. quæstione 4. de non extendendis privilegijs Abbatum, vel Prælatorum Regularium ad Abbates Commendatarios. Idemque à fortiori intellige de quibusdam Abbatibus Sæcularibus nulla gaudentibus iurisdictione, & qui solùm habent primam sedem in aliquo Capitulo, aut Ecclesia Collegiata, qualis in Castella veteri est nunc Abbas Methymnæ Campi. Hucvsque de privilegijs.

SECTIO IX.

Adnotationes nonnullæ circa benedictionem, & consecrationem rerum, quæ sunt in vsu ad Missam.

81 HVIVSMODI rerum adhibentur benedictiones, & consecrationes, *tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repræsentandum effectum Sacramenti, qui ex Passione Christi provenit*, vt ait Sanctus Thomas quæstione 83. art. 3. in Corp. videndus ad 1. ad 2. & ad 3. similque Suarez Disputatione 81. Sectione 2. & Sotus in 4 distinctione 13. artic. 3. Cum verò Sanctus Thomas ad 3. dicat, ea, quæ benedicuntur, aut consecrantur, inde *adipisci quandam spiritualem virtutem, per quam apta reddantur diuino cultui, vt scilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt sint paratiores ad diuina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur*: super hæc verba Caietanus excitat quæstionem, an consecratio templi v.g. indat, necne, ipsi templo aliquam qualitatē spiritualem? Primum indicare videntur verba Sancti Thomæ. Sed negatur à Caietano, & à Soto, procedentibus media quadam via, ad quam trahere conantur verba S. Thomæ, quatenus scilicet templum per consecrationem comparet, non qualitatem distinctam, sed instrumentalem virtutem ad mouendum Deum, vt in ipso templo consecrato aliter excitet nostram deuotionem, quàm si non esset consecratum. Sed certè illa virtus instrumentalis, & inchoata, addita templo per consecrationem, vel est quid physicū, vel quid morale tantùm? Si primum, deuenitur in qualitatem spiritualem de novo impressam. Si secundum, erit solummodò quędam templi deputatio per orationes, & cœremonias Ecclesiæ, mouentes Deum sæpe, quanquam non infallibiliter, vt in hominibus fidelibus ingredientibus templum operetur eos effectus, quos per preces suas postulat Ecclesia sancta, & grata in diuinis oculis. Sic explicat Sanctū Thomam P. Suarez Disputatione 15. Sectione 4. ferè tota, Disput. 81. Sectione 2. Vers. *Secundò potest*; consentitque Nunus Cabezudus 3. parte, quæstione 83: articulo 3. dub. 1. in fine. Quare consecratio templi habet aliquid amplius, quàm præcisè conducere per modum obiecti, & signi ad placitum, vt excitetur memoria nostra, intelligentia, ac deuotio circa Deum, & res diuinas: optimèq; impugnāt Caietanus, & Sotus eos, qui non amplius agnoscunt.

82 Addit ibidem Sanctus Thomas, dici *probabiliter à quibusdam, quòd per ingressum Ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut & per aspersionem aquæ benedictæ*. Videtur loqui Sanctus Thomas de ingressu sine oratione, nam hæc in Ecclesia consecrata numeratur concorditer à Theologis inter Sacramentalia. Et siue loquatur de ingressu sine oratione, vel cum illa, accipiendus est sub conditione, quòd iustus ingrediens expers sit complacentiæ in peccatis venialibus, adeatque templum ex pio, & religioso affectu. De hac conditione dubitari non potest. At controuerti valet, an ad remissionem venialium necessarius præterea sit aliquis actus formaliter, vel virtualiter, vel implicitè retractativus venialium peccatorum, vel ipse ingressus, aut oratio ingredientis habeat vim ex opere operato ad talem remissionem in homine iusto? Quæ controuersia communis est ad omnia Sacramentalia. Ego in Disputatione, & numero 10. satis significavi meam sententiam de necessario illo actu, eamque esse Sancti Thomæ multis in locis: quibus ponderatis ait Illustrissimus Archiepiscopus Salernitanus Marcus Antonius Marsilius sect. & Cap. 3. Hydragiologiæ, esse certò S. Doctoris. Neque in hoc loco sibi, aut nobis est contrarius. Nam quanvis dicat, hominem per ingressum Ecclesiæ consequi remissionem venialium, vti subintelligenda est conditio paulò antea à me declarata, ita etiam hæc alia de actu retractatiuo, ad quem ob Sacramentale consecrationis templi, aut orationis fusæ in eo excitet Deus frequenter, quanquam non infallibiliter, eum, qui intret in tem-

templum, aut oret in eo. Pro hac opinione ait Thomas Hurtadus tomo 2. Variarum Resolutionum Moralium, Tract. vltimo, Resolut. 9. §. 2. num. 433. totam ferè Scholam Societatis conspirasse contra Thomisticam, & cõtra S. Doctorem. Sed certè è Societate non solus Valentia; quem ipse refert, sed etiam Fagundez in 2. præceptum Ecclesiæ Lib. 2. C. 1. num. 11. cũ Bellarmino, Toleto, & Henriquez, quos citat etiam Diana parte 3. Tract. 4. Resol. 61. accedunt ad sententiam, quam Thomas Hurtadus vocat Thomisticę Scholę; & ab ea recedũt è Prędicatorum cætu Albertus Magnus in 4. Distinct. 1. artic. 2. ad 11. seu §. *Ad illud, quod obijcitur.* Ioannes de Friburgo in Summa Confessorum Lib. 3. tit. 24. quæst. 3. Paludanus in 4. Distinct. 16. quæst. 1. art. 2. Conclus. 4. num. 26. S. Antoninus parte 1. tit. 10. C. 1. §. 5. Sylvester V. *Aqua benedicta*, quęst. 1. & 2. Tabiena eodem V. num. 5. Petrus de Soto Lect. 18. de Pœnitentia, §. *Ex his intelligendum est*, fol. 162, Turrecremata in C. *Tres autem*, de Pœnitentia Distinct. 1. & in Cap. *Aquam*, de Consecratione Distinct. 3. Durandus in 4. Distinct. 21. quæst. 3. num. 6. innumeriq; alij ex cęteris statibus; quòd si benè Authores antiqui perpendantur, reperientur pauci præter Maiorẽ, VIctoriam, Sotum Ledesmam, Canum, qui dicant, Sacramentalia vi clavium Ecclesiæ habere vim remittendi peccata venialia ex opere operato, quin requiratur aliquis actus formaliter, vel virtualiter, vel implicitè retractativus eorum. Ex quibus liquet, nostram opinionem debuisse non censurari minus piam à Thoma Hurtado, ipsumque debuisse non se præcingere ad defensandam contrariam, dicendo, se id facere, vt doctrinæ Angelicę clariùs conspiceretur puritas.

83 Tandem vt nihil omittamus pertinens ad benedictionem, & consecrationem rerum sacrarum, quod è negotio Theologico sit, advertimus contra Ioannem de Medina Codice de Pœnitentia Tractatu 1. quæst. 6. ad finem, V. *Etiam dubium*, fol. 21. benedicentem, aut consecrantem res sacras non peccare lethaliter, si citra contemptum, & scandalum exerceat in peccato mortali functiones has. Ita Barbosa parte 2. de Officio, & potestate Episcopi, Allegatione 27. numero 61. Pellizarius Tractatu 8. Capite 5. Sectione 3. numero 116. & communiter alij Theologi in Tractatu de Sacramentis in genere, quia nullum est caput, vnde resultet gravis obligatio ad functiones has, non nisi in statu gratiæ. Imò Vazquez 3. parte, Disputatione 136. Capite 4. Gaspar Hurtadus Disputatione 4. de Sacramentis in genere, Difficultate 10. Ochagavia apud ipsum, & alij sentiunt, deficere caput obligationis etiam levis; novissimèque Gaspar Ruiz in perdoctis quæstionibus selectis, parte 2. Tractatus ad quęstionem 64. 3. partis Sancti Thomæ, dub. 3. Vers. *Sit prima conclusio* ait, fortè nullum esse peccatum benedicere vestes, & consecrare vasa in peccato lethali. Ego magis propendeo in id, vt sit venialis culpa contra præceptum naturale exercendi sanctè functiones sacras, cum benedictio vestium, & consecratio vasorum sit functio valde sacra, adeòque sublimis, vt ex Iure ordinario sit propria Ordinis Episcopalis. Vnde desumi potest discrimen ad alias actiones inferiores, quæ iuxta præsentem statum Ecclesiæ non sint annexæ Ordini sacro; quæ, etsi fiant in peccato lethali, & ab homine constituto in Sacris, imò & evecto ad Episcopatum, possunt esse immunes venialis noxæ. Sed de his latiùs in sua sede. Nunc ex additis in ista Sectione, & ex addendis in Disputationis decursu circa postrema verba Sancti Thomæ ad 3. in articulo 3. quæstionis 83. nihil, vt puto, erit in toto præfato articulo Sancti Doctoris, quod non sit glosis, & commentarijs declaratum à nobis ex Disputatione 23 vsque ad hanc præsentem.

SECTIO X.

De benedictionis amissione à vestibus Sacerdotalibus.

84 SACERDOTALES vestes perdunt benedictionem, seu quasi exsecrantur, quando figuram necessariam ad eos vsus, ad quos fuerant destinatæ, ita amittunt, vt sine novo artificio non possint aptè in posterum deservire. Hinc si manica abscindatur omnino ab Alba, perdit hæc benedictionem, quia amittit figuram convenientem suo ministerio. Secus foret, si antequàm omnino abscinderetur manica, assueretur iterùm filo, imò & reficeretur, addito linteo non benedicto, quia tunc Alba non amitteret figuram aptam suo muneri; & linteum additum, vtpotè accessorium, sequeretur naturam maioris partis antiquæ, vtpotè principalis quoad benedictionem, seu participaret istam ex ea maiori parte, & magis dignum traheret ad se minus dignum.

85 Quæ doctrina communis confirmatur ex Cap. *Quod in dubijs 3.* de Consecratione Ecclesiæ, vel altaris, vbi dicitur, *Nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Et ibi Glossa ad Vers. *Consecratum*, notat, *In reficiendis sacris vestibus filum non sacrum, siue pannus non sacer potest apponi, nec est opus noua consecratione.* Confirmatur etiam ex recepta apud Doctores sententia de participata consecratione ab eis templi partibus, quibus illud reficiatur, & reparetur paulatim, & successiuè. Ita Theologi, dum agunt de consecratione Ecclesiæ, & Canonistæ ad Cap. *Ligneis 6.* in titulo præcitato, & ad Cap. *Ecclesijs 20.* de Consecratione Distinctione 1. Tandemque confirmatur ex aqua benedicta, cui si addatur alia pars aquæ non benedictæ, communicat hæc in benedictione, vt constans est Theologorum, & Canonistarum persuasio apud Marcum Antonium Martilium Archiepiscopum Salernitanum in Hydragiologia Sectione 3. C. 4. ex pagina 301. præeunte Innocentio III. Lib. 4. de sacro altaris Mysterio C. 32. vbi ait, *Aqua pura per aquæ benedictæ contactum efficitur benedicta.* Hinc tamen nemo inferat, aquam, aut vinum, si admisceatur speciebus vini consecrati continentibus sanguinem Christi, reddi eo ipso consecratum, seu conuerti in Christi sanguinem. Prælati discrimen in D. 7. de Eucharistia, n. 70. Vnde non semper in liquoribus vera est illa regula Glossæ ad Cap. *Ad hæc 1.* & ad Cap. *Quod in dubijs 3.* in titulo memorato, *Quod sacrum trahat ad se non sacrum.* Sed nec vera est in solis aliquibus liquoribus, vt aiebat Panormitanus ad citatos Canones, neque item vera est in omnibus rebus solidis, vt noscet, qui legerit num. 32. Disputationis 24. quicquid in contrarium indicet Glossa ad Can. Illum *Ad hæc*, V. *Altare.*

86 Potest hic disputari, an si Alba lacera relarciatur, & per plures vices assuatur maior, vel æqualis pars lintei, ac primò fuit benedicta, quanvis quę singulis vicibus apponatur, sit minor parte præexistente immediatè, tùm Alba retineat benedictionem? Censeo cum Maiore in 4. Dist. 13. quæst. 4. V. *Sed contra id*, & sequenti, non amitteret benedictionem, tum quia palmus lintei assutus primum corpori Albę participat benedictionem ex ipsa. Ergo & alii palmi, qui sensim adiungantur, & qui seorsim sint minoris quantitatis, linteo, cui adduntur, sed coniunctim sint maioris, vel æqualis, quàm Alba initio benedicta. Tum etiam quia Alba sic refecta censetur eadem, ac quæ primo fuit benedicta. Vtraque ratio, & maximè prior confert ad probandum idem ipsum de oleo, & chrismate non benedicto, aut non consecrato admisto cum benedicto, aut consecrato, de aqua vsuali infusa benedictæ, & de ruderibus, quibus consecratum templum reparetur; de quo postremo casu nonnihil dixi in S. 7. D. 23. Et quoad secundum plures, & aliqui quoad primum volunt, etsi maior sit quantitas aquæ, olei, & chrismatis, quę admisceatur quantitati benedictæ, aut consecratæ existenti tunc, cum fit admistio, totam effici benedictam. Et ita defendit præmodatus Archiepiscopus Salernitanus post antiquiores alios. Sed id nimium est, & quanvis verum esset, deberet non exigi

ad

ad vestes Sacerdotales, quatenus si Albæ v. g. consumptę, aut ruptę assuatur vna vice pars, quæ maior sit, aut æqualis, adquirat benedictionem pars, quæ additur, nam cum antiquior amiserit benedictionem, nequit hanc derivare in noviorem partem; & minor, aut æqualis quantitas non traheret convenienter ad se maiorem, aut æqualem quantitatem. Præterquamquòd in vestibus Sacerdotalibus, vtpote solidis, non valet ratio, quæ in liquoribus cõmistibilibus vsq; ad minima, salva specie, & nulla facta corruptione; & quæ movet Authores illos: de qua egò nũc movere litem non volo. Semper tamẽ retardat ab ea opinione absurdum, quod inevitabiliter videtur sequi ex ipsa, vt nimirũm si gutta aquæ benedictæ injiciatur mari, aut saltem fonti, vel puteo, resultet benedicta tota aqua, quanta ibi sit. Legantur Layman Lib. 5. Tractatu 9. Cap. & num. 13. Gretserus Lib. 2. de Benedictionibus Cap. 20. Franciscus de Lugo Lib. tertio. Cap. primo, quæst. 4. per totam.

87 Quæ dixi de participanda benedictione ab Albæ minori parte, si maiori assuatur, intelligenda sunt; dum modò maior pars sufficiat ad conservandam formam Albæ, & ad deserviẽdum in suo ministerio sine novo artificio, ne proximè scripta pugnent cum scriptis in principio Sectionis; certumque est apud omnes, Albam non retinere benedictionem, si dissuatur manica; & non recuperare eam, si eadem, aut alia manica denuò consuatur: & tamen vna manica multò minor est, quàm reliquum Albæ. Atque hinc optima est animadversio Sylvestri V. *Benedictio*, num. 6. post Paludanum in 4. Distinctione 13. quæst. 2. art. 6. numero 23. * Forma vestis Sacerdotalis mutatur, quando tanta pars est amota, quòd non liceret sine illa celebrare, puta medietas, vel tota manica Albæ: & tunc tutum est, vt supersuatur pars nova, antequàm abscindatur vetusta; & sic semper remanebit forma. * Ita Sylvester. Videantur Fagundez in 1. præceptum Ecclesiæ Lib. 3. Cap. 23. num. 9. Pellizarius Tractatu 8. Cap. quinto, Sectione 3. numero 117.

88 Sed notandum à nobis est cum Bonacina D. 4. quæst. vltima, pũcto 9. num. 20. Cardinali de Lugo D. 20. sect. 4. num. 93. & 99. Arriaga D. 55. sect. 3. num. 11. Thoma Tamburino Lib. 1. C. & §. 3. num. 1. si manica annecteretur ei maiori parti quibusdam globulis, aut funiculis, Albam non perdituram benedictionem, dissoluto nexu manicę, quia absque novo artificio possent rursus coniungi, & redire ad figuram pristinam, vel quia nova ad vsum coniunctio non efficeret, vt esset, aut reputaretur alia vestis, ac antea; vel potiùs ob rationem redditã in Disp. 26. num. 91. cum ageremus de calice tornatili.

89 Advertendum etiam est, Albam retinere benedictionem, quantumvis in varijs partibus sit rupta, dũmodò adhuc conservet figuram debitam. Ita Henriquez Lib. 9. Cap. 29. §. 5.

90 Notandum præterea est cum Paludano suprà, num. 22. cum Patre Sà, Verſ. *Missa*, num 11. & cum Thoma Tamburino suprà, numero 3. ex duplicata stola, vel casula, seu planeta posse fieri duas, quin opus sit alia benedictione, quàm vna illa communi ad vtramque partem externam, & internam. Ratio est, quia etiamsi separentur, possunt permanere cum figura antiqua convenienti. Ex quo à fortiori deducitur, licitum esse celebrare cum stola, vel casula, cuius vna pars modò appareat exteriùs, modò interiùs lateat. Et huiusmodi vestes duplicati coloris solent non rarò fieri.

91 Addit Sà tum eo numero, tum 9. ex Navarro in Manuali Cap. 25. num. 84. ex Paludano, & Sylvestro suprà, posse fieri ex stola cingulum, & è contra; posseque quem vti manipulo pro stola, & è contrà, quin desideretur nova benedictio; præsertim si hæc omnia benedicta fuerint communi benedictione præscripta in Missali, Rituali que Romano, vt moris est, observatque Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 10. num. 205. Nihilominus videtur, figuram cinguli dissimilem esse notabiliter figuræ, quam stola habere debet, & magnitudinẽ manipuli esse multò minorem ea, quam debet habere stola; sapitque indecentiam quandam commutatio munerum in præfatis indumen-

tis, vt benè consideravit Franciscus de Lugo Lib. 5. C. 8. quæst 3. num. 28. qui tamen non renuit, vt neque ego, si necessitas vrgeat, et ratio inferiùs proponenda aliud non suadeat.

92 Sed quid si ex multis stolis benedictis, non mutatis, sarciatur vna planeta; num desiderabitur nova benedictio? Respondet affirmativè Thomas Tamburinus suprà numero 7. quia eiusmodi vestis nunquam habuit benedictionem planetæ. Contra, quia neque in casu superiori, in quo cum Sà convenit Tamburinus num. 9. vestis facta manipulus è stola habuit benedictionē manipuli; vel si habuit, eo quòd benedictio fuerit communis, dicetur idem in præsenti casu. Nihilominus ego etiam respondeo affirmativè, nam planeta in forma, & figura est valde diversa vestis à stolis; secus est de manipulo respectu stolæ, quia *non videntur esse alia forma, nisi quòd vnum est longius, aliud brevius, quæ brevitas formam non mutat*, vt cum Paludano docet Sylvester supra.

93 Quid rursus, si ex Alba benedicta fiat amictus, eritne necessaria huius benedictio? Respondeo cum Arriaga suprà, num. 17. & 18. fore necessariam, quia neque retinet benedictionem Albæ, neque per scissionem à reliquo eius corpore adquirit benedictionem amictus. Dices, retinere benedictionem, quæ satis sit, vt deserviat pro modum amictus: vti stola assumpta, vt loco manipuli deserviat, retinet sufficientem benedictionem. Sed contra, nam stola supponitur non amisisse formam, sub qua est benedicta; secus segmentum illud detractum è corpore Albæ. Si replices, stola benedicta fuit vt talis, & non vt manipulus. Ergo vt deserviat tanquam manipulus, opus est alia benedictione. Hæc replica valde me inclinat, vt negem, posse licitè assumi stolam in munus manipuli sine nova benedictione. Sed absolutè dico id, quod servat benedictionem, posse licitè assumi ad aliud munus, quàm ad illud, ad quod fuit benedictum, si forma est parùm diversa, & aliunde vrgeat necessitas.

94 Hieronymus Llamas 3. parte Methodi, C. 5. §. 16. scribit, posse, vrgente necessitate celebrandi, & in defectu amictus, assumi pallam aliquam altaris, aut pannum aliquem linteum benedictum. Agnosco in hoc maiorem difficultatem, nam benedictio pallarum altaris nō est cōmunis adv estes Sacerdotales, vti benedictio vnius vestis Sacerdotalis solet esse communis ad aliam. Addit ibidem Llamas, ✠ si duæ essent stolę, & non adesset manipulus, possemus vna illarum breviori, vel brachio involuta vti pro manipulo: & si deesset stola, & adessent plures manipuli, possemus, absque scrupulo, longiori manipulo, vel duobus aciculą iunctis vti pro stola, dum superesset manipulus pro brachio. ✠ Sic ille declarans magis pro praxi id, quod anteà retulimus ex Paludano, Sylvestro, Navarro, & Sà.

95 Hic autem vlteriùs in numero 12. inquit, *cingulum fractum posse necti*, sicque deservire sine nova benedictione, *si pars altera non sufficit*. Quod verum est, quando priusquàm omnino frangatur cingulum, reficitur, aut firmatur adhibito nodo, quia non amisit magnitudinem, figuramque conveniētem. Quam ob rationem est etiam illud verum, quando esto omnino frangatur cingulum, sed manet vna pars cum cōvenienti magnitudine ad cingendum, etiamsi altera non sufficiat; & tunc quæ sufficiens est, conservat benedictionem, poterit que ad maiorem commoditatem necti cum insufficienti: quæ fractionis de causa perditam benedictionem recuperabit quadantenus ex nexu ad sufficientem partem retinentem benedictionis. Si cingulum sit omnino fractum in duas partes, quarum quælibet se sola sufficiat ad cingendum, est multò verius, conservari benedictionem in vna, & altera parte.

96 Sed quid, si nec vna, neq; altera sufficiat se sola, reficiantur tamen, aut firmētur nodo, opus ne tunc erit nova benedictione? Diana parte 2. Tract. 14. Resol. 57. Tractatu 15. Resol. 4. parte 5. Tract. 13. Resol. 92. respondet, opus non esse, allegarque perperàm pro se Suarium, Conichum, Scortiam Authores ex Societate; sed non adeò malè Emmanuelem Sà suprà, tametsi huius Doctoris verba interpretationem commodam admittant, non enim ait, si neutra pars, sed si altera non sufficit. Citat tres alios, aut quatuor

Autho

Authores, & duorum verba refert favẽtia manifestè. Tertius est Ioannes de la Cruz q. 3. de Mis. Sacrif. dub. 4. Consul. 2. qui transcribit aphorismũ P. Sà, citari etiam cum approbatione à Trul. lench L. 3. de Sac. C 8. dub. 17. n. 2.

97 Ego respondeo ex Sylvestro supra, & ex plerisque Theologis posterioribus, quibus tandem adiunxit se Diana parte 10. Tract. 15. Res. 28. retractans assertionem priorem; respondeo, inquam, opus esse nova benedictione, quia vtraque pars per fracturam reddita est ineptæ magnitudinis ad suũ ministerium, non secus, ac per scissionem manicæ à corpore Albæ, aut vnius magnæ partis ab alia magna redditur illa ineptæ figuræ ad suum munus. Vnde sicut amittit benedictionem in illo casu, ita etiam cingulum in nostro; & sicut necesse est, benedici iterùm Albã, cui manica assuatur, affigaturve aciculis, etsi perquàm facilè possit id fieri, ita etiam necesse erit, iterare benedictionem cinguli, tametsi facillimum sit, nectere, & colligare eius partes nodo aliquo.

98 Inquies, hunc posse fieri sine nova artificis industria. Quæ ratio movet plures, vt dicant, Albam medijs fibulis, aut condilis coniungibilem manicis non perdere benedictionem, quãdo dissolvitur à manicis, neque egere nova benedictione ad vsum in Sacrificio, quando rursus manicis copulatur. Sed contra per instantiam in Alba, cui si aciculis affigatur manica, non videtur elucere potior ratio novæ industriæ artificis. Contra etiam per instantiam in stola, quæ divisa in duas partes, magnitudine requisita ad suam functionem minores, coniungatur postea aliquo nodo. Ac sanè siue hic vocandus sit novũ artificium, siue non, & dicendus sit siue oriri, siue non ex nova artificis industria tam in stola, quàm in cingulo; ast partes non habent talem connexionem, qualem priùs; idque satis est, vt perdant antiquam benedictionem, egeantque nova alia, si in Sacrificio Sacerdos velit eis vti. Disparitas autem ad Albam resticulis coniungibilem cum manicis est manifesta, nam benedictionem suscipit vt separabilis, & vt adaptabilis ad manicas medijs resticulis; ast cingulum benedicitur, quatenus eius partes sunt continuæ.

SECTIO XI.

De obligatione ad vestes Sacerdotales, & benedictas pro Missæ celebratione.

99 PRÆCEPTVM adhibendi in Sacrificio cunctas, & singulas Sacerdotales sex vestes benedictas constat nunc communi consuetudine, sensuque Ecclesiæ, Doctorum, ac fidelium, licet olim quoad obligationẽ adhibendi cingulum, quod sit benedictum non adeò concordarint Doctores, vt dixi in superioribus, adducens Canonem *Vestimenta*, ex quo solet probari obligatio, vt omnes, & singulæ sex vestes sint benedictę. Vt autem omnes, & singulæ adhibeantur ex obligatione in Sacrificio, solitus est afferri Canon *Ecclesiastica* 9. Dist. 23. vbi dicitur ex Concilio Bracarensi III. C. 4. *Cum antiquâ Ecclesiasticâ nouerimꝰ institutione præfixum, vt omnis Sacerdos, cum ordinatur, orario vtroque humero ambiatur; scilicet, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & aduersa, virtutum semper ornamento vtrobique circumseptus appareat: qua ratione tempore Sacrificij non assumit, quod se in Sacramento accepisse, non dubitatur? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quisque percepit in consecratione, hoc & retentet in oblatione, vel perceptione suæ salutis, scilicet vt cum Sacerdos ad Missarũ solemnia accedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesuchristi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circumseptus, sicut & tempore Ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita vt de vno, eodemque orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo pectore præferat crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiaceat.* Sic ibi.

100 Sed hic Canon (pro quo, & alijs agentibus de orario oportebit legere Azorem tomo 1. Lib. 10. C. 28. quæst. 10. & tribus seqq. priùsq; S. Isidorum Hispalensem in Regula Monachorum C. 12. & Cassianum Lib. 1. C. 7. de Institutis Cœnobiorum) loquitur solummodò de orario, seu stola, quanquàm ob paritatem rationis extẽ-

datus

datur non improbabiliter à Doctoribus ad alias vestes Sacerdotales. In cuius Canonis vltimo verbo Gratianus legit, vt & Loaysa, *Subiacebit*, non autem *Subiaceat*, vt nos suquuti editiones novas Conciliorum, & correctionem Decreti iussu Gregorij XIII. Papæ. Vnde ex diversitate lectionum oriri potest dubium, an excommunicationis pœna, de qua in Canone, sit ipso facto incurrenda, vel tantùm comminatoria? Quæ tamen dubitatio, in antiquo Canonis rigore fundata, non refert nunc magni, vt colligetur ex dicendis.

101 Huiusmodi præcepto gravem induci ex genere suo obligationē non omittendi vestem vllam Sacerdotalem, & non vtendi aliqua, quæ non sit benedicta, probat vniversalis cōsuetudo, & observantia Ecclesiæ, quæ hūc ritum observat tanquam necessarium, & maximè pertinentem ad reverentiā Sacramenti. Gravitas obligationis prædictę hinc probatur efficaciùs, quàm ex titulo de defectib⁹ in celebratione Missarum occurrentibus §. 10. num. 1. vbi inter defectus refertur, *Si Sacerdos omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus: si vestes Sacerdotales :: non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ.* Neque item suadetur omnino convincenter ex Canone *Ecclesiastica* proximè transcripto.

102 Non ex primo capite, quia ibidem referuntur alij defectus, quibus cum si celebretur Missa, non peccatur graviter, vt iam non semel notavi, & sæpe in progressu Tractatus repetam. Non ex secundo capite, tum quia in præfato Canone sermo solùm est de stola; ad quam adhibendam in Sacrificio etsi præceptum obliget graviter, non ideo inevitabiliter infertur obligare similiter ad quodvis aliud vestimentum, quandoquidem grave onus niti debeat fundamēto, quod prorsus certum sit, & non tantùm simile vero. Tum quia in illo Canone imponitur etiam gravis obligatio, vt cum stola accedat Sacerdos ad communionem extra celebrationem; sic enim ostendunt verba illa, *Vt cum Sacerdos ad Missarum solēnia accedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, & Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus*, nimirùm extra Sacrificium iuxta veterem morem communicandi sub vtraq; specie. Et tamen sicut ille Canon non recipitur nunc cum tanto rigore, vt obliget graviter, ne Sacerdos more Laicorum communicaturus nō accedat sine stola (talem enim gravem obligationem negant communiter Doctores, & aliqui obligationem etiam levem, quia forsan eis ignota fuit Rubrica Ritualis Romani in Ordine ministrandi sacram Communionem, vbi præcipitur Sacerdotibus more Laicorum communicaturis, *Vt cum stola communicent*) ita neq; debet ob illum Canonem agnosci nunc gravis obligatio, vt Sacerdos in Sacrificio vtatur stola.

103 Transgressio præcepti de adhibendis in Sacrificio omnib⁹, & singulis sex vestibus Sacerdotalibus, ijsq; benedictis, non modò est gravis ex genere suo, sed neque excusatur à peccato mortali ex parvitate materię, atq; adeò leve nō erit omittere manipulū, neque cingulum, aut vti manipulo, vel cingulo, quod non sit benedictum, quia etsi in se sit quid leve manipulus, vel cingulum, aut benedictio cuiuscumq; ex illis, at celebratio sine quolibet illorum, aut cum quolibet illorum, sed non benedicto grave quid est, vtpote contra cultum, & reverentiam debitā tanto Sacrificio, provt cōmuniter existimant Doctores apud Suarium D. 82. sect. 2. V. 1. & 2. & apud Dianam 2. p. Tract. 14. Resol. 57. valdeque scandalizarentur fideles, si viderent celebrari extra casum necessitatis sine manipulo, vel cingulo, aut scirent celebrari cū manipulo, vel cingulo, quod non sit benedictum. Neque id magis mirum esse debet, quàm quòd leve non sit, celebrare, præassumpto minimo cibo, vel potu, aut celebrare cum vino, cui parū aquæ non infundatur ante Offertoriū, vel initio Missæ.

104 Cæterùm quia Doctores nonnulli eruditi, ac pij post attētam rei discussionem adhuc affirmant, leve quid esse, vltrò celebrare cum cingulo, vel manipulo, qui non sit benedictus, non diffiteor, probabile esse ab authoritate extrinseca non peccaturum lethaliter, qui citra contemptum, & scādalum vteretur voluntariè cingulo, vel manipulo non benedicto. Authores illos citat, & sequitur Diana p. 2. Tract. 14. Resol. 68. parte 5. Tract. 5. Resol. 62. Adhærentque illis Arriaga Disp. 55 sect. 4.

sect. 4. num. 17. & Thomas Tamburinus Lib. 1. C. 3. §. 1. num. 3. In censura autem de probabilitate ob authoritatem extrinsecam sequor ego Cardinalem de Lugo D. 20. S. 4. num. 103. Franciscum de Lugo Lib. 5. C. 8. §. 4. num. 35. Dicastillum Tract. 5. Disp. 4. dub. 10. num. 206. Sed observo, Authores aliquos adductos a Diana scripsisse priscis temporibus, cum in multis locis nec peccatum veniale foret vti voluntarie cingulo non benedicto, quia in eis locis contueta tunc non erat benedictio cinguli. Rursus noto, Authores illos, & alios non loqui de celebratione absque omni prorsus cingulo: sed absque cingulo, quod sit benedictum: neque item loqui plures ex illis de celebratione absque manipulo, siue benedicto, siue non benedicto: neque denique loqui de celebratione extra casū, sed in casu necessitatis. Vnde etiā Arriaga supra num. 16. scribat, referri a Diana p. 2. Tract. 14. Res. 57. nonnullos Authores pro sententia asserente, licere celebrare sine vna, aut altera ex levioribus vestibus benedictis, cum tamen P. Suarez supposuisset vt certum, non dari in hoc puncto parvitatem materiæ; ast Diana ibi non citat Authores, nisi pro casu necessitatis; extra quem esse mortale affirmari ab omnibus, testatur ibidem in principio, allegans speciatim Vazquium, Nauarrum, atque Bonacinam. Et ego quidem non invenio Authorem Suario antiquiorem dissentientem ab eius suppositione citra casū necessitatis, si excipiatur benedictio in cingulo. Et inter antiquos alt signatè S. Bonaventura in Expositione Missæ, *Si quis ex his indumentis* (lex videlicet) *per obliuionem* (crassam nempe, & supinam) *aliquid omitteret, grauiter peccaret.* Quæ omnia maximè considerandasunt, ne contra, vel vltra Authorum mentē laxetur, quod ob eorum precise authoritatem diximus esse probabile.

105 Si vrgeat necessitas, ait Eximius Doctor P. Suarez D. 82. sect. 3. V. *Secundò dicendum*, * Viros graues censere, non esse peccatum mortale, prætermittere vnum, vel alterum ex his vestimentis, præsertim ex minoribus, vt stolam, vel cingulum. * Henriquez Lib. 9. C. 29. §. 5. inquit licitum esse * vrgente causa, vti cingulo non benedicto, aut confracto, * & in Glossa littera Z. addit, * Cano in sect. negat esse mortale vti manipulo nō benedicto, præsertim ex causa, quando non haberur alius, quia est materia leuis (vt de cingulo dicetur) quod est probabile. Et tamen Doctores communiter damnant peccati mortalis. * Hieronymus Llamas 3. parte Methodi curationis animorum Cap. 3. §. 16. affirmat, licitum esse, pro vna, aut altera vice in necessitate celebrare sine stola, vel manipulo, vel cingulo benedicto; fatque esse Sacerdoti Religioso in necessitate vti Ordinis sui chorda; aut corrigia loco cinguli. Coninch 3. parte q. 83. art. 6. dub. 3. num. 250. scribit, * Nollem condemnare eum, qui, quādo alias die celebri totus populus deberet carere Sacro, celebraret sine cingulo benedicto. * Filliucius Tract. 6. & quæst. 5. num. 140. ait, * In necessitate sine vna, vel altera veste, præsertim ex minoribus, vt stola, vel cingulo, sacrificare, non esset mortale. * Cardinalis de Lugo D. 20. sect. 4. num. 98. inquit, * An verò in casu necessitatis liceat celebrare absque aliquo ornamento ex levioribus, vel cum eo non benedicto, vt absque stola, vel manipulo, aut cingulo? Negant plures; alij affirmant, quos refert Diana 1. tomo, Tract. de Celebratione Missarum Res. 57. & de cingulo in particulari Resol. 68. Qui quoniam multi sunt, non audeo condemnare eum, qui ita faceret. * Ita Eminentissimus Purpuratus. Et Diana quidem in illa Resol. 68. dicit, * Nota tamen, quod celebrare cum cingulo non benedicto ex causa iusta, non erit neque peccatum veniale. Iusta verò causa erit necessitas audiendi, vel celebrandi Missam ex præcepto alicuius festivitatis, fervor magnæ devotionis, necessitas superandi tentationes aliquas, si Sacerdotes pauperes nō habeant stipem pro celebrando Sacro. * Quæ verba desumpsit ferè ex Fagundez L. 3. in 1. præceptum Ecclesiæ C. 23. n. 12. & ex vno, vel altero transcribuntur a Tamburino supra, num. 4. Hæc sunt grauium aliquorum Authorum iudicia de licita prætermissione vestis alicuius Sacerdotalis, & de licito vsu eiusdem non benedictæ in casu necessitatis, necnon de quantitate necessitatis.

106 Ego sanè ob ministrandum ægroto viaticum non dubitarem celebrare

brare sine manipulo, vel etiam sine stola, aut cum manipulo, vel stola, vel cingulo non benedicto; si nullum inde sequeretur scandalum; quod facilè præcaveri posset, monitis adstantibus, qui defectum notarent; monitis, inquam, de probabili, & licito modo operandi.

107 Præterea, * si frequens populus non absque scandalo, aut murmure dimitti deberet sine Missa, * præsertim in die festo, vel saltem valde celebri, non dubitarem celebrare sine aliquo ex eis indumentis, aut cum aliquo ex eis non benedicto. Ita expressè Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 6. num. 17. Granadus tomo 5. Controv. 6. Tract. 14. D. 12. n. 7. Quanquàm Dicastillus Tract. 5. D. 4. dub. 10. num. 204. dicat, monendum tunc esse populum de obligatione non celebrandi, & sic dimitti: Emmanuelque Sà V. *Missa* num. 24. vniversim pronunciet, * omittēda quidem Missa etiam in necessitate, si non potest ritè peragi, *

108 Rursus excusarem Sacerdotem celebrantem sine manipulo, vel stola, aut cum manipulo non benedicto, (idemque est de stola, vel cingulo) si alias ob Sacrum non factum, & ob stipēdium nō promeritum passurus esset eo die notabilem indigentiam congruentis sustentationis; & aliunde scandalum abesset.

109 Laymano supra videtur, * Etsi ex Ordinis regula, vel etiā Ecclesiæ præcepto Missa facienda sit, præstare tamen non facere, si stolā, vel manipulus haberi non possit :: Nam eō casu, quo Missa ritè, ac decenter celebrari non potest, cessat obligatio legis de Sacro faciendo, vel audiendo. * Sic Laymanus. Mihi autem videtur, esse in potestate Sacerdotis eligere vel facere, vel non facere Sacrum in hoc casu. Laymani ratio persuadet mihi secūdum; & probo primum, quia præceptum illud aliud de faciendo, vel audiēdo Sacro potest securè movere ad primum, & excusare à peccato non adimpletionem præcepti de adhibendo cingulo, vel manipulo, vel stola, nam cōcurrente illo alio præcepto non constat, esse contra decentiam Sacrificij, vt peragatur cum defectu vnius ex illis vestibus. Porrò quidnam esset melius in eis duobus contradictionis extremis, nō potest certò dirimi, imò potest tam pro vno, quàm pro alio probabiliter disputari; præsertim, si ex neutro sequeretur perturbatio adstantium. Vbi notandum est, debere refugi extremū, ex quo oriretur scandalum, aut maius scandalum, si reddita facti ratione non posset huic malo obviàm iri.

110 Denique ob fervorem magnę devotionis, aut ob certiùs superandas tentationes non celebrarem ego Missam absque cingulo, aut cum cingulo non benedicto, quia ad fervorem illum comparandum, & ad victoriam tētationum prœstò sunt cum divina gratia complura alia media.

SECTIO XII.

An ob causam aliquam, & saltem ob ministrandum viaticum moribundo possit celebrari sine omnibus vestibus Sacerdotalibus, vel sine principalioribus?

111 ID est, an ex causis prædictis, & approbatis à nobis Sectione superiori liceat celebrare sine omnibus vestibus Sacerdotalibus, vel sine amictu, vel sine Alba, vel sine planeta, aut cum aliquo horum indumentorum non benedicto? Respondeo, non licere, quia quodcumque ex his indumentis magnoperè pertinet ad decentiam, & cultum in sacrificando. Consentit expressè quoad casulam Hieronymus Llamas supra, quia est propriè, & specialiter vestis Sacerdotalis, & vt talis sit, debet esse benedicta. Addit Llamas, casulam nō posse suppleri dalmatica, neque tunicella. Sed quoad amictum, & Albam dissentit, nā de priori videtur loqui non aliter, ac de manipulo, vel de stola; & de posteriori exprimit, vrgente necessitate celebrandi in die festo, posse assumi eam, quæ non sit benedicta.

112 Ex antiquis Ioannes Maior dixit in 4. Dist. 9. quæst. 3. in 5. argumēto, posse Sacerdotem sine cunctis etiam vestibus sacris consecrare panem ad viaticum ministrandum infirmo;

posseque

posseque eadem de causa nō sacrificare integrè, id est, sub speciebus panis, ac vini simul, & omittere omnes Missę ritus, proferreq; sola verba, quib⁹ coficitur Christi corpus; & Sacerdoti Latino licitum esse, consecrare in pane fermētato. In favorem Maioris allegatur à Leandro Tract. 7. D. 5. q. 22. Ludovicus de S. Ioanne in parva Summa, quam scripsit vernacula lingua Castellana, aitque, citare pro Maiore, & prose, ac benè quidem, Dominicum Sotum in 4. Dist. 12. quæst. 1. art. 4 V. *Primus casus est.* Ego quoque reperio pro eadem parte Sotum allegatum à Martino Alfonso de Vivaldo in Candelabro aureo Ecclesiæ sanctæ Dei 1. parte num. 156. de Sacramento Eucharistiæ; à Moure in Examine Theologiæ Moralis parte 3. C. 5. §. 8. num. 3. à Corrado parte 1. Responsorum ad casus conscientiæ, q. 52. Attamen Sotus agens de necessitate, quæ in absentia Prælati, aut legitimi Confessarij licitam faciat communionem absque confessione peccati lethalis, habet hæc verba, *Item & Sacerdos ipse iam iam moriturus, qui non haberet alium, cui confiteretur, posset ipse consecrare, & sumere Sacramentum.* In quibus verbis non enunciat Sotus, quod ipsi attribuitur, nec enim consecratio à Sacerdote iam iam obituro debet esse cū aliquo ex defectibus admissis à Ioanne Maiore, possunt enim contingere multi casus, in quibus Sacerdos vicinus morti consecret celebrando Missam ad instar aliorum Sacerdotum. Et quidem de doctrina Maioris audiatur Sotus in artic. 8. eiusdem Distinctionis dicens, * Ioannes Maioris Dist. 9. quæstione 3. ait, licere Presbytero post prandium propter necessitatem infirmi consecrare, clanculò tamen sine vestibus sacris, & sine Missa per sola verba consecrationis, ita vt Sacramentum non sumat, sed ad infirmum deferat. Imò si non esset, inquit, hostia ex azymo, posset buccellam panis fermentati consecrare. Paludanus verò Dist. 9. quæst. 2. id licere negat; & proculdubiò negandum est. Multa enim falsa involvit Maioris opinio. Primum, quòd hostia consecretur sine calice, quod esset Sacramentum dimidiare. Item quòd liceat Sacerdoti Sacramentum conficere, non illud sumendo; quod est sacrilegium; idque de Consecratione Dist. 2. Can. *Sicut*, & Can. *Comperimus* damnatum. Adhæc, & in fermentato consecrare Ecclesia Romana nulla necessitate permittit. * Hactenus Sotus satis disertè declarans suam mentem.

113 Leander addit, Franciscum à Victoria, & Vivaldum innuere opinionem Maioris esse probabilem. Sed Victoria post relatam Maioris sententiam ait in num. 73 vel 83. iuxta diversas editiones, * Oppositum tenet Paludanus Dist. 9. vbi ait, quòd nō licet; & hoc credo probabilius. Maior enim præsupponit falsum, quòd cōmunicare sit præceptum in Iure divino, vt posteà videbimus. Item videtur contra ius divinum consecrare panem sine vino, & è contra. Et est contra C. *Comperimus* de Consecratione Dist. 2. Et consecrare in fermentato, & sine solemnitaribus prohibitum est, ac proinde non est faciendum. * Quæ verba probabilitatem denegant doctrinæ Maioris. Victoria quidem credidit, probabilius esse, & non omnino certum, quòd Sacerdos non ieiunus nequeat celebrare ad communicandum infirmum existentem in extrema necessitate; quare probabilem putavit opinionem oppositam Maioris asserentem, posse; & nos etiam cum multis alijs existimamus non carere probabilitate. At quòd Sacerdos possit consecrare in eo casu, quin indutus sit vestes Sacras, vel quin Missam dicat, vel quin consecret sub vtraque specie, & vtramque sumat, vel quin consecret in pane azymo, si sit Sacerdos Latinus, minimè iudicatur probabile à Victoria; quidquid sit de Vivaldo.

114 Nihilominus Didacus de Tapia quæst. 8. de Eucharistia, art. 10. habet hæc verba non omnino adversa Maiori, * Invehuntur nonnulli in Maiorem:: quia ait, licere, vt Sacerdos clam, & sine vestibus Sacerdotalibus, Missæq; solemnitate id faciat. Ego verò in hoc non possum omnino proferre sententiam, quia opinio Maioris videtur conformis charitati, ad quam nostra omnia referri debent. Nihilominus tamen cordatior est opposita sententia, quòd id non liceat. Tum ob huius Sacramenti dignitatem, quæ eo facto minui videtur: tum quia hoc Sacramentū non est eo modo necessarium, quo Baptismus, & Pœnitentia. * Sic insignis Theologus Augustinianus.

Insuper

115 Inſuper Doctor in Theologia, & Iure Canonico Margallus in Expoſitione tit. de Celebratione Miſſarum parte 1. Rubricæ ſcribit, * Et ſi quæris, an ſit idem conſecrare, vel conficere corpus Chriſti? Ioannes Scotus (ſeu Maior, qui natione Scotus fuit) tenet in 4. Diſt. 9. quæſt. 3. quòd Sacerdos etiam pranſus poſt meridiem clanculùm poteſt adire Eccleſiam, & conſecrare, ne moriatur infirmus ſine Euchariſtia. Et ſic pluries conſecrat in eadem die Sacerdos ſine veſtibus:: Tu vide 7. quæſt. 1. C. *Nihil contra*, vbi legitur, quòd contra conſtitutionem Eccleſiæ, vel generalem conſuetudinem nihil præſumendum eſt. Tamen cum vrgentiſsima cauſa diſpenſatoriè non videtur negandum, præſertim vbi non poteſt haberi Euchariſtia ad communicandum moriturum, quia C. *Nihil* poteſt exponi, vt loquatur de celebratione Miſſæ, quia dicit, *Miſſas facere* in §. *Nullus*: ſecus autem de conficere, vel conſecrare. * Ita Margallus, cuius libellus editus eſt anno 1528. & cuius cũ nomine Petri, Canonicique iam tunc Eborenſis illuſtre elogium extat apud Ioannem Vaſæum in Hiſpaniæ Chronico, C. 6. Et quem Gillius Gundiſalvus Davila Lib. 3. Theatri Eccleſiæ, & ciuitatis Salmanticẽſis refert inter Scriptores Collegij iam S. Bartholomæi, C. 13. iam S. Iacobi Zebedçi, ſeu Conchẽſis, Cap. 18. Sed ex libello ipſo conſtat, Authorem fuiſſe Socium Collegij S. Iacobi. Num Salmanticę floruerint ętate illa cognomines duo? ignoro; præſertim cum Alfonſus Fernandez in Notitia Scriptorum Prædicatorij Ordinis pag. 491. meminerit Margalli Collegæ S. Bartholomæi, appelletq; eum magni nominis doctiſsimum Cathedraticũ Philoſophiæ Moralis, validumque cõpetitorem F. Franciſci de Victoria in primaria Cathedra Theologiæ.

116 Vlteriùs Thomas Hurtadus in Reſolutionibus Moralibus parte 1. Tract. 2. C. 1. Reſol. 2. numero 22. exiſtimat, ad ſubveniendum moribundo de viatico fas eſſe celebrare ſine veſtibus ſacris, ſine Miniſtro, ſine ara conſecrata, & ſimilibus requiſitis ex mero iure poſitivo. Sed poſteà p. 2. Tract. 11. C. 9. Reſ. 8. n. 321. dicit, nefas eſſe tunc celebrare omnino ſine veſtibus Sacerdotalibus, tametſi liceat cum Sacerdotalibus non benedictis, & Presbytero Latino in pane fermentato. Priorem locum legit Diana parte 11. Tract. 6. Reſ. 23. ideoque allegavit Thomam Hurtadum pro diverſa ſententia, ac Leander, qui poſteriorem locum vidit Tract. 7. D. 5. quæſt. 22. Hi ſunt Authores, qui aut approbant, aut nõ prorſus reprobant aſſertionem Ioannis Maioris circa celebrationem ſine veſtitu Sacerdotali ex cauſa miniſtrãdi Euchariſtiam moribundo. Cæteri autem non ſentiunt, neque loquuntur benignè de ea. Et quantùm ad conſecrationem, quæ fiat à Sacerdote Latino in pane non azymo nullum ego invenio fautorem manifeſtum, niſi Thomam Hurtadum; ſollque Tannerus tomo 4. D. 5. q. 2. dubio 4. num. 134. ac Dicaſtillus Tractatu 5. D. 2. dub. 4. num. 67. non audent damnare illam, etſi propter Doctorum authoritatem proteſtentur, ſe nequaquàm ei ſubſcribere. Longè etiã eſt à meo genio ferire illam rigidiori cenſura.

DIGRESSIO
Circa quendam Nuperum.

117 NEQVE par pari referam Thomę Hurtado, de quo ait mitiſsimus Diana ſupra, Reſol. 22. * Aliquando potuiſſe magis modeſtè ſe habere in cenſurandis, & refellendis aliorum Doctorum opinionibus, vt patet legentibus eius opera * Ipſeque Thomas Hurtadus pag. 174. de Martyrio verò fidei fatetur, * Se aliquantùla acrimonia inſurrexiſſe in aliquos Scriptores Societatis. Sed nec fuit aliquantula, nec ſtitit intra limites acrimoniæ; quanquàm diſſimulanda iam à nobis foret, ſi poſt exomologeſim hanc temperaſſet ſtylum. At quia amaritudinis vult adhuc tenax eſſe, nam, vt ait folio præcitato, impugnare aliquas Authorum Societatis opiniones videtur ſibi facere, * ad veritatem doctrinæ, qua ſemper debet Eccleſia ornari, non novitatibus adinventis, quæ ſemper, & iure optimo animum provocant, & obeas viri prudentes ſtomachãtur * potuiſſet timere eodẽ ex fine, ne quiſpiam mordacibus verbis refellat ipſius ſententiam novã, vel antiquatam Maioris reſuſcitatam ab ipſo de celebratione ſine veſtibus Sacerdotalibus, & in pane fermentato.

Et

118 Et quidem ipse in Tract. de Prædicatione Evangelij ad Sinas, Iaponios, & alios Indos invehitur vehementer, passisque velis contra novitates per septem pag. (quæ ego, quàm aptè quadrent titulo Tractatus, non intelligo) ibique in pag. 422. scribit, * Vna est novitas, quæ quamuis non sit circa fidei dogmata, est tamen contra doctrinam fere totius antiquitatis; quare est novitas contraria: altera, quæ, ab antiquis ferè intacta relicta, noviter adinvēta ab aliquo Doctore publicatur, & hæc est novitas negativa. Hæc permissa, illa perversa fuit semper in Ecclesia, novitas enim contraria Patribus, & gravioribus Scholasticis semper sugillata fuit in Ecclesia Dei: altera autem negativa permittitur, & aliquando à Patribus amplectitur (quam phrasem ęgrè ferret Nebrissensis) dummodò ex ea scandalum non sequatur in Ecclesia Dei. * Sic ille ministrans arma, vt nonnemo ad classem novitatis prioris reducat confectionem Eucharistiæ cum velle vulgari, & in pane fermentato, vtpote quæ sit contra graviores Scholasticos. Et vt demus, pertinere ad classem posterioris, non deerit, qui dicat, ex eius vsu orituras scandala in Ecclesia Dei. Ne igitur iuxta doctrinam ipsius Thomæ Hurtadi hæc opinatio notaretur severè ab aliquo, satius ipsi fuisset, nō inseruisse observationes illas tam longas adversus novitatem Tractatu de Prædicatione Euangelij, vbi de Missionibus Societatis ad Sinas loquitur, non, vt deceret.

119 Quanquam cum in limine, pag. 411. scribat, P. Iosephum Acostam fuisse multis annis inter Sinas commoratum, qui tamen non magis ad eos, quā ego, pervenit, vt constat ex Epistola Dedicatoria librorum de natura novi Orbis ad Philippum II. Regem, & ex Actis vitæ suæ exaratis à P. Ludovico de Valdivia, servatis in hoc Salmanticensi Collegio, cuius Rector obijt postremum diē anno 1599. cum, inquam, Thomas Hurtadus de Missionarijs Sinicis notitiam, quę expediret, non habeat, non credent Lectores reliquis eius narrationib⁹ cōtra bonum nomen virorum planè Evangelicorum è Societate in Imperio Sinēsi, haustis non è certioribus instrumentis, aut indicijs, quàm illa de Iosepho Acosta. Vbi cum Philippo Abbate in Epistola 11. Thomam Hurtadum *Deprecor per illum, qui suam illi scientiam, suam contulit sanctitatem, vt super hoc dignetur meā instruere paruitatem. Quomodò scilicet Religioso adest & in appetitu Cœlestium tanta consensio, & ad inuicem tanta dissensio* cum viris Societatis, qui nec sanctissimum Institutum, quod profitetur, neque ipsum tetigissent vel vno digito, quando edidit duos tomos Resolutionum Moralium, & alterum de Martyrio vero fidei? *Quomodò ad renendum Religionis fastigium sic festinat, & à dilectione mutua sic declinare videtur? Quomodò in amorem diuinum rectis potest gressibus ambulare, & in fraternum tam sensibiliter claudicare posse videtur?*

120 Significavi, quam censuram suæ de vestitu vulgari, & de fermētato pane opinationis, aliarumque non minus novarum sparsarum in suis scriptis queat timere Thomas Hurtadus. Etsi autem mihi illæ displiceant, nolo esse tertius, qui è Cœlo cecidit Cato, ad eas censurandas, verbisque insuavibus lacerandas. Est mihi præ oculis documentum illud prælaudati Philippi Epistola 1. in qua agens de diversis interpretationibus vnius, eiusdemque loci Scripturæ sacræ exhibitis iam ab vno, iam ab alio Expositore Catholico inquit, *Diuini tractatores eloquij sic sensum suum nituntur approbare, vt tamen non præsumant alterius improbare, nisi fortè illum à fide sana cognouerint deuiare, vel ei circumstantiam lectionis manifestiùs obuiare. Sciunt enim, quia diuina Scriptura plerisque in locis parit varios intellectus, quorum nullus dignus est reprobari, quamuis alter altero possit ampliùs approbari. Et ideo plerique sic alterum eorum eligunt, & commendant, vt tamen eos, qui aliter senserint, errare, non contendant.* Hactenus Philippus. Cupio etiam obsecundare huic ex Sancto Ambrosio in structioni Libro 2. de Officijs, Capite 28. *Sermo in duo diuiditur. In colloquium familiare, & in tractatum, disceptationesque fidei, atque iustitiæ. In vtroque seruandum, ne sit aliqua perturbatio, sed tanquam mitis, & placidus, & beneuolentiæ plenus, & gratiæ, sine vlla fermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio, quæstiones enim magis excitare innanes, quàm vtilitatis aliquid afferre solet. Disceptatio sine ira, suauitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione. Et sicut in omni actu vitæ id cauere debemus,*

bemus, ne rationem nimius animi motus excludat, sed teneamus consilij locum: ita etiam in sermone formulam eam tenere conuenit, ne aut ira excitetur, aut odium. Hucvsque S. Ambrosius. Ad cuius normam vtinam Thomas Hurtadus scriptiones suas elaborasset! Nulla tunc de eo nobis querela restaret, etsi per integros libros impugnasset opiniones Authorum Societatis, hi enim etiam inter se non minus, quàm cum extraneis disceptant pro inuestiganda veritate, sed salva charitate, bonis, vrbanisque verbis.

121 Non mirabitur Thomas Hurtadus, de Scriptoribus Societatis curam hanc à me suscipi, cum ipse siue laudi, siue vitio vertens notet in pag. 5. Patres Societatis solere magna diligentia defendere suos. Id mihi in rebus iustis, vti hæc est, ne contra decorum tractentur Nostri, videtur omnino è charitate, professionisq; eiusdem Religiosæ lege. Attamen dum in Thomæ Hurtadi Opere de vero Martyrio fidei reperio tot leporia contra Socios, vt pag. 97. quòd Suarez obijciat futilia argumenta, pag. 233. quòd fallatur omnino, pag. 111. quòd Vazquez omnem antiquitatem dereliquerit; quæ etsi dicta in materijs singularibus, insuavia sunt; sed mellitissima, si committantur cum alijs, quæ omitto; dumq; invenio etiam pag. 141. quòd Cardinalis Baronius toto Cœlo aberret; pag. 14. quòd Author Cursus Theologici Carmelitani plura sine necessitate, & parùm consequenter ad principia Thomistica inculcet; pag. 261. quòd Apologista Historiæ Propheticæ, vt Eliam exaltet, deprimat aliquatenus gloriam Virginis; quòd scribat quidpiã indignum dictu: in quę si incidisset Frater Antonius à Iesu Maria Excalceatus Carmelita, forsan denegasset laudatoriã suam Epistolam politissimam, qua Operis ornantur adyta: dum, inquam, hæc, & illa in eo lego, leniunt hæc dolorem, quo illa me affecerant, inde enim noscetur, non solos Scriptores Societatis peragi reos in tribunali Thomæ Hurtadi.

122 Et quia ipse pag. 349. ait, * Suave esse pro Religione pugnare, quæ est mater nostra, & nos nascentes Religioso excipit statu, * rursus non miraretur, si ego pro Societate tuenda aggrederer respondere ad quinque inconvenientia, quæ ex defectu Chori deducit pag. 329. vsquè ad 334. Sed id negotium, etsi facillimum, expoſcit longiorem tractationem. Attingam tantùm tria. Vnum est, quòd desint nocturnæ vigiliæ, si Chorus absit. Quasi extra hũc non possit etiam vigilari orando mentaliter, recitando privatim Canonicas horas, & vacando lectioni Scripturæ, Patrum, Authorumque piorum. Aut quasi in Collegijs Religiosissimorum Patrũ Clericorum Minorum, è quibus vnus est Thomas Hurtadus, extra Dominicos dies, & festos dormiatur, nam in alijs diebus Choro carent, vt in excerptis è Constitutionibus eorum continetur apud Aubertum Mirœum in Codice Regularum, Constitutionumque Clericalium pag. 110. Et quanuis in Domibus quotidianus sit, sed ad matutinas horas non anteà evigilatur, quàm in Societate ad orationem mentalem, neque posteriùs itur cubitum, quàm in eadem Societate post duos quadrantes exactos in præparandis punctis meditationis matutinæ, & in examine conscientiæ.

123 Alterum inconveniens est à singularitate in Ecclesia Dei. Sed nec nunc singulares sumus, nã Religio Clericorum ministrantium infirmis Chorũ non habet; nec incępimus sine exemplo antiquiorum. Omitto adducta à Suario, tomo 4. de Religione, Tract. 10. L. 1. C. 8. Petro de Ribadeneyra C. 8. de Instituto Societatis, Pellizario in Manuali Regul. Tract. 1. C. 3. S. 2. n. 66. Tract. 5. C. 8. n. 5. Francisco Sacchino p. & L. 2. Hist. Societatis n 64. p. & L. 3 ex n. 1. Sforția Pallavicino C. 6. & 10. de eiꝰdem Vindicationibus. Omitto itidem, in Religionis Prædicatoriæ initijs frequentatum non fuisse Chorum, sicut refert F. Ioan. de la Peña Vesperariæ Cathedræ Salmantinę Moderator, vir meritò numerandus inter gigantes Magistros, quos Academiæ Salmantinę peperit Dominicanus Ordo fœcundissimus sapientum hominum, in Scripto ad Societatis defensionem summatim abbreuiato à Nicolao Orlandino L. 8. Historiæ Societatis n. 49. & recondito in Archivo Castellanæ huiꝰ Provinciæ. Adijcio eximium exemplum ex Onuphrio Pãvinio de septem Vrbis Ecclesijs, titulo de Lateranensi pag. 133. vbi scribit, * Gelasium Papã circa annum Dñi CD. Clericos, qui ab arctiori vitæ Instituto Canonici, id est, Regulares vocati sunt,

(qui

(qui Apostolorũ, & primitivæ Ecclesię more secundùm B. Augustini regulam in communi vivebant) Laterani collocasse, :: vt quotidie deservirent in administrandis præcipuè Sacramentis, & publicis precibus fiendis :: Canonicorum porrò priscis illis temporibus præcipuum, vt dixi, munus erat, Sacramenta plebi Dei administrare: nam in psallẽdo minus erant occupati, cum eo tempore psalmodiam adhuc fideles populi frequentarent cum minoribus, maioribusque Clericis (iuxta primitivæ Ecclesię vsum) Episcopus enim concionabatur, & Presbyteri omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sacramenta per vices tractabant, * vt dixerat paulò antea; consonumque id est Canoni *In sancta* 2. Dist. 92. Et eadem ratio administrandorum Sacramentorum, aliarumque functionum erga proximos movit S. Ignatium, vt Societati, quæ ex Instituto suo est Religio Sacerdotum, non imponeret onus Chori; movit etiam Summos Pontifices ad confirmãdam hanc exemptionem. Præterea vix est vlla Religio, quę suas singularitates non habeat; neque earum expers est Religio PP. Clericorum Minorum, vt constat ex oratione, & pœnitentijs circularibus, ex eorum, qui ad Presbyteratum admittũtur, professione post annum, & quatuor menses à receptione, aliorum verò post tres annos, ex alijsque laudabilibus institutis.

124 Sed permittamus, alias Religiones nullis præditas esse individualibus proprietatibus, quin potiùs omnes ad vnam præter Societatem convenire in genere, specie, & individuo. Adhuc singularitas nostra quoad immunitatẽ à Choro tolerari iam deberet, vt quę bona fide præscripserit spatio centum, & viginti annorum, scientibus, & consentientibus Pontificibus Maximis, Conciliaribus Patribus Tridentinis, & in facie totius Orbis, quin in eo inutilis fuerit hæc minima Societas ob singularitatem suam, sed, hac non obstante, *Vberrimos fructus ad Dei laudem, sanctæ Catholicæ Fidei propagationem per vniuersum Orbem dederit*, vt testatur Gregorius XIII. Papa in Bulla inchoante *Ex Sedis Apostolicæ*, expeditaq; anno 1573. in favorem istius singularitatis, & vt an. 1596. scribebat Frater Petrus Opmerscnsis, seu Cratepoleus in Probatione Missæ pagina 129. * Iesultæ ad transmarinos, & novas Insulas, ipsosque Antipodas (sicut & Frãciscani) profecti multas gentes sua prædicatione ad Christianismum perduxerunt:: Lutherani, ac alij Hæretici hunc Ordinem pessimè oderunt, quòd ipsi eorum dogmata confutent, & vehementer infectentur:: Ego vnum è Sodalitate Patrẽ opponerem contra centum Lutheranos, ac totidem Calvinistas; in quo plus est pietatis, ac solidę eruditionis, quàm in omnibus istis, etiamsi in vnam essent conglomerati massam. * Ita doctissimus, & pijssimus Franciscanus in medio Germaniæ, & coram ipsorum Hæreticorum agminibus conglobatis.

125 Tertium inconueniens est ab otiositate. Sed in primis si Collegia PP. Clericorum Minorum eam vitant in diebus profestis, in quibus non adsunt Chorum, cur eisdem diebus Collegia Societatis, quales sunt omnes ferè nostræ habitationes, non poterunt eandem vitare? Si autem annuas in diebus profestis, minimè renues in festis, in quibus plures sunt occupationes prædicãdi, audiendi cõfessiones, &c. durumq; foret, vt Magistris Grammaticæ, aliarumque facultatum superiorum, & discipulis tota hebdomada fatigatis vacatio aliqua tunc non daretur. Domus professæ paucissimæ sunt tam numero, quàm incolis, & ijs senio confectis, ibique adeò frequentia, & varia ministeria erga proximos exercentur, atq; inde tot excursiones fiunt, seu Missiones, vt curari potiùs debeat, ne labor frangat, & obruat, quàm, vt declinetur otiositas. Deinde, siue in Collegijs, siue in Domibus professis multum temporis diebus singulis impenditur ab omnibus absque exemptione vlla orationi mentali, examinibus conscientię, recitationi Rosarij, lectioni spirituali, Litanijs Sãctorum, punctis meditationis recogitandis; quib⁹ exercitijs spiritualib⁹ quotidianis, & omniũ, si addãtur, quæ interruptè fiunt; sed valdè assiduè, item domesticæ conciones, & collationes de reb⁹ perfectionis Christianæ singulis, vel alternis hebdomadis, ausim affirmare, non pauciores horas in his consumi, quã si ad Chorum Benedictinũ, Carthusiensemve, vel Cistertiẽsem, aut Hieronymianum essemus obligati. Privatim etiã, qui in Sacris sumus, recitamus horas Canonicas, & qui Sacerdotio fungimur, celebramus quotidie prævia, & subsequenti meditatione; cæteri Sacrum audiunt. Non igitur ob defectum Chori timeri magis debet in

Societate malum otiositatis, quã in alijs cætibus Regularibus: Et hæc sufficiant circa tertium inconveniens.

126 Ait Thomas Hurtadus pag. 330. se proponere istud, & alia, vt videãtur secundùm se, & seclusa confirmatione Pontificia. Sed ipsum rogo, an Pontifices Sũmi præviderint ea inconvenientia, vel non? cum confirmarunt ex motu proprio, & ex certa scientia hanc in particulari constitutionem Societatis. Si prius, malè se gesserunt (quod absit dicere) in confirmatione constitutionis expositæ tot incommodis, & quorum aliqua, vt illud otiositatis, tolli nõ possunt per confirmationẽ. Si posterius, cęci fuerunt, quod dictu absurdissimũ est.

127 Concludit Thomas Hurtadus pag. 333. offerens Societati media, quibus Chorum componere possit cum suis ministerijs, & cum studijs litterarum, etsi fateatur, maiorem, & rationabiliorem esse excusationem in Collegijs publicis. Quoad oblata media gratias agimus ob mentis suæ discursus pro bono Societatis, ea tamen non acceptamus, vt quæ tendant ad diffingendum Institutum nostrum: Contulit nobis Deus S. Ignatium Fundatorem, & Legislatorẽ; Apostolica Sedes sæpiùs approbavit nostram vivendi formam; Concilium Tridentinum Ses. 25. C. 16. de Regularib⁹ noluit aliquid innovare in nostro pio Instituto. Non igitur tribuat rusticitati Thomas Hurtadus, si innovatorem, & reformatorem non admittamus. Et cum in Collegijs publicis excusari possit Chorus, illud forsan obtinebit, si instet, vt in occultis, & subterraneis, quæ in posterum fundentur, ponatur. Quę nunc autem habemus (estq; maior sine comparatione pars nostrarum habitationum in eis) ecquis neget, esse publica? Tãque in propatulo fixa visa sunt celeberrimo Decano Antuerpiensi Auberto Miræo, vt reddens rationem, cur adiunxerit illa ad Ecclesię Breviarium continẽs Archiepiscopales Provincias, Episcopales Diœceses, & Vrbes, vti in Breviario Imperij Romani descriptæ extabãt Prouinciæ, Civitates, ac Legiones, ait in Epistola Nuncupatoria Geographię Ecclesiasticæ, ✻ Legionum Romanarum loco fortissimum Societatis Iesu agmen collocare visum fuit, quę toto terrarum Orbe suas stationes habet, & pro Ecclesia passim excubat. ✻

128 Porrò si Thomas Hurtadus solũmodò laudasset vsum Chori in Religionibus, legeretur à nobis summa cũ voluptate, vti eam percepimus ex lectione Anacleti Sicci in tribus libris de Ecclesiastica Hymnodia, per quos profecit; ast quòd vltra obiecerit tot à se cogitata inconvenientia contra immunitatem à Choro in Societate, nõ potest non offensioni esse. Nos in alijs Ordinibus cantum divinorum Officiorum maximopere veneramur, & cõmendamus; sed simul iudicamus, attento fine Societatis, debere nõ reprehendi ob defectum illius, nullique incommodo esse per se subiectum. Suspicimus etiam sacratissimarum aliarum Religionum Instituta in cæteris rebus; à quibus si nostrum aliquatenus discordet, vocationis nostræ gratia contenti sumus. Volumusque, ne nostra de causa ad id temporis accõmodetur, quod de suo deflebat Philippus Abbas in Epist. 10. *Hæc pestis, hæc contagio latè serpit, hæc gratos Religionis flosculos sic decerpit, vt vix ad fructum spiritus veniatur, in cuius catalogo pax, & charitas nominatur. Quis iam Ordo sine querela conuersatur? Quis Ordo est, qui non de alio Ordine conqueratur, dum alter alterum affectu tenero non supportat, sed alter, quæ alterius sunt, apportat? :: Alter Instituta sua commendat, alterius famæ, vel nomini derogans; quæ alterius sunt, imminuit, sibi paulò amplius arrogans.* Hæc ille; quæ si quandoque acciderint, enitendum totis viribus est, ne repullulent. Et hactenus de Digressione contra Thomam Hurtadum, quam extorsit iusta defensio, sed moderamine inculpatæ tutelæ servato, & stylo attemperato ad leges Theologicæ Scholæ, ne assumpto Oratorio excideret verbum aliquod, quod exasperaret amatores veritatis vrbanitate delinitæ.

REGRESSIO.

Respondetur duobus argumentis, satisfitque duabus quæstiunculis.

129 IAM contra partem, quã præhabuimus de non conficienda Eucharistia sine vestib⁹ Sacerdotalibus, etiamsi alioqui decessurus quis esset sine viatico, obijcies primò, pręceptum earum vestium in confectione Eucharistiæ est purè positivũ Ecclesiasticũ, & præceptũ viatici est divinũ. Ergo si vtrumque simul adimpleri non possit, præferendum est istud, vtpote dignius,

dignius; inducensque maiorem obligationem, quàm illud. Secundò, ex charitatis lege est, vt fideli extremè indigenti ope viatici succurratur per eius administrationem; ex religionis lege, vt Eucharistia non conficiatur in veste vulgari. At prior illa lex, vt pote de virtute nobiliori, obligat magis, quā hæc posterior, vt pote de minꝰ nobili virtute. Ergo si desit opportunitas satisfaciē di vni, & alteri legi, eligi debet executio legis charitatis potiꝰ, quāreligionis

130 Duo hæc argumenta inculcantur in multis casibus, & repetuntur sæpe sæpius; ideo breviter respondeo, neq; viatici, neq; charitatis præceptū obligare, siue vt moribundus accipiat Eucharistiam, siue vt à Sacerdote conficiatur, quando hæc non potest confici modo, & cultu cōvenienti adsui excellentiam, & ad fidelium reverentiā erga ipsam; pro quo modo, & cultu gravissimè facit iuxta vsū Ecclesię, sensumq; Doctorum, & fidelium, quòd consecratio non fiat in vestitu profano. Et licet potestas, ex qua oritur præceptum viatici, & charitatis, sit maior, quā Ecclesiæ potestas, vnde derivatur præceptū Sacerdotaliū vestium in consecratione, tamen prima potestas attemperatur secundæ, & non intendit obligare, nisi casu quo servari valeat præscriptum à secunda in re adeò notabiliter pertinente ad venerationem Eucharistiæ. Addo, præceptum viatici, & charitatis, seu misericordię circa eius collationē dirigi in moribundi bonum privatum; huic autem prę ferri debere publicum, & generalem, gravissimumq; Eucharistiæ cultum consistentem in conficienda ea cum apparatu, & ornamentis Sacerdotalibus. Quòd si ex causa viatici aliud liceret, sumeretur inde occasio celebrā di multoties in habitu vulgari sub prætextu de illius necessitate, & de nō habitis ad manum vestimentis sacris. Idq; relictum iudicio, & discretioni vniuscuiusque innumeris abusibus ostiū panderet. Et cum sępe contingat necessitas viatici, quo tempore desit ordinarius apparatus ad cōsecrandum, nunquamq; audierimus, Sacerdotem aliquem tam audacē fuisse, vt causa subveniendi necessitati illi consecrarit, non obstante eo defectu, signum vtique manifestum est, quàm altè nostra sententia insideat Sacerdotū, & fidelium omnium animis, & quòd magis curetur de non temerando hoc vniversali ritu, quàm de subvē tione viatici.

131 Quo manet dissolutum argumentum Hurtadi asserentis, *Sacerdotem pro communicando moribundo, ne decedat sine viatico, celebrare posse sine Ministro, sine vestibus sacris, sine altari, hoc est, ara consecrata, & similibus, quæ solū requiruntur ex mero iure positiuo.* Sic in pag. 34. prioris tomi Res. Moral. Sed nō vsus sum motivo, quo in posteriori parte, pag. 216. negat idē ipsum quoad vestes Sacerdotales, etsi concedat quoad panē fermētatum in Ecclesia Latina: quippe motivum illud, scilicet, *quòd habere Sacerdotes priuatas vestes* (ego non vocarem, nisi publicas, & solemnes) *ad offerenda Sacrificia sit de iure gentium*, meo iudicio sit inefficax, quia Albę, casulæ, &c. pro offerendis Sacrificijs obligationem è iure gentium esse, non potest affirmari ab vllo, neq; item præfatas vestes eo ex iure esse requisitas ad particulare hoc Sacrificium Missę; sed vt summū peculiares aliquas distinctas à vulgaribus necessarias esse adsacrificandū. Quare iurigētium satisfaceret Sacerdos Christianus, & Catholicus, si offerret Sacrificiū Missæ cum selectis aliquibus vestibus, quanvis non essent tales, quales sunt in vsu apud Ecclesiam Cathol. Rom. alioquì hæc debuisset ex iure gentium sub eodem numero, materia, colore, & figura instituere eas, quas de facto instituit; quod est omnino à veritate alienū.

132 Dixi paulò anteà *Vt summùm*, nam cum colere Deum Sacrificijs nō sit debitū ex iure naturæ, vt probavi D. 1. ex n. 37. non apparet, cur ex iure gentiū sit debitum. Et licet Pōponius l. *Veluti* 2. ff. de Iust. & iure tradiderit, religionem erga Deum esse iuris gentium, tamē de religione per Sacrificia determinatè nil tale dixit, & an sit lapsꝰ, tribuēs iuri gentium, quod esset iuris naturæ, vel an Trebonianꝰ malè ad illud ius traduxerit, quod Pōponius collocarat in isto? disceptatur vulgò apud Iurisconsultos. Si igitur non sit iuris gentium colere Deum Sacrificijs, neq; erit exequi Sacrificia cum vno potiùs vestitu, quā cum alio. Ad hæc: si iuris gentiū, & nō alterius esset sacrificare in Ecclesia Cath. Rom. cum vestibus Sacerdotalibus, posset à Principe Sæculari per dispensationem, aut abrogationem talis iuris in sua ditione, aut regno concedi, vt sine eis vestibus offerretur Sacrifi-

cium Miſſæ, quoties alioqui aliquis è ſuis ſubditis moriturus eſſet non refectus Euchariſtia. Quæ poteſtas in Principe tēporali abſonantiſsima eſt. Pro huius ab abſurdo rationis pleniori intelligētia legatur Salas Diſputatione 2. de Legibus ſect. 3. & Diſp. 20. S. 3. Quare Thomæ Hurtadi fundamentum relinquendum eſt tanquam minus firmum; ſintque in vſu alia, quæ cum cōmuni Theologorum propoſuimus tum initio Sectionis, tum inter reſpondendum ad obiectiones.

133 Vt finiam Sectionem hanc, reſtat enodatio geminę queſtionis. Prima eſt, an fas eſſet ſacrificare ſine omnibus veſtibus Sacerdotalibus ad conferendam Euchariſtiam peccatori attrito dumtaxat de ſuis peccatis, & non habenti iam vſum rationis, per quam cum cum Dei gratia poſſet elicere actū contritionis, & cui homini vt adhiberetur aliud Sacramentum, nulla eſſet copia? Reſpondet affirmatiuè Leſsius 3. parte quæſt. 83. art. 2. & ſeqq. numero 87. quamvis addat, talem caſum potiùs poſſe fingi, quàm contingere: dixeratque proximè, & in quæſt. 80. art. 8. num. 19. ſententiam ſuam contra Maiorem, qui loquutus fuit in caſu contingibili ſæpe ſæpiùs, & non cincto tot circumſtantijs, & in quo hominis moribundi ſalus æterna non ſit redacta ad tam extremas anguſtias. Thomas Tamburin⁹ C. 2. de communione §. 9. num. 4. negativè reſpondet: ſed videtur non habere ſermonem in circumſtantia de defectu vſus rationis, cum dicat, * Imputet igitur ſibi infirmus, ſi nolit (cum Dei gratia ſemper præſtò ſit) ſe ſe conterere, & ſic iuſtificari. *

134 Mihi circa propoſitum caſum valde dubitabile eſt, an liceret celebranti ſiue ſine veſtibus Sacerdotalibus, ſiue cum eis miniſtrare Euchariſtiam homini illi? nam præberet Sacramentum vivorum homini, quē ſciret exiſtere in ſtatu peccati lethalis. Etſi enim per receptionem non peccaret homo ille, & iuxta probabiliſsimam opinionem conſequeretur gratiam ſanctificantem, remiſsionemque culpæ mortalis; at videtur peccaturus Miniſter; nec licet facere malum, vt eveniat bonum ęternę etiam ſalutis myriadum hominum. Suppono, cognitum non iri ab alijs ſtatum hominis illius in peccato ob non datum ipſi viaticum; ſuppono etiam, abeſſe cauſam, aut neceſsitatem eius conditionis, quæ honeſtare valeat adminiſtrationem Euchariſtiæ peccatori ſiue occulto, & petenti occultè, ſiue publico, & petenti vel occultè, vel publicè, atque adeò, quæ reddat licitam Sacerdoti permiſsionē alieni delicti; vt ſi peccator, comminādo mortē, poſtulet à Sacerdote Euchariſtiam, non in contemptum Sacramenti, neque religionis, ſed alio ex fine. Augeo difficultatem, quia ſi quis compos rationis, & cum bona fide de ſufficientia attritionis (quæ vt talis cognoſceretur) ad ſuſcipiendā Euchariſtiā poſt perpetratum peccatum lethale nō dimiſſum poſtularet eam à Sacerdote, nefas huic per ſe eſſet eam concedere, etſi petens ductus illa bona fide nō peccaret petendo, & Euchariſtiam ſuſcipiēdo adquiſiturus eſſet gratiam iuſtificantem. Ergo ſimiliter in caſu priori. Quòd enim in illo caſu non poſſet homo admoneri de inſufficientia attitionis, neq; ipſe poſſet diſponere ſe meliùs, nō tolleret, quominus Euchariſtia conferretur homini, cuius indiſpoſitio, & indignitas ad tantum Sacramentum innoteſceret re ipſa Sacerdoti. Video, à Doctoribus dici paſsim, non eſſe diſpensādam Euchariſtiā indigno, quia alioqui Sacerdos cooperabitur peccato receptionis indignæ: quod inconveniens nō habet locum in caſu, de quo nobis eſt ſermo cum Leſsio, neque in proximo à nobis adducto. Sed ſimul video, dici etiam paſsim ab eiſdem Doctoribus, opus eſſe, vt non conſtet Sacerdoti exiſtere in ſtatu peccati mortalis eum, cui diſpenſaturus eſt Euchariſtiam: in prædictis autem duobus caſibus contrarium conſtaret. Mallim in hoc puncto ſentētiam aliorum audire, quàm mentis meę in æquilibrio ſuſpenſæ plura producere argumenta.

135 Deinde ſi addubitatio præcedens non iudicetur tanti momenti, quanti nunc à me cenſetur, ſuccedit alia, & gravis. Nam ex vna parte durum videtur relinquere proximum in periculo manifeſto damnationis æternæ ob non ſacrificandum in veſtibus vulgaribus, cum tamen Authores non loquātur communiter de hoc caſu tam vrgēti, vnuſque, & Claſsicus, magnæque æſtimationis, qui de eo agit, aſſeverat, poſſe celebrari. Ex altera parte Authores hunc etiam caſum comprehendere videntur,

videntur, dum vniversim dicunt, ex causa viatici, quod alioqui non reciperetur, fas non esse, peragere Sacrum absque vestibus Sacerdotalibus; præferenda etiam videtur generalis consuetudo Ecclesiæ, & religiosa tractatio tanti Sacrificij, ac Sacramenti necessitati particulari illius hominis, qui, si damnetur, vertat sibi, vt qui peccarit lethaliter. Hæc, quæ expendi, poterūt ab aliquo iudicari vtrinque probabilia, vel saltem poterunt aliquem reddere dubitantem strictè, atque negativè. Qui sic manserit, poterit, & iuxta multos, debebit præcauto scandalo, operari Sacris cum vestitu communi, vt opituletur proximo extremè indigenti, damnandoque in æternum, nisi recipiat viaticum. Qui neque vno, neque altero modo manserit; cōmittat Deo, doleatque de sui proximi malo irreparabili humanitus. Sed casus potiùs est Metaphysicus, quam Moralis, magisque ad exercenda ingenia, quàm vt timeantur confluxuræ tot circumstantiæ

136 Quæstio secunda, an saltem liceat celebrare cum omnibus vestibus Sacerdotalibus, sed quę non sint benedictæ, ne moribundus, extremè indigens Sacramentorum ope, obeat absque viatico? Videtur enim, defectum benedictionis non esse adeò notabilem, vt ob eum succurri non debeat proximo in tanta necessitate. Et defectus ille potest esse magis occultus, quàm defectus ipsarum vestium, atque ideo potest nullum generare scādalum, aut non tantum, quantum ipsarum vestium defectus: & de Alba nō benedicta quid senserit Hieronymus Llamas, retulimus in n. 111.

137 Nihilominus Pater Suarez D. 82. Sectione 3. Vers. *Secundò dubitari solet*, ait, iuxta communem sententiam non esse minorem materiam vestem Sacerdotalem non benedictam, quàm vestis ipsius defectum, quia vestis non benedicta perinde existimatur, ac vestis non sacra, seu profana. Et ego non auderem ob communicandum moribundum celebrare cum casula nō benedicta, vel cum Alba, vel cum amictu non benedictis. Etiamsi in defectu benedictionis minorem indecentiam, & absurditatē agnoscam, quàm in defectu cuiuslibet ex his vestibus. Vnde neque damnarem eum, qui magis auderet, quàm ego, & præsertim in casu quæstionis proximæ.

SECTIO XIII.

Numquid Sacerdos teneatur mori potiùs, quàm Missam celebrare sine vestibus Sacerdotalibus?

138 SI mortis metus incutiatur in contemptum Ecclesię, & religionis, citra dubium est, teneri. Notatque Layman Lib. & Tract. 5. Cap. 6. num. 17. moraliter loquendo, vix accidere posse, vt aliquis Sacerdotem ad ita sacrificandum, intentato mortis metu, cogat, præterquàm in cō temptū religionis Christianæ. Demus tamen, mortis metum incuti ob aliam causam. Adhuc Caietanus 1. 2. quæst. 96. art. 4. docet, celebrandum non esse absque vestibus Sacerdotalibus. Docetque id ipsum de calice, Corporali, altari, lumine.

139 Navarro autem in Manuali Cap. 25. num. 84. Salcedo ad C. 38. Practicæ Criminalis Canonicæ, I. Bernardi Diaz satis durum videtur, quod docet Caietanus, etiamsi sermo huic sit de omnibus vestibus Sacerdotalibus. Et Sà V. *Missa*, num. 13. ait, * Nec ob vitandam mortem quidam aiunt celebrandum sine vestibus sacris, aut libro. At meliùs alij, Ecclesiam nō obligare cum tanto periculo. * Cum Sà concordant Sotus, Vazquez, Becanus, Valentia, Azor, Layman, Bonacina, Salas, Aversa, Moure apud Dianam parte 3. Tract. 6. Resolut. 48. & 83. apud Franciscum de Lugo Lib. 5. Cap. 8. quæst. 4. num. 38. & apud Gasparem Hurtadum D. 4. de Sacrificio Missæ Difficultate 11. quibus in locis subscribunt hi tres Authores, rursusq; Lugus in Cap. 6. de motu animi voluntario quæst. 9. num. 64. Concordant etiam Martinus de Ledesma, & Bartholomæus de Medina apud Suarium Lib. 3. de Legibus Cap. 30. num. 15. Qui omnes loquuntur de nostro casu in terminis terminantibus. Omittimus alios passim occurrentes, & eos, qui generaliter tradunt, metum mortis

semper

ſemper, vel ferè ſemper excuſare ab obſervantia legis humanæ, qualis eſt hæc de celebratione cum veſtibus Sacerdotalibus.

140 Nec diſcordant Suarez D. 82. ſectione 3. Verſ. *Secundò dicendum eſt*, Filliucius Tractatu, Cap. & quæſt. 5. num. 149. Coninch 3. parte, quæſt. 83. artic. & dub. 3. numerò 250. nam hi Doctores negant potiùs ſuppoſitionem de mortis metu, qui moraliter, regulariterque loquendo incutiatur ad celebrandum ſine veſtibus Sacerdotalibus, & non in contemptum religionis. Vnde Suarez ſatis advertenter dixit, ✻ ſententiam Caietani, moraliter intellectam, veram eſſe. ✻ Audiatur idem Suarez in Cap. illo 30. num. 15. Lib. 3. de Legibus, ✻ Secundū exemplum erat de celebratione ſine veſtibus ſacris, in quo, regulariter loquendo, concedi poteſt, quod Caietanus aſſumit, quia talis actus vix fieri poteſt ſine contemptu rerum ſacrarum; nec talis metus ſolet incuti, niſi propter hunc finem, vel odium religionis. Si tamen fingamus caſum, in quo nec metus fiat propter illum finē, ſed propter aliam indiſcretam devotionē, vel exiſtimationem, & quòd res fieri poſsit ſine irreverentia, & ſcandalo, non erit ille actus culpabilis ex vi ſolius legis poſitivæ. ✻ Sic Suarez; cuius veſtigijs inſtitit Filliucius inquiens, ✻ Sine omnibus veſtibus Sacerdotalibus in nullo caſu licet celebrare, etiam ob periculum mortis, ſi ſaltem adiungatur contemptus fidei. ✻ Coninch etiam ait, ✻ Nota non poſſe, moraliter loquendo, occurrere caſum, in quo liceat celebrare ſine vllis veſtibus ſacris, ne quidem ſi metus mortis vrgeat :: Quia moraliter loquendo vix fieri poteſt, vt quis ad ita celebrandum velit alium cogere, niſi in contemptū Eccleſiæ; quo caſu eſſet peccatum mortale ei parere. ✻ Hactenus Coninch. Quare non omnino exactè referuntur pro Caietani opinione Suarius, & Filliucius à Diana ſuprà, à Leandro Tractatu 8. Diſput. 7. quæſt. 41. à Franciſco de Lugo ſupra, n. 37.

141 Meliùs citatur à Leandro Navarrus in Manuali Cap. 25. numero 84. nam etſi duram appellet ſententiam Caietani, tamen Lib. 3. Conſiliorum, in Conſilio 3. num. 2. de Celebratione Miſſarum ait; ✻ Certum eſt, Presbyteros peccare miſſando ſine ſacris veſtibus: adeò quidē, vt nos ſcripſerimus in Manuali Confeſſorum ſequuti Caietanum, non poſſe licitè Miſſam celebrari ſine veſtibus ſacris, etiā ob metum iuſti timoris, etiā mortis. ✻ Ex quibus verbis colligitur, non deſeruiſſe omnino eam opinionem Caietani, quando notavit illam de duritie. Meliùs etiam citantur Fagundez Lib. 3. in 3. præceptum Eccleſiæ Cap. 23. num. 17. & 19. Granadus 1. 2. Controv. 7. Tractatu 3. parte 1. Diſput. 8. ſect. 5. Caſtro Palao tomo 1. Tractatu 2. Diſput. 1. puncto 13. num. 9. Tract. 3. Diſput. 1. puncto. 16. num. 3. Henriquez Lib. 9. C. 29. §. 5. iuncta Gloſſa, littera C. Siquidem ſentiant, vt & Thomas Tamburinus Lib. 1. Cap. 3. §. 1. num. 6. Marchinus apud ipſum, aliſq; nō poſſe ex metu mortis celebrari ſine omnibus veſtibus Sacerdotalibus, quanquam poſsit abſque ſtola, aut manipulo, aut alia veſte diſiunctivè.

142 Ego cenſeo, ob evitandam mortem licere celebrationē Miſſæ ſolis communibus, & vſualibus veſtimentis, ſi mortis comminatio non fiat in contemptum religionis, aut præcepti Eccleſiaſtici, ſi item caueri valeat, ne ſequatur ſcandalum activum. Sed videtur, caueri poſſe, ſi celebretur ſecretò, vel, etiam ſi publicè, monitis adſtantibus, vel iam anteà ſcientibus, fas eſſe in tanta anguſtia facere Sacrum cum veſtitu profano; neque inde arripiendam occaſionem ad minus dignè exiſtimandum de tanto Sacrificio, aut ad exequendum aliquid, quod poſitivè, grauiterque ſit contra decentiam. reverentiamque ipſi debitam, aut ad ſacrificandum cum veſtitu communi extra caſum, & neceſsitatem adeò vrgentem. Videtur etiam, contingere moraliter poſſe, vt celebratio Miſſæ ſine veſtibus Sacerdotalibus peragatur comminando mortem, non ob contemptū, odiumvè religionis, aut præcepti Eccleſiaſtici, ſed ob lucrum aliquod adquirendum, vel ob fugiendam iacturam aliquam temporalem, vel ob indiſcretam deuotionem, vel falſam exiſtimationem de iam confeſsi moribundi communione neceſſaria ad ſalutem, vt ſi necem intentans putaret, ſaucium lethaliter hominem non poſſe

ſal-

salvari, nisi accipiat viaticum, & ad supplendum hostiæ præconsecratæ defectum vrgeret sacrificare sine indumentis sacris. Ratio est, quia si neutrū ex dictis concurrat, non est, cur lex Ecclesiastica de celebratione cum vestibus Sacerdotalibus obliget ad sui adimpletionem, temporali vita postposita. Cuius rationis latior probatio, & confirmatio spectat ad Tractatum de Legibus, vel de Voluntario, & Involuntario.

143 Dices primò, celebratio Missæ non sine vestibus Sacerdotalib⁹, pertinet ad commune religionis bonū, quod præferendum est temporali vitæ cuiusvis. Sed contra, quia posses similiter probare, obligatum esse Sacerdotem ad celebrandum non sine cingulo benedicto, aut non sine manipulo, etiamsi mortis discrimen ab extrinseco instaret; quæ obligatio proculdubiò est aliena ab omnium Doctorum, ac fidelium sensu, & mente. Quare respondeo, celebrationem sine vestitu profano pertinere ad bonum commune religionis; sed iudicio prudentum non adeò pertinere, quando abest contemtus, & scandalum, vt præeligenda potiùs sit mors privati.

144 Dices secundò, celebrationem cum vestitu profano non posse fieri absque periculo magnæ irreverētiæ. Respondeo, talem irreverentiam non esse quasi positivam, sed quasi negativam; irreverentia autem quasi negativa admittit sæpe excusationem merito necessitatis, aut causæ alicuius rationabilis; & irreverentia consistens in defectu ornamētorum Sacerdotalium non censetur tanta, vt debeat potiùs amittere vitam, quàm Sacrum facere cū illo defectu Sacerdos.

145 Dices tertiò, maioris momenti est salus æterna, quàm vita temporalis. At ob illam non licet celebrare sine vestibus Sacerdotalibus. Ergo neq; ob hanc. Respōdeo, salutem æternam, sive propriam, sive alienam, nunquam ita pendere ex celebratione, vt nequeat moraliter comparari absque hac. Cæterùm vita temporalis potest ita ex hac pendere, vt certò amittenda sit, nisi Sacrum fiat absque vestibus Sacerdotalibus, provt alter iniustè petit sub comminatione mortis. Replicabit quis, accidere potest, vt salus æterna hominis sit certò amittenda, nisi administretur ipsi Eucharistia, vt visum est in casu, de quo egimus in n. 132. & tamen pro viatico tunc conferendo non esset permissum celebrare in veste vulgari, si Sacerdotalis deesset. Fateor illum, qui postremum id concesserit ob præcisam rationēsacrificādi sine vestib⁹ Sacerdotalib⁹, debere multò potiùs recedere à sententia, quam nunc tueor; sed qui concesserit ob aliā rationem ponderatam in num. 133. habet in promptu manifestum discrimen inter vnum, & alterum casum. Præterea num postremum illud negari possit? noscet satis, qui reviserit scripta ex num. 132. vsque ad 134.

146 Dices quartò, si ex mortis timore cadente in virum constantē fas est celebrare absque vestibus Sacerdotalibus, fas itidem erit ex eodem timore celebrare non tantùm sine illis vestibus, sed etiam sine ara, calice, patena, Corporali, lumine, sine mixtione aquæ cum vino, & denique sine eis omnibus, quæ in Sacrificio requiruntur ex solo iure humano Ecclesiastico. Respondeo concedendo totum; quanquam quò plura deficiant, eò maior sit dubitandi ratio in favorem contrarlæ opinionis; quicquid secus dicat Dicastillus Tractatu 5. D. 4. dub. 10. numero 204.

147 Inquies quintò, si metus mortis excuset à celebratione cum vestibus, quæ Sacerdotales sint, excusaturum etiam metum cuiusvis alterius grauissimi damni temporalis in honore, fortunis. Annuo. Sed cauendum est, ne sensim deveniatur ad causas minus graues, insufficientesque remouere scandalum, atque irreverentiam.

SECTIO XIV.

De integritate, & munditie vestium Sacerdotalium.

148 RVBRICA suprà exarata ait, paramenta Sacerdotis debere esse non lacera, aut scissa. Et meritò tum ratione tanti Sacrificij, ad quod deserviunt, tum quia si sint nimis lacera, aut scissa, fortè non retinebunt figuram debitam ad suum ministe-

sterium, & proinde nec benedictionē. Notatque Henriquez L. 9. Cap. 29. §. 5. quando nimis lacerata sit vestis aliqua Sacerdotalis, arbitrio prudentis viri decidendum esse, an illa sit vtendum?

149 Eadem Rubrica inquit, vestes Sacerdotales debere esse decenter mundas, & pulchras, quod conforme est Concilio Rhemensi apud Burchardum L. 2. Cap. 50. iubetur enim in eo, vt *sacra vestimenta mundissima sint, & loco nitido infra* (vel intra) *Ecclesiam collocentur*; & C. *Relinqui* 2. de Custodia Eucharistiæ præcipitur, *vt Oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta :: munda, & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* S. Hieronymus L. 1. Dialogorum contra Pelagiū, cum hic affirmaret, gloriam vestium, & ornamenta esse Deo contraria, occurrit inquiens, *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem, si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione Sacrificiorum cum candida veste processerit?* Huc traho illa S. Chrysostomi Homilia 83. in Matthæum, vbi sic alloquitur Sacerdotes, *Nunc verò cum non aquæ, sed sanguinis, & spiritus sacratissimus fons sit commissus, si peccatis inquinatissimos accedere homines videbis, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam huius contemptus consequeris? Idcirco vos Deus tanto voluit honore decorare, vt hæc diligentissimè discernatis. Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidissimā per Ecclesiam ambuletis.* Germana sunt, quæ habet idē S. Chrysostomus Homilia 60. ad populum Antiochenum. Sed de munditia vestium Sacerdotalium dixi plura in num. 9. & 10. Disputationis 25.

150 Modò noto cum P. Suario Disput. 81. sect. 6. V. *Vltima pars*, Disput. 82. sect. 3. V. *Secundò dubitari solet*, peccari posse sæpissimè venialiter ob celebrationem cum vestibus aliquantulùm laceris, aut immundis; vtpote quæ sit contra præceptum naturale, & diuinum tractandi sanctè, ac reverenter res sacras. Sed, vt idem Doctor advertit, excusationem habent, * Sacerdotes, qui eis vtuntur vestibus, quibus possunt, seu quas in Ecclesia inveniunt. * Et, vt Laymann L. & Tractatu 5. Cap. 6. num. 15. ait, * Interdum Sacerdos subditus, si Superiorem, vt vasa mundari, vel munda seruari curet, admonuerit, nihilque effecerit, excusatur propter sacrificandi necessitatem. * Eadem autem est de vestibus ratio. Cæterùm si immūditia sit enormis, peccabit grauiter Sacerdos, qui cum eis celebret, vt docent Sylvester V. *Missa* 1. quæst. 2. §. 3. Suarius suprà, Dicastillus Tract. 5. Disput. 4. dub. 10. num. 213. Thomas Tamburinus L. 1. C. 3. §. & n. 1.

151 Tam graue esse putat Antoninus Diana parte 3. Tract. 6. Resol. 48. litare cum vestibus enormiter immundis, vt dicat, Sacerdotem debere potiùs subire mortem, quàm sacrificare cum illis, etiamsi, qui minatur necem, non intendat celebrationem cum eis vestibus in contemptum Sacrificij, vel religionis. Et ratio videtur esse, quia talis celebratio foret contra præceptum naturale, & diuinum tractandi sanctè sancta. Nō assentior Dianæ, quia si iuxta plures in simili casu comminatæ mortis licet Sacerdoti dare communionem publico peccatori; & ob vitandam infamiam peccatoris occulti petētis publicè Eucharistiam fas Sacerdoti est consentire petenti, vt tenent Doctores, & praxi est receptum; cur nefas erit, adhibere in Sacrificio immundas enormiter vestes ob effugiendam mortem? Non magis præceptum illud debet obligare in hoc casu, quàm in duobus alijs, nec magis est contra dignitatem Sacrificij, & Sacramenti celebratio cum vestibus notabiliter sordidis, quàm dispensatio eiusdem Sacramenti homini publicè, vel occultè coinquinato peccatis. Et ratio à priori est, quia sunt aliqua præcepta naturalia, & diuina, quæ etsi ordinariè obligent, non tamen semper, & in omni casu. Et huiusmodi est præceptum tractandi sanctè sancta applicatum ad mūditiam Sacerdotalium vestium, & ad administrationē Eucharistiæ homini non indigno: quod nō obligat in casu tanti dāni, qualis est mors Ministri, aut ingens infamia ipsius, qui Sacramentum petit. Neq; hinc inferas, licitum fore ob evitandam morrē proiscere Eucharistiam in lutum, nam hæc esset irreverentia, quam positivè aggrederetur ipse, qui sui necem evadere

dere vellet, esset que irreverentia præ se ferens intrinsecam deformitatē per se loquendo, vt benè obseruat Franciscus de Lugo L. 1. Cap. 6. quæst. 9. numero 58. cuius doctrina in quæst. 6. præcedenti fuit mihi subsidio ad eam, quam nunc tradidi. Sed moneo, fuisse mihi sermonem, circumscripto scandalo, & de vestium Sacerdotalium immūditie enormi, sistente intra speciem (vt ita loquar) quæ ex vsu derivari solet in ipsas; nam si à consilio inficerētur luto, spurcitie vè alia, & Sacerdotem vrgeret quis sub comminatione mortis, vt cum eis operaretur rei diuinæ, profectò deberet potiùs ensi iugulum submittere, quàm consentire, nam id esset malum intrinsecè ex obiecto, nec infectio illa, facta à consilio, videtur aliò dirigi posse, quàm in contemptum Sacrificij, aut religionis.

SECTIO XV.

Animadversiones aliquæ circa venerationem, & cultum tam vestium Sacerdotalium, quàm sacrorum vasorum, & ornamentorum altaris.

152 APPONO Sectionem hanc, vtpote communem, & valde vtilem ad omnia expressa in titulo, & ad finem in eo declaratum. Itaq; prima animadversio sit, res profanę, vt vestes, & alia, possunt converti in paramenta, & alios Ecclesiasticos vsus, si priùs benedicantur, aut cōsecrentur, & efformētur in figurā, quæ apta sit ad vsum sacrum; imò & cum antiqua possunt vtiq; conuerti, si figura illa sit apta. Quod intelligendum est, secluso scandalo, & indecentia, quæ ex circumstantia aliqua speciali nascatur. Ita Suarez Disput. 81. sect. 8. V. *Sed quæres*, Scortia L. 2. Cap. 8. numero 6. Chassaing parte 2. de Privilegijs Regularibus Tract. 7. C. 4. propos. 2. Vers. *Quæres*, cum alijs contra Glossam in C. *Ad nuptiarum* 43. de Consecratione Distinct. 1. V. *Polluuntur*. Probatur, tum quia nullibi prohibetur huiusmodi conversio. Tum quia non solùm domus privatę, sed etiam Idolorum templa sæpe olim sunt consecrata à Summis Pontificibus in Ecclesias veri Dei. Igitur idem poterit fieri in vasibus, & ornamentis. Tum quia si quæ ab his rebus ex profano vsu contracta est macula, eluitur sufficienter per consecrationem, aut benedictionem; & succedente ministerio in Dei cultum sacrantur, ac sanctificantur, quæ profana erant. Tum quia consuetudine antiqua vestes communes, & vasa profana collata sunt ad ministerium sacrum. Cuius prisci moris profert nonnulla exē pla Noster Scortia.

153 Oppones, Sixtum IV. concessisse privilegium Fratribus Minoribus, vt secura conscientia convertere possent vestes, & pannos profanos in paramenta, & alios Ecclesiasticos vsus, prout refertur in Compendio priuilegiorum Societatis, V. *Sacra*, §. 2. Ergo quia iure communi id non licet. Respondeo, privilegia sæpe concedi ad maiorem conscientiæ securitatem, & ad scrupulos sedandos, si qui oriri possunt ex contraria aliquorum opinione. Illud Sixti IV. privilegiū fuit viuę vocis oraculū non authenticatum, vt cōstat ex Minorum Comp. V. *Ornamenta Ecclesiastica*, §. 6. & ex Emmanuele Rodriguez in eius Pontificis Oraculis vivæ vocis, estque 42. pag. mihi 217. Vnde iam cessavit. Sed ex dictis videtur, non esse omnino necessarium.

154 Scripsi suprà, *secluso scandalo, & indecentia, &c.* In cuius restrictionis illustrationem affero insigne exemplum desumptum ex vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium 22. Aprilis, vbi hæc lego, ✠ Cum sanctus, ac venerādus ille mansionis locus Dei gratia auctus esset, sed argētea supellectili careret, & vasa tantùm marmorea in mysterijs adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam ciuitatem Constantinopolim, vt argenteum vas ad sacrorum mysteriorum vsum emeret. Ille autem eò profectus vas emit à quodam opifice tum materia, tum artificio singulare, & ad Monasterium tulit. Cum igiter postridie peragenda essent mysteria, ostendit Archidiaconus vas illud sanctissimo Theodoro, vt in eo fieret Sacrificium. Quod ille mentis oculo contemplatus, vt sordidum, atque

que inutile contempsit. Cumque Archidiaconus fabrefacti vasis integritatem, pulchritudinemque commendaret, quippe qui nihil ampliùs, quàm speciem extrinsecùs poterat intueri: noui ego quoque, fili, inquit vir sanctissimus, vas esse pulcherrimũ, quantùm ad materiam, atque artificiũ pertinet; sed aliam ob causam, quæ oculis non cernitur, coinquinatum est. Vsus nimirùm, vt arbitror, illud infecit. Quod si dubitas, dic Psalmi versiculũ, vt precemur, atque illud intelliges. Quòd ille dum faceret, & vir sanctissimus, inclinato capite, precaretur, sic euasit ipsum vas, quale solet argentum esse, cum ex camino ignis nigrum educitur. Quo perspecto, fratres Deum collaudarunt, qui per seruum suũ id, quod occultum erat, patefecisset. Verùm cum Archidiaconus illud rursum in manus accepisset, argenteum, & splendidum apparuit. Quamobrem Constantinopolim reuertens, reddidit illud opifici, & causam narravit. Opifex autem secum ipse considerans, meminit, vas ipsum ex argentea meretricis situla fuisse conflatum, & rem Archidiacono indicavit, veniam petens, rogans, vt pro se Deum obsecraret. Alia autem illi vasa pura dedit, atque pulcherrima, quæ Archidiaconus ad sanctissimum Christi seruum detulit, priorisque vasis ipsi, & fratribus causam patefecit: qui Deo gratias egerunt. ✻

155 Secunda animadversio, res sacræ, aut benedictæ, vt vasa, vestes, quandiu consecrationẽ, aut benedictionem retinent, nõ debent converti in vsus profanos, *Semel* enim *Deo dicatum non est ad vsus humanos vlteriùs transferendum*, iuxta regulam Iuris in 6. Et hæc obligatio grauis est. Quare peccaret lethaliter, qui calicem consecratũ transferret ad vsum bibendi in mensa communi. Sed ait Dicastillus Tractatu 5. Disp. 4. dub. 11. num. 220. ✻ Non tamen putarem peccatum graue (quãvis nullo modo faciendum) quod aliqui faciunt, præbere scilicet potum aliquibus ægrotantibus, aut malè habẽtibus ex deuotione in calice. Tolerabilius tamen esset (vt alij etiam faciunt) aquam, seu vinum in calicem, iã priùs satis purificatorio purgatum, infusum ægroto dare ex deuotione tanti mysterij ibidem celebrati. ✻ Ita Dicastillus.

156 Cæterùm in Concilio Mediolanensi 1. parte 2. tit. de pertinentibus ad Sacramentum sanctæ Eucharistiæ cauetur, ✻ ne populo post communionem conferatur vinum in calice consecrato. ✻ Et deuotio, de qua Dicastillus loquitur, videtur mihi indiscreta, si bibatur immediatè ex calice consecrato Sacerdotali, non autem ex alio vase, in quod transfundatur vinum, aut aqua, quæ in calice Sacerdotali fuerit, sic enim huius cuppa non cõtingetur proximè ore Laici. Et olim, quando Sacramentum hoc ministrabatur fidelibus Laicis sub vtraque specie, præter calices Sacerdotales erant alij, qui tantùm deseruiebant ad vsum populi, adnotante Suarez D. 81. sect. 7. V. *Tertiò obiter.*

157 Ex dictis circa verba Dicastilli non placent mihi omnino hæc Quintanaduenæ tomo, & Tract. 2. Singularium in 12. num. 5. ✻ Viro Ecclesiastico, Religioso, aut Nobili aquã post communionem in calice iam absterso concedere, licitum esse existimo, etiam sine veniali, præsertim vbi huiusmodi consuetudo viget. Omnibus, aut Sæcularibus indiscriminatim hoc concedere, nec consulam, nec sine aliqua culpa fieri posse, iudicabo. Veneratloni huic sacratissimo vasi debitę hoc apponitur. ✻ Sic Quintanaduenas. Sed ego consequenter adscripta in D. 25. sect. 2. non conferrem in calice consecrato purificationem vlli, cui aliàs non liceret manu tangere cuppam illius, nam ore tangere non est quid minus. Quibus autem fas, vel nefas sit primum, discussi satis prolixè in præcitato loco. Apud nos die Cœnæ Domini Sacerdotibus, qui Laico more communicarunt in Missa solemni, propinatur vinum ad purificationem è calice consecrato, non autem alijs, neque ijsdem Sacerdotibus in cæteris diebus, si fortè communicent more illo ob ægritudinem, vel alia ex causa.

158 Innotescit iam, cur in Concilio Salegunstadiensi C. 6. reprehendatur, & sub anathematis pœna prohibeatur indiscreta deuotio, seu potiùs temeraria præsumptio quorũdam stultissimorum Sacerdotum, qui *Corporale Dominico corpore consecratum proijciebant in ignem ad extinguendum incendium.* Videturque, non posse per se id fieri citra cul-

culpam lethalem, quandiu Corporale retinet benedictionem.

159 Indidem innotescit, peccaturum grauiter, qui vteretur Corporali ad mundandas nares; non tamen si ad id, vel saltem ad abstergendum sudorem assumeret semel sine cõtemptu pallam aliam benedictam non contingentem Sacramentales species. Ita Thomas Tamburinus Lib. 1. Cap. 2. §. 3. num. 1. vbi notat, deberi suam reverentiam rebus alijs, quæ sine consecratione, & benedictione inseruiunt ministerio sacro, & proinde non facilè transferendas esse ad profanum.

160 Similiter reus esset culpæ lethalis, qui in torneamentis, vel in ludo, vel in profana repræsentatione comædiæ etiam honestæ, etiamque intra Ecclesiã vteretur ornatu sacro. Ita Sotus in 4. Dist. 13. q. 2. art. 3. V. *Sed circa*, Hẽriquez L. 9. C. 28. §. 3. C. 29. §. 1. Suarez Disput. 81. sect. 8. V. *Quarto addendum est*, Dicastillus Tractatu 5. Disput. 4. dub. 11. num. 221. & 231. Amicus Disput. 33. sect. 12. num. 378 alijque communiter. Aduertit tamen Henriquez in posterioris loci Glossa, littera C. morem esse pro comædijs (scilicet sacris) vti eis vestibus intra Ecclesiam, nempe ad repræsentandum Sanctum aliquem Presbyterum, aut Diaconum. Citati Authores non omnes affirmant incunctanter, esse peccatum mortale ad comædiæ honestæ profanam repræsentationem assumere vestes sacras. Suarez enim tantùm ait, vix posse excusari à peccato mortali; & Henriquez inquit, non videri peccatum mortale. Certè si comædia fiat in scena, seu theatro publico (*parlo de las comedias* vocamus Hispanè) & ab histrionibus infamis vitæ (quales solent multi esse inter ipsorum greges) indecentissimum esset vsurpare ornamenta Sacerdotalia, magnumque horum contemptum præseferret. Puniuit sæpe Deus ingentibus supplicijs abvsum sacrarum vestium. Legantur Theodoretus Lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 27. Cassiodorus in Tripartita Lib. 5. Cap. 37. Beda Lib. 1. de Anglorum historia Cap. 29. Victor Vticensis Lib. 1. de persecutione Vvandalica, Author vitæ Sancti Nicetij Episcopi Lugdunensis apud Surium die 2. Aprilis.

161 Non est abvsus, sed licitus, & pius vsus sacrarum vestium sepelire Sacerdotes eis indutos, necnon Diaconos, & Subdiaconos; atque ita iubetur in Rituali Romano in Rubricis de Exequijs, & in Regulis Præfecti Ecclesiæ Societatis numero 34. dicitur pro nostris Sacerdotibus defunctis, *Obseruetur circa vestitum Sacerdotum mortuorum, quod de viuentibus dicitur in Constitutionibus, vt scilicet vtamur eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis, in qua versamur, vti solent.* In Actis Sancti Meinvverci Episcopi Paderbonensis describitur casula, cum qua fuit sepultus, & quæ per trecentos, & quadraginta annos incorrupta permansit in tumulo. Sanctus Gregorius Lib. 4. Dialogorum Cap. 40. meminit Dalmaticæ superpositæ feretro Paschasij Diaconi Cardinalis, & Lib. 4. Registri, Epistola 44. refert, moris fuisse, vt corpora emortua Romanorum Pontificum contegerentur Dalmaticis; quod tamen ne in posterum fieret, vetuit, quia populus ex magna reuerentia eas Dalmaticas concisas reseruabat. Et cum honoris de causa cadauera Clericorum sacris vestimentis ornarentur multò ante Sanctum Gregorium, inde Eutychianus Papa volens honorare Martyres, decreuit, *vt quicumque fidelium Martyrem sepeliret sine Dalmatica, aut colobio purpurato, nullatenus sepeliret*, vt tradit Damasus in Pontificali scribens de Eutychiano, qui creatus est Pontifex anno 275. Sed anno 541. Concilium Arvernense Cap. 3. iussit, * Ne pallis, vel ministerijs diuinis obvoluerentur defunctorum corpora; * & Cap. 5. mandat, * vt Dominici corporis, seu palla altaris nunquam Sacerdotis corpus, dum ad tumulum evehitur, obtegatur, quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur. * Et in Concilio Antisiodorensi anno 590. Cap. 12. dicitur, * Non licet, mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo, nec pallis corpora eorum involui. Sanctus etiam Clemens in Epistola 2. ad Iacobum, seu potiùs Simeonem fratrem Domini hæc habet verba trãscripta in C. *Nemo* 40. de Cõs. Dist. 1 *Nemo per ignorantiam Clericus mortuũ credat*

dat obuoluendum, aut Diaconus scapulas operire velit palla, quæ fuit in altari, aut certè quæ Diacono data est in mensam Domini. Qui hæc fecerit vel leuiter, quasi nihil, & negligenter habuerit diuina mysteria, Diaconus triennio, sexque mensibus à Dominico erit alienus altari, graui percussus anathemate.

162 Hos omnes Canones tã inter se, quàm cum vsu hodierno, atque antiquo concordare, non est admodùm facile; tentandum tamen est. S. Gregorius in Synodo Romana prohibuit, operiri Dalmaticis cadauera Pontificum Romanorum, quia populus eis spoliabat illos, eaque diuisa in frusta colebat, ac si essent Apostolorum, aut Martyrum, Sanctiue alicuius ab Ecclesia iam declarati, *Et cum adsint*, inquit Sanctus Gregorius, *multa à sacris corporibus Apostolorum, Martyrumq; velamina, à peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reuerentia reseruatur.* Quo incommodo cessante prohibitio illa obsoleuit. Concilia Aruernense, & Antisiodorense intelligenda sunt de solis Laicis, vel si de Clericis etiã, nõ quoad omnia ornamenta deseruientia in altari, sed quoad Corporalia, aut quoad alias pallas altaris, quatenus non substituuntur loco syndonis. Et simili modo explicandus est Sanctus Clemens Romanus, vt iam notauit Suarez Disput. 81. sect. 8. V. *Quartò addendum est.* Vnde non sola consuetudo excusat adhibitionem vestium benedictarum ad Episcoporum, & Sacerdotum ornanda emortua corpora, vt aiebat Sylvester V. *Benedictio*, quæst. 7. sed nihil etiam in Iure est, quod obstet tali pio, & religioso vsui. Apud Græcos velatur Sacerdotis defuncti facies breuiori illo velamine, quo panis, & vinum ad futurum Sacrificium contegi solet, prout ex ipsorum Euchologio testatur eruditissimus Scriptor Tractationis de Pileo factæ publici iuris ab Anselmo Solerio sect. 17. pag. 172.

163 Tanta olim habebatur vestibus sacris reuerentia, vt etiamsi benedictionem amisissent per dissolutionem, aut laceratione, applicandæ non essent ministerio profano, sed vel alteri functioni in templo, vel comburendæ essent, & cineres mittendi in piscinam, vt traditur Can. *Altaris pal-*

la 39. de Consecratione Distinctione 1. Can. *Ad hæc* 4. de Religiosis domibus: quod vtrobique, & in Can. *Ligna Ecclesiæ* 38. eadem Distinctione, extenditur ad quęcumque alia deseruiẽtia in altari, vel in templo.

164 Cæterùm si vestes non retineant figuram aptam ministerio sacro antiquo, & proinde nec benedictionem, poterunt iam citra culpam mortalem, & fortè citra venialem (nisi obstet authoritas præcitatorum Canonum) applicari ad vsus humanos decentes, vt cum Aversa docet Franciscus de Lugo Libro 5. Capite 8. quæstione 7. numero 6. & cum Castro Palao Thomas Tamburinus Libro 1. de Missa, Capite 2. §. 3. numero 2. notatque benè in numero 3. Ecclesiam impendere benedictionem nonnullis rebus, vt candelis, & ramis palmarum, quin velit obligare, vt ad sacros vsus solummodò deseruiant. Harum rerum benedictiones dici solent invocatiuæ tantùm, vt videre est in Caietano 2. 2. quæstione 88. articulo 11. §. *Verum*, in Nauarro, Suario, & Laymano Lib. 5. Tractatu 13. Capite 9. numero 4. eoquòd adhibeantur tantùm ad invocandum speciale Dei auxilium circa præsentiam, vel vsum talium rerum, quin illicitum sit tales res applicare alijs vsibus, quàm sacris, secus ac contingit in rebus, quarum benedictiones sunt etiam constitutiuæ. De materia Ecclesiæ dirutæ videtur P. Emmanueli Sà Verb. *Ecclesia*, numero 2. posse ex sola Episcopali licentia conuerti in vsus profanos, atque adeò non requiri facultatem Summi Pontificis. Censeo idem ipsum; imò et forsan absque vlla culpa posse sine licentia Episcopi, aut Prælati Regularis (si Ecclesia fuerit Regularis) conuerti in vsus priuatos decentes, casu quo ex Superioris competentis dispositione materia illa vendatur, aut alienetur. Audiatur Bauny Tractatu 10. quæstione 49. Vers. *Et quanquam* dicens, * Quid vetat lapides templi vetustate diruti, ac ad omnia inutilis, conuerti ad humanum commodum, restaurationem ædium, reparationem mœnium? * Id ipse dictum vult citra scandalum; & ego dictum etiam volo salua prælegatorum Canonũ authoritate, si antiqua illam

non

non sunt. Legantur Sylvester Verb. *Ecclesia* 2. quæstione quinta, Pellizarius tractatu 8. Cap. 5. sectione 3. numero 122.

166 Pro tota secundæ huius animadversionis doctrina, & elucidatione faciunt Canon 72. Apostolorum, vbi dicitur, *Vas aureum, & argenteum sanctificatum, aut velamen, linteumvè nemo amplius in suos vsus assumito, iniquum enim est. Cæterùm si quis deprehensus fuerit; excommunicatione mulctator.* Canon 3. Concilij Bracarensis 3. *Omni cura, omni q; studio prouidendum est, ne hi, qui locum obtinere videntur regiminis, contumeliam videantur Cœlestibus inferre Sacramentis. Etenim quod & auditui terribile, & visui execrabile iudicatur, relatum est nobis, quòd quidam Sacerdotum sacrilega temeritate præcipites vasa Domini in proprios vsus assumant, epulasque sibi in eis comedendas apponant. Quod malum & obstupentes deflemus, & deflentes obstupescimus, vt illic humana temeritas sibi epulum præparet, vbi sanctum Spiritum cognoscitur ad uocasse, & ibi esum carnium crapulatus assumat, vbi diuina visus est celebrasse mysteria, & in quibus tantæ rei Sacramenta pro expiatione delictorum percepit, in his expleat voluntatem ludibrij sui. Et ideo huius de cætero præsumptionis persona, quæ sciendo diuina vasa, vel ministeria, aut poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui, vel officij periculum sustinebit, ita tamen, vt si de Sæcularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur; si verò Religiosus, ab officio deponatur: sub hac quoque damnationis sententia & illi obnoxij tenebuntur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam utensilia sciendo in suos vsus transtulerint, vel alijs donanda, vel vendenda crediderint.* Canon *Ad hæc* 4. de Religiosis domibus. Ibi: ✻ Locus cum sit religiosus, non debet mundanis vsibus deputari, sicut de vestibus, & ligneis vasis, & alijs vtensilibus ad cultū religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo indubitanter obseruat, & venerabilium Patrum edocent sanctiones. ✻ Canon *vestimenta* 42. de Consecratione Dist. 1. Ibi: ✻ Quibus alijs vsibus non debent frui, quàm Ecclesiasticis, & Deo dignis officijs. ✻ Sixtus 1. Epistola 2. ibi: ✻ Indignum enim valde est, vt sacrata Domini vasa, quæcumque sunt, humanis vsibus seruiant. ✻ Quę verba omissa sunt à Gratiano Cap. *Insancta* 41. de Consecratione Distinct. 1. vbi alia antecedentia, & subsequentia transcribit. Canon *Quæ semel* 4. Causa 19. quæst. 3. ✻ Quæ semel sunt dicata Monasteria consilio Episcoporum, maneant perpetuò Monasteria; & res, quæ ad ea pertinent, Monasterijs reseruari oportet; nec posse ea vltra fieri sæcularia habitacula. Qui verò permiserint, hæc fieri, subiaceant his condemnationibus, quæ per Canones constitutæ sunt. ✻ Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Epistola ad Clerum suæ Diœcesis, ✻ Nullus Presbyter, seu Laicus præsumat, calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata ad alios vsus detorquere. ✻ Ex quibus omnibus profluxit regula Iuris in 6. transcripta iam suprà.

167 Et ratio omnium est, quia res sacræ conuersæ in profanos vsus, quasi polluūtur, vt eleganter probatur ex Canone *Ad nuptiarum* 43. de Consecratione Distinctione 2. quo loci dicitur ex Concilio Aurelianensi, vel potiùs Arvernensi celebrato anno 541. Cap. 7. ✻ Ad nuptiarum ornatum diuina ministeria non præstentur, ne, dum improborum tactu, vel pompa sæcularis luxuriæ polluūtur, ad officium sacri ministerij videantur indigna. ✻ Exquo patet disparitas ad doctrinam animaduersionis primæ, nam profana sanctificantur, si conuertantur in Dei cultum. Cur autem suprà dixerim, *quasi polluiri* res sacras, si profanis vsibus addicantur, & non dixerim, polluí strictè, & absolutè iuxta loquutionem Ecclesiasticam, & Canonicam, constat ex numero 123. Disputationis 26. & ex numero 52. Disputationis 24.

168 Tertia animadversio, res sacræ, aut benedictæ, vt vasa, vestes, non possunt citra necessitatem vendi, vel oppignorari ad vsum profanum, quandiu consecratæ, aut benedictæ manent, quia id cederet in ipsa sarum iniuriam, & irreuerentiam. Fauent Canones prælegati, & l. *Sancimus* 1. Codice de Sacrosanctis Ecclesijs, l. *Si in emptione* 34. §. *Omnium rerum* 1. ff. *de contrahend. emption.* Cæterùm si vendantur ratione materiæ, & artificij, non erit Simonia.

169 Dixi *citra neceſsitatem*, nã in neceſsitate poſſunt oppignorari, ac vendi, præſertim ſi neceſsitas non ſit communis, & ordinaria. Et ita intelligendus eſt S. Ambroſius L. 2. Officiorum C. 28. relatus in C. *Aurum* 12. q. 2. indicatque ibi, dum inquit, *Nonne melius conflat Sacerdos* aurea vaſa Eccleſiæ *propter alimoniam pauperum, ſi alia ſubſidia deſunt, quàm ſi ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis?* Expendantur illa verba, *Si alia ſubſidia deſunt.* Vnde venit etiam intelligẽdus Theophylactus, cum in C. 14. Marci ait, *Confundantur hoc loco, qui pauperes* (patientes ſcilicet communem neceſsitatem) *Chriſto præferunt. Audiui enim ego aurifabros dicentes, quòd ſi ego diſſectum ſacrum vas dem pauperibus, & ego viuam, nec condemner. Audiant igitur, quomodo Chriſtus præferat ſui curam pauperibus. Chriſti autem corpus propriè eſt, quod in diſco aureo, & ſanguis, qui in poculo. Qui igitur abſtulerit diſcum pretioſum, & cogit, vt corpus Chriſti in viliori ponatur, prætexens ſcilicet pauperes, ſciat, cuius partis ſit.* Sic Bulgariæ Archiepiſcopus.

170 Triplicis generis eſt neceſsitas, in qua iuxta Sanctum Ambroſium vaſa Eccleſiæ vendere licet; prima pauperum extremè, aut grauiter egentium; ſecunda redemptionis captiuorum, quibus alio modo ægrè ſubueniri queat; tertia ædificationis templi, vel augmentationis cœmeterij. Poſſunt cum Molina tomo 2. de Iuſtitia Diſp. 340. num. 22. Verſ. *Item res ſacræ*, & cum alijs addi quarta ſoluendi debita; & quinta, vt ex pretio fiant alia vaſa, aut veſtimenta meliora ad miniſterium ſacrum.

171 Sed advertit Sanctus Ambroſius, *opus eſſe, vt de Eccleſia myſtici poculi forma non exeat, ne ad vſus nefarios ſacri calicis miniſterium transferatur*; iubeturque idem ipſum Cap. *Hoc ius* 10. q. 2. Quare ſi res ſacræ venales ad profanum vſum fiant, debent priùs conflari, vel diſſolui, tum vt amittant conſecrationem, aut benedictionem, nam quandiu eam retinent, exponere ipſas profanis vſibus, eſt contra ius naturale, ac diuinum tractandi ſanctè ſancta: tum quia minor indecentia apparet, ſi iam mutatæ applicentur profano vſui. Cæterùm quando vendantur ad ſacrum in alio templo, poſſunt integrè tradi; & ad huiſmodi commutationem non debet vrgere neceſsitas, ſufficit, quòd ſuperfluant in vno templo, ſi aliunde venditio non ſit prohibita.

172 Non nemo opponet, exigi fruſtrà à nobis, quod vaſa ſacra exponenda per venditionẽ profanis vſibus conflentur rurſus, vel frangantur, quo conſecrationem deperdant. Nam ex neceſsitate, qua liceat vendere illa ad profanos vſus, cenſeri poteſt, Epiſcopum, vel Papam velle, vt eo ipſo non perſeuerent conſecrata, etiamſi integra permaneant. Reſpõdeo primò, Sãctum Thomam 2. 2. quæſt. 88. art. 11. in Corp. repugnare huic modo dicendi, *Non poteſt* (inquit) *aliquis Prælatus Eccleſiæ facere, vt id, quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta, quòd calix conſecratus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer.* Reſpõdeo ſecundò, Eccleſiam de facto nõ velle illud, quod dicitur: cũ tamẽ cõſecratio, aut benedictio earum rerum ſit tantùm ex inſtitutione Eccleſiæ, quidni hęc potuiſſet velle, vt non perſeueraret in propoſito caſu, ſeu quòd in eo exſecrarẽtur, aut exbenedicerẽtur reſ illæ? Ipſa deſignauit caſus exſecrationis, aut exbenedictionis rerum illarum, cur non potuiſſet addere hunc cęteris, non obſtante earum rerum integritate? Si conſecratio, aut benedictio talium rerum eſſet ex ſolo iure diuino Chriſti, imprimeretque characterem indelebilem eis, quandiu integrę perſiſterent, tunc quidem nequirent exſecrari, aut exbenedici ab Eccleſia in ſtatu ſuæ integritatis; aſt nec primum, nec ſecundum verum eſt confeſsione omnium.

172 Hinc obiter intelligitur, Eccleſiam potuiſſe decernere, vt conſecratio, aut benedictio prętatarum rerum facta ab Epiſcopo ſchiſmatico irrita eſſet, & invalida, quia etſi ſit actus ex poteſtate Epiſcopalis Ordinis, aſt ſpectat ad eam poteſtatem non ob inſtitutionem diuini iuris Chriſti, ſed Eccleſiæ. De facto tamen hęc nentiquam illud decreuit; quicquid ſecus dixerit Sylveſter V. *Benedictio*, q. 6. nullius Canonis Eccleſiaſtici authoritate fretus, nec conſequenter ad ea, quæ ſcribit V. *Conſecratio* 2. q. 5. V. *Quintus eſt*, de pollutione templi per conſecrationem ab Epiſcopo excommunicato factam, vbi ratam agnoſcit talem conſecrationem,

ait.

aitque, vt in eo templo celebretur, requiri reconciliationem, minimè verò reconsecrationem. Consulantur Suarez D.82.sect.2. V. *Tertio obseruandum est*, Aversa q.2. de Ordine, sect. 11. V. *Addunt*. Sed hoc omisso.

174 Inquies, S. Thomas 3. p. q.83.art.3.ad 3. agnoscit in rebus cõsecratis, aut benedictis *aliquam spiritualem virtutem*; indeque deriuat rationẽ Canonum præcitatorum tractantium de vsibus, ad quos applicari possint, postquàm ad sacros non valent iam inseruire. Verùm de S. Thomæ mente iam suprà in n.81. loquuti sumus; nullusque, quem legerim, interpretatur ipsum de virtute, quæ sit qualitas spiritualis superaddita, & impressa indelebiliter eis rebus in statu integritatis. Prætereà S. Thomas ex illa spirituali virtute infert, quàm decenter vtendũ sit eis rebus, etiam postquàm amiserũt consecrationem, aut benedictionem, & proinde post deperditam qualitatẽ spiritualem superadditam, si huiusmodi qualitas venit in mentem S. Doctoris. Nõ igitur ex doctrina ipsius in hoc loco 3. partis labefactatur responsio secunda ad obiectionem numeri 172. Pro qua responsione videantur Vazquez D.243. C.2. num.16. Lessius L.2. de Iustitia, & Iure C.40. dub.19. n.144. Layman Lib.5. Tractatu 9. Cap.13. num.5.

175 Iuxta quos etsi, non obstante integritate vasorum sacrorum, posset Ecclesia statuere, vt quando venderentur ad vsus profanos ob vrgentẽ necessitatem, cessaret deputatio facta ab ipsa ad sacros cum inuocatione diuinæ virtutis, & assistentiæ vel ad debitum vsum, vel ad excitandam reuerentiam, & deuotionem, vel ad alios fines hominibus salutares cõsequendos (cuius assistentiæ facilior impetratio per istud medium vocatur à S. Thoma spiritualis virtus rei consecratæ) tamen Ecclesia de facto illud non statuit, sed potiùs decreuit, vt à se facta deputatio duret, quandiu integritas vasorum sacrorũ salua permaneat, quia homines, vbi non vident rei mutationem, solent sibi persuadere, retinere eandem aptitudinem, & deputationem, quam anteà habebat.

(:†:)

SECTIO XVI.

De antiquitate vestium Sacerdotalium ad Missæ celebrationem.

176 SELECTARVM vestium vsus in Sacrificio Missæ derivatus ad nos est ex Apostolica disciplina, & traditione, vt signatè ait Concilium Tridentinum sess.22.C.5. cuius integra verba transcribere placuit, vt quę ad totam hanc Disputationem, & ad præcedentes alias maximoperè faciant, *Cum natura hominum ea sit, vt nõ facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum diuinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, vt scilicet quædam submissa voce, alia verò altiore in Missa pronunciarẽtur, instituit. Cæremonias item adhibuit, vt mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, & alia id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & maiestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis, & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Sic grauissimè Tridentina Synodus. Consonatque Sanctus Thomas 1.2.q.102.art.4. in Corp. inquiens, *Totus exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeãt. Habet autem hoc humanus affectus, vt ea, quæ communia sunt, & non distincta ab alijs, minus reuereatur; ea verò, quæ habent aliquam excellentiæ discretionem ab alijs, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum consuetudo inoleuit, vt Reges, & Principes, quos oportet in reuerẽtia haberi à subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit, vt aliqua specialia tempora, & speciale tabernaculum, & specialia vasa, & speciales Ministri ad cultum Dei ordinarentur: vt per hoc animi hominum ad maiorem Dei reuerentiam adducerentur.* Hactenus Angelicus Doctor reddens rationẽ eandem, quam Concilium Tridẽtinum, pro apparatu externo in publico erga Deum cultu per Sacrificia. Qua ex ratione expensa etiam à Bellarmino

L. 2. de Missa, C. 14. V. *Accedit*, & ab alijs Theologis communiter, noscitur motiva causa disciplinæ, & traditionis Apostolicæ quoad peculiarem habitum in solemni totius Ecclesiæ actione, & in religiosissimo erga Deum cultu per Sacrificium Missæ.

177 Prælaudatus Bellarminus tit. de vestibus sacris eruditissimè probat earum vsum ex Ecclesiæ origine, vt & Suarius D. 82. sect. 2. Conclusione 1. Nos faciemus spicilegiũ. Sed non vtemur somnio quorundam, qui apud Nostrum Quintanadueñas in Sanctis Ciuitatis, & Archiepiscopatus Toletani pag. 475. dixerunt, casulam cœlitus à Deipara Virgine datam S. Ildephonso Archiepiscopo Toletano fuisse vestem, qua Christus instituit, celebravitque Sacrificium incruẽtum Eucharistiæ. Nullam specialem vestem induit tunc Christus, sed eam, quam antea gestabat, resumpsit post lotionẽ pedum. Et cum sub cœnam vsualem, & communem sacrificarit, nihil mirum iuxta Isaacum in Inuectiva contra Armenos C. 8. quòd peculiari habitu non se ornarit. Est tamen dignum notatione ex Baronio anno Christi 34. num. 39. * Cum dicat Euangelista, post ablutionem pedum Iesum recepisse vestimenta sua, satis significat, absoluta iam cœna, lotisque pedibus Discipulorum, cœnatoriam vestem exuisse, ac propriam induisse. Aliud enim, longèque à priori diversum cum ipse suis esset exhibiturus conviuium, diverso etiam à solito cœnandi habitu, decentiorique cultu, vt tantum mysterium exposcere videbatur, illud sibi insinuãdum putavit. *

178 Transeo ad vestigia nonnulla de vsu vestium Sacerdotaliũ ab Apostolis. Author vitæ S. Hugonis Abbatis apud Surium die 29. Aprilis facit mentionem planetæ S. Petri Apostoli, aitque, servari in Ecclesia Parisiẽsi S. Genovefę. Vestis, de qua S. Paulus 2. ad Timotheum 4. V. 13. inquit, *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpũ, veniens affer tecum*, iudicatur ànonnullis fuisse ad vsum Sacrificij, & instar casulæ antiquę, * quę cũ latissimo initio, & sine manicis esset, eius limbus super brachia, & scapulas proiectus errabundus torum corpus circumibat, * & ideò dicta planeta ab errore, vt declarat Onuphrius Panvinius in Interpretatione vocum Ecclesiasticarum; notatque Sotus in 4. Distin. 13. quęst. 2. art. 4. V. *Supremum* habuisse formã vetusti Hispanorum pallij, quod Caputiũ vocant, & quo in funere, & exequijs nobilium etiamnum vtuntur domestici eorum. Non prorsus abnuit Cardinalis Baronius anno 58. num. 69. si penula Paulina existimetur vestis sacra; & fauere videtur Tertullianus C. 12. de Oratione. Simillius verò est, Paulum loqui de viatoria veste ad arcendum frigus, & pluviam. Nec de penula Paulina expectet à me plura Lector, adeat Cornelium à Lapide ad præcitata verba, Thomam Massutium L. 10. vitæ S. Pauli C. 5. ex pag. 550. Sopranem Digressione 1. de re vestiaria Iudæorum D. 3. C. 5. §. 2. Octavium Ferrarium L. 1. de re vestiaria C. 36. Theophilum Raynaudum de Prima Missa sect. 2. C. 3. ex pag. 300. Et quoad vocem *Penula* vsurpatam pro planeta, & casula in sermone Ecclesiastico legat Cerdã in Adversarijs C. 26. n. 12.

179 S. Ioannes Euangelista Sacerdotale petalon gestabat, vt narrat Policrates apud Eusebium L. 5. Hist. Eccles. C. 23. Et de eiusdem tunica ad Sacrificium loquitur Ioannes Diaconus C. 59. L. 3. vitę S. Gregorij Papæ, qui ab Episcopo quodam eam dono accepit; & addit Ioannes Diaconus, * Quòd earum tunicarum altera Ioannis Evangelistæ, non autem Baptistæ sit, nemo est, qui dubitet; præsertim cum omnis sapiens nouerit, Baptistam camelorum pilis pro vestibus vsum fuisse; Evangelistam verò, qui per tot annos post Passionem Domini Pontificiũ gerens, Missarum solemnia frequentissimè celebrabat, sine Sacerdotalibus esse nequaquam vestibus potuisse. *

180 S. Iacobus Minor in vsu habuit colobium cãdidissimum, quod posteà ad sacrificandum induebat Euphrosius Pamphyliæ Episcopus, vt traditur in Actis S. Sylvestri Papæ apud Vvaldensem tomo 3. C. 29. num. 12. Et in Actis S. Ignatij Patriarchę Constantinopolitani dicitur, ipsum accepisse à Theodosio Antistite Hierosolymitano poderem, & super humerale S. Iacobi seruata Hierosolymis ad illud vsque tempus. De tunica sacra S. Stephani, quam assumebat inserviturus S. Iacobo

cobo in altari, tractat post alios Raynaudus supra, pag. 299. De stolis Apostolorum inventis Constantinopoli sermonem habet Cedrenus in Hist. Compendio pag. mihi 301. num. 135.

181 S. Clemens Papa in Constitutionibus Apostolicis Lib. 8. C. 16. ex editione Ioannis Caroli Bovij, & 12 ex editione Turriani inquit, *Igitur Episcopus precationem silentio faciens vnà cum Sacerdotibus, & splendidam vestem indutus, & stans ad altare*, &c. Idem S. Clemens in Epist. 2. tradit multa de ornatu altaris, ex quibus colligitur, curæ etiam tunc fuisse ornatum Sacerdotum. De stola S. Clementis Episcopi Metensis, qui fuit patruus S. Clementis Romani, extat memoria in S. Antonino 1. parte Hist. titul. 6. Cap. 26. in Petro de Natalibus Libro 10. Catalogi Sanctorum C. 113.

182 S. Anacletus successor S. Clementis Romani scribit in Epistola 1 *Solemnioribus diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos Ministros Episcopus secum habeat, qui sacris induti vestimentis :: consensum eius præbeant Sacrificio*. Quæ verba transcribuntur à Gratiano C. *Episcopus* 59. de Consecratione Dist. 1. S. Pius I. in Epist. 4. fatur de colobio Episcopi. S. Soter in Epist. 2. edidit decretum de ornatu altaris, & Ministrorum non contingendo à Laicis, neque à Virginibus etiam Deo sacratis, & refertur Can. *Sacratas* 25. Distinct. 23. S. Stephanus I. in Epistol. 1. dignissimè effatus est de vestimentis Ecclesiasticis, *Quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ Ministris celebratur*. Quid autē circa ea stabilierit, visum est tum in hac Disputatione, tum in alijs, sæpe enim adduximus verba Canonis *Vestimenta* 42. de Consec. Dist. 1. desumpti ex ea Epistola S. Stephani. Nec expressit totam huius mentem in eo Canone Damasus, cū in libro Pontificalis summariè dixit, Stephanum Papam constituisse * Sacerdotes, & Levitas vestibus sacris in vsu quotidiano non vti, & nisi in Ecclesia tantùm. * Et hæc sufficiant pro cōfirmanda antiquitate sacrarum vestium in Sacrificio Missæ; totque sequentibus seculis occurrunt testimonia de earum vsu, vt si omnia colligenda essent, multis libris opus foret.

183 Non deerit, qui obijciat, Apostolos celebrasse in vulgaribus vestibus, vt aiunt Vvalafridus Strabo de Eccles. rebus C. 24. Gemma animæ L. 1. C. 89. Hugo de S. Victore L. 2. de Officijs Cap. 11. Radulphus Decanus Tungrensis L. de Canonum observantia, propos. 23. Ioannes Belethus Cap. 42. de Officijs divinis. Crescitque difficultas ex S. Gregorio Magno, qui L. 7. Epist. 63. asseverat, *Morem Apostolorum fuisse, vt ad ipsam solummodò orationem Dominicam* (intellige vltra consecrationis verba) *oblationis hostiam consecrarent*. Si igitur tam paucis verbis, & ritibus celebrarunt Apostoli, quidni & sine apparatu selectarum vestium? De hac obiectione recurret longus sermo, cum de ritibus Missæ in Disp. 28. Nunc breviter dico, vestium sacrarum morem esse ex traditione, & disciplina Apostolica, vt docemur à Tridentino. Et quanuis responderi posset, eatenus esse, quatenus S. Petrus instruxerit S. Clementē, vt institueret specialia vestimenta, id quod dicitur ab Hugone Victorino; tamen ex superioribus satis constat, Apostolos adhibuisse etiam illa in Sacrificio Missæ. Sed potest concedi, celebrasse non rarò in vestibus vulgaribus ob impedimenta passim tunc occurrentia, & quæ, me tacente, quisque facilè per se intelliget. Idemque fatendum est de Liturgia cum sola oratione Dominica vltra consecrationis verba. Nemo hinc inferat, licere etiam nunc id, quod Apostolis fas fuit; *In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis, & magis per incrementa temporum decus successit Ecclesiarū*, vt dicitur Can. *Vasa* 44. de Consecratione Dist. 1.

184 Absolvi pro meo modulo omnia, quæ de vestibus Sacerdotalibus tractanda mihi præfixi. Sed coronidis loco non omittam apponere quādam Innocentij III. Papæ Lib. 1. de sacro altaris Mysterio C. 23. exhortationem ad Episcopos, & Presbyteros, cum ornati procedunt ad altare, *Prouideat diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè, vt signum sine significato non ferat, vt vestem sine virtute non portet. Ne fortè similis sit sepulchro foris dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud*

Deum.

Deum. Pontificalem itaque gloriam iam honor non commendat vestium, sed splendor animarum. Quoniam & illa, quæ quondam carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Vt quidquid illa velamina in fulgore auri, & in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate signabant, hoc iam in moribus, actibusque clarescat. Quod & apud veteres veneratione ipsa significationum species obtineret, & apud nos certiora sint expedimenta rerum, quàm ænigmata figurarum. Tunc enim valles abundabunt frumento, quum arietes ouium sunt induti. Tantùm Innocentius.

185 Etsi autem imposuerim finem sermoni de Sacerdotalibus indumentis, non tamen Disputationi huic XVII. Videtur enim mihi, non absre fore, si mantissam addam non iucundam, neque inutilem de habitu accedẽtium ad communionem Laicam.

SECTIO XVII.

De Laicorum communicantium habitu consistente tum in vestitu, tum in reliqua positione corporis.

186 NVLLIBI in Canonico Iure præscribitur. Sed ex Iure naturæ debet talis esse, qui devotionem, reverentiam, honestatemque præseferat, vt ait Suarez Disp. 68. sect. 1. V. *Vltimò dicendum est*, & vt S. Cyprianus in Orationem Dominicã, ✻ Placendum est divinis oculis habitu corporis. ✻ Hinc S. Damascenus L. 4. de Fide orthodoxa Cap. 14. hortatur, ✻ Vt omni cum timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus; & omnino fiet nobis, quemadmodũ credimus non dubitantes, & veneremur ipsum omni puritate animi, & corporis. Accedamus ei, desiderio ardenti. Manus in crucis modum formãtes, Crucifixi corpus suscipiamus; & apponentes oculos, & labia, & frontem, divinũ carbonem concipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur, & deificemur. ✻ Sic S. Damascenus imitatus S. Cyrillũ Hierosolymitanum Catechesi 5. Mystagogica dicentem, ✻ Accedẽs ad communionem, non expansis manuũ volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis cũ sancti corporis contactu communica: Tũ verò post communionem corporis Christi accede, & ad calicem sanguinis illius non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens, Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labijs tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. ✻ Hæc Hierosolymitanus Antistes; quæ & si luculenter ostendant, quanta cum compositione externa corporis olim fideles Laici Eucharistiam acciperent, nõ omnia præsenti tempori conveniũt, vt neque omnia, quæ ex S. Damasceno attulimus.

187 In Rituali Romano titulo de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento instruitur Parochus, ✻ Vt populũ sæpiùs admoneat, qua præparatione, & quanta animi religione, ac pietate, & humili etiã corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere: vt præmissa Sacramentali confessione omnes saltem à media nocte ieiuni, & vtroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter suscipiant, viri, quantùm fieri potest, à mulieribus separati. ✻ Ad institutionis huius illustrationem faciunt verba illa S. Chrysostomi Homilia in Encenijs, ✻ Stemus trementes, & timidi demissis oculis, renata autem anima gementes sine voce, iubilantes corde. An nõ vides eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & terreno Regi assistunt, quàm sint immobiles, non loquentes, non oculos huc, & illuc mittentes; sed mœsti, territi, lugentes? Ex ipsis documentum accipite hominibus, & sic assistite Deo, quasi ad terrenum Regem accessuri. ✻ Ita S. Chrysostomus. Genuflexio ante communionem commendata in Rituali probatur à fortiori ex C. *Sanè* 10. de Celebratione Missarum,

fitque

fitque de ea mentio à Venerabili Petro Abbate Cluniacensi in Statuto 4. Congregationis suæ.

188 Dubitatum est nostro tempore, an Laicus ense accinctus possit licitè accedere ad suscipiendam Eucharistiam? Ioannes Sanchez in Selectis D. 45. pertractavit hunc casum, respõditque, licitum, & consuetum esse Religiosis Equitibus Militaribus sic accedere, quia eis incumbit ex professione defendere armis fidem, cuius mysteriũ per antonomasiam vocatur Sacramentum Eucharistiæ. Cum Ioanne Sanchez conveniunt Franciscus de Lugo Lib. 4. C. 12. quæst. 3. num. 18. & 19. alijque apud Mendum Disquisitione 12. de Ordinibus Militaribus quæst. 4. num. 43. qui laudat consuetudinem illam, & dignam putat, quæ non omittatur, sed nullam obligationem ad eam agnoscit. De Laicis verò ait Ioannes Sanchez, non esse vsitatum, vt sic accedant; sed censet, nullum esse peccatum, nec irreverentiam, cõtravenire prædictę consuetudini, si præcognoscatur, non referre quidquam, ense accinctos, seu absque illo accedere, quia ad obligationem cuiuslibet Christiani spectat fidem tueri ob protestationem in Baptismo factam. Additque num. 6. * Et in locis mari vicinis omnes ense accinctos Sacramẽta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ accipere, testatum est ab ijs, qui ense accincti illa susceperè. * Sic ille. Et nos vidimus ita fieri à militibus tam in portubus, quàm in stationibus militaribus, & in castris. Alij autem communiter solent deponere ensem; sed non sicam, aut pugionem.

189 Ast non iudico, morem hunc introductum esse eo rigore, vt obligationem in conscientia inducat. Diana parte 3: Tractatu 2. Resolutione 30. inquit, difficile fore, si non contingat scandalum ex accessu cum ense. Ego quidem non semel conspexi Laicos nobiles præcinctos ense communicare, quin in adstantibus scandalum, aut perturbationem adnotaverim. Servetur consuetudo loci: quod est sanissimum consilium in re, de qua Canonibus Ecclesiasticis nihil est definitum. Quondã, dum legeretur Evangelium, assurgebant omnes, stabantq; decenter curvi, detecto capite, depositis in solo baculis, seu armis, vt dixi in num. 25. Sed quoad depositionem armorum nõ vbique fuit in vsu, nam Gaufridus Boussardus p. 2. de divinissimo Missę Sacrificio C. 3. scribit, * In aliquibus locis milites Missam audientes, dum legitur Evangelium, eximunt gladios, & enses, significantes se paratos ad defendendam Evangelicam veritatem, & fidem Christi, etiam viribus corporalibus. * Id quod de Polonis equestris ordinis narrat Martinus Cromerus L. 3. Polonicarum rerum, in Miezislao ad finẽ. In nostra etiam Hispania mos fuit (quod à Maioribus audivi) vt viri illustres (quod etiamnũ aliqui servant) ad Evangelij lectionem stantes tenerẽt manu capulum ensis, sed non stringebãt medibtenus, vt Poloni.

190 In colloquijs familiaribus disceptari sæpe audivi inter homines pios, & doctos, an nunc fas sit cum chirothecis in manibus accedere ad cõmunicandum? Franciscus de Lugo Lib. 4. C. 12. quæst. 3. num. 19. significat, esse genus aliquod irreverentię. Et vt nõ sit peccatum, saltem est contra vrbanitatem; *mala crianza*, vt Hispanè dicimus. Foretque similiter, si aliquis vir accederet pallio vndique tectus, *arrebozado con la capa*, vt vernacula lingua Castellana loquimur.

191 Sed numquid Sacerdos communicabit accedentem cum vanitatibus, puta cum cincinnis, & similibus? Huic quæsito respondet Possevinus Cap. 8. de Officio Curati num. 17. * Si secretò potest hortari ad eos deponendos, horretur; si non potest, cõmunicet, quia ista è suo genere non sũt plusquàm venialis culpæ signa; & cõmunio negatur soli peccatori publico. Sed si signa mortalis culpæ clara, & per nullam tergiversationem possibilia celari, est neganda communio. * Sic Possevinus. Si cum cincinnorum vanitate illicitum esset viris cõmunicare, innumeri hoc tempore in multis nationibus deberent se retrahere à sacra synaxi. Potest Sacerdos tolerare corruptæ ætatis abvsum. Antiqui Hispani comam quidem longam nutriebant, non tamen muliebriter comptam, neque crispatam, neque perunctam, vt modò non pauci tam intra, quàm extra Hispaniam. Sed novum hunc morem, fæmineum potiùs, quàm virilem, deploratunt satis, & exagitarunt alij, recenter

que

que clarissimus Iureconsultus Ioannes de Solorzano Pereyra tomo 2. de Indiarum gubernatione Lib. 1. Cap. 24. ex n. 38. ad 45. & in Politica Indica L. 2. C. 25. pag. 212. affert que exemplum S. Godefridi Episcopi Anbianensis, qui cum nocte Natalis Domini celebraret coram Roberto Flandriæ Comite, * Sub ipso Sacrificio post lectionem Evāgelij, omnibus certatim ad altare munera offerentib⁹ :: sine personarum acceptione, illorum omnium dona reiecit, qui instar mulierc̃ularum intonsa essent coma:: videres, certatim gladijs, & cultris (non enim aderant ad manus fortices) eos sibi amputare pilos; infœlices, ac miseros putare, si propter comas tanti viri benedictione privarentur. * Sic Author vitæ Lib. 2. Cap. 29. apud Surium 8. Novembris. Si initio Episcopi, & Sacerdotes notæ virtutis, atq; authoritatis simile quid fecissent, non admittēdo ad cōmunionem viros cincinnatos, & calamistratos instar fœminarum; forsan non adeò invaluisset hęc mollities; quæ res est iam ferè desperata.

192 Notatione non eget, vt mulierem operto capite iuxta 1. ad Corinthios C. 11. & iuxta Constitutiones Apostolicas L. 2. C. 57. consiliumque B. Basiani Abbatis ad S. Matronam, de qua mox; sic è contra virum communicaturum debere accedere aperto, nisi gravis infirmitas excuset, aut nisi, vt apud Sinas, apertio capitis non sit signū reverentiæ erga alium. De sancta Matrona, quæ piè se finxerat virum, dicitur in eius vita apud Surium 8. Novēbris, * Simulans imbecillitatem, non omnino auferens tegmen, quod erat in capite, ita ad Sacramentorum accedebat communionem. *

193 Olim à sacra communione arcebantur mulieres, quæ fucos, & capillos ementitos, aliaque ornamenta indecentia gestabant, vt ex S. Cypriano observat Marchinus Tract. 3. de Ordine parte 3. C. 4. num. 1. addique potest Alexander Alensis, qui 4. p. Summæ quæst 11. membro 2. art. 2. §. 4. ait, repellēdas esse à communione mulieres, si aliquid falsitatis, aut adulterinæ picturæ, aut capillaturę vsurpent. Nunc rarò accidet obligatio arcendi publicè fœminam, quæ in his excedat, nam de excessu gravi publico poterit difficilè argui, quandoquidem quę honestæ, & pudicæ sunt, atque reputantur, soleant similiter ornatæ accedere. Et vanitas quidem in talibus ornamentis, si ex patrio more sint iam communiter recepta siue inter nuptas, siue inter innuptas, expers per se erit culpæ lethalis, & excusabilior in maritatis, si propter viri oculos assumpta nō dimittatur, cum accedunt ad communionē. Imò expers per se erit culpæ venialis, si iuxta præsentem vsum ornatus non sit indecens, neque alienus ab honestate, tametsi antiquiori tempore iudicatus fuisset parùm modestus, vt experimur in ea, quæ modò (heu!) tam vulgaris est, nudatione vsque ad pectora, & scapulas, & in palla pomposa vocata *Guardainfante*, quibus si non multis ab hinc annis vteretur singularis aliqua mulier, nemo prudens, & pius non iudicaret indignam, vt ad communionem admitteretur; quanquam vestis illa iā olim fuit excogitata, & vsurpata à quadam fœmina maioris dignitatis, quàm pudicitię, vt memini, me legisse in Annalibus Hispanicnsibus M. SS. Alfonsi Palentini, dum de rebus Henrici IV. Regis Castellæ scribit; & de Anna Bolena pellice Henrici VIII. Regis Angliæ simile inventum fama, & scriptis est pervulgatum. Vtinam nostri temporis Concionatores imitarentur P. Alfonsum Salmeronē, qui, referente Sacchino, parte 2. Hist. Societatis Lib. 8. num. 51. cum Venetijs prædicaret, & * Invectus in habitum fœminarum indecorè nudantium pectus, ipsas, quòd id agerent, viros, quòd paterētur, acriter castigasset, decem è primarijs matronis, quas multæ dein sequutæ sunt, vestitum decentiorem, qui collo tenus nihil intectum relinqueret, assumpserunt. *

194 Quando autem respectu etiam prętentis temporis vanitas ornatu sit venialiter excessiva, iudicandū erit, quòd sit, necne novum peccatum veniale accedere ad communionem cū tali vanitate, prout quisque censuerit de accessu ad eam cum comitante affectu ad peccatum veniale, vel sine dissidentia ad veniale habituale. Legantur Thomas Tamburinus in Opusculo de Communione C. 2. §. 3. num. 7. Barbosa Lib. 3. Voto decisivo 124.

195 De habitu Sacerdotum, quando

quando more Laico communicant, dixi quantum satis est in num. 102. huius Disp. & in num. 41. Disput. 15. de Eucharistia. Videantur Azor tomo 1. L. 10. C. 28. quæst. 12. Franciscus de Lugo Libro 4. C. 12. q. 3. Sa V. *Eucharistia*, num. 31. in priori editione cum aliis apud Leandrum Tract. 7. D. 4. q. 30. & 31. & apud Dianam p. 2. Tract. 14. Res. 20. Et hæc de habitu ad communionem Laicam: de quo etsi curandum diligenter sit, sed multò magis de interna dispositione animi. Nihilominus, vt aiebat S. Anastasius Sinaita in Oratione de Synaxi sacra, * Multi quidem non laborant, qua puritate, & pœnitentia ad sacram mensam adeant, sed quibus vestimentis exornentur. *

196 Vlteriùs pro externa ad communionem dispositione advertit Henriquez Lib. 8. C. 49. §. 1. lavandas esse manus, & faciem ante Eucharistiæ sumptionem: quę corporalis præparatio, si omittatur advertenter, non carere veniali culpa, existimat Granada Controv. 6. Tract. 10. de Eucharistia, D. 9. num. 13. consentiuntque Diana p. 10. Tract. 12. Res. 19. Leander supra, D. 6. quæst. 8. Allegat Granadus S. Augustinum dicentem Serm. 244. de Tempore, *Erubescimus, ac timemus, Eucharistiam manibus sordidis tangere.* Aptiora essent in speciem alia eiusdem S. Doctoris verba Serm. 252. de Tempore, vbi ait, *Omnes viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant.* Similia verba referuntur ex S. Maximo in Lib. contra Monothelitas à Baronio infra, num. 148. ab Scortia L. 4. de Sacrificio Missæ Cap. 29. num. 9. S. etiam Anastasius Sinaita supra inquit, * Quid gravius iis, quibus vtimur moribus? Etenim rapinis, sceleribus, peccatorumque multitudine cooperti, tantummodò aqua ablutis manibus, sanctissimum corpus illud, divinumque sanguinem pro salute mundi largiter olim effusum impuri, sordidique ori admovemus * Et post aliqua * Necenim ingredi in Ecclesiam, ac divinas imaginum Sanctorum formas, pretiosasque, ac venerabiles cruces, etiã salutasse, fuerit satis, non frigida manus abluisse. * S. Dorotheus Doctrina 9. de Mendacio habet hæc verba, *Vt verò hunc* (quendam scilicet Monachum) *vidit* (alius) *manus lauantem, & sese ad communionem percipiendam præparantem*, &c. S. Ioannes Chrysostomus Homilia 3. in Epist. ad Ephesios sic alloquitur suos auditores, * Oro te, an voles manibus illotis ad oblationem accedere? Non arbitror; sed malles vtique, potiùs omnino non accedere, quàm sordidis accedere manibus. Quum ergo in modico adeò sis religiosus, audes accedere, & contrectare, cum animam habeas sordidam? Atqui manibus quidem ad tempus cõtinetur; in illam verò totus resolvitur. Cur non vasa vides, ita vndique lota, ita splẽdida? Illis debebãt nobis animę & puriores, & sanctiores, & illustriores esse. Quamobrem? Quoniã illa propter nos talia sunt. Illa nõ sunt participes illius, quem in se habent, non sentiunt illum: nos verò plane. * Sic S. Chrysostomus. Ex quo plura transcripsi, quã quæ necessaria erant ad præsens institutum, quia vtilia ad noscendam antiquã curam munditiei, & splendoris in vasis sacris, reliquoque altaris apparatu.

197 Verumtamen quanquam decens valde sit, Laicos accedere ad communionem ablutis manibus, & facie, vt monuit Franciscus de Lugo Libro 4. Cap. 7. num. 2. & quando secus fiat, si manus, aut facies sint notabiliter sordidæ, excusari ægrè queat à peccato veniali, authoritates adductæ Patrum faciunt parùm, aut nihil ad id comprobandum, nã Patres loquuntur, quando in more erat, vt viris darẽtur in manu, & fœminis in linteamine, seu Dominicali mundissimo species consecratæ panis. Tunc autem potior ratio erat pro manuum ablutione, quàm nunc; sicut modò vrgentior est ratio, vt Sacerdos semel, & iterùm lavet manus ante Missam cœptam, & post eam cœptam ante consecrationem, & communionem, quàm vt Laicus ante hanc. Ideo nulla extat lex scripta circa ablutionem manuum Laici; sed circa Sacerdotis. Agã de hac lege in Disp. 28. De illo autem more antiquo, quem significavi, consulantur Heribertus Rosvveydus in Onomastico ad Vitas Patrum V. *Eucharistiam manu sumere*, pag. 1029. Cerdain Adversarijs C. 81. num. 28. Loaysa in Concilium I. Toletanum pag. 64. Novarinus in Agno Eucharistico Cap. 57. per totum, C. etiam 63. num. 623. C.

C.64. num.625. & 626. Hugo Menardus in Sacramẽtarium S. Gregorij pag. 391. Marcus Antonius Marſilius in Hydragiologia ſect. 2. C. 5. num 33. Melchior Gallegus parte 3. de Parochorum obligatione tempore peſtis, enunciato 1. num. 10. pag. 109. Durantus Lib. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ Cap. 55. num. 17. Baronius anno 57. num. 147. & 148. quos ex innumeris priſcum illum ritum illuſtrãtibus recenſuiſſe ſufficiat.

198 Inſuper fuit moris antiqui, vt *Sacerdos, & Leuita ante altare cõmunicarent, in Choro Clerus, extra Chorum populus*, vt dicitur in Concilio Toletano IV. C. 18. & in Concilio Bracarenſi I. C. 13. *Vt intra ſanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceret Laicis viris, vel mulieribus, niſi tantùm Clericis.* Omitto alia Concilia, quorum Canones alibi afferam agens de communione, quam Eccleſiaſtica antiquitas appellavit Laicam, & de ea, quam peregrinam dixit. Interim videantur Durantus ſupra num. 6. & 7. Loayſa in nota ad C. 16. Concilij Ilerdenſis, Ioannes Antonius de Otalora in Lib. de Irregularitate proveniente ex pœnitentia publica, & ſolemni, ex pag. 165. qui de Canonibus illis cogendis ſoliciti iã fuerunt. Quapropter morem antiquum ſapit, quod præſcribitur in Rituali Romano, *Si Sacerdotibus danda ſit communio, ijs ad gradus altaris genuflexis præbeatur; vel, ſi commodè fieri poteſt, intra ſepimentum altaris ſint à Laicis diſtincti.* Redolet etiam diſciplinam veterem, quod in Regula Præfecti Eccleſiæ Societatis noſtræ dicitur num. 17. *Quando noſtri in templo communicauerint, curet Præfectus, vt id faciant ſeparatim ab extraneis.* Illud itidẽ, quod dicitur in Rit. Rom. verbis exaratis initio Sectionis de virorum, & mulierum ſeparatione, conforme eſt vſui antiquo ſegregandi eos in Eccleſia, de quo Durantus Lib. 1. C. 18. num. 2. & nos, cum de præcepto audiendi Miſſam tractemus.

199 Ad hæc: communicaturis apponebantur tabellæ quædam, ſeu menſulæ, inſtar linteaminum nunc vſitatorum, vt colligitur ex S. Athanaſio in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, & ex S. Chryſoſtomo Homil. 61. ad populum Antiochenum, obſervatque Baronius ſupra num. 146. Ipſi, qui communionem ſumpturi erant, pronunciabant clara voce, *Domine non ſum dignus*, &c. vt tradunt Origines Homilia 5. in diverſos, Euſebius Emiſſenus, ſeu potiùs Gallicanus Homilia 3. in Dominicam poſt Epiphaniam; modò autem alta voce dicitur à Sacerdote ſolo. Qui poſteà addebat, *Corpus Chriſti*, & communicaturi reſpondebant, *Amen*. Ita compertum eſt ex S. Clemente Lib. 8. Conſtitutionum Apoſtol. C. 13. Tertuliano in Lib. de Spectaculis, Concilio Papa apud Euſebium L. 6. Hiſt. Eccleſiaſt. C. 35. & apud Nicephorum L. 6. C. 13. Dionyſio Alexandrino Epiſt. 5. ad Sixtum Papam, S. Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 5. Myſtagogica, S. Leone 1. Sermone 6. de ieiunio ſeptimi menſis, S. Ambroſio de Sacramentis Lib. 4. C. 5. Nunc etiam Sacerdos dicit, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam*, &c. eſtque antiqua deprecatio, vt ex Ioãne Diacono in Vita S. Gregorij, ex Concilio Rhotomagenſi, & ex Alcuino comprobat Gavantus parte 2. in Rub. Miſſalis tit. 10. numero 6. lit. *M*. ſed communicaturi non tenentur reſpondere quidpiam. Olim ſemper fuit, & nunc etiam eſt mos in Eccleſia Dei, Laicos à Sacerdotibus communionem accipere, vt dicitur in Concilio Tridentino Seſ. 13. C. 8. Olim quidem non immediatè in ore, ſicut nunc fit: ſed ad verba Tridentini ſatis eſt acceptio immediata, vel mediata in ore; imò cum eis ſtat, quòd acceptio facta ſit de manu aliorum, quibꝰ Sacerdotes commiſerint, vt de manu Diaconorum, & Laicorum etiam, vrgente gravi neceſsitate. Ita Intelligit Tridẽtini verba Paſqualigus in Doctrina ſacra Morali Diſputatione 108. Sectione 6. num. 28.

200 Poſt communionem porrigitur nunc à Miniſtro vinum, & aqua in vaſe ad purificationem oris, vt dicitur in Rubricis de ritu ſervando, titulo 10. num. 7. Sed hæc regula non eſt ſic intellecta, aut accepta vſu, vt communicantes teneantur ad purificationem ſumendam, ſi iam omnino deglutita ſit formula: tametſi ad maiorẽ ſecuritatẽ non remanentis alicuius particulæ in ore, & ad minorem ſcrupulum in expuendo poſteà, conſultius eſt, ſumere purificationem. Non ſolet pro hac in Hiſpania dari, niſi ſola aqua.

Iacobus

201 Iacobus de Vitriaco in Vita B. Mariæ Oegniacensis L. 1. C. 8. tradit, ipsam post susceptum Christi corpus assueviſſe *pro ablutione sumere vinum.* In S. Brigidæ Virginis Scotæ Vita apud Surium 1. Februarij fit mẽtio de vase, quod Minister Episcopi portabat ad ablutionem post susceptã à S. Brigida Eucharistiam de manu Episcopi. Ioannes Belethus in Explicatione divinorum Officiorum C. 119. scribit, * Statutum est in quibusdam Ecclesijs, & vbique terrarum sic deberet fieri, vt, illo die Pascatis, panis, & vinum in Ecclesia habeatur, & cum omnes cõmunicaverint, detur statim vnicuique panis buccea, priusquàm recedant, & paululùm vini, ne fortè quidpiam de Sacramento in ore remanserit, quod expuendo facilè emitti queat, posset enim facilè contingere, si non statim comederet. Quæ tanè laudata consuetudo omnibus probatur. Sumpsitque originem ex institutione B. Benedicti. Instituit namque vir ille sanctissimus, vt illi, qui alijs fratrib⁹ debent in prãdio post communionem ministrare, aliquid priùs comederent. Atq; hoc quidem prandium mixtum appellari solet. Debent autem singulis diebus Religiosi communicare, qui vel pomum, vel aroma aliquod, vel tale quidpiam saltẽ comedere debent, quod nauseam compescat. * Sic Belethus. Et in C. quidem 38. Regulæ S. Benedicti legitur, *Frater hebdomadarius lector accipiat mixtum, priusquàm incipiat legere, propter communionem sanctam, & ne fortè graue sit, ieiunium sustinere.* Ad quæ verba Smaragdus addit, * Propter communionem sanctam dicit, ne aliquid inde sumptum excreans proijciat in sputo. *

202 S. Ioannes Chrysostomus, vt narrat Palladius Episcopus Helenopolitanus in Dialogo de eius Vita, * Monere consueverat, vt post communionem aut aquam, aut pastillum degustarent, ne contra voluntatem vnà cum saliva, siue pituita quicquam Sacramenti excrearent, ipse priùs id faciens, religionemque piè sentientibus augens. * Tradunt id ipsum Simeon Metaphrastes, & Georgius Alexandrinus in eius Vita, Sozomenus Lib. 8. C. 17. Leo Imperator in Encomio Sancti Chrysostomi.

203 Sed quia hoc in Ecclesia Orientali novum tunc erat, vnum fuit caput accusationum contra S. Ioannem Chrysostomum in conciliabulo cõgregato à Theophilo Antistite Alexandrino, proponiturq; vigesimo octavo loco à Photio in Bibliotheca his verbis Cod. 59. pag. 55. *Quòd in throno exuitur, & induitur, & pastillum comedit.* Ast, vt observat Baronius ad annum Xpi 403. * Certè quidem in Occidentali Ecclesia antiquo vsu in more receptum est, vt post sumptam sacram Eucharistiam ea de causa vinum aqua mistum fideles accipiant, vel aquam puram arbitratu cuiusque; vt ex hoc minimè reprehendendus Ioannes esset. * Ita Baronius. Et fortè C. *Tribus gradibus* 23. de Consecratione Dist. 2. & Cap. 75. in Additione 4. Capitularium Caroli Magni, non loquũtur de potu, vel cibo ad purificationem oris, sed ad finem solummodò bibitionis, vel comestionis prophanæ, seu communis: quanquàm nihil vetat dicere, tempore conditi Canonis illius à S. Clemente Papa non solitos Sacerdotes sacrificantes, neque Laicos communicantes sumere purificationẽ. Et mihi est valde credibile, sumptionẽ purificationis, & ablutionis fuisse quõdam Sacerdotibus liberam, qua scilicet tempestate fas erat ex nõ admodùm vrgentibus causis repetere celebrationẽ, nam si in prima Missa præcesisset purificatio, & ablutio, non maneret Sacerdos expeditus ad secundam. Reviſatur num. 47. Disp 22.

204 Communio ministrabatur olim, vt & nunc satis ordinariè, immediatè post consumptionem à Sacerdote factam. Constat ex Can. *Peracta* 10. de Consecratione Distinct. 2. ex Concilio Toletano IV. C. 18. ex Amalario, & Valafrido apud Gavantum p. 2. in Rubric. Miſ. tit. 10. n. 5. lit. *D.* In Can. illo priùs citato dicitur, *Peracta consecratione omnes communicent*: quod non intellige, quatenus cõmunicaverint antiquitus immmediatè post prolata consecrationis verba supra panem, & vinũ; sumitur ibi consecratio pro tota Liturgia sacra vsque ad consumptionem Sacerdotalẽ. In Rituali Romano habetur, *Communio populi intra Missam, statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quando ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur, nõ solùm*

ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. Quibus in verbis ex orationibus vsitatis antiquissimè ab Ecclesia in fine Missæ, denotantibus, peractam iam fuisse communionem populi, confirmatur quod diximus de tempore dispensandi Eucharistiam fidelib⁹. Vnde monuit Micrologᵘˢ C. 19. * Ante has orationes communicare non negligant, quicumq; earundem orationū benedictione foveri desiderant. * Respexisse videtur ad idem tempus Concilium Tridentinum, cum dixit Sess. 22. C. 6. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiã Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificij fructus vberior proueniret.* Expressit illud tempus Concilium Mediolanense V. titul. de pertinentibus ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, inquiens, *Hoc institutum, quod antiquissimi ritus est, Sacerdos religiosè seruet, vt intra Missarum solemnia, postquàm scilicet sanguinem ipse sumpserit, sacram communionem sumpturis ministret.*

205 Rursus in verbis Ritualis Romani requiritur rationabilis causa, vt quandoque post Missam detur populo communio. In locis, vbi vixi, vix vidi curari de rationabili ea causa; sed potiᵒ pro libito Sacerdotis ministrari Eucharistiam siue intra, siue post Missam; & fortè post ministrari solet frequentissimè, ne interessentes Sacro celebranti in altari, vbi ciborium extat, detineantur diutiùs, expectando conclusionē Missæ interruptę, & prolongatæ per interpositam communionem. Quæ causa pro præsenti sæculo indicatur rationabilis à Gavanto supra; si communicandi sint multi, non autem si pauci. In nostra Societate potest Sacerdos Religiosus dispensare Eucharistiam pro arbitrio suo immediatè post Missam, & ante. Nam Paulus III. Pontifex Maximus in Bulla incipiente, *Cum inter cunctas*, expedita anno 1545. die 3. Iunij concessit facultatem ministrandi Eucharistiã, *Post, seu ante Missarum celebrationem, aut aliàs Xpi fidelibus.* Nec plura de Disput. 27. qua finio secundam partem Tractationis susceptę.

PANEGYRICA GRATIARVM ACTIO IN LAVDEM DIVINI, ATQVE tremendi Sacrificij Missæ

PRO FINE SECVNDÆ PARTIS.

206 PRO EO QVIDEM NON ALIVD Numini gratitudinis obsequium, quàm sublime hoc Sacrificium litavero: olim quippe veteres, si fausta operibus exordia auspicabantur, si prosperè succesſerant acta, primum Sacrificijs laborem impendebant. Vnde Romanus Vates,

Virg. Æneidos 3. *Sacra Dionææ Matri, Diuisque ferebam*
Auspicijs cæptorum operum: superoque nitentem
Cœlicolum Regi mactabam in littore taurum.

Inde

Inde etiam victimæ, quæ suprema erant Sacrificia, immolabantur post devictos hostes, partamque victoriam, vt obseruat S. Isidorus Hispalensis Lib. 6. Originum C. 19. obviaque passim sunt apud profanos exempla. Satis sit designasse illud Æneę, qui circa noctem, interfecto Mecentio,

Virg. Æneid. 11. *Vota Deum primo victor soluebat Eoo.*

Strictissimo itaque beneficij iure pro completa secunda parte pignus tanti Sacrificij nobili adoratione sacrabo; ipsā pariter Numinis Maiestatem perpendens, quid sublimius, quàm Hominem Deum, offerre tentaverim? Pulcherrimè sanè Theophilus apud Stobæum *Sacrificandum Dijs* (inquit) *absque parsimonia.* Non igitur iam taurorum armenta inani religione veteres iactabunt, vbi fœliciſsimo sortis auspicio Incarnatum Deum Deo Optimo, & Maximo offerre mortalium dignitas pacisci tur. Hinc etiam (nostri Sacrificij dixerim vmbram) merum Superis propinare in summo cultu habebatur,

Virg. Æneid. 3. *Tunc Pater Anchises magnum cratera corona*
Induit, impleuitque mero, Diuosque vocauit.

207 Et si nobiliora metiris, racemus ille, quem Caleb, & Iosue deportarunt, nullum iam admirationi magnitudinis, naturæ plausum adaugebit: hæc enim vitis augustissima, *Vua est primitiarum*, Levit. 27. siue, vt LXX. legunt, *Vua sanctificationis*, quæ immarcescibili vernans pulchritudine cœlitus delapsa virescit. Ipsius etiam dulcedinem Deus ipse mortalibus expressit: *Torcular*, (inquit) *calcaui solus.* Efluxere inde delitiarum haustus, quibus tanti Sacrificij opulentiam supremis dapibus, & Cœlesti potu vltra desiderij anxietatem paravit. Accede ergo ad hoc nobilissimum convivium: quod si, inescatus suavite obsonij, paradisum vocaueris, nullum gladium perhorresce: vbi magni consilij Angelus, & munificentia captat, & per suos nuntios invitat, *Venite* (ait Isaias C. 45.) *Emite absque argento, & absque vlla commutatione vinū, & lac.* Vbi divina Sapientia, *immolatis victimis suis, misto vino, & proposita mensa sua, mittit ancillas suas, vt vocent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis. Siquis est paruulus* (dicens) *veniat ad me; & insipientibus loquuta est, venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis; relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ*; quæ sunt Proverbiorum verba C. 9. ex V. 2. Vbi novus Iacob, *Immolatis victimis, vocat fratres suos, vt edant panem*, Genes. 31. V. 54. Vbi melior Ioseph *præcipit dispensatori domus suæ*, scilicet cuivis Sacerdoti, dicens, *Introduc viros domū, & occide victimas, & instrue conuiuium*, Gen. 45. V. 16.

Ad quas sacrificales epulas disertissimè illectãs audiatur S. Fulbertus. *Gusta, & vide, quàm suauis cibus, & pergusta quid sapit. Sapit, ni fallor, cibum illum Angelicum habentem intra se mystici saporis delectamentum, non quod ore discernas, sed quod affectu interiori degustes. Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem, vitæ interioris hominis alimentũ, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum. Sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed de torculari crucis expressum. Gusta, inquam, Cœlestis ferculi suauitatem, sed ne nausees terreni germinis saporem.* Sic Carnotẽsis Antistes in Epistola 1. Olim in festis Diasijs, vt refert Thucydides L. 1. sacrificabantur à plerisque, non victimæ, sed thymata, id est, dulciaria, pistorio opere in animaliũm efformata figuram; sed certẽ comparata cum edulio, quod Christiano populo à Sacerdotibus concinnatur in hoc Sacrificio, absynthia erant, & toxica: quippe hic apparatur fidelibus *incarnatæ Deitatis vitale pulmentum*, vt aiebat S. Fulbertus.

208 Hocce Sacrificium, & qui ex eo reliquus est pro fidelibus cibus, *præcipua salus est* ipsorum, vt dicit S. Epiphanius in Epist. ad Ioannem Hierosolymitanum. Quod explicatiùs tradidit S. Fulbertus supra elegantissimis his verbis, *Quicquid inter homines Deus egit, aut pertulit, causa seruandi humani generis, vtl reparandi gratia fuit: in quo beneficia sua, quæ ab initio dederat, sic semper dilexit, vt, nostris malis licet offensus, pronior semper ad indulgentiam foret, quàm ad vindictam. Indè est, quòd damnationis nostræ proscriptionem, quam primi parentis transgressio miserabiliter in posteros transfuderat, euacuare disponens, carnis nostræ morticinium suscepit, per quam immortalis moriendo captiuitatis nostræ causam soluisset. Inde est, quòd reparatam humanæ originis dignitatẽ sciens semper Diabolum inuidere, & nequitiæ suæ arte quærere, qualiter hominem à sui volũtate Conditoris auerteret, & antiquæ perditioni, si fas esset, obnoxium redderet; defectum nostræ fragilitatis miseratus aduersus quotidianas nostræ prolapsionis offensas, Sacrificij placabilis nobis prouidit expiamenta, vt quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretiũ, paulò post à nostris visibus sublaturus fuerat in Cœlum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus, & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto, corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione, sub visibili creaturæ forma, inuisibiliter virtus secreta in sacris solemnibus operatur.* Hæc Sanctus Fulbertus; longa quidem,

ſed quibus nihil ſolidus, & venuſtius afferri poteſt ad rimandum finem, quem Deus præſtituit mirabili inſtitutioni iſtius Sacrificij, & Sacramenti. De quo proinde S. Odo Abbas Cluniacenſis Libro 2. Collationum Cap. 28. veriſsimè ſcripſit, *Hoc beneficium maius eſt inter omnia bona, quæ hominibus conceſſa ſunt; & hoc eſt, quod Deus maiori charitate mortalibus indulſit, quia in hoc myſterio ſalus mundi tota conſiſtit.*

209 Dediſce iam fatorum iras abhorrere fortunata mortalitas; iam vſque ad invidiam diteſcens, & munifico delitiarum luxu ingentẽ Numinis liberalitatẽ quaſi fatigans. Solers Dei amantis ingenium perpende, qui venantis ritu menti alas explicat, vincit terrarũ ardua, ſuperat nubes, elementorum ſtationes adit, egreſſuſque ſupra ſolem, ac ſydera in extremo Cœli quærit, quid prædetur, ibi prædam ſecundo venatus aucupio æthereis mentibus illam eripit, vt *panem Angelorum manducaret homo.* Ipſius verò aras ſublimiori dignitatis faſtigio adoraturis *vinum germinans Virgines* concedit, vt caſtiſsimis dilectionis nexibus humanam naturam in ſuos amplexus adſtringeret, vt vnico cibo, & potu totius Omnipotentiæ virtutem audaci nimiũm, & ambitioſa liberalitate conſumeret. O ſortem auguſtiſsimam, & iam per ipſa damna proſperrimam! Nos quondam delicatiſsimis cibis deſtinatos fraudaverat voluptas, nunc autem maioribus delitijs excepti auctiorem recipimus primã fatorum fœlicitatem. Adeſte mecum, qui in vnius ferculi delitias totius auri impenditis iacturam. Quovſque inſudabitis gulæ voluptate irrita, nec inter ferculorum nauſeam explente ſitim laceſſitam? Quid vos in vnius patinæ ambitionem vſque ad divitiarum ludibrium fatigatis naturam? Quid Apacij, quid Claudij, quid Vitellij? quid denique cæterorum amentiam ſupergreſſa Cleopatra, dum aurum, gemmas, ipſas quoque pateras vltra mortalium morem, & ſupra fidem inſano non minus hauſtu, quàm ingenio conantur? quid niſi, vt irritarent per damna ſitim? quid Regnorum cenſus? quid Provinciarum tributa in vnius oſtentatione obſonij prodigitis? quid, niſi vt pudendum terris daretis exemplum, quantùm ſumma vitia in ſumma fœlicitate audebunt. Vos ergo, quos inexplebilis voluptatis ardor illudit, ad ditiora fercula ſacrificalia inuito, quæ iam mortalium famem vltra ſatietatem laceſſunt. Sanè ſi totum Deitatis fontẽ vno ore, & hauſtu ebibere audetis, paratæ aventibus delitiæ, quibus impendium eſt vniuerſa Cœlorum opulentia. Vnde verius hic, quod alibi Seneca Lib. 1. de Benef. *Non ſolùm*, inquit, *neceſsitatibus noſtris prouiſum eſt, vſque ad delitias amamur.*

210 Nec verò in hac luce, & epularum lætitia conviuij solùm gaudia commendo; armorum etiam strepitum in Diuino Amore conspicio, qui mitigato prælij terrore per has blanditias mitiori nos telo adoritur: pugnatque non minus victor ingenio, quàm manu. Crudeles, & immanes antiquorum epulas lego, qui mensarum hilaritatem multorum periculo, cædeque fœdabant, & in ipsa voluptate sæui alterno plausu gratulabantur,

Nos olim miscere epulas, spectacula dira
Stat. Silv. 9. *Certantum ferro, & super ipsa cadentum*
Pocula, respersis non pauco sanguine mensis.

Pari dextra, sed maiori exemplo Diuus Amor in nos hodie inter epulas arma expedijt; belloque insidias perpendens nouam prælij imaginem simulatus parauit. Nec verò apertè, sed furtò inter voluptates convivij, ne gens humana fugeret, aut timeret, solerti cõsilio, & ministerio epulum sibi destinavit in prælium, triclinium in castra, mensam in aciem, beneficia in arma, fercula in scuta, pateras in tela, immortalitatem in cædes, salutem in vulnera, nos in prædam; ipsis quoque delitijs pugnans, & parans pace victoriam,

Claud. de nup. Honorij, & Mariæ. *Tibia pro lituis, & pro clangore tubarum*
Molle lyræ, festumque canunt; epulamur ad ipsas
Exuvias, medijs spirant crateres in armis.

Sed mortalium animi in hæc arma Numinis consilium adegere; vt patiantur iam telorum ictus subire, dum grata Dei munificentia non allexit. Adeste igitur venienti ad vos fœlicitati, spem etiam meliorem erigite, si Dei prælijantis vulnera non reluctanti pectore excipere vultis, & pati.

211 Tu verò, Augustissimè Amor, perge, quam hominum saluti inveniſti viam, pugna gratissima explere, perge igneam sagittarum tempestatem immittere; nescio quas à tua dextra delitias accipiunt illæ, & effundunt. Finxit nescio quis Vates non indisertus, Amorem, siuè casu, sivè consilio percussum, iacula, & pharetras nectareo profluentis sanguinis liquore infeciſſe, vt inde disceret mitigata iaculi ferocia suauissimo quodam osculo magis, quàm morsu, non tam ferire, quàm pungere,

Effusis intinxit Amor tunc spicula guttis,
Et dixit, nunc sum fortis, & acer ego.

Aude tu quoque, Diuinissimè Amor, blanditijs non indoctus, in hominum corda tela dividere, quæ ipse Cœlestis sanguinis iactura subijsti. Immitte iacula, vt feriant sine dolore, & vitam dexteribus fatorum auspicijs largiantur. Sanè mens illo teli nectare lacessita

sita amat sua vulnera, & ab hoc ictu gaudet perire.

212 Sed quid, quæso, voluptati nostræ, & vulneribus illudis? Da, osculo reuerenti adoremus dextram illam, quæ occulta in hac niue tot beneficiorum imbres largissimè irrorat; nec patiare, nos ignorare hilaritatem vultus, quo Cœlum, tempestatesque serenas, & dudum nobis per ingentem beneficentiam gratissimè blandiris. Quod vltra desideria nostra, & oculos fraudas facie placidissima? Sed hæc sanè splendidior gratia, ne mens radiorum splendore repercussa ad Solis lumina caligaret. Ingredere ergo, pie Lector, ad hoc lautissimum conuiuiũ eò sacratiùs, quò ex reliquijs Sacrificij, eò altius, quò ambrosia, & nectare corporis, sanguinisque Hominis Dei instructum; & tantam Numinis munificentiam adora. Ego enim ipsius auspicijs peractam secundam partem de diuino, ac tremendo Missæ Sacrificio ad ipsius aras reverenti animo sacravi. Quòd si iuxta Sanctum Gregorium Nazianzenum Oratione 17. Sacrificium Missæ *est sacrosanctum mysterium, atque in Cœlum* homines *attollens*, sperare liceat, fore, vt eius potentissimo subsidio Cœlestes sedes tibi, & mihi pateant; tibi, qui venereris religiosissimè tam sublime Sacrificium, & studiosè perlegas, quæ ad ipsius decus, cultumque diriguntur; mihi, cui & illud est in summo honore, & cui in votis fuit scribere quæ ipsum deceant. Si non sum assequutus, vertatur non tam negligentiæ in consulendis Scripturis sacris, Decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum, effatis Patrum, discursibus Theologorum, & Canonistarum, quàm tenuitati mei captus. Tandem, vt vtar verbis Alberti Magni in fine Libri de Sacramento Eucharistiæ, *Quicquid Lectori in dictis displiceat, parcat simplicitati, quia si non subtiliter, tamen vtiliter multa in eis dicta inveniet.*

CLAVIS MAGISTRI SENTENTIARUM circa eas quęstiones, quę in hac secunda parte discutiuntur.

113 SEX CAVSIS iam à me declaratis tũ in Opere de Eucharistia, tum in priori parte huius Tractationis de Sacrificio Missæ constituo clauem hanc Petri Lombardi, Episcopi Parisiensis, Magistri Sententiarum; de quarum Libris quatuor ait Henricus Gandavensis in Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. 31. esse * Opus magnum, & arduum, & quo vsque hodie vel maximè vtuntur Studia Theologorum, * additurque in Appendice eiusdem Hẽrici

rici. * C. 11. manifeſtum eſſe, Petrũ Lombardum * Patrum ſententias ſanè intellexiſſe, planèque expoſuiſſe. * S. Antoninus 3. p. Hiſt. tit. 18. Cap. 7. poſt relata alia ſcripta Petri Lombardi ſubijcit, * Sed quod magnificentius eſt, ipſe Librum Sententiarum, qui nunc publicè legitur in Scholis, laborioſum certè opus, ex multorum Sanctorũ Patrum dictis vtiliter compilavit. * Eadem ferè habet Vincentius Bellovacẽſis Lib. 29. Speculi Hiſt. C. 1. Nec minori elogio Ioan. Trithemius in Scriptoribus Eccleſ. * Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, vir in Scripturis ſtudioſiſsimus, & nobiliter doctus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio nomen ſuum ſcribendo cum tanta gloria tranſmiſit ad poſteros, vt vſque in hodiernum diem ſuis Opuſculis Theologorũ Schola vbique exercitata ſingulari veneratione Magiſtrum eum nominet, & habeat. * Prætereo alia elogia. Sed non omittam adnotare quod inquit Noſter Antonius Poſſevinus tomo 1. Bibliothecæ ſelectæ Lib. 3. de Studijs Theologiæ Scholaſticę C. 5. * Petrũ Lombardum, cum vidiſſet Theologiã, Græcorũ Patrum libris variè ſparſam, fuſèque tractatam, in vnum autem à Damaſceno quaſi collectam, & certis fuiſſe locis diſtinctam; eius imitatione, collectis Latinorum Patrum, præſertim Auguſtini ſententijs, idem feciſſe vſque adeò præclarè, vt Magiſter Sententiarum diceretur. * Neque item ſilebo, quod ſcribitur à Noſtro Petro Maturo in annotatione ad S. Antoninũ ſupra Cap. 8. * Duodecimo ſæculo Theologia Scholaſtica per Petrum Lõbardum, & Bandinum, & alios fundatur propter ſubtiles Græcorum contra Latinos diſputationes de Trinitate, de proceſsione Spiritus ſancti, Berengarianos, & Petrobuſianos de Sacramentis, Porretanum, & Abaelardum Theologiæ miſcentes Philoſophiam, vt ſubtiliter quæſtiones illæ deciderentur, & amputarentur. *

214 S. Bernardus in Epiſt. 188. ad Epiſcopos, & Cardinales Curiæ loquens de Petro Abaelardo habet quædam verba, quæ Petri Lombardi Libro Sententiarum nonnihil officere iudicabit non nemo, *Legite* (inquit Sanctiſsimus Abbas) *& alium librum, quem dicũt Sententiarum eius, & animaduertite, quanta & ibi ſylueſcant ſegetes ſacrilegiorum, atque errorum*, &c. Vbi S. Bernardus attribuit Sententiarum Librum Abaelardo: qui tamen in Epiſtol. 20. negat, ſcriptum à ſe vnquam fuiſſe Librum Sententiarum. Vnde Andreas Quercetanus in notis ad hiſtoriam calamitatum Abaelardi pag. 1160. affirmat, S. Bernardum affinxiſſe Abaelardo opus Lombardi, diſcipuli ſui iuxta Ioannẽ Cornubienſem in Eulogio. Non aſſentior Quercetano, nam S. Bernardus mittebat Epiſtolam illam anno 1140. Et poſt duos ſubinde annos obijt Abaelardus; cumque Lombardus vixerit vſque ad annum 1164. quo mors eius refertur à Baronio in num. 52. vel vſq; ad 1159. quo deſignatur à Miræo in Scholio ad Henricum Gandavẽſem ſupra, difficile creditu eſt, anno 1140. teri iam manib⁹ opus Lombardi. Quare illud, de quo S. Bernardus, & fuit diverſum, & ab Abaelardo elaboratum, ſed non cum inſcriptione memorata à S. Bernardo, ſi fides vlla præſtanda ſit Abaelardo dicenti, ſe non edidiſſe Librum, qui Sententiarum appellatur. Quo vindicavi Lombardum à ſuſpicione minus bonæ doctrinæ ex cenſura Sãcti Bernardi. Non diffiteor nævos aliquos in Magiſtro collectos à S. Antonino 4. p. Summæ Theologicæ titul. 11. Cap. 8. notatoſque à Pariſienſibus. Nimirùm homo fuit, & Scriptor non Canonicus: *Aliter verò ſapere aliquid, quàm ſe res habet, humana tentatio eſt: in nullo aliter ſapere, quàm ſe res habet, Angelica perfectio eſt*, vt monet S. Auguſtinus L. 2. de Baptiſmo C. 5. Nec illæ maculæ adimunt Lombardo, ne eius nomine tanquàm Magiſtri vniverſalis reſonent Theologorũ Lyceа, nevè ſit Claſsic⁹, probatuſque Author. Vt enim Ambroſius Catherinus Lib. 4. Annotationum contra Caietanũ obſervat agens de SS. Patribus, quorum ſcripta laudavit Eccleſia, * Probatur Sanctorum doctrina, non quia in quovis articulo vera ſit, ac probabilis, ſed quia, ſi ſpectetur in vniverſum, bona eſt, & vtilis, quia plurimas continet veritates, & rectas ſacrarum Scripturarum interpretationes & ad confirmationem verorũ dogmatum, & ſanctorum præceptorum Dei. * Similiter Melchior Canus Libro 7. de Locis Cap. 3. Concluſ. 2. cũ propoſuiſſet obiectionem deſumptam

ex

ex C. *Sancta Romana* 3. Dist. 15. vbi Gelasius Papa recenset Opuscula SS. PP. quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur, inquit, * Quid enim? An hoc agere Gelasius voluit, in veterum libris non esse quicquam erroris? Atqui latere, vt aiunt, laverit, quisquis istuc conetur. Hanc siquidem fœlicitatem Deus in solis diuinis voluminibus inesse voluit, quemadmodùm Augustinus grauissimè, ac verissimè tradidit. Cæteroqui nemo, quantumvis eruditus, & sanctus, non interdum hallucinatur, nō alicubi cæcutit, non quandoque labitur. * Legentur itaque à nobis Patres veteres cum reverentia quidem, sed, vt homines, cum delectu, atque iudicio. Quòd si quis aliter sapit, nec sanis consilijs acquiescit, hic iam nō Sanctorum religione, sed sui ipsius amore capitur; & sub veterum nomine novas opinationes invehere conatur. * Sic Canus. Videantur Abulensis p. 2. Defens. C. 18. & 31. & 82. Alfons. Castrēs. L. 1. adversus Hæreses C. 7. Valentia 2. 2. D. & quæst. 1. punct. 7. §. 41. Non igitur ob illa, quę in Magistro improbantur, decrescat magna, quæ de ipso semper fuit in Scholis Theologicis, existimatio: quanquàm & illa benignis interpretationibus ad sanū, probabilemque sensum inflectere conetur P. Ioannes Martinez de Ripalda, vir optimè meritus de Magistro, & de tota Theologorum natione.

115 Post Magistrum, qui in artem, methodumque redegit Theologiam Scholasticam, magnum hæc accepit incrementum, vividioresque resumpsit vires, conferentibus strenuam suam operam Guilielmo Antisiodorēsi Episcopo in Sūma Theologica, Guilielmo Parisiensi Antistite multis in Libris, Alexandro Alensi in eximia, & copiosissima Theologiæ Summa, Vincētio Bellovacensi in limpidissimo Speculo Doctrinali, atque Morali; sed hi viam, rationemque scribendi diversam servarunt. Subsequuti sunt Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Petrus Tarantasiensis, Vdalricus Argentinensis, Rupertus de Russia, Ægidius Romanus, Richardus de Mediauilla, Ioannes Parisiensis, Ioannes Duns Scotus, Petrus Aureolus, Durandus à S. Portiano, Herveus Natalis, Franciscus Mayro, Guilielmus Ocham, Alvarus Pelagius, Petrus Paludanus, Adamus Goddamus, Ioannes Bacconus, Robertus Holchot, Thomas Argentinensis, Gregorius Ariminensis, alijque ducenti viginti tres, quos in syllabum deducit Antonius Possevinus supra, C. 15. qui omnes seriem Magistri religiosè tenuerunt; multique non modò explicarunt opiniones ipsius, sed & verba, atque apices; plerique autem, concordes quidem in rebus pertinētibus ad fidem Catholicam, & in eis, quæ à SS. PP. vnanimi consensu stabilita erant, in cæteris discordant frequētissimè, suos vnusquisque expromit sensus sine iactantia, refutat alienos sine calumnia, & sine verborum amarulentia. Hinc, subeuntibus temporibus, non sine ingenti Theologiæ amplificatione, nec sine Christianæ Reipublicæ bono publico sunt ortæ famigeratissimæ Scholæ S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Ochami, seu Nominalium, Bacconis, seu Carmelitatum, Ariminensis, seu Augustinianorum. *Regula quidem fidei vna omnino est, sola immobilis, & irreformabilis:: Hac lege fidei manente, cætera iam disciplinæ, & conuersationis admittunt nouitatem correctionis, operāte scilicet, & proficiente vsque in finē gratia Dei. Quale enim est, vt Diabolo semper operante, & adijciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit; cum propterea Paracletum miserit Dominus, vt quoniā humana mediocritas omnia simul capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario Domini Spiritu sancto:: Quæ est Paracleti administratio nisi hæc, quòd disciplina dirigitur, quòd Scripturæ reuelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur?* Quę sunt pulcherrima Tertulliani verba C. 1. de Virginibus velandis. Addo opportunissima alia S. Thomæ in Opusculo 19. parte, & C. 2. fol. 129. columna 3. *Vtilitas communis non solùm debet procurari, vt sit quocumque modo, sed vt sit optimo modo, quo fieri potest. Quantò autem Doctores magis multiplicantur, tantò vtilitas cōmunis, quæ ex doctrina prouenit, magis crescit, quia vni manifestatur, quod alteri nondū notum est. Propter quod dicitur Sapient. 6. Multitudo autem sapientum sanitas est Orbis terrarum.*

116 Cum huc pervenio, non possum non notare quæ scribit quidam Theologus

Theologus modernus in tomi nuper editi de Peccatis Epistola Dedicatoria ad S. Thomam, ✻ Rapis (inquit) vt motrix Intelligentia nostræ sacræ Religionis Cœlestes Orbes, rapis sphærā primam, animam videlicet Superiorū, cuius nutu, & exemplo stellæ inferiores, subditorum scilicet corda, vt à te simul rapiātur, excitātur, & movētur; atq; id demum à te rapti consequimur omnes, vt tuis inhærentes vestigijs ad veritatis braviū securè, & immobiliter pertingamus; nec sicut in alia sydera errantia, nullum habentia præfixum epicyclum, adaptari in nos possit scōma simile illi, quod in Vvitembergensium fidem, pro illorum irrequieta volubilitate, festivè quidam dixit, Quid hoc anno Vvitembergenses credant, scimus, quid anno sequenti credituri sunt, ipsi nesciunt. Hoc igitur morbo, quo non pauci Theologi suis in theorematibus laborant, haud inquinantur, qui ab hac Angelica Intelligentia rapiuntur; ijsdem quippe insistunt polis, eodēq; super axe maioris luminaris cursū indivulsè sequuntur. O nos fœlices, qui rapimur, qui ducimr, qui sequimr, imò qui rapti assequimur, fruimur, delitiamur. ✻ In his verbis mirabile est, vocari sydera errantia, quotquot non sequuntur eundem S. Doctorem, quem Theologus nuperus. Erunt igitur errones tot aliarum Scholarum Principes, quot suprà nominavi, tot etiam, quot sub eorum vexillis merentur. Erit erro Bacconus Carmelitanę familiæ præclarissimus Doctor, & quem ipsa olim Ductorem elegit, nam non modò discrepat passim à S. Thoma, sed in quadraginta, & octo locis eum nominatim impugnat, vt videre est in Matthæi Aquarij Controversijs inter Sanctum Thomam, & cęteros Theologos, ac Philosophos, titulo speciali de Baccono, pag. 142. ad finem Capreoli in 4. Sent. Erit erro Gregorius Ariminensis Augustinianorum nobilissimus quōdam Antesignanus, pro cuius doctrina in nonnullis Academijs constitutę sunt Cathedrę, & in Salmantina eam etiam habuit, quoadvsque Durandus successit ob desideratas in Gregorio disputationes ad 3. & 4. Librum Sent. Sed in 1. & 2. singulis ferè verbis discedit à S. Thoma, quem ab eius obiectionibus Aquarius defendit. Erunt errones Nominales, quorum Cathedra floruit Salmanticę, prælegebaturque modò Marsilius, modo Gabriel Biel; quilibetque ex Nominalibus quantùm differt à Sancti Thomæ placitis, nulli est ignotum, vti nec de Scoto, eiusque selectissima phalange. Cum autem absurdissimum sit vocare erratica sydera hos omnes Theologiæ Summates, infertur, Theologum neotericū debuisse temperare calamum.

117 Sanè in Theologia multi sunt Cœli, multæ in vnoquoque Cœlo stellæ,

Solemque suum sua sydera norunt.

Assistit cuique Cœlo vna Intelligētia, Durandistis Durandus, Scotistis Scotus. Si Scotista servat eundem tenorem opinandi cum alijs suæ Scholę, fixum erit, & inerrans astrum. Hanc Cœlorum, & Intelligentiarum multiplicitatem in Theologia providit Deus suæ Ecclesiæ plures ob causas expensas gravissimè à Tostato in 2. p. Defensorij C. 82. *Et est vna de præcipuis, quia esset nocivum valde, & Ecclesiæ vtilitati, & incrementis contrarium*, si in rebus citra fidem Catholicā, & citra vnanimem SS. PP. consensum proponeretur vnus Doctor, à quo vt à motrice Intelligentia rapiendi essent omnes ad vnum, & in omnibus suis assertis. ✻ Nam quando aliquid tale est (inquit Tostatus) non licet aliquid dubitare de illo, & inquirere, quomodò sit verum, an contrarium suum rationabilius, & verius sit; sed simpliciter assentiri tanquam determinationi, & Apostolicæ fidei. Hoc autem captivat ingenia virorum, & tollit incrementa profectus maioris, cum non liceat eis exercitare se, & maiora inquirere. Et hoc modo doctrina fidei, & monimenta eius contra infideles modicùm pulluiarent. Vtpote si à principio primitivæ Ecclesiæ doctrina Origenis, vel alterius magni Doctoris fuisset tali modo approbata, non licuisset Hieronymo, nec Augustino, nec alijs posteris circa ea, quæ ille tetigisset, aliquid scrutari. Sic etiā nec Augustino contra Hieronymum, nec contra Ambrosium, & alios. Nam si non permissa fuisset libertas ad invicē repugnandi, & veriora inquirendi, nō staret tertia pars operum Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & cæterorum prædecessorum nostrorum, qui doctri-

nis

nis suis illustrauerunt Ecclesiam. Sic autem est circa moderna tempora. Nã & manus Domini non est nunc abreuiata, vt donare non possit coætaneos artis, & florentissima ingenia, sicut & quotidie dat, & vsque ad finem sæculi daturus est, in quibus ampliatur fama, & honor almæ matris Ecclesiæ, & Christianæ Religionis super omnes hominesalud sentientes. * Hactenus Tostatus.

218 In eandem rem insignis est Origenis locus Lib. 3. contra Celsum, cum enim hic inveheretur in Christianorum diuersas opiniones dicens, * postquàm latè sparsi sunt, iterùm, atque iterùm scissos, singulis suas factiones sibi parantibus, & vt in multitudine dissona alios redarguentibus: nec iam quicquam præter nomen commune superesse, si tamen vel hoc præpudore commune relinquitur, reliqua verò aliorum alia instituta esse: * reponit sic Origenes, * Nulla vnquam extitit res magnæ existimationis, & communi vitæ vtilis, quę non in varias sectas discissa sit. Medicinæ namque, quòd ea sit vtilis, ac necessaria humano generi, multaque quæstiones habeat de modo curandi corpora, apud Græcos ex professo plures sectæ inveniuntur, & sicut opinor, etiam apud barbaros, qui Medicinam profitentur. Rursus Philosophia veritatis cognitionem, rectèque viuendi rationem pollicetur, conaturque nos res vtilissimas docere, in multas quæstiones deductas, ideò sectas habet plurimas, quasdam magis, quasdam minus insignes; nec non Iudaismus sectarum materiam præbuit, alijs aliter Mosis, atque Prophetarum sermonem accipientibus. Eodem modo, quia Christiana Religio magnum quiddam, ac venerabile visa est hominibus, non tantùm servili ingenio præditis, sicut Celso videtur, verùm etiam multis Græcorum eruditis, necessariò exortę sunt sectæ, non contentionis, sed inquirendæ veritatis studio: dum omnes admirantur, ac venerantur diuinas Scripturas, sed varij harum intellectus Authores suos habent, vt quisque aliqua probabili ratione ad interpretandum motus est. * Pluribus alijs prosequitur Origenes; sed ea omitto vitandæ prolixitatis causa, vt & multorum Conciliorum, Patrumque catenam, quam reseruo in Libellum de Scholis Theologorum, cui iam pridem allaboro. Prætereunda tamen nunc non est consideratio quædam fundata in Clementina vnica de Summa Trinitate, & fide Catholica, §. *Verùm.* Ibi Clemens V. cum Concilio Viennensi eligit *tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonã, & concordem opinionem* de infusa infantibus in Baptismo gratia habituali, & virtutibus. Non dicit vnius Doctoris moderni Theologię, sed multorum, nempe Magistri, Alexandri Alensis, Alberti Magni, & Sancti Thomæ, vt explicatur in Glossa V. *Sanctorum.* Noluit Clemens V. cum Concilio Viennensi vni tantùm Intelligentiæ attendere, vt ab ea raperetur: consuluit quatuor iuxta Glossam, & crediderim, fuisse ab hac exempli ergo nominatos solos illos quatuor, cũ & de aliorum scriptis, vocęque viua cõsilium sit inquisitum. Nec quatuor illi fuerunt Doctores, quorũ vnus conformarit se ad cunctas opiniones alterius, sed potiùs in quàmplurimis dissiderint, vt sciunt, vel qui mediocriter versati sunt in eorum scriptis.

219 Prætereà in verbis Theologi recentioris tribuitur S. Thomæ, quòd vt Intelligentia motrix rapiat ad sui sequelam. Ego in Principe Doctore alicuius Scholæ laudabilius censerem, quòd alliceret, quàm quòd rapiat, nam raptatio violentiam denotat; vnde Cœlorum, & astrorum motus iudicatur à multis violentus: est autem magis è commendatione alterius, si ipsum sequamur spontanèe, & voluntariè, quàm violentè, & coactè. S. Cyprianus aiebat apud S. Augustinum L. & Cap. 3. de Baptismo contra Donatistas, * Supereſt, vt de hac ipsa re (nõ dum definitá ab Ecclesia, sed in vtramque partem liberè controuersa) quid singuli sentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amoventes. Nec enim quisquam nostrùm Episcopum se Episcoporum constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit. Quãdo habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suę arbitriũ proprium, tãquam iudicari ab alio non

possit,

possit, quomodò nec ipse potest alterum iudicare. ❧ Hæc S. Cyprianus; subijcitque S. Augustinus, *Quid mansuetius? Quid humilius? Nulla nos certè deterret authoritas à quærendo, quid verum sit::: Opinor vtique in his quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt. Nouerat enim, quantam Sacramenti profunditatem tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.*

220 Si S. Thomas raperet Modernum, vt Intelligentia trahit Cœlestes Orbes, non dubitarem de assequuto veritatis bravio securè, & immobiliter, nam raptus ille fieret, quatenus Deus vteretur ministerio S. Thomæ iam beati ad infundendum intellectui Moderni cognitiones, per quas loqueretur cum ipso, & per ipsum; aliũ ego modum rapiẽdi non concipio possibilem, & is, quem dixi, obnoxius nõ est falsitati cognitionum infusarum: sed Deus iuxta prouidentiam ordinariam non concedit S. Thomæ, neque alijs Doctoribus beatitate fruentibus, vt sic moueant sectatores suos. De probabilitate, eaque magna Recentioris in suis assertis anceps haud sum. Non parùm Theologis est, si eam assequantur in illis sententijs, de quibus controvertitur cum alijs Scholis. Id quidem nos docet experientia. Infiniti penè sunt libri, disputationesque vocales in Christiano Orbe pro opinionibus Scholæ Thomisticæ, Scoticæ, aliarũque, vel contra eas; scire vellim, quẽnã hucvsque ex communibus toti Scholæ deserta sit, eoquòd manifestè falsitatis sit convicta argumẽtis cõfectis ab altera Schola? Salmanticæ singulis annis publicè defenduntur innumera theoremata diuersarum Scholarum, & cum accedant ad litterarium certamẽ Theologi permulti ingenioſi, docti, veterani, exercitati in disputando, contendantque totos ingenij, & doctrinæ nervos ad convincendos propugnatores, nunquam audiui vel vnum, qui palinodiam cantarit; discceditur è gymnasio, & tam qui defensarunt, quàm qui contrà argumentati sunt, permanẽt in eisdem opinionibus, sequentique anno illas inculcant, eandemque canunt cantilenã. Quod prudẽti cuique debet esse documento, ne adeò fidat suis elucubrationibus in quæstionibus vltrò, citròque controuersatis, vt apud alios dicat, se assequutum esse veritatem, metamque huius tenere securè, & immobiliter: quicquid sit, an secum gratuletur de fœlicitate sua, fruatur ea, delitiasque in ea faciat; nam non negarim, posse cui apparere certa, quæ alijs videantur incerta. Noui plures, qui contraria via incedant, fuisque de discursibus Theologicis non modica diffidẽtia cruciẽtur, & cum ab alijs vt veri laudantur, vix ipsi quiescunt, veriti, ne tanquam homines errent; & quando maiores halitus capiunt, sistunt in agnoscendis eis vt probabilibus, ingẽtisque beneficij loco habent, si vt similes vero commendentur ab alijs. S. Augustinus relatus Distinct. 9. Cap. *Noli* 3. C. *Negare* 4. C. *Neque quorumlibet* 10. huius videtur fuisse genij. Quibus Canonibus addo quædam verba nõ apposita in Cap. *Ego solis* 5. vbi S. Doctor alloquens S. Hieronymũ inquit, *Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo, prorsus, inquam, non te arbitror, sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc à pia humilitate, & veraci de te metipso cogitatione.* Legantur idem Sanctus Augustinus Lib. 3. de Trinitate C. 1. & Cap. 3. Epist. 102. ad Paulinũ de dono perseuerantiæ Cap. 21. L. 12. de Ciuitate Dei Cap. 7. S. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 8. ad 2. Et de S. Thomæ humilitate (quæ maxima fuit) non persuadet sibi Alfonsus Castrensis L. 1. aduersus Hæreses Cap. 7. voluisse, vt quispiã sic sit addictus suis dictis, quasi in omnib⁹ securè, & immobiliter pertigerit veritatis scopum. Nihil tale de se vnquam dixit S. Thomas. Et quanquam Ioannes Biescas in Apologia pro doctrina S. Doctoris dubio 3. conetur, re apse ita fuisse, cognouisseque certò per scientiam infusam cunctas, quas nõ retractauit, assertiones suas Theologicas, & Philosophicas, cum quæstiones, & articulos resolvat sic, *Respondeo, dicẽdum*; qui est notabilis conatus, estque multò notabilius indicium: tamen libenter admittit, alijs carentibus scientia infusa non apparere nisi vt tantùm probabiles eas omnes.

221 Quòd Neotericus se, & alios suos appellet stellas, conciliabit ipse

ipse cum sancta humilitate in loquendo de se ipso, & ego verissimum esse dicam contenta voce, siue ad lumina virtutum, siue ad litterarum radios convertam oculos. Ast quòd alios non sequentes eundem Doctorem, quem ipse, sed diuersum, vel modò in vna opinione vnum, & modò in alia alium, vocet sydera errantia, ego non video, quo pacto componere possit cum bona de reliquis Scholis existimatione, & cum honoris erga eas officijs debitis saltem ex vrbanitate. Vererer etiam, ne, si syderum errātium nomine Catholicos alios Theologos compellarem, persuaderet sibi malitiosus aliquis, me respexisse ad ea alia, de quibus Beatus Iudas in Epistola Catholica, V. 13. Quanquam & ex metaphora Planetarum posset quis ludere in gratiam illorum Theologorum, nam Planetæ suas habent Intelligentias assistentes potiori, vel æquo iure, quàm stellæ fixę; fulgentissimi sunt, impertiuntur lucem cæteris astris, sunt que maximè necessarij subcœlesti mundo: Subticeo alias singularitates, ne viam aperiam eodem pretio Solem perhibendi, quo alijs Theologis perhibetur à Moderno.

222 Non debuisset istimere illius dicterij prolati in Vvitembergenses accommodationem, quæ fieret à prudenti aliquo viro, consciogue tot illustrium Scholarum; quot florent in Ecclesia Catholica Romana, diuisę in contrarias opiniones; totque Theologorum insignium, quot in eadem Ecclesia emicant, nullius addicti iurare in verba Magistri. Scomma illud directum est in hæreticos Vvitembergenses; neutiquamque potest cadere in Catholicos Theologos constantissimos vsque ad sanguinem In ijs, in quibus inconstantissimi erant Vvitembergenses. Audiatur Bellarminus tomo 2. Libro quarto de Notis Ecclesię Cap. 10. cum enim hæretici excusarent discordias suas in doctrinis dogmaticis exemplo Thomistarum, Scotistarum, & similium Theologorum Ecclesiæ Romanæ, respondet sic sapientissimè; * Ad tertium dico, Thomistas, & Scotistas non dissentire nisi in his rebus, quæ ad fidem non pertinent, vt Beatus Augustinus dicit de dissensionibus Doctorum sui temporis ::: & præterea semper subijciunt se, & sua Ecclesiæ definitioni omnes Catholici. Proinde etsi verbis interdum pugnare videantur, re tamen ipsa in rebus fidei omnes conueniunt, cum omnes id vnum credere se profiteantur, quod in Ecclesia Catholica Romana credendum esse iudicatum fuerit. At hæretici de rebus fidei præcipuis dissentiunt, & vnus habet alium pro hæretico, & tamē eundem Lutherum patrem agnoscunt. * Sic Bellarminus, cui consonat Canus Lib. 7. de Locis Cap. 3. adducens etiam Sancti Augustini verba hęc, *Inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage, non consonant, & vnus alio de vna re melius dicit, & verius.* Ex quibus liquidò constat, adaptari minimè posse in Theologos Catholicos, non eiusdem consilij, ac Modernus, scomma, quo Vvitembergenses hæretici fuere præstricti. Præterquàm quòd Theologicæ aliæ Scholæ solent valde firmę persistere in opinionibus suorum Coriphæorum. Exemplo sit Scotica, quæ post tot argumentorum machinas contortas contra eam à Thomistica,

Non magis incæpto vultum sermone mouetur,
Quàm si dura silex, aut sicet Marpesia cautes.

223 Et siue in Scotica, siue in quauis alia Schola aliqui Theologi, rebus melius perspectis, mutauerint priorem mentem circa vnam, aut alteram quæstionem, non ob id reprehendendi sunt, vt neque Sanctus Augustinus, Sanctus Thomas, Cardinalis Bellarminus, & alij Doctores celeberrimi in Ecclesia Dei, quos notum est retractasse multa ex ijs, quę scripserant. Nimirùm *quantumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non egeat, dum vivit*, vt ait Sanctus Ambrosius Libro, & Capite primo Officiorum, & vt Sanctus Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de vita Clericorum, * Senectus ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Vnde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum, expletis centum, & septem annis, se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quòd tunc egrederetur è vita, quando sapere cœpisset. * Lege sis Sanctum Thomam in 4.

Distinct. 4. quæst. 1. art. 3. & nunc auscultа sapientissimum Canum in proœmio ad Lib. 12. de Locis, * Illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione cõstricti, vt Fabij verbis vtar, nefas ducunt à susceptа semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cuiusquam iurare leges. Maius enim est opus, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quàm vt Magistri debeat vestigijs semper insistere: siquidem est futurus Theologiæ laude perfectus. * Hactenus Canus: Non igitur laborant, neque inquinantur morbo in suis theorematibus, qui in grandiori ætate, rebus prudentiùs, diligentiùsque meditatis, secundum consilium primo præferunt.

224 Si quispiam sit Theologus, qui in suis theorematibus eodem tempore editis non seruet consequentiam, is aut nomine solo erit Theologus, aut inconsequentiæ vitium non erit tribuendum Scholę, sed inopiæ suę mentis. Rursus si in aliquo sapientum hominum cœtu vnus vnam opinionem teneat, & alius aliam, idquidem inter duos erit varietas opinandi, non tamen vnius, eiusdemque inconstantia. Et à varietate illa qui cœtus est liber? Thomistæ passim discordant in multis quæstionibus ob diuersum modum interpretandi Sanctum Thomam, & circa ea, quæ ille omisit tractare, aut non nisi subobscurè indicavit, diuiduntur in aduersas partes; quòd si in conclusione conveniant, discrepant tamen in ratione eius defensandæ, & quam efficacem hic putat, ille censet inefficacem. Idem de Scotistis dictũ volo, & de alijs Scholis; atque ita experimur in disputationibus publicis, & in libris; fierique potest, *Vt inter charissimos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen charitas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quæ debetur amicitiæ, siue illud verum sit, quod contradicitur, siue corde veraci, qualecumque sit, dicitur, non retinendo in mente, quod differ à labijs*, vt nos edocet Sanctus Augustinus in Epistola 16. ad Sanctum Hieronymum. Inter Patres Carmelitas Discalceatos Daniel à S. Iosepho tomo 1. in Summam Theologicam S. Thomę D. 24. per 9. Cap. probat Scientiam Mediam; in quo puncto, & in alijs dissidet magis à Recentioribus Hispanis sui Ordinis, quam Scotista quivis à Thomista; & vt pergant scribere ex animi sententia, discolores ampliùs erunt. Si abstit præfata varietas, frigebit exercitium litterarum; & disputationes erunt imaginariæ, atque adumbratæ, instarque contentionis pro laterculo initæ à duobus illis Monachis, de quibus in Vitis Patrum. Et alioqui, confecto vno libro, qui sit velut præfixus epicyclus, intra quem omnes sine varietate moueantur, deponenda erit cura studendi, scribendi, progrediendique vlteriùs in inuestigatione veritatis. Si alicubi id fieri oporteat, meum non est iudicare; possum tamen certò asserere, non expedire vbilibet; & de Græcia dixit Tullius in L. 2. quæstionum Tusculanarum, *Tanto in honore Philosophia nunquam ibi fuisset, nisi doctissimis contentionibus, dissensionibusque viguisset.*

225 Atque hinc colligitur, varietatem inter multos, nouitatemvè opinandi, aut cupiditatem extumulandi sententias aliquas veteres, vel reuocandi eas è solitudine in conuenticula sapientum, non esse temerè damnandam, configendamque lethali, & funesto Senatus consulto, neque vniuersè decernendum contra cogitationes siue recentes, siue antiquas redintegratas. Prudenti Theologo præ oculis debet esse monitio illa Melchioris Cani Lib. 8. de locis, Capite 5. * Principiò Theologos omnes admonitos esse velim, vt sepositis non affectibus modò, sed opinionum etiam præiudicijs, de causis fidei, prudenter, grauiterque decernant. Non enim si quidpiam in Schola bonis etiam temporibus inueterauit, mox fidei dogma existimandum est. Sunt autem nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus à principio sunt imbuti, de rebus grauissimis sententiam ferunt temeritate quadam sine iudicio, repentino quasi vento incitati: quæ longè alia esset, si iudicio considerate, constanterque lata fuisset. Hi autem in eo primùm errant, quòd Scholæ opiniones à certis, constantibusque decretis non separant. Deinde errant in eo, quòd duo rerum genera confundunt, vnum quidem earum, quæ ad religionem attinent, ea-

rum

rum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem. At si Sanctorum veterum consensio, vt Libro superiore definitum est; non in omnibus legis quæstionibus sequenda nobis, & tenenda est, sed solùm in fidei regula; nec quæuis illorum etiam in re graui communis opinio fideles adstringit, sed firmũ, constansque iudicium: ecquid de recentioribus Scholæ Theologis dicere oportet, quos veteres illi longè & vitę merito, & Scripturarum vsu, & authoritatis pondere superarunt. * Ita Canus facundissimè, & cordatissimè. Qui rursus Lib. 12. Cap. 5. repetit instructionem eandem, * Cum vniscuiusque genus quæstionis diligẽter investigandum sit, tum illud maximè, an præter fidem illa sit, an potiùs ad fidem, religionemque pertineat? Cum his porrò, qui in fidei quæstione errant, velis, equisque, vt dicitur, decertandum est: cum alijs verò, qui de his controuersantur, in quibus, salua fide, decipi, errare, labi homines possunt, pugnare quidem, quod alias monui, Theologi & possunt, & quandoque etiam debent, sed cruenta pugna illis omnino interdicta est. Quàm ridiculum est enim, nervos omnes corporis, & animi intendere in ea quæstione soluenda, cuius inscientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? * Sic Canus, qui iustè à Nostro Sfortia Pallavicino Cap. 28. Vindicationum Societatis hoc elogio commendatur, * Theologus euoluti sæculi pererauditus, doctrina pariter, atque ingenio præstans, fama magnus, re maior:::: Qui aureo planè volumine tractationem de Locis Theologicis ante omnes, supra omnes est executus; idemque primus fuit, reor, qui docuerit, & quod minus est, Latinam linguam in Lycæo diuina effari, & quod maximum, Catholicos nouatoribus bellum, & cladem inferre. *

226 Si traditum à Cano documentum obseruetur, multa in disputationibus publicis, & in libris iurgia cessabunt, abstinebitur à censuris immoderatis, confligetur in gymnasijs sine dolore, & in voluminibus sine offensione: quo fiet, vt pacatè discussis quæstionibus veritas magis exploretur, & deprehendatur. Quando nec fides, nec pietas læditur ex Commagistri opinione, pluris habenda est charitas, & pax, imò & sola comitas, quàm priuatus tuus sensus. Dissere aduersus eam siue voce, siue scripto subtiliter, nervosè, doctè; sed non pugna quasi pro aris, & focis, non obstrigilla quasi contra doctrinam heterodoxam. Theologia crevit varietate opinionum; & quandiu litteræ durabunt, velle suum cuique erit, nec voto viuetur vno: frustrà conaberis, trahere omnes alios ad tuas sententias, cogereve, vt sacramentum dicant tuæ Scholæ.

227 Canus priori loco profert in specimen nonnullas quæstiones, in quibus siue vnum, siue aliud teneatur, parcendum sit censuris de improbabilitate. Ego duas adijciam. Prima sit, an Adamus conditus fuerit cum viginti quinque costis, quarum redundantem vnam ademerit Deus ad formationem Euæ; vel potiùs cum viginti quatuor, quarum vna sit ablata ad prædictam formationem, & loco eius, altera denuò producta, reposita sit in corpore Adami? Prior pars defenditur quidem à Sancto Thoma, ab Abulensi, Lyra, & alijs; indicaturque à Sancto Augustino. Posteriorem tuentur Albertus Magnus in Summa Theologiæ, Ambrosius Catherinus cum antiquiori quodam innominato, Petrus Vincentius de Marcilla, Benedictus Pererius, Guilielmus Estius, Martinus Delrius, Benedictus Fernandez, Stephanus Menochius, Dionysius Petavius, Angelus Montepulosus, Rodericus de Arriaga, Antonius de Escobar; innuuntque eam Sanctus Gaudentius apud Sherlogum tomo 3. in Cantica Vestigatione 34. numero 53. & Hugo Victorinus, apud Guilielmum Estium tomo 2. in Librũ Sentent. folio 184. fatenturque probabilem Suarez, Valentia, Cornelius, Bonfrerius, Granadus, Martinonus, Torniellus, Thomas del Bene, Ignatius Derchennis, & pleriq; alij. Hac in q. si sequaris priorẽ partẽ, improbabilitatis nota non inuras posteriorem, cuius latus tegunt tot insignes Theologi, præclarique Interpretes Biblici; cuius cum textu Scripturæ sacræ nulla est dissonantia; & cui rationes satis congruæ adstant; nullumque ex ea periculum imminet in fide Catholica, probisve

moribus, quin potiùs iudicio Hugonis Victorini, Petavij, Marini Mersennij parùm interest, vtram amplectaris, nihilque cogit ad vnam præ alia.

228 Si dicas, posteriorem esse contra SS. PP. Respondebitur, non adhiberi fidem his generalitatibus, nisi producantur SS. PP. sæpe namque contingit, vt in communi allegentur illi, & appensis eorum testimonijs aut nullus, aut vnus solus, vel alter faueat. Si reclames, esse saltem contra Sanctum Augustinum. Occurretur, Sanctum Doctorem non esse expressè contrarium; vel si sit (quod nollet posterioris partis propugnator) ideo non asseri vt certam, sed tantùm vt probabilem. Suaderem ego arguenti, vt hic sisteret, cum authoritati tanti Doctoris sobriè, & religiosè sit prospectum: si vltrà procedatur, & vrgere ab authoritate arguens non desistat, redigetur propugnator in tales angustias, vt invitus prorrumpat in id, quod à se dictum refert Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. 1. de Regula Sãcti Benedicti ad finem, cum enim defendisset adhærens Sancto Hilario, Christum in postrema cœna non impertijsse ludę Eucharistiam, & contrà quidam sæpe instaret authoritate S. Augustini, *Eius rei necessitas me compulit* (inquit Rupertus) *vt dicerem, non esse in Canone scripta Beati Augustini, non esse illi per omnia confidendum, sicut libris Canonicis. At illi me ex hoc diffamare cœperunt tanquam hæreticum, qui dixissem, non esse in Canone Beatum Augustinum. Sed Beatus Hilarius taliter me defendit, vt sine illo non possem iudicari hæreticus.* Sic Rupertus. Et quidẽ si deveniatur in has verborum rixas, quid de cætero timẽdum sit, nemo non videt.

Tollitur è medio sapientia, vi geritur res,
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt ———————

vt canebat Ennius. Evitabit autem has de vnius, aut alterius Sancti Patris, vel Doctoris authoritate contentiones, qui attentas, morigeraque aures præstiterit Gabrieli Pennotto Canonico Regulari Augustiniano Congregationis Lateranensis in Propugnaculo humanæ libertatis Lib. 5. Cap. 16. numero 5. dicenti, ✲ Hæc omnia ideo adnotaui, non vt doctrinæ Sanctissimi Patris Augustini detraham ::: sed ne quis doctrinæ Augustini adeò studiosus esse velit, vt arbitretur, omnem sententiam ex libris Augustini excerptam facere authoritatem insolubilẽ, tanquam si esset ex libris sacræ Scripturæ: quæ nimia est religiositas contrà diuinam Scripturam, cuius solius est facere authoritatem irrefragabilem iuxta illud Diui Pauli ad Romanos Cap. 3. dicentis, *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris.* Et certè, si veræ essent istæ loquutiones, & propositiones, quæ nonnumquam à sciolis in publicis cathedris, & congressibus iactitantur, & venditantur, *Quidquid dixit Augustinus, quidquid dixit Diuus Thomas, quidquid dixit Scotus, benè dixit:* intelligere non valeo, quæ esset doctrina sacræ Scripturę præ doctrinis hominum eminentia, & qua ratione Deus in sermonibus suis homini comparatus iustificaretur, & vinceret. Est etiam contra ipsum Augustinum ista animia religiositas, qui quantam authoritatem adhiberi velit suis scriptis, satis apertè indicat in libro de bono perseuerantię Cap. 22. & 23. & in Libro de natura & gratia, vbi dicit, se solis diuinis Scripturis Canonicis authoritatem irrefragabilem adhibere, & in reliquis velle liberum esse. Putò igitur, Augustinum, & alios Diuos non ficta, sed vera, & solida laude colendos esse, & laudandos; non autem nostris mendacijs, & adulationibus egere, aut delectari. ✲

229 Altera quæstio sit, an anima Christi intelligat, & amet formaliter per scientiam, & amorem increatum, saltemque an repugnet id de potentia Dei absoluta? Sententia negatiua communissima est inter Theologos, qui eam probant ex Leone Papa in 6. Synodo Generali Act. 17. ex Agathone Papa in eadem Synodo, Act. 4. cuius vtriusque Pontificis verbis similia leguntur in Concilijs Ephesino, Lateranensi, Toletano 4. & 16: ex dictis SS. PP. frequenter asserentium, non posse esse operationem vnam, vbi est substantia diuersa: ex cuiusdam Epi-

sco-

piscopi Nazaræni in Concilio Basiliēsi (quoad id approbato à Martino V.) Sess. 22. condemnatione ob assertam in anima Christi tam claram, & intensam visionem Dei, quàm est in ipso Deo: ex compluribus rationibus Theologicis eò tendentibus, vt nedum actu, sed nec de possibili etiam creatus intellectus, & voluntas cognoscere, & velle valeat per intellectionem, & volitionem increatam: quibus accedunt argumenta satis vulgata, & nota ab authoritate, & ratione, ne visio, fruitioque diuina, qua Deus se ipsum videt, & se ipso fruitur, sit, imò nec possit esse beatitudo formalis Angelorum, & animarum. Nihilominus sententia affirmatiua nec olim fuit destituta patronis spectabilibus, Hugone de S. Victore, Ioanne de Ripa, innominatisque nonnullis apud S. Bonaventuram, alijsque apud Gregorium Ariminensem attestantem de eius in Parisiensi Academia defensione publica, nec nunc caret tutelaribus acutis, doctis, & eruditis; qui eam muniunt non languidis argumentis, conanturque retardare impetum illorum, quib⁹ in eam irruitur communiter.

230 Si neganti parti subscribas, prudentiæ erit non percellere grauioris cēsuræ virgula affirmantem, cum Ægidius Lusitanus, Nicolaus Ysambertus, Petrus Cornejus, Angelus Montepilosus, Franciscus Felix, Ioannes Prudentius, Franciscus Suarez, Leonardus Lessius, Rodericus Arriaga, & alij, exquisitè libratis Scripturæ diuinæ, Summorum Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. testimonijs, pronuncient, non posse inde damnari, nec redargui, si in anima Christi concedatur scientia, & volitio creata, vti Catholicè admittitur à præfatis Neotericis. Quòd si obijcias, esse saltem contra Theologos. Præstò est responsio, non esse contra omnes; & licet aliqui non loquuti sint benignè de ea; ast ab alijs deterſa est censuræ severioris macula, quam priores intulerunt; & vtrique probabiliter. Nec nouum est, vt temporum decursu, & infatigabili Theologorum labore in examinandis difficultatibus, noscantur vt probabiles sententiæ, quæ antea vt improbabiles habebantur. Possem comprobare id compluribus exemplis. Audi vnum. Dominicus Sotus ex primis fuit, qui in publica luce affirmauit, citra peccatū lethale esse, si Sacerdos Sacrum faceret, vltrò nō recitatis antea Matutinis horis Canonicis. Paulò post, nēpe anno 1568. Antonius Rubius Franciscanus sapientissimus in Assertionibus Catholicis contra Erasmum Lib. 5 Errore 9. fol. 145. sic censuit, & scripsit de opinione Soti, * Qui hanc rem in dubium vertunt, profectò nodum, vt aiunt, in scirpo quærunt. Quis enim vnquam ambegit, peccatum esse mortale, Missam, dici Matutino Officio, Laudibusque non dictis? Et fol. 146. Qua in re non possum non succensere vehementer Segobiēsi, alioqui doctissimo, qui contra prædictos Authores docuit, non esse peccatum mortale celebrare, antequàm Matutinum Officium persoluatur. Dicamus illi, quod est apud Comicū, vnde noua hæc tibi successit religio, vt benè credas eum facere, qui Missam dicit, antequàm Matutinum Officium persolvatur? Horrescunt Christianę, piæque aures hanc nouam opinionem audire. Quare ab Scholis explodendam, atque è medio Catholicorum tollendam esse, prǫmonere hic volui. * Hæc vir eminentis litteraturæ, quę si nunc à me dicerentur, luberer meritò, nauigare Anticyras, aut inde adsportato multo helleboro indigerem ad sanitatem mentis recuperandam, quandoquidem opinio Soti iam iudicetur probabilissima, sitque nunc ferè omnium, & in consuetudinem veniat. Hinc doctissimus, & acutissimus Ioannes Lalemandet ex Minimorum Ordine clarissimo in Cursu Philosophico D. 4. de Corpore physico, partitione 4. clypeo 3. num. 12. pagina 396. cum aduersus opinionem quandam, cuius probabilitatem promouere intendit, producti fuissent triginta Theologi, pluresque, qui eam damnabant vt hęreticam, vt contrariam Scripturę sacræ, vt erroneam, saltemque vt errori vicinam, inquit * Sed esto opinio contraria fuerit communis inter Theologos tempore Authorum à R. P. Raynaudo citatorum, & hoc propter authoritatem præstantissimorum Theologorum: attamen non est infallibile indicium, quòd sit magis vera. Ordinariè enim opiniones sequuntur in Scholis cursum communem,

nem, qui introductus est propter authoritatē potiùs aliquorum Doctorum, quàm ob aliquam firmam rationem. Quanto enim tempore recepta est apud Scholasticos vt magis vera opinio D. Thomæ de Conceptione B. Virginis? attamen nunc ne quidē vnus Thomista eam docere auderet. Quantis clamoribus contra eruditissimum Molinam quoad suam de gratia efficaci, scientiaque media sententiam actum est; ita vt res ad Sedis Apostolicę iudiciū bis fuerit delata, teste Lessio in Dedicatione Opusculi de gratia efficaci? His tamen non obstantibus altas iecit radices Molinistica opinio; Thomistica verò prædeterminatio iam dormitat etiam in eorum Scholis. * Sic Lalemandetus. Si denique opponas, affirmantem opinionem impeti validissimis rationibus, quibus de implicatione contradictionis convincitur. Dicetur, circumferri quidem plures scitè, & argutè cogitatas, sed inter eas nullam, quæ consentientibus omnium calculis rem conficiat; quam enim rationem is instruit, atque excolit, alter destruit, & exarmat; pendentque huiusmodi argumenta ex principijs, quæ, cū in vna Schola sint sancta, & rata, in alia minimè recipiuntur. Quid in Thomistica solemnius, magisque alta mente repostum, quàm per intellectionem ab extrinseco advenientem non posse intellectum reddi intelligentem: quo ex principio subinfertur repugnantia in eo, quòd anima Christi cognoscat per scientiam increatam? Ast hoc principium in Schola Scotica nullam habet fidem.

231 Hactenus ex occasione verborum Theologi Moderni contra alios, qui non eiusdem Scholæ sunt, ac ipse. Per me laudet Sāctum Thomam, Scholamque Thomisticam; nullumq; encomium tantum erit, quod non sit longè infra merita, quodque non arridebit mihi, affecto Impensè erga doctrinam Angelici Præceptoris, & versato in ea, quantùm per exiguitatem meam potui: quanquam fatear, me nō tarò intelligere Sanctum Doctorem in diuerso sensu, ac interpretantur alij, qui honorifico Thomistarum censentur nomine; simulque ingenuè dico, me non ita esse astrictum S. Thomæ, vt omni prorsus in re mihi illicitum putem ab eo recedere, & accedere ad alium Doctorem, salua reuerentia debita S. Thomæ, & promerita gratia cæterarum Scholarum, si verum sit illud Senecę, *Sententiam si quis vnius semper sequitur, nonne iniuriam infert cæteris?* Quod igitur in Theologo nupero displicuit mihi, & de quo cum eo expostulandum censui, est illud de Theologis aliarum Scholarum murmurillum. Vt autem ipsorum existimationi, & statui dignitatis illæsæ consulerem, opportunus visus est locus in ingressu ad clauem Magistri Sententiarum, Principis, Ductorisque Theologorum omnium, & ex quo in Ecclesia Catholica tot nobilissimæ Scholæ originem trahunt.

232 Age iam, & appingamus loca Magistri, ad quę reuocari possunt nonnullæ quęstiones à nobis discussæ in hac secunda parte. Magister in 4. Distinct. 7. agit de Sacramento confirmationis, & in littera A. seu §. 1. de forma, materia, & Ministro illius. Nos de materia aliquid diximus Disput. 26. n. 128. & de Ministro D. 23. n. 40. D. 27. n. 49. & 67.

233 Magister Distinct. 8. littera C. seu §. 3. tractat de ieiunio, quòd præcedere debet ad sumptionem Eucharistiæ. Nos Disput. 22. sect. 4. attingimus multa, quibus Magistri doctrina exornari potest; & num. 47. eiusdem Disput. necnon num. 203. Disput. 27. adducimus singularia aliqua circa ieiunium olim seruatum per aliquod tempus post sumptam Eucharistiam.

234 Magister Distinct. 12. litt. F. seu §. 6. lit. H. seu §. 8. delibat nonnihil de frequentia communionis. Nos D. 19. tradimus complura ad eam spectantia; & speciatim oportebit legere, quæ scripsimus ex n. 131. vsq; ad finē Disp. Rursus lit. G. seu §. 7. habet sermonem de Eucharistia, vt est Sacrificium, vbi interpres pasis velis potest tractare de omnibus, quæ à nobis latissimè sunt examinata in hac secunda parte.

235 Magister Dist. 13. lit. A. seu §. 1. quærit, an hæretici, & excommunicati conficiant Sacramentum Eucharistiæ? Cui quæstioni adiungi potest hęc (de qua ego in D. 27. n. 172.) an præfati consecrent, aut benedicant valide

validè vasa altaris, aut vestimenta Sacerdotalia? Item alia (de qua ego in D. 23. ex n. 36.) num saltem polluant ea per consecrationem, aut benedictionē?

236 Magister Dist. 24. agit de Ordinibus Ecclesiasticis; & in lit. *B.* seu §. 2. de corona Clericorum; nos etiam de ea loquimur D. 27. num. 30. & 31. Rursus Magister in lit. *F.* seu §. 6. & seqq. tractat de Acolythis, de Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, Episcopis; ibique de materijs, quæ præbētur ipsis in Ordinatione. Faciunt ad hūc Magistri locum scripta à nobis D. 26. S. 7. Et pro lit. *G.* seu §. 7. de Subdiaconis, vbi dicitur de vasis sacris, deseruit tota D. 26. cumque ibidem sermo sit de lavandis Corporalibus, pallis, & subtratorijs à Subdiaconis, valde conducunt, quæ docui D. 25. Sect. 2. Pro lit. *H.* seu §. 8. vbi de Diaconis, & de vestibus ipsorum in ministerio altaris, erit vtilis tota D. 27. Pro lit. autem *I.* seu §. 9. vbi de Presbyteris, totum ferè Opus nostrum confert, & quæ proximè adnotavimus, siquidem Magister agat ibi de vasis sacris, de vestimentis Sacerdotalibus. In fine §. tractat de Subdiaconorum institutione: quam nos expendimus D. 25. num. 21. Et notetur, Magistrū expresè favere nobis in doctrina principali eius numeri, ait enim, pertinere ad Subdiaconos, *Lauare Corporales, pallas, & subtratoria.* In lit. *M.* seu §. 11. interserit quidpiam de pileo Sacerdotum Gentilium; nos D. 27. S. 2. aliquid attigimus de pileo Sacerdotum Christianorum.

237 Magister Dist. 25. fatuō de Ordinatis ab Hæreticis. Pro qua Distinct. operæpretium erit videre quæ circa Dist. 13. Et hęc de punctis, in quibus præluxit nobis Magister. Plura adiumenta præbuit S. Thomas 3. p. in articulo 10. quæst. 82. & in art. 2. & 3. quæst. 83. qui tres tantùm articuli explicantur in hac secunda parte. Si Deo gratus sit noster labor, & non inutilis ad cultum tanti Sacrificij, ad obsequiumque sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, declarabimus in tertia parte reliquos Sancti Thomæ articulos pertinentes ad hoc Sacrificium.

FAMILIARIS EPISTOLA

AVTHORIS AD LITTERATISSIMOS DOCTORES

Salmanticenses D. D. Ioannem Rodriguez Armenteros, D. D. Emmanuelem Gonzalez Tellez meritissimos Antecessores, alterum Primariæ, alterum Vesperariæ Cathedræ Canonum cum Indice eorum, qui in hac secunda parte expenduntur, & exponuntur.

238 MORIS nonnullis est (Selectissimū par Professorum Iuris Canonici) ambire Epistolas amicorū doctrina, & celebritate nominis præstantium, quas præfigāt libris suis edendis in lucem, siue vt victrices, & laureatas, nunciantesque lęta Lectoribus, siue vt commendatitias librorum, siue vt venditionis syngra-

phas, siue vt olentes Platonium nectar, suavitatemque ambrosiæ aspirantes in Authorum laudibus. Quem ego si morem sequerer, non ab alijs, quam à vobis has litteras peterem ob arctissimam amicitiam, qua iam olim sumus coniuncti, & ob præclarissimam existimationem, quam de peritia vestra non modò in Academia Salmanticensi, sed vbique Hispaniarum concipiunt, & deprædicant omnes, quot quot litteras norunt. Vos enim inter Academicos

sacræ

ſacræ Iuriſprudentiæ Antiſtites grandius attollit nomen, auguſtior apex inſignit; eaque vos fatorum indulgentia excepit, quæ non larga vtcumque manu, ſed plenis imbribus animorum decora impluerit; florida vſque adeò, & ſplendida, vt eminere poſſent, niſi inter paria ſuſpicerētur. Conſulis? Themin ibi, Trophonij, ſpiracula, Pompilij Ægeriam, ſacratioreſque Dodonæis alites vtrumque inſediſſe comperies. Pergis, & in omnigenam eruditionem avidus ſcrutator inquiris? Evolutam tibi Bibliothecam credis, nihilque tam abſtruſum, quod mentis acie non adierint, nihil tam alienum, & diſsitum, quod complexi non fuerint,

Sidon. Apollinar. *Quidquid laudatum eſt Scythicis Anacharſis in arvis,*
Quidquid legifero depromit Sparta Lycurgo,
Quidquid Eriſthais Cynicorum turba volutat
Gymnaſijs imitata tuos, Epicure, ſodales,
Quidquid Pythagoras, Democritus, Heraclitus
Defleuit, riſit, tacuit.

Quòd ſi miſcere iuvat verba, per alternamque ſermonum ſeriem argumētum deducere? Mella loqui, & favos, Hyblam ſpirare, labriſque ſubemicantem Suadam lepido voluptatum lenocinio audientis animum paſcere lætabundus percipies. Atque ex hinc ortum duces, quòd ad eorum Scholas Salmanticenſia (quanta ſunt) involent apum examina, roſcidos captura thymos: hinc quòd & Commilitones cultus ipſorum tangat, & adoratio: indidemq; ſi meo libro conſpiceres appenſa concinnata ab eis elogia, illicium potentiſſimum eſſet ad illius lectionem.

239 Aſt ego, etſi vino parùm vendibili quantùm profit hedera, non Ignorem, tam abiectè de meis ſcriptiūculis ſentio, vt non laudem, ſed veniam ſperare auſim ab hominibus primi ordinis litterarij, quales vos eſtis. Commendaſtis quidem voce, & lecturis publicis provulgatam à me nuper primam partem Tractationis de Sacrificio Miſſæ; & quanuis eam *talem neſcirem, qualem ſuis carminibus veſtra prædicabat benevolentia, non tamen ingratus eſſe debui. Quoniam hoc facit dilectionis abundantia; ſæpe enim ſolet dilector dilecti vitia aut non ſentire, aut leuia iudicare: bona verò, quæ non ſunt, opinari; & quæ ſunt, exaggerare. Quod quando ſola facit charitas, nec error eſt ſuſcipiendus propter affectum amoris, nec amor eſt contemnendus propter culpam erroris; ſed ſic debet amor nutriri, vt error corrigatur, ſic error debet expelli, vt amor retineatur*: quæ ſunt S. Anſelmi Cantuarienſis verba Lib. 3. Epiſt. 34. Veſtræ illæ laudes ex amoris errore prolatæ animum addiderunt, vt quātocyùs ederem ſecundā hanc partem. In qua multò plures Canones ſacri, quàm in prima citantur, atque illuſtrantur, tum quia ipſa Diſputationum, quas continet, materies id exigebat, quippe vnicè dependeat ex Iure Canonico; tum etiam quia in colloquijs familiaribus ſæpè mihi iniunxiſtis, vt extenſiùs, & cumulatiùs, quàm Theologi Scholaſtici ſolent, ſacros expenderem Canones, facturus nonnihil obſequij Canoniſtis, mihique pretium operæ, & curæ, ſi cū Theologi Scholaſtici, Moraliſque munere advnarem æquabiliter partes Canoniſtæ. Promiſi exequi imperata, quanquam veritus, ne de me diceretur, *Theologum amiſiſti, & Canoniſtam non feciſti.* Ipſeque ſine cunctatione dicam, me nolle Canoniſtam haberi ab ijs, qui Canonum addenſatas allegationes cupiunt, cum tamen non niſi vnus ex centum adrem propoſitam quadret; neque abijs, qui axiomata, clauſulas, dictiones, appellatiua, loca communia Iuris Canonici tertio quoque verbo inculcata deſiderant, horum votis cum facillimum foret ſatisfacere, nolui depilare tomum Auguſtini Barboſæ de Tractatibus varijs, ſunt enim apud doctos notiſsima, indeque translata (vt in nōnullis modernis Authoribus obſeruo) infarciunt potiùs libros, & quaſi rimas explent, quàm inſtruant ad commodū, & ornent ad voluptatem; neque item abijs, qui corraſas hinc, & inde Interpretum antiquorum, & recentium citationes ſpiſſas volunt, etſi leviter attigerint rem, aut nulla vltra priores parerga adiecerint.

240 Ideo autem enixè efflagitaſtis, imò & luſsiſtis pro ea, quam apud me habetis, authoritate, non perfunctoriam ad ſacros Canones explicationem, quia in hoc de Sacrificio Miſſę argumento vix aliquis Theologus hucdirexit ſudores ſuos, & elucubrationes,

cum

cum tamen si alicubi Canonistis vtile, imò necessarium est auxilium, & suppetiæ Theologorum, maximè in Canonibus pertinentibus ad Sacrificium Missæ, & ad Sacramenta. De priscis Decretistis aiebat Albertus Magnus L. de Eucharistia Distinct. & Tract. 3. C. 1. num. 2. *In scientia Sacramentorum non multùm attendenda est sententia Decretistarum, quia pro certo multa falsa de cordibus, vel talibus scribunt, & dicunt, eo quòd sunt homines ignari in sacra Scriptura, nescientes originalia Sanctorum, nec possunt non peccare docentes in fide Catholica, quæ ignorãt.* Sic Albertus. Sed absit, vt de modernis Doctoribus Canonistis, præsertimque de Salmanticensibus, simile quid asseratur, quãquam citrà inuidiã dici queat, vosque, qui doctrinæ Canonicæ apicem tenetis, sat nostis, neminem in ea eminere posse, nullumq; non claudicaturum indecorè, balbuiturumque fædè in sermone de Sacrificio Missę, deque Sacramentis, nisi qui aut Theologiæ studuerit, aut Theologorũ libros assiduè evolverit, ac perlegerit. Hinc in nonnullis novitijs Cathedrarum disciplinæ Canonicæ competitotibus parùm instructis tantus est timor, ne contingat prælegendus spatio viginti quatuor horarum Canon aliquis, qui circa præfatam materiam versetur; quare ex tribus textibus, inter quos optio datur, auidè arripiunt eum, qui magis ab illa recedit, & plerumque, qui conterminus sit principijs Iuris Ciuilis; si verò effugere non valeant Canonem de materia illa, exhibent in prælectionibus non obscura signa suæ imperitiæ, insumendo tempus in rebus levis momenti, aut passim obvijs, omittendoque eas, quæ litteraturæ solidæ sunt, & quæ ad textus explicationem apprimè faciunt.

241 Porrò vti Canonistis subsidium à Theologis est valdè necessarium, ita his ab illis viceversa. Vnde meritò Melchior Canus reprehendit, *Quosdam vsque adeò in facultate Canonica doctis infensos, vt illorum authoritatem ab vsu prorsus Theologiæ remotam esse arbitrẽtur.* Et cum eleganter, & grauiter obiurgationis suæ causas tradidisset, concludit, ✻ Quę omnia si Theologus ignoret, non solùm idiota erit, vt Cap. *Ex multa* de voto Innocentius vocat, sed in multis, præsertim quæ ad actionem pertinent, & ad mores Christianos, hallucinabitur. Atque vtinam Theologi, qui Iuris Canonici sunt penitus ignari, vel à decernendis conscientiæ casibus abstinerent, ne imperiti risui haberentur, cum de his nonnunquam respondent vt Magistri, quæ nunquam vt discipuli didicerint; vel certè ea essent modestia præditi, vt Iurisperitos consulerent, ne diuinãdo de sensu proprio responderent. Quòd si docere vellemus, in quot errores Theologi nonnulli ob Iuris Pontificij ignorationem incurrerint, facillimum quidem esset, nisi esset longum, & aliò oratio nostra properaret. Sentiamus igitur id, quod positum est, Iuris Canonici doctrinam Theologo esse valde necessariam, eò vel maximè, quòd Summi Pontificis, & Conciliorum authoritas, quæ huius doctrinæ voluminibus continetur, argumenta subministrat propria Theologicę facultatis. ✻ Tantũ Canus, Theologici Salmanticensis Lycæi immortale decus, L. 8. Cap. 6. de Locis, & anteà Cap. 1. scripserat, ✻ Intelligo, fuisse in Schola quosdam Theologos adscriptitios, qui vniuersas quæstiones Theologicas friuolis argumentis absoluerint, & vanis, invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus grauissimis detrahẽtes ediderint in Theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorũ mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex graui Philosophia quidem, sed ferè è puerilibus disciplinis, Scholastici tamen, si Superis placet, Theologi vocantur; nec Scholastici sunt, nedum Theologi, qui sophismatum fęces in Scholam inferentes, & ad risum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemptum. ✻ Descripsi Cani verba, quorum elegantia candori veritatis prætexta ita me allexit, & rapuit, vt vestrùm, quibus cum loquor, & quibus is Author, cæteriquę primæ notæ, omnigenęque eruditionis præ manibus sunt, & oculis diu, ac noctu, videar quasi oblitus.

242 Sed vestra bona venia adiungam Cani verbis alia Ludouici Carbajali Franciscani doctissimi, & eloquentissimi, qui & eius syncronus fuit, & (ni fallor) Theologiam docuit, in il-

in illustrissimo hoc Christianę Minervæ domicilio, magnisque laudibus ornatur ab Alfonso Castrensi in Opere aureo de potestate legis pœnalis. Ille igitur in Lib. de restituta Theologia Cap. 73. dicam scribens Theologis, quibus de Scripturæ sacrę, Conciliorum, & SS. PP. voluminibus evolvendis nulla ineſt cura; totosque se occupant in quęstionibus interminabilibus nullius pretij, & vtilitatis, inquit, * Si dicendi sunt argutissimi, ac profundissimi Theologi, qui in his sunt fortissimi asseveratores, & subtiles nouarum quæstionum inventores certè ego non ambio istum titulum::: Non improbo modestam harum, aut similium quęstionum investigationem; sed anxiam, & perplexam, nimiamque earum disquisitionem; fortęque, ac temerariam asseverationē à Schola Christiana velim ablegare; pręcipuè quòd earum subtiliores patroni in his, quæ exploratiora sunt, sępe hęrent, nec interse conveniunt, & idem tidem digladiantur super re nihili, imò non super re, quia sæpe non est res, sed realitas, vel imaginatio quædam Chimærica ad arbitrium Authoris excogitata, cui siue velis, siue nolis subscribere, impius non eris; & tamen ad senectam vsque est tibi in illis friuolis, & futilibus subtilitatibus immorandum, quas vel minimo flatu ad Garamantas vsque possis pellere. Et quod magis dolendum est, vix in illis quisquam clarus habetur, qui ad sacras litteras tractandas nō sit infœliciſsimus. Quo fit, vt si quem videant sacris voluminibus paulò propensiorem, quàm illis formalitatibus, & relationibus, contemnant, & dicāt; ille est bonus vir ad prædicandū. Quasi non sit semper doctè, & aliquando subtiliter prædicandum. O ignorantissima, & depravata hominum maleferiatorum ingenia! Cœcutitis ad lucis diuinæ splendorem, à Cœlis vobis per manus Apostolorum, imò Christi, qui est vera sapientia, dilapsum, & ad impias Averrois, & aliorum tenebras, & errores oculati suspicitis. An mavultis, aquas eruditionis Christianæ ex dissipatis cisternis haurire, quàm ex fonte aquæ viuæ? * Huc vsque Carbajalus, qui si, vt incępit, absolvisset repurgationem Theologiæ à Sophistica, & barbarie, cum Hercule ipso contenderet de nominis celebritate.

243 Cuius, & Cani verbis potiùs, quàm meis volui confirmare, quantæ necessitatis sit in Theologo cō sumato peritia de Scriptura diuina, ac effatis Summorum Pontificum, Conciliorum, & SS. PP. contentis in Canonico Iure. Vosque ipsi testes locupletis, & (vt aiunt) ex Iouis tabulis estis, Salmanticam nostram exæstuare viris, qui, cum magni sint in Theologia Scholastica, dubitari possit, num maiores dici debeant in ea alia peritia? Dies me deficeret, si illos omnes commemorare aggrediar. Quid, si in antiquiores fama, & scriptis suis notissimos calamus excurrat? Annus integer non sufficeret. Eorum exemplo posteri discent, verum laborem non in nuda Theologia argumentariua collocare, sed in assidua etiam librorum sacrorū lectione, consulendis oracalis Pontificijs, Conciliaribus, & monumētis SS. PP. totiusque Ecclesiasticę antiquitatis eruditione. Hæc omnia simul advnata Salmanticenses Theologos magis ornant, quàm filamen sericum pilei, quàm confessus in orchestra, quàm Reverendissimorum appellatio nouiter invecta à nonnullis siue ex cultu, siue ex adulatione, forsanque ab aliquibus audita non implacidè. Quantumcumque insignis quis sit ingenio, & doctrina in Theologia Scholastica, si tamen in Morali (quæ ex Iure Canonico adeò pendet) non sit versatus, eius authoritate probabilem non reddi resolutionem casus practici, nisi diligenter illū examinet, adnotabat Marrinus Bressērus Lib. & Cap. 3. de Conscientia, numero 33. & in num. 34. cum titulus Doctoratus, aut Magisterij non conferat doctrinam ex opere operato, satis eum non esse ad probabilitatis securitatem. Quapropter Salmanticæ, quò ex vniuersa Hispania, aliisque Regnis confluunt quotidie ad Theologos consultationes de rebus grauissimis Moralibus, longiori oratione opus non est, vt constet, quantùm incumbere debeant Iuris Canonici studio. Et profectò insanus sui amor ludet Theologum Scholasticum, qui spernens disciplinas alias, gyransq; se in orbe paucarum quæstionum iteratarum millies in palæstra, dicat,

Solus cor habeo, solus & ingenium,
Concta habeo solus ——

244 Mei consilij in Opere, quod cum hac epistola mitto, satis expressi causas. Vobis illud sisto vna cum Indice Canonum, vt vno aspectu possitis iudicare, quot, & quantis Canonicæ facultatis floribꝰ intexta sit Scholastica, & Moralis area Tractationis nostræ. Sisto, inquam, sin minus vt aliquam inde vel venustatis, vel suaueolentiæ illecebram vestris animis derivem; at certè vt fidem vobis probaverim meam, atque candidæ illud ingenuitatis votum, quo in augustiora scientiarum Nomina explicari suevit religio. *Cum Minerua de litterarum professione aliquid presumere, ineptissimum est, ac inter eòdctos litterarum sectatores ratiocinandi probabilitate fidem facere, non nostram attigit facultatem*, dixerim cum Vvalerano scribente ad S. Anselmum, estque Epist. 135. libri 3. inter huius alias. Excipite igitur adeuntem ad vos timidè Tractationem nostram, non caperata Censorum fronte, sed placida Magistrorum, qui & condonent, & corrigant errata. Refundite ab prona vestræ humanitatis beneficentia pretium, quod à se non præfidit, suæ tenuitatis conscia. Sicque vobis acceptum referam, quòd meum è Canonibus florilegium, vltra communem spē de Theologiæ quondā Scholasticæ Professore, Interpreteq; nunc Litterarum sacrarum, pollice etiam Iurisconsulto carpatur, interseraturque, si gratiam comparet, floribus illis,

Quos neque frigoribus Boreas, nec Syrius vrit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes
Fons Salmantina crystallinus educat vnda.

Viuite diu fœlices solo, æternùm polo.

INDEX CANONICVS.

In quo, & in sequentibus primus arithmus Disputationem, secundus numerum eius, tertius numerum, qui est in paginæ fronte, denotat.

EX VNIVERSO CORPORE IVRIS CANONICI.

A

AN. Abbates de privilegijs in 6. 27. 76. 312.
Acolythus Distin. 23. 26. 139. 280.
Ad hæc de Privileg. 23. 38. 128.
Adhæc de Religiosis domibus, 27. 163. 338. & 166. 339.
Adhæc de Conſ. Eccleſ. vel altar. 24. 19. 196. & 42. 203. & 26. 87. 265. & 27. 85. 316.
Ad nuptiarum de Conſ. Diſt. 2. 27. 167. 339. & 25. 36. 221.
Alma mater de Sententia excommunicationis in 6. 23. 88. 144. & 159. 166. & 170. 169.
Altaris palla de Conſ. Diſt. 1. 25. 57. 227. & 27. 163. 338.
Altaria de Conſ. Diſt. 1. 24. 24. 197
A multis de Ætate, & qualit. 25. 21. 216.
A nobis de Sacram. non iter. 24. 55. 207. & 26. 124. 275. & 23. 38. 128.
Aqua de Conſecratione Eccleſ. 23. 10. 121. & 21. 123. & 39. 128. & 27. 43. 303.

Aquam

Aquam de Conſ. Diſt inc. 3. 27. 44. 303.
Aurum 12. q. 2. 27. 169. 340.

C

CAN. Clericus Diſt. 20. 27. 18. 294.
Clericos de Conſ. Diſt. 1. 23. 3. 119. & 14. 121. & 108. 150.
Cleros Diſt. 21. 25. 101. & 103. 236.
Comperimus de Conſ. Diſt. 2. 27. 112. & ſeq. 223.
Concedimus de Conſ. Diſt. 1. 19. 94. 36. & 23. 91. 145. & 112. 152.
Conſulto omnium de Conſ. Diſt. 1. 25. 1. 210. & 26. 49. 255.
Conſuluiſti de Celebratione Miſſar. 22. 1. 98. & 16. 104. & 36. 111.
Conſuluit Extravag. de Iudæis 26. 112. 271.
Convenit de Conſ. Diſt. 5. 21. 42. 94.
Cum cauſam de Appel. 27. 56. 307.
Cum illorum de Sentent. excommunic. 23. 47. 131.
Cum contingat de Ætate, & qualitate, 27. 76. 312.
Cum itaque de Conſ. Diſt. 4. 26. 134. 279.
Cum creatura de Celebratione Miſſarum, 19. 25. 10.
Cum ſicut de Conſ. Eccleſiæ, 23. 11. 121.
Cum ſis de Conſecr. Eccleſiæ, vel altaris, 24. 26. 198. & 26. 87. 265.
Cum veniſſet, vnico de ſacra vnctione, 26. 74. 262.
Conſuetudinem de Clericis non reſid. in 6. 19. 39. 15.
Contra eum de Regulis Iuris in 6. 19. 74. 28.

D

CAN. Denique ſi in epiſt. Diſt. 21. 27. 43. 303.
De eo autem de Temporibus Ordinat. 19. 41. 17.
Dolentes de Celebratione Miſſar. 19. 95. 37.
Dudum 3. aut 54. de Electione, & & electi poteſt, 22. 33. 110.
De his verò 26. q. 6. 22. 36. 111.
De fabrica de Conſ. Diſt. 1. 23. 24. 124. & 79. 141. & 26. 82. 263. & 24 17. 195. & 44. 204. & 26. 84. 264. & 87. 263.
De cauſis de Oficio, & poteſtate iudicis deleg. 22. 36. 111.
De his Clericis Diſt. 50. 25. 22. 217.
Diaconos Diſt. 93. 25. 45. 223.
Dolentes de Celebratione Miſſar. 19. 95. 37. & 100. 39. & 117. 47.

E

CAN. Epiſcopus de Conſecratione Diſtinct. 1. 27. 18. 343.
Epiſcopi 21. q. 4. 27. 22. 296.
Epiſcoporum de Privilegijs, 23. 88. 144.
Eccleſię de Conſec. Diſtinct. 1. 24. 23. 197.
Eccleſiæ, vel altaria de Conſecr. Diſtinct. 1. 24. 56. 207.
Eccleſijs Diſt. 68. 23. 47. 131.
Eccleſijs de Conſ. Diſt. 1. 23. 60. 135. & 27. 85. 316.
Eccleſiaſtica Diſt. 23. 27. 99. 319. & 27. 101. 320.
Eccleſia 1. q. 4. 23. 37. 128.
Eccleſiam de Conſ. Diſt. 1. 23. 42. 130. & 80. 141.
Et hoc de Conſ. Diſt. 1. 21. 37. 92.
Ex parte de Celebratione Miſſarum 22. 46. 114. & 47. 115.
Egoſolis Diſt. 9. 27. 220. 360.

F

CAN. Fidei Catholicæ Clementina de Summa Trinitate, & fide Cath. 27. 218. 359.
Frigentius 16. q. 7. 23. 10. 121.

H

CAN. Hic ergo de Conſ. Diſtinctione 1. 23. 108. 150.
Hinc etenim Diſtinctione 49. 26. 116. 240.
His, quibus de Electione, & electi poteſt, 19. 46. 18.

I

CAN. Is, cui de Sentent. excommunicationis in 6. 23. 88. 144.
Is, qui de Sentent. excommunicat. in 6. 23. 17. 122.
In ſancta de Conſ. Diſt. 1. 26. 59. 257. & 25. 24. 217. & 27. 166. 339.
Illud quoque Diſt. 50. 25. 24. 217.
Iteratur de Conſ. Diſt. 2. 19. 2. 2. & 5. 3.

In

In Christo semel de Conſ. Diſt. 2. 19. 2. 2.
In altari de Conſ. Diſt. 2. 19. 129. 53.
In his de Privilegijs 24. 3. 191.

L

CAN. Ligneis de Conſec. Eccleſiæ 23. 81. 142.
Litteras de Celebratione Miſſarum, 25. 94. 234.

M

CAN. Miniſtri Diſt. 81. 25. 21. 216.
Miniſtrum Diſt. 23. 27. 38. 301.
Miramur de Servis non ordin. 25. 21. 216.
Miſſarum de Conſ. Diſt. 1. 23. 14. 121, & 10. 150. & 23. 3. 119.
Monacho 27. q. 4. 27. 38. 301.

N

CAN. Nemo Eccleſiam de Conſ. Diſt. 1. 25. 93. 234. & 26. 36. 252
Nemo per ignorantiam de Conſec. Diſt. 1. 25. 17. 215. & 27. 161. 337.
Non liceat Diſt. 23. 25. 36. 321. & 25. 24. 217. & 26. 218. & 25. 26. 218. & 26. 59. 257, & 25. 41. 222. & 27. 27. 297.
Non liceat Diſt. 44. 21. 38. 93.
Non oportet, inſacratos Diſt. 23. 25. 23. 217. & 36. 221.
Non oportet, Lectores Diſt. 23. 27. 33. 301.
Non oportet, Subdiaconos Diſt. 24. 25. 23. 217.
Non eſt nobis de Sponſalibus 23. 89. 144.
Nullus Epiſcopus de Conſ. Diſt. 1. 27. 8. 291. & 13. 292. & 22. 296.
Nullus Presbyter de Conſ. Diſt. 1. 24. 23. & 24. 197. & 19. 129. 52.
Nullus Acolythorum Diſt. 24. 25. 26. 218. & 25. 23. 217.
Nullus in Epiſcopum Diſt. 60. 25. 21. 216.
Nullus eorum cauſa 21. q. 4. 27. 38. 301.
Nos quidem de Teſtamentis, 19. 45. 18.
Noli Diſt. 9. 27. 220. 360.
Negare, ibidem.
Neque quorumlibet, ibidem.
Neceſſe eſt de Conſ. Diſt. 1. 21. 49. 94, & 22. 29. 109. & 21. 30. 90.
Ne in agro §. Sanè Clementina de Statu Monachorum 19. 27. 10. & 27. 34. 300.
Nihil contra 7. q. 1. 27. 115. 324. & 22. 46. 115.
Nocte ſancta de Conſ. Diſt. 1. 21. 35. 91. & 22. 16. 14. & 21. 5. 81.

O

CAN. Ordinationes Presbyterorũ Diſt. 75. 21. 30. 90.
Omnes de Conſ. Diſt. 1. 24. 16. 195. & 24. 197.
Omnis Presbyter de Conſ. Diſt. 4. 25. 17. 215. & 22. 217.

P

CAN. Paſtoralis §. Verùm de Appellationibus 23. 69. 137.
Perlectis Diſt. 22. 27. 44. 303. & 25. 60. 228.
Peracta de Conſ. Diſt. 2. 27. 204. 349.
Permittimus de Sent. excom. 23. 88. 144.
Placuit de Conſ. Diſt. 24. 24. 11. 193. & 17. & 18. 195. & 23. 197.
Placuit 10. q. 3. 26. 36. 252.
Presbyter Diſt. 91. 22. 10. 101.
Presbyter de Sacram. non iterandis, 26. 145. 283.
Pervenit Diſt. 95. 27. 77. 312.
Pronunciandum de Conſ. Diſt. 3. 20. 33. 70.
Propoſuiſti de Conſ. Eccleſiæ, vel altaris 23. 48. 131. & 87. 143. & 44. 130. & 24. 45. 204.

Q

CAN. Quanvis Corepiſcopis Diſt. 68. 27. 43. 303. & 48. 304. & 24. 23. 197.
Quanto de Conſuet. 27. 49. 304.

Qui plures 21. q. 1. 22. 33. 110.
Quidfit de Conſ. Diſt. 2. 19. 2. 2.
Quod à Patribus Diſtinct. 75. 21. 30. 90.
Quod ſicut §. Præterea de Elect. 23. 39. 128. & 40. 129.
Quoniam de Privilegijs in 6. 19. 11. 4. & 23. 103. 149.
Quoniam in Clementina de Vita, & honeſtate Clericor. 27. 26. 297.
Quoniam Diſt. 69. 27. 76. 312.
Quod in dubijs de Conſ. Eccleſ. vel altar. 27. 85. 316, & 24. 45. 204.
Quidam Laicorum de Celebratione Miſſar. 25. 102. 236.
Quicumque Diſt. 77. 25. 21. 216.
Quicumque 26. q. 5. 25. 67. 229.

R

C. Relinqui de Cuſtodia Euchariſt. 27. 149. 334. & 25. 3. 211.
Requiſivit de Ordinatis ab Epiſcopo, 27. 76 312.
Revertimini 16. q. 1. 23. 53. 133.

S

C. Si quis in infirmitate Diſt. 55. 27. 24. 296.
Si Eccleſia de Conſ. Eccleſ. vel altar. 27. 44. 303. & 23. 19. 123. & 27. 125. & 47. 131. & 53. 133.
Sicut non alij de Conſec. Diſt. 1. 23. 2. 119. & 90. 144. & 94. 146.
Si quis abſcidit Diſt. 55. 19. 111. 42.
Si quis 26. q. 6. 22. 36. 111.
Si quis de Conſ. Diſt. 1. 23. 151. 164. & 163. 167.
Significatum de Præbendis, 19. 34. 12. & 50. 20. & 69. 27.
Significaſti de Adulter. & ſtupro 23. 53. 133. & 59. 135. & 66. 136. & 67. 137.
Si Civitas de Sent. excommun. in 6. 23. 41. 129.
Si motum de Conſ. Diſt. 1. 23. 44. 130. & 79. 141. & 59. 135. & 24. 44. 203. & 26. 87. 265.
Sabbatho de Conſ. Diſt. 3. 20. 1. 59. & 4. 61. & 43. 75.
Sacramenta altaris de Conſ. Diſt. 1. 20. 49. 77.
Solent de Conſ. Diſt. 1. 21. 44. & 45. 95.
Sufficit Sacerdoti de Conſ. Diſt. 1. 22. 1. 98. & 15. 104. & 24. 107.
Sacris de Sepulturis 23. 38. 128. & 41. 129.
Si gratioſè de Reſcriptis in 6. 23. 216. 186.
Si per negligentiam de Conſ. Diſt. 2. 25. 47. 224. & 48. & 49. 225.
Si Evangelica Diſt. 55. 25. 116. 240.
Subdiaconos Diſt. 23. 26. 126. 275. & 137. 279. & 138. 280. & 143. 282.
Solemnitas de Conſ. Diſt. 1. 26. 134. 279.
Statuimus de Cuſtodia Euchar. 26. 34. 251.
Sacratas Diſt. 33. 25. 25. 218. & 30. 219. & 36. 220. & 59. 257. & 27. 182. 343.
Sanè de Celebratione Miſſar. 26. 34. 251. & 37. 252. & 38. 252. & 42. 253. & 27. 187. 344.
Sancta Romana Diſt. 15. 27. 214. 357.
Si Papa 10. de Privilegijs in 6. 21. 18. 86.

T

C. Tabernaculum de Conſ. Diſt. 1. 23. 2. 119.
Tua fraternitas de Conſ. Eccleſ. vel altar. 23. 10. 121.
Tuarum de Privilegijs 23. 47. 131.
Te referēte de Celebratione Miſſar. 22. 1. 98. & 25. 108.
Tranſmiſſam de Electione, & electi poteſt. 23. 16. 153.
Tribus gradibus de Conſ. Diſt. 2. 27. 203. 349.

V

C. Vaſa de Conſec. Diſt. 1. 27. 183. 343.
Veſtimenta de Conſec. Diſt. 1. 27. 99. 319. & 42. 302. & 166. 339. & 182. 343.
Vnum orarium Diſtinct. 25. 27. 38. 301.
Vt Presbyteri 17. quæſt. 4. 27. 38. 301.
Vt Apoſtolica de Privilegijs in 6. 27. 57. 307.
Vnicuique de Conſ. Diſt. 1. 23. 3. 119. & 222. 188.
Vnionoſtræ 10. q. 3. 22. 33. 110.

EX CANONIBVS Apoſtolorum.

CAN. 3. 26. 36. 152.
70. 26. 36. 152.
71. 25. 103. 237. & 26. 36. 152.
72. 27. 166. 339.

EX CONCILIORVM Decretis.

A

C. Onc. Arauſicanũ apud Burchardum L. 1. C. 105. 19. 105. 41.
Arauſ. 1. C. 2. 21. 47. 96.
Arauſ. 1. C. vltimo, 20. 1. 59.
Arauſ. 1. C. 17. 26. 82. 263.
Arvernenſe C. 3. 27. 161. 337.
Arandenſe, ſeu Toletanum, 19. 117. 47.
Arelatenſe C. 20. 26. 52. 256.
Aurelianenſe 3. C. 28. 27. 25. 297.
Aurel. 3. C. 14. 21. 37. 92. & 41. 93. & 42. 94.
Aurel. relatum C. Vnicuique 33. de Conſ. Diſt. 1. 23. 3. 119.
Aquileienſe, 25. 68. 230. & 82. 232. & 26. 30. 250.
Antiſiodorenſe C. 12. 27. 161. 337.
Antiſ. C. 12. 24. 19. 196.
Antiſ. anno 590. C. 8. 20. 50. 78.
Antiſ. C. 10. 19. 129. 53.
Agathenſe C. 21. 23. 163. 167.
Agath. C. 14. & 43. 24. 24. & 25. 197.
Agath. C. 66. 25. 24. 217.
Afficanum C. 8. 20. 49. 77.
Afric. C. 50. 24. 11. 193.
Aquiſgranenſe C. 84. 23. 3. 119.
Aquiſg. C. 17. & 25. 24. 57. 208.
Aquiſg. anno 836. L. 1. C. 29. 26. 36. 252.

B

C. Bracarenſe 1. C. 16. 20. 49. 77. & 21. 44. 95.
Brac. 1. C. 19. 24. 25. 197.
Brac. 1. C. 10. 25. 24. 217.
Brac. 1. C. 7. 26. 36. 252.
Brac. 1. C. 9. 27. 38. 301.
Brac. 1. C. 13. 27. 198. 348.
Brac. 2. C. 9. 21. 45. 95.
Brac. 2. C. 10. 22. 46. 115.
Brac. 3. C. 6. 23. 107. 150.
Brac. 3. C. 4. 27. 38. 301. & 99. 319.
Brac. 3. C. 3. 27. 166. 349.

C

C. Cæſarauguſtanum 1. C. 3, 24. 62. 209.
Compoſtellanum apud Baroniũ anno 1056. 19. 11. 5. & 97. 37. & 105. 40.
Coyancenſe, ſeu apud Valentiam Domini Ioannis, 24. 25. 197. & 25. 3. 210. & 26. 66. 229. & 17. 26. 297. & 26. 11. 246. & 27. 34. 300.
Calcuthenſe in nova Conciliorum Pariſienſi editione Regia, 26. 8. 245.
Cabilonenſe 23. 3. 119. & 21. 44. 95.
Colonienſe 23. 47. 131. & 53. 133.
Chalcedonenſe 21. 44. 95.
Claramontanum 25. 21. 216.
Conſtantienſe cum Extrav. Ad evitanda ſcandala 23. 65. 136.
Carthaginenſe 2. C. 9. 19. 130. 53. & 23. 3. 119.
Carthag. 3. C. 6. 24. 19. 196.
Carthag. 3. C. 29. 20. 49. 77.
Carthag. 4. C. 5. 25. 60. 228, & 26. 126. 275, 137. 279. & 139. 280.
Carthag. 4, C. 41. 27. 38. 301.
Carthag. 5. C. 11. 25. 24. 217.
Carthag. 5. C. 14. 24. 11. 193.

E

C. Emeritenſe 22. 33. 110.
Eboracenſe 26. 11. 246, & 28. 250, & 42. 253.

F

C. Florentinum 26. 67. 260, & 115. 275, & 146. 283.
Friſingenſe 25. 3. 203, & 95. 235.

H

C. Hypponenſe C. 5. 24. 19. 196.
Hiſpalenſe 2. C. 7. 24. 25. 197.

I

C. Ilerdenſe relatum Cap. Omnis Presbyter 106. de Conſecratione

ne Distinct. 4. 25. 22. 217.
Ilerdense C. 16. 27. 198. 348.
Iliberritanum C. 33. 25. 22. 217.

L

C. Lateranense, 25. 3. 210.
C. Laodicense C. 56. 19. 130. 53.
Laodic. C. 21. 25. 23. 217.
Laodic. C. 22. & 23. 27. 38. 301.
Laodic. C. 58. 23. 2. 118.
Londinense 22. 2. 99.
Londin. 26. 11. & 12. 246.

M

C. Moguntinum 23. 3. 119.
C. Mogunt. 26. 52. 256.
Mogunt. 27. 38. 301.
Matisconense 1. C. 1. 27. 26. 297.
Matisc. 2. C. 6. 20. 49. 77.
Meldense 24. 25. 197.
Metense 23. 3. 119.
Metense 24. 25. 197.
Melfitanum 25 21. 216.
Mediolanense 19. 129. 53.
Mediolan. 21. 1. 80.
Mediolan. 23. 117. 154.
Mediolan. 23. 203. 181.
Mediolan. 23. 217. 186.
Mediolan. 24. 9. 192.
Mediolan. 24. 26. 198.
Mediolan. 25 9. 212.
Mediolan. 25. 60. 228.
Mediolan. 25. 64. 229.
Mediolan. 25. 100. 236.
Mediolan. 26. 55. 257.
Mediolan. 27. 8. 291.
Mediolan. 27. 156. 336.
Mediolan. 27. 204. 350.

N

C. Nicœnum 2. 24. 12. 193.
C. Narbonense C. 1, 27, 26, 297.
Narbon. C. 12, 27, 38, 301,
Neocæsariense C. 13, 19, 130, 53.

O

C. Oxonience 22. 2. 99. & 13. 193. & 46.

P

C. Palentinum 23. 103. 144. & 117. 153.
Parisiense 23. 3. 119. & 90. 144.
Paris. 25. 25. 218.

R

C. Ravennatense 19. 97. 38.
C. Ravennat. 22. 2. 99.
Rothomagense 21. 46. 96.
Rothomag. 27. 99. 348.
Rothomag. 24. 62. 209.
Romanum sub S. Sylvestro 25. 23. 217.
Rhemense 24, 57. 208.
Rhem. 25. 3. 210. & 21. 216. & 60. 228. & 66. 229.
Rhem. 26. 3. 243. & 11. & 12. 246. & 18. 247. & 23. 248.
Rhem. 27. 34. 300. & 38. 301. & 149. 334.

S

C. Salegunstadiense 22. 40. 113.
C. Saleg. 27. 158. 336.
Salisburgense sub Vrbano VI. 25. 3. 210.
Senonense C. 15. 24. 26. 198.

T

C. Turonense 23. 3. 119.
C. Turon. 26, 34. 251. & 36. 252. & 52. 256.
Turon. 25. 91. 234. & 78, 231.
Treverense 27 8. 291.
Triburiense 26. 11. 246. & 26. 2. 243.
Tribur. 27. 38. 301.
Tribur. vel Moguntinum 23. 91. 145.
Trullanum 24, 19. 196.
Trullan. 23. 3. 119.
Toletanum 19. 11. 5. Habitum est Arandæ anno 1473.
1 Tolet. 19. 97. 37.
1 Tolet. 19. 105. 41.
1 Tolet. 19. 129. 52.
Tolet. 19. 97. 38. Habitum est anno 1322. vel 1324.
1 Tolet. 19. 105. 41.
16 Tolet. 20. 1. 59.
16 Tolet. 19. 43. 75.
4 Tolet. 20. 37. 72.
4. Tolet. 20. 43. 75.
Tolet. 21. 1. 80. Habitum est anno 1583.

Tolet. 22. 2. 99. habitum est anno 1324.
12 Tolet. 22. 5. 100.
7 Tolet. 22. 26, 115.
Tolet. 23. 219, 187, refertur extra ordinem.
8 Tolet. 24, 25, 197.
2 Tolet. 24, 26, 198.
1 Tolet. 24. 62. 209.
3 Tolet. 25, 22, 217.
8 Tolet. 25. 60. 228.
16 Tolet. 25. 67. 229.
13 Tolet. 25. 67. 229.
4 Tolet. 27. 38. 301.
1 Tolet. 27. 197. 347.
4 Tolet. 27, 198, 348.
4. Tolet. 27, 204, 349.
Tridentinum Sef. 22. C. 1. 19. 1. 1.
Trid. Sef. 23. Decreto de reform. C. 14. 19. 12. 5.
Trid. Sef. 23. Decreto de reform. C. 1. 19. 17. 6.
Trid. Sef. 23. Decreto de reform. C. 14. 19. 97. 37.
Trid. Sef. 22. Can. 1. & 2. 19. 95. 37.
Trid. Sef. 23. Decreto de reform. C. 13. 19. 108. 42.
Trid. Sef. 22. Decreto de Obſeru. & evit. in Celeb. Miſ. 21. 179. & 21. 15. 85. & 21. 20. 87. & 23. 3. 119. & 23. 110. 151.
Trid. Sef. 24. Decreto de reform. C. 6. 23. 123. 156.
Trid. Sef. 14. C. 6. de reform. & Sef. 22, C. 1. de reform. 27. 26. 297.
Trident. Sef. 23. C. 10. 27. 57. 307.
Trident. Sef. 23. C. 10. & 11. 27. 77. 312.
Tident. Sef. 23. C. 5. 27. 176. 341.
Trident. Sef. 13. C. 8. 27. 99. 348.
Trid. Sef. 22. C. 6. 27. 204. 350.

V

C. Viennenſe ſub Clemente V. & refertur in Clementina vnica de Summa Trinitate, & fide Catholica, 27. 218. 359.

EX BVLLIS SVMMORVM Pontificum non poſitis in Corpore Iuris Canonici.

B. Licet debitum, Pauli III. anno 1549. 23. 118. 154.
Decet Romanum Pontificem, Gregorij XIII. anno 1575. 23. 119. 154.
Vſum altaris viatici, Gregorij XIII. anno 1579. 23. 120. 154.
Dum ad vniverſos, Sixti IV. anno 1476. 23. 142. 161.
Sacrę veſtræ, Vrbani V. anno 1363. ibidem.
Inter cætera, Iulij II. anno 1512. ibidem.
Ex Clementi, Clementis VII. anno 1530. ibidem.
Cum ſicut, Vrbani VIII. anno 1626. ibidem.
Iis, quæ, Leonis X. 23. 200. 180.
Etſi à Summo, Leonis X. ibidem.
Etſi cunctos, Cæleſtini V. ibidem.
Virtute conſpicuos, Gregorij XI. ibidem.
Ad hoc nos, Pij V. anno 1570. 25. 62. 228.
Sanctiſsimus in Chriſto Pater, Pij V. 1566. 21. 18. 86.
Cum ſacroſanctam, Sixti V. anno 1595. 27. 26. 297.
Expoſcit tuæ devotionis ſinceritas, Innocentij VIII anno 1489. 27. 69. 310.
Romanus Pontifex, Sixti V. anno 1586. ibidem.
Romanus Pontifex, Gregorij XIV. anno 1591. ibidem.
Ex ſedis Apoſtolicæ, Gregorij XIII. anno 1573. 27. 124. 327.
Cum inter cunctas, Pauli III. anno 1545. 27. 205. 350.
Supra gregem, Leonis X. 23. 88. 144.
Romani Pontificis, Clementis VII. anno 1530. 27. 78. 313.

Multæ aliæ Bullæ paſsim allegantur, necnon Epiſtolæ Pontificiæ, quas vitandæ prolixitatis cauſa omittimus adnotare.

EX IVRE CIVILI.

L EX Obligationum ſubſtantia §. 1. ff. de Actionibus, & obligationibus, 19. 24. 9.
Papinianus ff. de Minoribus, ibidem.
Si vno 4. §. Item cum quidam ff. locati, 19. 39. 15.
Si pecuniam 5. ff. de Cõdictione cauſa data, 19. 39. 15.
Arboribus 12. §. De illo 3. ff. de Vſufructu, 19. 39. 16.

Quæſitum 60. ff. de Re iudicata 19. 44. 18.
Qui poteſt facere 174. ff. de Regul. Iuris, 19. 46. 18.
Quidquid adſtringendę ff. de Verborum obligationibus, 19. 74. 28.
1. Codice de Theſauris, 21. 18. 86.
1. ff. de Iure delib. 22. 36. 111.
Sed ſi quæratur ff. Si ſeruitus vind. 23. 69. 138.
Hęredes palàm §. 1. de Teſtamentis. Ibidem.
Adeò §. Videtur ff. de Adq. rerum dominio, 23. 69. 138.
Vnum ex familia 67. §. Si rem 6. ff. de Legatis 2. 26. 25. 249.
Nummis 75. ff. de Legatis 3. Ibidē.
Apud Iulianum 39. §. Scio 6. ff. de Legatis 1. Ibidem.
Si ſponſus 5. §. Proinde 12. ff. de donationibus inter virum, & vxorem, 26. 36. 252.
Veluti 2. ff. de Iuſt. & iure, 27. 132. 329.
Sancimus 1. Codice de Sacroſanctis Eccleſijs, 27. 168. 339.
Si in emptione 34. §. omnium rerū, 1. ff. de Contrahenda emptione, 27. 168. 339.
Titia teſtamento 38. §. Seia 2. ff. de Auro, & argento legato, 26. 25. 249.
In tantùm 6. §. Sacræ autem 3. ff. de Rerum diuiſione, 23. 86. 143.
73. ff. de Contrah. empt. Ibidem.
Si grege 22. ff. de Legatis 1. 23. 82. 142.
Domum 57. ff. de Contrah. empt. 23. 81. 142.
Si ita 65. §. Si domus 2. de Legat. 1. 23. 82. 142.
Qui res 98. §. Areā 8. ff. de Solutionibus, Ibidem.
Inter ſtipulantem 83. §. Sacram 5. ff. de Verborum obligationibus, Ibidem.
Quod in rerum natura 24. §. finali, ff. de Legatis 1. Ibidem.
Proponebatur 76. ff. de Iudicijs, ibidem.
Finali, Cod. de Donationibus, quæ ſub modo, 19. 56. 22.
Si modo, Cod. de Inſtitut. & ſubſtit. ibidem.
Novella Vt nullus 67. C. Deinde 2. 26. 36. 252.
Novella Vt in privatis domibus, 58. 23. 5. 119.
Novella de Eccleſ. titulo, 131. §. Si quis in ſua domo. Ibidem.

EX PARTITIS.

LEX 4. & 5. tit. 10. Part. 1. ibidē, & 23. 221. 188.
50. tit. 4. Part. 1. 22. 23. 107. & 26. 108. & 36. 112. & 46. 114. & 48. 116.
47. & 48. tit. 4. Part. 1. 21. 43. 95.
20. tit. 10. Part. 1. 23. 62. 135.
5. tit. 10. Part. 1. 23. 91. 145. & 97 147.
19. tit. 22. Part. 1. 23. 177. 170.
12. tit. 10. Part. 1. 24. 6. 192. & 19 196.
5. tit. 4. Part. 1. 24. 27. 198.
19. tit. 10. Part. 1. 24. 44. 204.
19. tit. 4. Part. 1. 24. 56. 207.
60. tit. 4. Part. 1. 24. 61. 209.
57. tit. 4. Part. 1. 25. 4. 211. & 13. 214
56. tit. 4. Part. 1. 26. 3. 243. & 12. 246.
61. & 62. tit. 4. Part. 1. 26. 37. & 38. 152. & ibidem
l. 2. tit. & l. 1. novæ Recopilationis.
64. tit. 4. Part. 1. 25. 18. 215.

INDEX LOCORVM Scripturæ Sacræ.

EX GENESI.

CAP. 4. iuxta LXX. Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti? 23. 225. 189.
31. V. 54. Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres ſuos, vt ederent panem, 27. 207. 351.
43. V. 16. Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue conviviū, ibidem.

EX IOB.

CAP. 25. V. 2. Qui facit concordiam in ſublimus ſuis, 23. 224. 189.

EX PROVERBIIS.

CAP. 9. V. 2. Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, &c. 27. 207. 351.

EX

EX ISAIA.

CAP. 26. v. 10. Misereamur impio, & non discet iustitiam :: in terra Sanctorum iniquagessit, & non videbit gloriam Domini, 23. 73. 159.

55. 1. Emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac, 27. 207. 351.

EX IEREMIA.

CAP. 11. v. 15. Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Ibidem.

EX MACHABÆIS.

LIB. 2. C. 4. v. 14. Sacerdotes iam non circa altaris Officia dediti essent, sed contempto templo, & Sacrificijs neglectis, &c. 19, 97, 37. & 104, 40.

EX MATTHÆO.

CAP. 25. v. 25. Abscondi talentũ tuum in terra, 19. 98. 38.

10. v. 9. Nolite possidere aurũ, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; virgam, 27. 25. 297.

EX MARCO.

CAP. 15. v. 25. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, 21 39. 93.

6. v. 8. Ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm, 27. 25. 297.

EX LVCA.

CAP. 22. v. 19. Hoc facite in meã commemorationem, 19. 95. 37.

19. 20. Mna tua, quam habui repositam in sudario, 19. 98. 38.

EX IOANNE.

CAP. 19. v 14. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, 21. 39 93.

EX ACTIS APOST.

CAP. 2. v. 16. Cum sit hora diei tertia, 21. 40. 93.

EX EPISTOLIS Apostolorum.

2 PAVLI ad Cor. 6. v. 1. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 19. 98. 38.

1. ad Cor. 11. v. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? 23. 1. 117.

1. ad Cor. 11. v. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput suum, 27. 8. 291.

Ad Heb. 5. à v. 1. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, &c. 19. 17. 6. & 98. 38.

1. Petri 4. v. 10. Vnusquisque sicut accepit gratiã in alterutrum illam administrantes, 19. 98. 38.

INDEX RERVM, & verborum.

A

ABBATES, qui perfruuntur privilegio benedicendi vestimenta Sacerdotalia, ornamentaque altaris, an benedicti, vel non, & vnde illud sibi vendicarint, an ex Pontifice, vel an ex consuetudine? 27. 57. 307.

Abbatum privilegium, quoad supellectilis sacræ consecrationem, an per participationem traducẽdum videatur ad alios Prælatos Regulares, qui maxima Abbatialis dignitatis authoritate non gaudẽt? 27. 74. 311.

Abbatibus Ordinis Cistertiensis nũ extet privilegium concessum, vi cuius possint benedicere, & consecrare sacrã supellectilem divino cultui dicatam, quodque quatuor Abbatibus priùs indultum, postea labenti tempore in eiusdem Ordinis Hispanicam Congregationem largiter effluxit? 27. 69. 310.

Abbas benedict⁹ S. Æmiliani de Cuculla num concessum habeat sibi privilegium, quo simul etiam potestatem consecrandi ornamenta sacra; & an similibus privilegijs potiantur alij Abbatis siue benedicti, siue non, siue pro exteris, siue pro domesticis Ecclesijs, sine licentia Diœcesani, aut cum illa pro Ecclesijs Monasterij, vel denique pro illi annexis? 27. 70. 300.

Abbatibus Cistertiensis Ordinis num liceat

liceat per aliquod priuilegium hucusque non revocatum Ordinē Subdiaconatus, & Diaconatus licitè ministrare? 27.77.412.

Acolythi an, & quando simul cum aliis, tribus inferioribus Ordinibus initiatis, calicem, patenam, & cætera, diuino Sacrificio inserviētia, valeant suis manibus contrectare, & quopacto de prima tonsura initiatis sit theologizandum? 25.27.218.

Acolythatus Ordo, tresque alij minores an sint Sacramentum, sitque de eorum essentia instrumenta cuiuscumque tradi per manum Episcopi physicè contingentis ipsa? 26.140.280.

Alba num benedictionem deperdat per separationē manicarum ex se amobilium, vel an amotis illis queat illa benedici? 26.98.268.

Alba num benedictionem amittat, nō retentā suo muneri conuenienti figura, vt si abscisa manica, vel ei, etsi non omnino abscisæ, linteum artificiosè assueretur? 27.84.216.

Albæ sacræ si assuatur maior, vel æqualis pars, ac primò benedicta, etiam si minor singulis vicibus apponatur iam antea immediatè præexistenti, num benedictionis iacturam subeat? 27.80.316.

Alba in varijs partib⁹ rupta, & à manica, illi quibusdam globulis annexa, omnino seiuncta, an benedictione priuetur, & quando per aggregationem novarum partium omninò à se sit censenda diversa? 27.88.317.

Alba, & calix an deperdita artificiali forma simul etiam benedictionem deperdant; & an eodem filo theologizandum sit de Ecclesia? 23.81.141.

Alba medijs fibulis manicis suis artificiosè associabilis num egeat nova benedictione, dum ab ipsis dissoluitur, de novoque ipsis iterùm copulatur? 27.98.319.

Altare num vnicum olim fuerit in qualibet Ecclesia? 19.129.52.

Altare qualiter requiratur ad Missæ celebrationem? 24.1.190.

Altaris etymologia, atque diuisio, 24.2.190.

Altaria an necessariò debeant esse lapidea, & iuxta cuiusnam Papę statuta, & quæ pars altaris lapidea debeat esse? 24.6.191.

Altaris figura, magnitudo, & latitudo quanta, & qualis desideretur? 24.9.192.

Altare an queat ex duobus lapidibus adinvicem colligatis constare, cui vni superincumbat hostia, & alteri calix? 24.8.192.

Altare si non capiat nisi vnicam hostiam, num formulæ consecrandæ debeant toto Sacrificij tempore, vel an solo consecrationis aræ superimponi? 24.10.192.

Altare an subaliqua necessitate reliquijs Sanctorum debeat ornari, atque insigniri, & quæ testimonia laudabili huic consuetudini non semel applaudant? 24,11,193.

Altare insignibus SS. reliquijs consecrari, an cadat sub præcepto, vel an potiùs istud in desuetudinem abierit, cessantibus causis præcepti? 24,15,195.

Altaris in consecratione an queat pro reliquijs corpus Christi substitui, vel pars aliqua Corporalis 24,18,195.

Altare, si SS. reliquijs non sit præditum, an celebrans teneatur prætermittere verba illa, *Quorum reliquiæ hic sunt?* 24,22,197.

Altaris fixi erectio an, & quando cadat sub simplici cuiuscumque Presbyteri potestate? 24,23,197.

Altaris mensa, eiusque consecratio vtrū sint necessarię ad decentem Sacrificij celebrationem, ita vt oppositum à peccato lethali excusari non valeat? 24,24,197.

Altaris consecratio an tam stricto iure sibi vendicet Episcopi potestatem, vt nec à Papa simplici Sacerdoti cōmitti queat? 24,25.198.

Altaria, quæ consecrantur, an fixa, an mobilia, & an extent aliqua privilegia, quæ eorum adhuc non consecratorum vsum indulgeant? 24,26,198.

Altare si non inveniatur, vel si invētum, non tamen consecratum, vtrum queat Pontifex ex notabili causa dispēsare, vt divinum peragatur Sacrificiū? 24.27.198.

Altaris munus num aliquando expleverint manus, vel pectus, & quę testimonia, magis in admirationem, quā in imitationem, extent in retroactis sęculis? 24,29,199.

Altaris fixi, seu portatilis exlecratio quibusnam de causis eveniat, omnino amissa

amissa consecratione? 24. 31. 200.

Altaris fixi si lapis planus superior ab inferiori structura dissoluatur, an in exsecrationem abeat totum altare? 24. 34. 200.

Altare si ab vno in alium locum deferatur simul cum integra basi, an exsecrationem incurrat? 24. 35. 201.

Altaris fixi lapis magnus an seiunctꝰ à tota basi valeat consecrari? 24. 36. 201.

Altaris structura an possit partibus facilè amovilibus constare, ita vt amotus lapis superior exsecrationem non subeat, & an subeat, casu quo extra tẽplum deferatur huiusmodi lapis? 24. 38. 201.

Altare an exsecrationem subeat, patiendo non modicam læsionem, aut fractionem; vel an, & qualis debeat censeri ista, vt illam à fortiori patiatur? 24. 45. 204.

Altare an exsecrationi subiaceat, casu quo illi subiaceat Ecclesia, vel contra, & quæ testimonia id approbent? 24. 46. 204.

Altare fixum an violetur polluta, seu violata Ecclesia, & è conuerso, & an idem de altari portatili sit censendum? 24. 51. 206.

Altare an, & quę simul cum illo polluantur per humani sanguinis, vel seminis sacrilegam effusionem, vel aliam similem causam? 24. 52. 206.

Altare portatile num possit deseruire diuino Sacrificio in Ecclesia polluta, interdicta, seu exsecratione fædata, dũmodò Sacerdos perfruatur priuilegio altaris portatilis, siue sacrificandi in loco decenti? 24. 53. 207.

Altare, dummodò sit indemne, num decenter inseruiet Diuinis in Ecclesia destructa, nulla ad id muneris ab Episcopo exacta licentia? 24. 54. 207.

Altare an polluatur, siue exsecratione cõmaculetur, Presbytero degradato, hęretico, aut schismatico in illo celebrante? 24. 55. 207.

Altare an sit iterùm consecrandum, casu quo dubitetur, an primò fuerit cõsecratum, vel an si stet sub dubio, an fuerit pollutum, vel exsecratione fædatum, debeat iterùm consecrari, vel mundari: & quid de Ecclesia in his casibus? 24. 56. 207.

Altaris visitatio an sit muneris Episcopi, casu quo sub dubio cadat, an altare, propter sui diminutionẽ, calicẽ, vel patenam minus aptè capiat? 24. 56. 207.

Altaria quem situm, quemque orantes antiquitus tenuerint, & qua de causa mos ille ex mortalium mentibus exciderit? 24. 58. 207.

Altaria invadentibus, & irreverenti animo expilantibus, quibus supplicijs Deus iratus fuerit, & quæ exempla id contestentur? 24. 57. 207.

Altaris ara contrita simul cum Eucharistia ad quę sacrilega munia impudenter destinata fuerit, quod miro admodùm comprobatur exemplo? 24. 61. 209.

Altaris lapis profanatus an queat licitè vendi, & retineri? 24. 62. 209.

Altare quem, & qualem, mundum, & pulchrè excultum ornatum debeat induere? 25. 1. 210.

Altaris exquisitus ornatus, seu decẽter accommodatus in quibusnam Missę Sacrificio deputatis debeat præcipuè apparere; & an peccet graviter Sacerdos, qui in in Corporali nimis immũdo Sacrificium perageret? 25. 9. 212.

Altare num prudenti ratione benedictum existimetur per solam Sacrificij litationem in ipso? 26. 89. 266.

Amictus num effici queat ex legmẽto ab Alba benedicta ex necessitate exciso, quin in illo ad id muneris noua desideretur benedictio? 27. 93. 318.

Amictus si ad manus non habeatur celebraturo, num liceat pallam altaris, aut linteum benedictum sibi induere? 27. 94. 318.

Annunciationis festum si occurrat in hebdomada sancta, an, & quibus in locis transferatur in aliam diem, & an hoc Episcopi authoritate possit vbiuis fieri? 20. 51. 78.

Annunciationis festum si fortè concurrat cum feria sexta Parasceves, an teneantur fideles assistere Officio illi? diei extunc, quo Eucharistia ponitur in altari? 20. 51. 78.

Antiocheni Catholici qua de causa Missas in campo peragebant; & vnde Campitarum nomẽclatura sint insigniti? 23. 115. 153.

Apostoli num in veste vulgari, & quibusnam ritibus Missam celebraverint? 27. 183. 343.

Aqua non benedicta num communicet in benedictione admixta aquæ iam benedictæ;

benedictæ; quid de vino, & aqua admixtis speciebus consecratis; quid denique de alijs quibuscumque liquoribus? 26. 85. 316.

Archiepiscopi Granatensis Ferdinandi de Talavera dictum, quo remurmurantibus occurrit, cur tot negotijs vndequaque distractus quotidie Sacris operaretur? 19. 134. 57.

Aurora quid sit, & per quod spatium duret ante Solis ortum, & quonam modo dignoscendus sit eius ortus in nostra Hispania, & an variet suum crepusculũ in aliquibus mensibus anni? 21. 4. 80.

Axioma illud *nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat*, in quo casu suum valorẽ exerceat? 19. 56. 22.

Axioma illud *melior est conditio possidentis*, quem genuinum sensum in se claudat? 19. 74. 27.

B

BACVLO innixo altare adirẽ, & ibi divinum Sacrificium peragere, num sit prohibitum Sacerdoti, & an nomine baculi Pastoralis etiam veniat comprehensus? 27. 24. 296.

Baculum ad altare deferre, inibique cum eo muneris sui executioni intendere, an, vrgente necessitate, sit extra irregularitatem positum? 27, 24, 296.

Baculi iuvamine vtens, dum Sacris operatur, an, & quando cessationis à communione pœnam incurrat, & quidnam nomine baculi comprehendatur, an virga cuspide ferrea in defensionem armata, aut quid simile? 27. 25. 297.

Baculos in ferreæ cuspidis acumine laboratos de cõmuni more est Vizcayę plagam incolẽtibus ingressuris templa ad eorum ostium semper deponere, & quibusnam de causis similium baculorũ depositio in reverentiæ debitæ insigne debeat fieri? 27. 25. 297.

Baptismatis, Confirmationis, & Extremæ vnctionis valor an perfectè salvetur, etiam si aqua, chrismate, & oleo corpus immediatè non afficiatur, sed mediante aliquo velo, vel panno? 26, 149. 283.

Baptismatis, Confirmationis, & Extremæ vnctionis Sacramenta an valida sint absq; coexistentia physica ablutionis, & vnctionis cum verbis formæ? 26. 155. 285.

Beneficium si sit tenue, num possit licitè Parochus de congrua sustentatione sibi providere? 19. 22. 8.

Beneficiarij simplices num teneantur per se offerre specialiter Missas pro intentione, vel obligatione Ecclesiæ, in qua celebrant, vel potiùs pro alio, accepto stipendio, vel non? 19. 24. 9.

Beneficiarijs cur sub obligatione incumbat in sua Ecclesia celebrare? Ibi.

Benedictiones nuptiales num possit Parochus in aliam diem distrahere, vel an eis obeundis, vrgenti gravi scandalo, Missam iterare? 22. 28. 109.

Benedictio lapidis primarij, vel cæmeterij vtrum à solo Episcopo possit præstari, & non à simplici Sacerdote, cui sit delegata potestas? 23. 12. 121.

Benedicere, non semel idem sonat, ac consecrare, sicut è contra? 27. 59. 308.

Benedictini Monachi num, & quando obligentur celebrare, seu communicare? 19. 27. 10.

S. Benedictus an sua manu dederit Christi corpus, vt super Monachi cadaver poneretur, & quid de eius Sacerdotio dicendum? 25. 45, 223.

S. Benedictus quem modum exigat à parentibus in Monasterio filium suum Deo offerentibus? 25. 45. 224.

Breue Pontificium licitam reddens Missę celebrationem in privato Oratorio Sæcularium, quam amplitudinem, siue restrictionem in se imbibat, & an duret, domino Oratorij decedente tum è vivis, tum è Ciuitate, vel an se extẽdat ad duo Oratoria, domi vnum, ruri aliud? 23. 163. 167.

Bulla Cruciatæ, dum præstat facultatem Commissario, vt dispenset cum personis nobilibus, vt possint Sacrum facere, seu audire per horam ante lucẽ, & post meridiem, an subintelligatur facultas ad dispensandum cum Sacerdote præfatæ conditionis? 21. 16. 85.

Bullæ Cruciatæ Commissarius vtrũ queat impendere facultatem ad priuatum Oratorium, dummodò sit designãdum ab Ordinario? 23. 150. 163.

Bulla Cruciatę in quo casu possit deservire ad Missæ celebrationem, seu auditionem, & an tunc temporis habẽtes illam simul cum privilegio Oratorij,

rij, etiam si solemniora festa excipiente, expleant præceptum audiendi Missam, si diebus illis audiant eam in prædicto Oratorio? 23. 151. 164.

Bulla Cruciatæ an suffragetur iteratæ celebrationi Missæ, siue auditioni, respectu illorum, qui gaudent privilegio, vt tantùm semel singulis diebus in priuato suo Oratorio celebretur? 23. 157. 166.

Bullæ Cruciatę privilegio satisfacientes præcepto audiendi Sacrum per assistentiam in Oratorio, quas preces fundere Deo debeant sub peccati lethalis, vel venialis gravamine? 23. 158. 166.

Bulla Cruciatæ vtrum tempore Interdicti localis generalis indulgeat posse celebrari in Oratorio priuato? 23. 159. 166.

Bullę Cruciatæ privilegio celebrans in Oratorio priuato, an licitè valeat assumere Ministrum Laicum tali ptivilegio non gaudentem, adstantibus alijs privilegiatis? 23. 160. 166.

Bullæ Cruciatæ virtute an expleat Missæ præceptum, qui privilegiatus assistat Missę die festo in Oratorio alterius similiter privilegiati, aliàs non expleturus? 23. 161. 166.

Bullæ Cruciatæ privilegium an excipiat Missæ celebrationem in privato Oratorio die Paschatis, an Eucharistiæ administrationem, ita vt in illo nō possit satisfactum iri præcepto Ecclesiastico de communione Paschali? 23. 175. 170.

Bullę Cruciatę Commissarius generalis an, & qui simul cum illo valeant impertiri licentiam extraordinariè celebrandi tam quoad locum, quā quoad tempus? 23. 113. 185.

C

CAIETANI verba ex contextu abrasa, quibus apertè physicis refragabatur predeterminationib⁹, num ideo Angelico Doctori contrariari ex diametro sint censenda? 19. 102. 40.

Calix an, & quando exsecrationem incurrat, num per separationem pedis tornatilis à cuppa, etsi non per rupturā, vel, & quando per rupturam? 26. 91. 266.

Calicis cuppa vtrum queat seiuncta à pede consecrari, vel cuppæ nec consecratæ pes de novo tornatilis, etiam si cupreus, novā arte agglutinari? 26. 95. 267.

Calix habens pedem non tornatilem, sed firmum, an per solam cuppæ consecrationem, illam etiam refundat in pedem, ita vt quicumque artis beneficio cuppæ annectatur, per merum contactum sacer fiat? 26. 96. 267.

Calix an necessariò conflari debeat ex cuppa argentea, seu intus inaurata, vel an sufficiat stannea, & quonam modo duæ Rubricæ inter se pugnantes in eundem sensum convenire possint? 26. 13. 246.

Calix, cuius cuppa physicè sit continua cum pede, & vtrumque, vel sola cuppa, susceperit consecrationem, exsecrationi num rectè subiacere credatur per separationem pedis à cuppa, ita vt si isti alius iterùm pes artificiosè inseratur, novam desideret consecrationem? 26. 97. 267.

Calicem manibus suis versare, an antiquitus fuerit illicitum tam fœminis, quàm viris Sæcularibus? 25. 42. 222.

Calix an inter necessaria sub culpa gravi ad Sacrificium numeretur, & ad quid muneris destinetur; olim an ligneus, vitreus, & stanneus, & quibus de causis consuetudo hæc abrogata sit? 26. 20. 243

Calix, quo Christus incruentum sui corporis Sacrificium primò peregit, an ligneus, argenteus, marmoreus, vel ex qua alia materia conflatus, & vbinam gentium reverenter asservetur? 26. 9. 244.

Calix an antiquitùs ex crystallo, marmore, ære, agatha, argento, auro omni pretio, laboreque impenso pulchrè componi solitus fuerit? 26. 10. 245.

Calicis materiam plumbeam, ligneā, vitream, & similem aliam omnino desuescere quibus de causis, & an sub culpa gravi iniunxerint Concilia, atque Pontifices? 26. 11. 246.

Calicem ex plumbo, ærę, aut cupro, dummodò eius cuppa inauretur, vel inaurata olim conflata sit, diuino Sacrificio destinare, an licitum sit? 26. 18. 247.

Calicis pes possit ne confici ex quocumque decenti metallo, si autem eius cuppa non sit aurea, an intus debeat inaurari,

aurari, ſub gravi obligatione, & eadem eſt de patena ratio? 26. 21. 248.

Calix an queat apprimè componi ex lapidea materia, vel ex gemma, auri, vel argenti pretium ſupergreſſa, aut vtriuſque valorem exequante? 26. 24. 248.

Calicem ſi quis leget Eccleſiæ, neutiquam eius materia expreſſa, num cēſendus ſit, totum, aureum, vel argenteum legaviſſe, ſiue ſolùm quoad cuppam? 26. 25. 249.

Calicis figura, & magnitudo non debent diſcordare ab Eccleſiæ conſuetudine, & munere, cui deputatur? 26. 27. 249.

Calix duplex an olim inſervierit Sacrificio, vnus maior, in quo conſecrabatur ſanguis, alter vero minor, quo miniſtrabatur populo? 26. 27. 249.

Calix, idemque de patena, an diviniſsimo huic Sacrificio ſit deputandus per vnctionem chriſmatis, & quod peccatum in prudenti ęſtimatione cenſeatur illo inconſecrato celebrare? 26. 60. 258.

Calice inconſecrato Divinis operari an ſit in cauſa, vt Sacerdos depoſitionis ab officio, & beneficio ſtrictam pœnam incurſum iri intelligatur, & quæ aliæ cauſę ſint de neceſsitate huiuſcemodi depoſitionis? 26 61. 258.

Calicis conſecratio cui incumbat quaſi ex poteſtate Ordinis, Epiſcopo, an Pontifici, & an, & à quonam ex his queat huiuſmodi poteſtas in ſimplicem Sacerdotem derivari? 26. 64. 259.

Calicis, & patenæ conſecratio an ſit de tanta eorum perfectibilitate, vt, ea deficiente, non ſolùm illicitè, verùm invalidè Ordine Subdiaconat⁹, & Preſbyteratus Eccleſię Miniſtri initiari credantur? 26. 65. 259.

Calix inconſecratus vtrum conſecratus reddatur per vnicam litationē, mediante qua quilibet Sacerdos illum trahat in ſuum miniſterium? 26. 71. 261.

Calix ſic per vnicam litationem conſecratus num deinceps, ſecluſa penitus chriſmatis vnctione, in ſuum munus valeat coaptari? 26. 71. 261.

Calicem conſecratum iri per ſolam ſpecierum retentionem, neutiquam adhibita chriſmatis vnctione, aſſerētes Patres quo genuino ſenſu veniant intelligendi? 26. 82. 263.

Calix argenteus an in exſecrationēm deveniat, interiori cuppæ inauratione non ſimul, ſed paulatim, non vtu, ſed arte, vel è contra prorſus deperdita? 26. 101. 268.

Calix conflatus cuppa ex materia minus apta ad conſecrationem, niſi inaurata, an exſecrationem ſibi adſciſcat per vſualem inaurationis iacturam? 26. 106. 269.

Calix, cui cuppa argentea, quę priùs ſiue inaurata, ſiue non, conſecrata tamē habebatur, ſi denuò auro pretioſè elucidetur, num ſimiliter conſecratione ſanctiſicari debeat? 26. 107. 207.

Calici ſi de novo aurum immiſceatur, vtrum reputetur idē, ac anteà, & quonam impenſo artis labore eius cuppa conflari queat, vt ex vtroque idem vas confici minimè cenſeatur? 26. 108. 270.

Calix an, & quando ſit ſub exſecratione per alliſionem ad aliquem malleum, lapſumve in terram, ictumque manu aurificis impreſſum? 26. 115. 272.

Calices aliquibus ferire ictibus, cum eos denuò inaurandos aurificibus tradebant, an, & quibus de cauſis moris fuerit Prælatis, ſeu Ædituis? 26. 117. 273.

Calix num exſecrationem ſubeat, ita notabiliter diviſus, vt in alienā formā, ſeu diverſam quantitatem deveniſſe credatur? 26. 118. 278.

Calix ſi in fundo cuppæ habeat modiciſsimum foramen, idque ea adhibita artis dexteritate aurifex reconcinnaverit, vt exſudationis ſpecierum periculum prudenter non timeatur, vtrū ſit cenſendus inconſecratus, indiguſq; conſecrationis? 26. 118. 273.

Calicis pes ſi aliquatulùm lædatur, vel modiciſsimū foramen in medio, vel principio cuppæ aperiatur, an totus calix in exſecrationem offendat? 26. 118. 273.

Calix num exſecrationi patere credatur per humani ſeminis, vel ſanguinis effuſionem, ni hæc ex parvitate pro nihilo reputari debeat in ordine ad pollutionem, ſeu exſecrationem calicis? 26. 120. 274.

Calix, & patena num polluantur per eadem ſacrilegia, per quæ Eccleſia cōtaminatur, impiaturque, & quænam illa? 26. 121 274.

Calix

Calix, & patena num polluta reddantur per homicidium, quod sit sufficiens Ecclesiæ impiationem inducere? 26. 122. 274.

Calicis, & patenæ violationem vtrũ infallibiliter inducant prophanus vsus, deauratio vi, vel arte facta, contactus ab hæretico, seu schismatico etiam inter celebrandum causatus, & his similibus? 26. 223. 274.

Calix tantùm in vsum popularem designatus num antiquitus daretur, cum Eucharistia sub vtraque specie Laicis ministrabatur? 27. 156. 336.

Calamus aureus, seu fistula, qua media sumus Christi Vicarius solet hauire sanguinem de calice, an benedictione, vel consecratione in præfatum munus deputetur? 26. 56. 257.

Communio post diem Cœnæ Dñi vsque ad diem Resurrectionis an antiquitus fuerit vsitata in nostra Hispania? 20. 38. 72.

Communio Laicalis an sit permissa in feria sexta Parasceves? 20. 39. 73.

Communio Laicalis in feria sexta Parasceves num fuerit olim in vsu, & quibus in locis? 20. 39. 73.

Communionem Laicalem in feria sexta Parasceves an, & quinam exoptaverint in Hispania persuadere, & quosnam habuerint æmulatores? 20. 47. 76.

Communio Laicalis retroactis sæculis quàm celebris fuerit, & an obligaverit sub præcepto feria quinta in Cœna Domini? 20. 48. 77.

Communio feria quinta in Cœna Domini an id specialitatis habuerit, vt fieret post communicantium cœnam vsualem? 20. 49. 77.

Communio diebus ieiunij an in diei confinio assumeretur? 21. 45. 95.

Communicare manibus chirotecis vestitis an maximam sapiat inurbanitatem, & irreverentiam? 27. 190. 345.

Communio quàm diversimodè antiquitus sumebatur à Sacerdotibus, & Laicis, viris à mulieribus seiunctis? 27. 198. 348.

Communicantes olim quæ verba protulerint ante receptionem hostiæ, & hæc à quonam, & an mediatè, vel immediatè eis ministraretur? 27. 199. 348.

Communicantes num debeant purificationem accipere post receptionem formulæ, & an olim ministraretur vinum, & non sola aqua? 27. 200. 348.

Communicanti olim an panis, & vinum ministraretur, post communionẽ, ne in sputo aliquid Sacramenti excrearet, quod sanctissimè iniunxit suis Monachis S. Benedictus, & alij similiter exequuti sunt? 27. 201. 349.

Communicantibus quondam pastillus, seu vinum admixtum aquæ exhibebatur, de quo tanquàm pernicioso more S. Chrysostomus fuit accusatus à Theophilo Alexandrino? 27. 203. 349.

Communionem quondam immediatè post cõsumptionem Sacerdos ministrabat, & vtrum hoc sit magis ad reverentiam, perfectamque Ritualis Romani observantiam? 27. 204. 349.

Constantinus, & Carolus Magnus secum ad bellum templum portatile deferebant, quod sacræ inserviret litationi? 23. 93. 146.

Canonici quare debeant celebrare in propria Ecclesia, etsi non premantur specialis applicationis onere? 19. 24. 9.

Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum an teneantur toties celebrare, quoties Præbenda præscripserit habens secum annexam obligationem in eis celebrandi? 19. 24. 9.

Canonicos an comprehendat obligatio offerendi specialiter Sacrificium pro intentione, seu obligatione Ecclesiæ, in qua celebrant, vel potiùs queant pro alia, accipere eq; stipendiũ? 19. 24. 9.

Canonici, si eo tempore divino vacent Sacrificio, quo in Choro Ecclesiasticum cantatur Officium, an licitè possint distributiones quotidianas sibi arrogare? 19. 26. 10.

Confirmatio an ex balsamo solo, vel ex balsamo, & oleo, non copulatiuè, sed disiunctivè, cõficiva lidè queat, & an benedictio olei, & balsami ab Episcopo præstita intret essentiam huius Sacramenti? 26. 128. 276.

Confirmationis Sacramentum quæ, & qualia verba indispensabiliter requirat ad sui perfectam constitutionem? 26. 131. 278.

Concilium Tridentinum an Episcopis potestatem abrogaverit præstandi facultatem, vt Oratoria in domibus

privatis intra ſuam Diœceſim erigantur, & in quo ſenſu, quibuſque attentis circumſtantijs ſit recte interpretanda mens Concilij? 23. 110. 151.

Capellanus prædiviti ſtipendio auctus poſsit ne à Patrono, vel quolibet alio novam accipere ſtipem? 19. 22. 8.

Capellanorum obligatio adtot, & non pauciores Miſſas vnde debeat principium habere? 19. 30. 11.

Capellani num poſsint aliquo excuſationis colore prætenſo ſeſe determinato Miſſarum numero explendo cautè ſubtrahere? 19. 30. 11.

Capellanus, qui per ſe ſit obligatus à fundatore, poſsit ne aliquando ex rationabiliter præſumpta fundatoris voluntate à celebratione vacare? 19. 31. 12.

Capellanus num queat citra iniuriã fundatoris conſenſum quotidie celebrandi revocare, vel alteri celebrationem committere? 19. 32. 12.

Capellanus num titulo honeſtatis, vel devotionis valeat ſemel in hebdomada ſeſe à celebratione retrahere? 19. 33. 12.

Capellano num ſit in permiſſu oblectationis cauſa Miſſam vnicam in hebdomada incelebratam prætermittere? 19. 34. 12.

Capellanus an licitè eximatur ab obligatione celebrandi Miſſas ab alio prætermiſſas ob infirmitatem, quæ vltra ſpatium duorum menſium non duraverit? 19. 34. 13.

Capellano num ſit licitum in totius anni decurſu quatuor, aut ſex Miſſas omittere, eaſque vel ſibi, vel alij cuicumque applicare? 19. 35. 13.

Capellanus, qui per breve quindecim dierum ſpatium tenetur celebrare, vtrum poſsit vno, vel altero die Sacris non operari? 19. 35. 13.

Capellanus num eo die, quo Miſſam fundatoris intentioni non dirigit, poſsit eam alterius voluntati cõmittere, accepto prius ſtipendio? 19. 35. 13.

Capellanus quotidianæ celebrationis per ſe ipſum obligatione adſtrictus, ſi ægrotet, num teneatur providere nõ omiſsioni celebrationis ab alio Sacerdote peragendæ, cui ſuum rependat ſtipendium? 19. 38. 14.

Capellanus infirmus obligetur ne ad procurandam ſibi ſalutem, vt celebrationis obligationi ex iuſtitia intendat? 19. 38. 14.

Capellanus incarceratus, vel gravi negotio, aut impedimento oppreſſus num poſsit ab omni prorſus litatione ceſſare, donec pariter ceſſet impedimentum? 19. 38. 14.

Capellano, cui ex obligatione incumbit quotidiana celebratio, num pariter incumbat applicatio pro fundatoris intentione trium Miſſarum Nativitatis Domini, vel illius, quàm celebrat in Cõmemoratione defunctorum? 19. 40. 16.

Capellaniæ in fundatione iniungente celebrationem diebus feſtis, num intelligendi ſint, qui ſub præcepto, an qui ſub alicuius Sancti celebritate feſti communiter nominantur? 19. 41. 16.

Capellanus, qui tribus diebus feſtiuis divinam peragat litationem, num ſic perfectè expleat obligationem fundationis ex iuſtitia iniungentis, vt ter in hebdomada celebretur? 19. 42. 17.

Capellano num citra peccatum liceat diem deſignatam à fundatore prætermittere, & aliam ex ſuo placito eligere? 19. 43. 17.

Capellanus determinatæ diei celebrationi addictus num ſi in illa à præſcripta litatione ſe abſtineat ob generalẽ iniunctam ceſſationem à Divinis, num teneatur hac deſinẽte illã ſupplere alia die? 19. 44. 17.

Capellano, cui fundatio ex obligatione certa die celebrationem præſcribit, num pariter obligationem præſcribat celebrandi alia die, ſi in determinatanõ fuerit el permiſſum, vel quia Eccleſia eſt violata, interdicta, vel ad manus non habeantur claves, vel ruinã ſit paſſa, vel eam commminetur, vel ex alia his ſimili rationabili cauſa? 19. 49. 18.

Capellano, qui vnoquoque menſe ad quatuor Miſſarum celebrationẽ tenetur, num ſit in permiſſu eas antepone re, vel poſtponere? 19. 47. 19.

Capellanus vna, vel altera vice in menſe, vel in anno celebrans in diverſo loco à deputato per fundatorem, num gravi ſeſe adſtringat piaculo? 19. 51. 20.

Capellanus num graviter peccet celebrans in alio altari diverso à præscripto ex fundatione, vel quia istud erat iã occupatum, vel quia aliunde grave instabat negotium? 19. 53. 21.

Capellanum num vrgeat obligatio celebrandi, casu quo Ecclesia designata corruat, vel alicui subiaceat impedimento Canonico? 19. 53. 21.

Capellani prætensa excusatio non celebrandi ex intentione fundatoris tã quoad tempus, quàm quoad locum, & altare, à quonam debeat approbari? 19. 54. 21.

Capellanus num lethale incurrat peccatum commutando altare privilegiatum cum non privilegiato, si habeat calculũ, nummisma, seu imaginẽ, quæ æquivalenter pertingat ad moralem valorem altaris privilegiati? 19. 55. 21.

Capellanus num sub gravi teneatur obligatione eligere tutiorem partem in ordine ad privilegium, cum quo celebrat, sive privilegium sit respectu calculi, sive cuiuscumque alterius valorantis æstimationem moralem? 19. 56. 22.

Capellanus delinquens graviter in variatione altaris obligeturne graviter ad restitutionem? 19. 58. 22.

Capellanus contrahat ne strictam restituendi obligationem ortam ex celebrationis antepositione, vel postpositione graviter peccaminosa? 19. 62. 23.

Capellanum adstringat ne gravis obligatio restituendi excessum stipendij correspondentem Missis celebratis extra locum deputatum à fundatore? 19. 59. 22.

Capellanus qua de causa suam non expleat obligationem celebrandi in loco intento à fundatore, si alibi celebraverit? 19. 60. 23.

Capellanus an ex præsumpta fundatoris voluntate valeat aliis Missis, vel operibus satisfactorijs compensare stipendij incrementum comparatum ex litatione in altari non designato? 19. 61. 23.

Capellanus mortaliter delinquens, per se ipsum non celebrando, obligetur ne sub mortali ad restituendum, etiam dato, quòd alius eius obligationem ad complementum perduxerit? 19. 63. 23.

Capellani, qui debitæ non vacant litationi, an debeant severè ab Episcopo puniri, Capellaniaque omnino priuari? 19. 63. 24.

Capellania si Officij divini recitandi pariter inducat gravamen, an eius Missis prætermissis, totius stipendij quantitas debeat in restitutionem reponi? 19. 63. 24.

Capellanum an comprehendat restitutionis obligatio, si alias peragat Missas, diversasque omnino ab exactis à fũdatore? 19. 64. 24.

Capellanus an, & quando teneatur per se ipsum Sacris operari? 19. 65. 25.

Capellanum vt determinatam personam, & in Sacris constitutam Ordinibus, quæ verba, & fundatoris clausulæ manifestè indigitent? 19. 66. 26.

Capellanus an, & quando obligationem subeat offerendi Sacrificium pro iusta fundatoris intentione? 19. 73. 27.

Capellano an citra peccatum liceat stipendium manuale accipere pro Missis, quas ex Capellaniæ obligatione celebrat in determinato templo, non vrgente tamen obligatione eas dirigendi ad fundatoris intentionem, quia cõstat hanc immunẽ reddere Capellanum ab hoc onere? 19. 75. 23.

Capellanus obligatus tantùm ad Missam de Requiem celebrandam possitne, si celebret in altari privilegiato, applicare Indulgentiam alteri à fundatore? 19. 79. 30.

Capellanię obligatio si ea sit, vt in tali die, vel loco, & non in applicatione Missæ præcipuè exerat vim suam, & Capellanus sua negligentia ductus hanc obligationem ad exequutionem non deducat, vtrum succedat obligatio reponendi stipendium Missæ, vel an solũ celebrandi in alio loco, vel die? 19. 80. 30.

Capellanus vtrum graviter lædat iustitiam, si absque rationabili causa vnam tantùm Missam incelebratam relinquat? 19. 81. 30.

Capellani vnde huiusce modi nomẽclaturam fuerint sortiti? 19. 94. 35.

Capellanus alicuius Dynastæ, si casu violet ieiunium, & ex non celebratione magnum seu timeatur, seu suboriatur scandalum, num teneatur inieiunus Sacris operari? 22. 35. 111.

Capellanus, qui tenetur ſingulis diebus, vel feria quinta, & ſexta omnibus hebdomadis diviniſsimum peragere Sacrificium, an debeat in maiori ſacrificare feria quinta, & Sabbatho, vel ſaltem alium ſubrogare, & pro fundatore Miſſas illas offerre? 20. 34. 71.

Capuccinis, aliiſque Religioſis excalceatis an, & quando liceat nudis pedibus Sacrificium peragere, aut calceorum loco ſandaliis, ſoleiſque vti? 27. 4. 290.

Cardinales vtrum gaudeant privilegio celebrandi paulò ante auroram, etiam ſi itineri nullatenus ſeſe accingāt? 21. 10. 83.

Caſus ne ſint aliqui ita irregulares, vt ob eos queat Miſſa ad nonam vſque horam ab ortu Solis differri? 21. 30. 90.

Caſula cœlitùs à Deipara S. Ildephonſo præſtita num fuerit eadem, quâ Chriſtus incruentum ſui corporis Sacrificium peregit, & an tunc temporis alia ſpeciali, diverſaque ab vſuali ſeſe induerit ad tantum myſterium celebrādum? 27. 177. 342.

Caſtellani quo tempore cæperint litare in mari, poſtquàm ad Indias vſque Occidentales navigationem deduxere? 23. 99. 146.

Carthuſienſibus Religioſis an olim moris fuerit ſingulis diebus celebrare? 19. 29. 11. & 19. 130. 54.

Carthuſienſes Religioſi an poſsint nunc temporis Sacrum quotidie peragere? 19. 29. 11.

Ceſſatio à Divinis an, & quorum Officiorum adminiſtrationem, celebrationemque penitus prohibeat, & vtrū irregularis ſit rectè habendus, qui eam audaciter infringat; 23. 89. 144.

Ceſſatione generali indicta, vtrum permiſſum ſit divinis Officijs intendere vi privilegij Bullæ Cruciatæ, aut alterius ſimilis? 23. 89. 144.

Chriſtus qua hora è mortuis triumphator ſurrexerit? 21. 48. 97.

Catholici tempore Conſtantij an ante ipſius tribunal fuerint delati, quòd in Eccleſia adhuc non dedicata Synaxis habita ſit? 23. 9. 120.

Chriſtiani quibuſnam de cauſis communicaverint intecto capite, (qui mos apud Græcos invaluit) & an olim Chriſtiana plebs ſacræ Evangelij lectioni capita ſua reverenter aperuerit? 27. 20. 295.

Cingulum an rectè inter veſtes ſacras ſit annumerandum, ſpecialique donetur benedictione? 27. 42. 302.

Cingulum diſruptum, ſi iterum annectatur, an, & quando ſuo muneri queat inſervire, ſecluſa prorſus nova benedictione? 27. 95. 318.

Cinguli continuo vſu ſciſsi ſi pars extet inſufficiens omnino ad cingendum, & hæc ſufficienti alteri annectatur, an recuperet benedictionem, ſimulque totum cingulum partibus tali nexu adunatis compactum ſuum munus queat aptè explere? 25. 95. 318.

Cingulum ſi diſſoluta continuatione in duas partes dividatur, quarum quælibet ſe ſola ſufficiens ſit ad cingendum, an in vtraque conſeruetur benedictio, ſimulq; in ſuum miniſterium aptitudo? 27. 95. 318.

Cingulum, ſi reſciſſo continuo nexu ita in duas partes ſecetur, vt vtraque officij ſui exequutioni minus apta reddatur, & iterùm curiosè reficiatur, ſolidioreque nodo firmetur, an novam deſideret benedictionem? 27. 96. 318.

Clavis capſulæ, in qua aſſervatur Euchariſtia die Cœnę Domini, an tradi poſsit nobili Laico, vel an debeat ei, qui ſequenti die ſit celebraturus? 20. 50. 77.

S. Clara an aliquando manibus ſuis devotè ſuſtentaverit capſulam argenteam, in qua Chriſti corpus includebatur? 25. 46. 224.

Clerici olim an veſtes talares in vſu habuerint dictas Caracallas: & vnde Antonino Imperatori cognomen Caracalli? 27. 37. 298.

Corporale altaris an neceſſariò debeat benedictione ſacrum reddi, & cui huiuſmodi benedictionis poteſtas taliter competat, vt nequeat alteri delegari. 25. 11. 213.

Corporalia altaris, & cætera divino cultui dicata an, vbi, & à quonam debeant lavari? 25. 17. 215.

Corporalia extra Sacrarium lavare, nempe in via publica, quodnam reputetur peccatum, & an hæc primaria lotio per ſe attineat ad Subdiaconos, quave de cauſa olim ad ipſos non attinuerit? 25. 20. 216.

Corporalia

Corporalia præcipuè post benedictionem, simulque calicem, & patenam quinam absque gravi peccato valeat contrectare, quis verò cum illa, & antiquitus quænam extaret consuetudo? 25. 23. 217.

Corporalia, aliaque vestimenta sacra sive à fœminis, siue à Laicis non fore suis manibus versanda, quinam contestentur canones? 25. 25. 217.

Corporalia, & omnia sacra attrectare immediatè, seu mediatè, an, & sub quo peccato sit prohibitum Laicis, fœminis, Sacristis non tonsuratis, seu coniugatis, & an exter privilegium in favorem Sacristarum concessum Fratrib? Minoribus, in quo communicabat nostra Societas? 25. 30. 219.

Corporalia, & alia supellectilis sacrę, seu vnctione chrismatis non delibuta, speciesve sacras in se non admittentia, an absque morali necessitate, præstita tamē debita reverentia, valeant à Laicis, seu fœminis contrectari? 25. 38. 221.

Corporali excepto an reliquę altaris pallæ, etiam si benedictæ, possint licitè contingi, reflci, & primò lavari à fœminis, & Laicis? 25. 39. 221.

Corporale qui in vsum profanum conuerteret, vt nares mundaret, vel sudorē abstergeret, an lethalis culpę reus esset, similiterque si pallam benedictā speciebus sacramentalibus non contiguam in id officijs assumeret? 27. 159. 337.

Corporale vtrum deperdat benedictionem, si per vsum, aut lotionem pariter deperdat amylon? 26. 109. 270.

Corporale si lacerum reficiatur, novaque pars illi delicato filo annectatur, vtrum hæc, secluſa nova benedictione, propter coniunctionem benedicta habeatur? 26. 110. 270.

Corpus hominis personaliter interdicti, si in Ecclesia fuerit sepultum, nū debeat exhumari, ab alijsque discerni, & quid, casu quo discerni nequeat? 23. 41. 129.

Corpus hominis neque excommunicationis, neque interdictionis fulmine percussi vtrum sit extumulandum, si in loco interdicto sepultum fuerit? 23. 41. 129.

Copula coniugalis an, & in quibus circūstantijs sit licita coniugibus intra Ecclesiam? 23. 63. 136.

Crucem ad Missæ celebrationem in altari collocari apud religiosam antiquitatem in vsu fuisse, quibusnam cōprobetur testimonijs, quibusve stabiliatur exemplis, & cur ad hęc vsque tēpora laudabilis mos ille fuerit transfusus? 25. 85. 232.

Crux an desideretur in altari, in quo adest Eucharistiæ Sacramentum? 25. 89. 233.

Crux desiderandane sit in altari, si ipsa, aut crucifixi imago in eminenti tabernaculi fronte pulchrè depingatur? 25. 92. 234.

Crux Caravacæ celeberrima quibus de causis de Cœlo ab Angelis demissa fuisse censeatur? 25. 87. 233.

Crux si non adsit in altari, quo peccato sese adstringat sine illa celebrans, neutiquàm ad id necessitante satis rationabili causa? 25. 93. 234.

Crucem auro, & gemmis pretiosam, Rege Alfonso Casto sic annuēte, in quid muneris destinatam elaboraverint duo Angeli? 25. 87. 233.

Crucem præfigi debere, vbi Ecclesia sit construenda, an cadat sub vllius disputationis aleam 25. 93. 234.

Crucifixioni Christi Dñi horæ quo pacto sit adaptandus locus Marci, & Ioannis? 21. 39. 93.

D

DECRETVM de Missis privatis non celebrandis in Cœna Domini, quo genuino sensu sit intelligendum? 20. 30. 69.

Deum reverenti in Sacrificio adoratione colere, eique Sacrificia vltroneo pectore exhibere potius cum hoc vestitu, quàm cum alio, vtrum sit ex Iure gentium præscriptum? 27 132. 329.

Diaconi, & Subdiaconi sub qua adstringantur obligatione suo muneri obeundo incumbere? 19. 108. 42.

Die Parasceves qua de causa nec Missa celebretur, nec more Laico cōmunicetur? 20 43. 75.

Doctores cuiuscumque Scholæ vnā, aut alteram opinionem, penticulatiùs irrequieta mente non semel agitatam, si aliquando retractaverint, num ideo inconsequentię, vel genij volubilis sint rectè arguendi? 27. 223. 361.

E

ECCLESIA vtrum generaliter teneatur ad Missæ celebrationem? 19. 1. 1.

Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis, aut Conuentualibus vtrum ex gravi obligatione incumbat quotidiana Missæ celebratio? 19. 5. 3.

Ecclesijs Regularium an, & quando sub toto rigore competat Sacris operari? 19. 6. 3.

Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatę an aliquando obligẽtur duplicem Missam in eodem die cantare? 19. 7. 4.

Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatę an teneantur ad celebrandum singulis diebus Missam solemnem pro defunctorum Anniversario? 19. 10. 4.

Ecclesia, cui ex obligatione est prescripta quotidiana Missæ celebratio, nũ possit vnam singulis septimanis omnino prætermittere? 19. 36. 14.

Ecclesia quibusnam causis piè mota in articulo mortis non deneget viaticũ extremo supplicio torquendis? 19. 113. 44.

Ecclesia vtrum antiquitus populo communicaturo determinatos prefixerit dies? 19. 117. 47.

Ecclesia an sub præcepto communicandi pariter comprehendat pueros, statim ac in eorum mente rationis lumen irradiaverit? 19. 120. 48.

Ecclesia quem finem sibi consequẽdum præscripserit, dum antiquitus injunxit, nullam omnino Missam peragi die Sabbathi sancti, & an præceptum illud iam penitus exoleverit? 20. 21. 66.

Ecclesia vtrum consecrata, aut benedicta, vel locus ad divinum designatus cultum, an, & quibus de causis ad Missæ celebrationem regulariter requiratur? 23. 1. 117.

Ecclesiæ omnes an olim consecratione priùs præstita in divini cultus ministerium destinarentur? 23. 7. 119.

Ecclesiam, vel locum ad celebrationem deputatum quis possit benedicere, consecrareve? 23. 10. 120.

Ecclesiæ consecratio an ex cæremonia desideret diem Dominicum determinatè? 23. 11. 121.

Ecclesia, in qua fuerit Sacrum peragendum, vtrũ debeat à violatione immunis esse; & quisnam queat eam reconciliare, & quid, & quo pacto comprehendatur nomine Ecclesiæ, vel loci violationis capacis? 23. 17. 122.

Ecclesia violata an, & qua vrgente necessitate queat divino Sacrificio peragendo licitè inseruire cum Episcopi licentia, vel sine illa? 23. 18. 122.

Ecclesiæ reconciliatio an aliquando spectet ad simplicem Sacerdotem, & quando ad Episcopum, & an iste licitè possit suam potestatem delegare Presbytero? 23. 20. 123.

Ecclesiæ violationem, seu pollutionem subeuntis reconciliationi omnimodè præstandę vtrum sit sufficiens Missa, bona, malave fide, celebrata? 23. 24. 124.

Ecclesiæ nomine quodnam spatium comprehendatur, quod simul cum ipsa censeatur iri violatum? 23. 25. 127.

Ecclesiæ violationem quæ causæ connexivè inducant, & quæ non? 23. 36 127.

Ecclesia in quo sensu per Episcopum Simoniacum potiùs exsecrationem, quàm consecrationem censeatur comparasse? 23. 37. 128.

Ecclesiæ consecratio quinam actus reputetur, iurisdictionis, an potestatis Ordinis? 23. 39. 128.

Ecclesiæ consecratio, pariterque Sacramenti Confirmationis administratio an possit simplici Sacerdoti à Pontifice committi? 23. 39. 129.

Ecclesia an violationem incurrat per sepulturam pagani? 23. 42. 130.

Ecclesia subeatne pollutionem, sepulta matre retinente in vtero filium vivum, qui ex negligentia graviter culpabili, malitiave occidatur? 23. 42. 130.

Ecclesiæ violationem vtrum ipso facto inducat sepultura excommunicati vitandi, vel infidelis mortui, non adstante adhuc gravi culpa? 23. 43. 130.

Ecclesiæ violationem inducentes causæ vlteriori examine adducuntur in discussionem? 23. 44. 130.

Ecclesia patiatur ne violationem ex percussione hominis extra Ecclesiam, provocante tamen sanguinem ad effusionem intra ipsam? 23. 48. 131.

Ecclesiæ violationem vtrum inferat cadaveris percussio vsque ad sanguinis effusionem? 23. 50. 132.

Ecclesiæ violatio contingatne ex vulnere alicuius Martyris sanguinem in terram demittente? 23. 52. 132.

Ecclesiæ violationem an, & à quibus causis procedens violenta sanguinis effusio importet? 23. 52. 132.

Ecclesiæ violatio num ad sui existentiam desideret eandem, aut minorem causam, quàm irregularitas ad suam? 23. 52. 133.

Ecclesiam reddat ne violatam minor seminis, quàm sanguinis effusio? 23. 52. 133.

Ecclesiam an, & sub quibus circumstantijs in violationem adducat volita seminis effusio? 23. 53. 133.

Ecclesia an necessariò in violationē abeat, posita effusione seminis ex copula coniugali orta? 23. 59. 135.

Ecclesia an prudenti existimatione violationi censeatur exposita, si Mahometanæ, hæreticæve sectæ Officia ibi celebrentur, & quibus adhibitis cæremonijs sit in tali casu purificanda? 23. 64. 136.

Ecclesia reputetur ne violata, causa violationis omnino latente, & an quando hæc manifestatur, inter sacrilegia computari debeat? 23. 65. 136.

Ecclesia quibusnam adstantibus circumstantijs consecrationem, benedictionemque deperdat? 23. 79. 140.

Ecclesia an per sui omnimodam, vel dimidiam ruinam, restaurationemve, totam simul, aut minutatim contingētem, exsecretur? 23. 82. 142.

Ecclesia vtrum inconsecrata reddatur ex intentione eam reædificantis? 23. 83. 142.

Ecclesia vtrum eadem censeatur eisdē lapidibus reædificata, seu si ex intētione huiuscemodi reædificationis destructa sit, & an si eius crusta omni, vel maiori ex parte auferatur, consecrationem amittat? 23. 84. 142.

Ecclesia sub quibus circumstantijs amittat benedictionem, & cui illius parti hæc inhæreat? 23. 86. 143.

Ecclesia interdicta, vel in quam lata est cessatio à Divinis, vtrum deservire valeat ad Missæ celebrationem, & an hæc peragi possit irregulariter in locis ad Dei cultum minimè deputatis? 23. 87. 143.

Ecclesiæ interdictæ Ministro an, & in quibus diebus vnam, vel plures Missas liceat celebrare, ne, si alijs celebret, reddatur irregularis? 23. 88. 143.

Ecclesia inbenedicta, aut inconsecrata an benedictionem, & consecrationem adquirat præcisè vnica Missæ celebratione habita in ea, quin vlterior vlla cæremoniarum habeatur ratio? 26. 75. 262.

Ecclesiam pollutam vtrum ad reconciliationem traducat Missæ celebratio bona, aut mala fide peracta de facultate Episcopi, nulla alia per cæremonias reconciliatione desiderata? 26. 76. 262.

Ecclesia pollutа, incepto Canone, an Missa debeat vsque ad consumptionem continuari, & sic continuata Ecclesiæ perfectam pariat reconciliationem? 26. 76. 262.

Ecclesia vtrum taliter impietur per profanum vsum, vt sub omnimoda necessitate egeat reconciliatione per benedictionem inducta? 26. 123. 274.

Ecclesiæ prorsus dirutę materia, vt in alios profanos deputetur vsus; an desideranda sit Episcopi, vel Prælati Regularis licentia? 27. 164. 338.

Ecclesia an possit statuere, vt vasa, & alia divino cultui sacra deserviant ad humanos vsus, casu quo ob vrgentem necessitatem venditioni exponantur, cessante solùm deputatione in ministeria sacra, retenta tamen eadem forma, & integritate? 27. 175. 341.

Episcopi, & Parochi an, & quando teneātur providere, ne omittatur Missa tam solemnis, quàm privata? 19. 5. 2.

Episcopis an adsit obligatio quotidianæ celebrationis, & quare eis iudicetur maximè conveniens? 19. 11. 5.

Episcopus an peccet venialiter, vel mortaliter, qui quotidianam Missæ celebrationem, auditionemve omnino prætermittat? 19. 11. 5.

Episcopis an olim in more fuerit, singulis diebus celebrare? 19. 11. 5.

Episcopi consensus, seu hæredum fundatoris alicuius Capellaniæ vtrum sufficiens reputetur ad licitam dispensationem alicuius conditionis præfixæ ex obligatione à fundatore? 19. 53. 21.

Episcopus an teneatur obligare, vt sacris Ordinibus initietur, qui potitur Capellania ipsius Capellani personalem celebrationem iniungente? 19. 67. 26.

Episcopi; Provinciales, & Superiores locales an ex iusta causa gaudeant privilegio, vt possint celebrare ante auroram, seu licentiam suis subditis præstare, & quodnam spatium sit in eorum potestate? 21. 9. 82.

Episcopi an, & quo pacto potiantur alio privilegio audiendi, seu celebrandi Missam vna hora post meridiem interposita? 21. 25. 89.

Episcopi potestas ad loca celebrationi deputanda vtrum extendatur extra propriam Diœcesim, & eam valeat simplici committere Sacerdoti? 23. 10. 120.

Episcopis vtrum fuerit absolutè derogata potestas concedendi licentiam ad celebrationem in privatis Oratorijs? 23. 15. 121.

Episcopo, in Archiepiscopum confirmato, vtrum liceat frontis chrismatio ante acceptum pallium? 23. 40. 129.

Episcopi vtrum aliquo privilegio celebrandi in loco non sacro fungantur, & sub quibus circumstantijs, restrictione, amplitudineve illo vti possint? 23. 103. 149.

Episcopis an liceat in suis Palatijs Oratorium erigere, in quo tam domestici, quàm extranei, siue absente Episcopo, siue demortuo, possint Sacris operari? 23. 107. 150.

Episcopis quo in eventu non sit prohibitum dispensare, vt Missæ Sacrificium peragatur in Oratorio alicui⁹ domus privatæ? 23 113. 152.

Episcopus vtrum queat dispensare, vt plura altaria erigantur in domo alicuius Magnatis, pluresque Missæ celebrẽtur corpore defuncto præsenti? 23. 114. 152.

Episcopis quibusnam competat privilegium erigendi Oratoria intra suum Palatium, vel cum alijs dispensandi? 23. 116. 153.

Episcopo aliquem Ordine Sacerdotali initiante, formamque huiusmodi Ordinis dimidiante, vt si dicat (accipe potestatem consecrandi solum panem, vel solum vinum) an validum sortiatur effectum hæccine Ordinatio? 26. 131. 278.

Episcopi an inter sacrificandum debeant vti sandalis benedictis, eodemq; pacto Presbyteri, & quænam inter has, & illas intercedat dissimilitudo? 27. 7. 291.

Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis qua de causa iniunctum fuerit, vt in quotidiana conversatione capita sua operimento honestarent, & an hoc Secularium galeris omnino dissimile, & in se singulare? 27. 22. 296.

Episcopis, & Cardinalibus indultũ est, sese sacris vestibus in ipso induere altari: an indultum hoc in privatum Sacerdotem queat derivari, vrgente gravi admodùm necessitate? 27. 24. 296.

Episcopi electi, & confirmati, sed adhuc non consecrati potestas vtrum se extendat ad vestes Sacerdotales benedicendas, siue ad delegationem huiusmodi potestatis simplici Sacerdoti, & benedictio hæc sit potestas Ordinis, an iurisdictionis: eadem est omnino ratio de alijs diuino cultui destinatis? 27. 46. 304.

Episcopi Paderbonensis S. Meinuverci casula, qua fuit sepultus, per trecentos, & quadraginta annos incorrupta extitit in tumulo? 27. 161. 337.

Evangelium S. Ioannis singulis die⁹ in fine Missæ ex more legi, cui superstitioni irata antiquitas interdixerit ad tẽpus Romana Ecclesia? 25. 102. 206.

Evangeliorum liber in nobiliori sede, mediaque inter Episcopos, olim in Concilijs collocari solebat? 25. 110. 238.

Evangelium dum legitur, cuiusnã gentis sit ensis evaginare, vt animi demonstrent promptam dispositionem ad illud defendendum? 27. 189. 345.

Eucharistiam vtrum licitum sit in navigijs deferre, siue vt constituris in articulo mortis, siue vt alijs necessitatibus prouideatur? 23. 102. 149.

Eucharistiam vtrum moris fuerit, asservari in Episcopio, inde in solemnioribus festivitatibus ingenti populi comitatu ad Ecclesiam deferri? 23. 107. 150.

Eucharistiam an olim quicumque in suis manibus deportaverit in domum, vt ea pro suo libito sanctè reficeretur, & quare consuetudo illa exciderit? 24. 61. 209.

Eucharistia in linteo mundissimo, quod Dominicale vocabant, à fœminis, & à viris nuda dextra manu, vt inde ad os, vel ad domum deferrent, vt ieiuni hoc sacro sese reficerent pabulo, an, & quænam extiterit retroactis

ctis sæculis antiquata consuetudo? 25. 42. 222.

Eucharistia quondam venerationis, aut deosculationis causa an ad ægrotos adduci solita fuerit, & quare vsus hic in desuetudinem venerit? 25. 41. 223.

Eucharistiæ salutaris aspectus quãtùm profuerit Maximiliano primo Cæsari Augusto extremum vitæ subeunti periculum? 25. 43. 223.

Eucharistiam ad infirmos deportare, suis membris applicandam, quanta censura sit hisce temporibus reprehendendum, etiam si antiqui Laici non exhorruerint species Sacramentales venerationis causa suis oculis admovere, & digitum vini speciebus in labris relictis humectatum per omnia sensuum organa trahere? 25. 44. 223.

Eucharistia an, & quibus de causis intra determinatum tempus renovari debeat? 26. 35. 251.

Eucharistiæ Sacramentum num ex sua essentia requirat panem triticeum, & vinum de vite aquæ modicissimæ admixtum? 26. 128. 276.

Eucharistiam in lutum demittere ad fugiendum instans mortis periculũ, num in aliquo casu foret licitum? 27. 151. 334.

Exceptiones generalis regulæ non celebrandi Missam ante auroram quæ, & quales, & quibus competant? 21. 5. 82.

Exceptiones regulæ generalis non celebrandi Missam post meridiem, an, & quos obligent, quosve excipiant? 21. 24. 88.

F

FIDELES an olim die Paraſceves, & in Sacris pro mortuis celebrãdis se se ab osculo pacis abstinuerint, quod gestientis gaudij speciem non semel referebat? 20. 3. 61.

Fideles adstantes Missis, quibus defunctis piè parentabant, an quondam ad sacram semper accederent communionem, vel quando alia militabat ratio ieiunij, aut mæstitiæ? 20. 43. 75.

Fidelibus Laicis sæcularibus quæ de causa denegari debeat accessus ad Eucharisticam mensam in feria sexta Paraſceves? 20. 47. 76.

Flabellum, & flores an, & qualitee olim deservierint ad divini Sacrificij cultum, & quæ testimonia ex priscis antiquitatis annalibus pro eo stent vsu? 25. 118. 240.

G

GRAVITAS peccati orta ex omissione alicuius Missæ, in cui gratiam præstitum est stipendiũ, vnde metienda sit? 19. 85. 32.

Gravitas damni spiritualis dimanãs ex non celebratione alicuius Sacrificij promissi, vnde commensuranda sit? 19. 91. 34.

Gravitas culpæ vtrum refundatur in omissionem Missæ alteri promissæ ex ratione præcisè materiæ promissæ? 19. 91. 34.

Gratiæ vsus gratis datæ, siue in aliorum bonum an, & quando obliget grauiter? 19. 10. 41.

Galli an pro eodem apud se vsurpent cantare Missam, & celebrare? 19. 129. 53.

H

HOSTIAM consecratam an æquè deceat collocari in Corporalib⁹ benedictis, ac in linteo quolibet communi æquè pretioso, ac nitido? 19. 131. 55.

Hostiæ præconsecratæ particulam vtrum liceat in die Paraſceves vino inconsecrato admiscere? 20. 7. 62.

Hostia quare, & vnde tanto cum religioso apparatus sumptu die Cænæ sacræ in monumento collocetur? 20. 10. 63.

Hora nona an, & quibus in mensib⁹ coincidat cum hora tertia post meridiem, & quibus incumbat regulæ ibi præscriptæ valde esse intentos? 21. 27. 89.

Hora quæ, & qualis antiquitus designata fuerit ad determinatam Missæ celebrationem? 21. 35. 91.

Hora an aliqua in prima nascentis Ecclesiæ luce haberetur præfixa, vt summo litaretur Deo? 21. 35. 91.

Hora nona ab ortu Solis quõdam celebrationi deputata quo pacto sit accipienda tam quoad dies, quàm quoad Missas?

Miſſas? 21.50.97.

Homicidium an, & quando violatione fædet Eccleſiam? 23.55.134.

Hiſpani quodnam indultum habeãt ſibi conceſſum, quo queant calicem, & Corporale nõ deferre, dum ad celebrãdum progrediuntur, & in qua Eccleſia hoc ſanctum habeatur? 25.62.228.

Hiſpani vtrum olim comam adeò effœminatè concinnaverint, vt nunc tẽporis, & ex quo hæc conſuetudo creuerit: vbi adverſus calamiſtratos mirificum deſcribitur documentum? 27.191.346.

I

INDVLGENTIA commiſſa alicui altari, calculoye poſsitne dependere quoad effectum ſuum ab ſtatu celebrantis cum gratia, vel ſine illa? 19.56.22.

Indulgentia plenaria, cuius privilegium extat in calculo independenter à celebratione Miſſæ, poſsitne æquivalere Miſſæ alicui celebrandæ ex intentione fundatoris? 19.61.23.

Impedimenta quæ, & qualia pugnent cum quotidiana Miſſæ celebratione? 19.127.51.

Ignis an olim Regibus, & Imperatoribus è ſuo Palatio decedentibus, vrbesve ingredientibus præferretur? 26.44.254

Idolorum templa in Eccleſias veri Dei non ſemel olim fuerunt conuerſa? 27.152.335.

S. Ioannes Evangeliſta an petalon Sacerdotale geſtaverit, tunicamque ad ſacrificandum propriam habuerit, quæ Baptiſtæ minimè habenda ſit, cum hic camelorum pilis pro veſtib⁹ vteretur? 27.179.342.

S. Iacobus minor an in vſu habuerit colobium candidiſsimum, & quinam illo poſteà functus fuerit, & vbinam terrarum aſſervetur? 27.180.342.

Innocentius III. Pontifex quibuſnã efficacibus verbis Epiſcopos, & Presbyteros provocet, vt accedant ad altare? 27.184.343.

L

LAICI quibus de cauſis ad Euchariſtiam non ſint admittendi pluries in eadem die? 22.15.104.

Laicis exiſtentibus in gratia, & nullo impedimento aliàs implicatis vtrum ſit perſuadẽda quotidiana communio? 19.131.54.

Laici quo habitu, & an enſe accincti licitè queant ad ſuſcipiendam Euchariſtiam accedere, maximè ſi Equites militares ſint, vel militaribus ſtatibus adſtent? 27.188.345.

Laici communicaturi debeantne manus lavare, exterioremque ornatũ expolire, vt conſtat ex Patribus paritatem deſumentibus à quæſita munditie, & ſplendore vaſorum ſacrorum? 27.196.347.

Legislator vtrum valeat prœcipere, vel prohibere rem gravem ſub obligatione levi? 19.112.44.

Lintea quæ, & qualia deſiderentur in altari, & extra ipſum ad ſanctũ Miſſæ Sacrificium? 25.84.232.

Lucerna perpetuò ardebat Hieroſolymis ante Põtificiam ſtolam in turri Antonia. 26.36.251.

Lumen quàm neceſſarium reputetur ad reverentem altiſsimi Sacrificij celebrationem conſuetudine à retroactis ſæculis derivata, & an vnum, vel duplex ſit poſitum ſub hac neceſsitate? 25.94.234.

Lumine in altari extincto, nulloque alio ſe admanus offerẽte, ceſſandum ne ſit ab incœpta Miſſæ litatione, etiamſi populus præcepto ſatisfacturus alterius Miſſæ occaſione non fungatur, vel moribundus exoptato viatico deſtituatur: quid autem ſi id poſt conſecrationem contingat? 25.98.225.

Lumen vnicum adhibere ad Miſſæ Sacrificium, etiam ſepoſito ſcandalo, num reputetur peccatum? 25.99.235.

Lumen extinguere, quin Sacerdos Evangelium S. Ioannis ad finem perduxerit, quodnam cẽſendum ſit peccatũ? 25.100.236.

Luminaria plura, quàm duo accendere, dum Miſſa peragitur, an, & quãdo valde expediat? 25.101.236.

Luminaria tot certo numero determinata, & non alia in Miſſæ celebratione ſuperſtitioſè accendi, quib⁹ de cauſis prohibuerit ſancta Tridentina Synodus? 25.102.236.

Lumina in Miſſæ litatione an neceſſariò cerea, olei, & an extra peccatum ſit,

sit, secluso scandalo, cum lumine olei celebrare? 25.103.136.

Lumina an ex sevo, adipe ballenæ, semine lini, tædisve illitis resina in Missæ Sacrificium confici queant, sub quibusque circumstantijs peccatum mortale, seu veniale sapiat altissimum Sacrificium cum illis peragere? 25.106. 237.

Lumen ante tabernaculum, in quo Christi corpus lux vera asseruatur, incessanter ne est conservandum, fovendumve? 26.36.251.

Lumen in templis multis modis fovere cura erat Gentilibus, quæ varijs antiquitatis monumentis illustratur: 26.36.252.

Lumen an, & quibus de causis præcessurum sit Sacerdotem Eucharistiam in pyxide ad ægrotos deferentem, & quàm religiosis verbis Christiana hæc consuetudo à Rege Alfonso Sapiente commẽdetur? 26.37.252.

Lumen an præcedat Eucharistiam deportatam ante Romanos Pontifices longo itineri se dantes, & similiter præcedere debeat in supplicationibus, processionibusve publicis? 26.39. 253.

M

MAGNATES qua restrictione debeant vti privilegio, vt, post horam à meridie interpositam, sibi Missa celebretur, quod propter abusum in Regis Catholici Curia revocauit Sixtus V.? 21.34.91.

Mappæ altaris an mundæ, lineæ, albæ, quot, & benedictæ; & quodnam peccatum incurret celebrans sine his omnibus requisitis? 25.47.224.

Mappa si sit vnica, sed tamen duplicata, aut triplicata, vtrum sufficiat ad debitum altaris ornatum, & cuiusnam culpæ sit arguendus, qui absque vlla, vna tantùm, vel duplici operaretur Sacris in prædicto altari? 25.51.225.

Mappæ quo pacto in alijs diebus, præter feriam sextam in Parasceve, determinatè ad sacrificandum requirantur, & an causa aliqua rationabilis possit reddere immunem à peccato veniali celebrationem in eis non benedictis? 25.53.226.

Mappis non benedictis celebrare qua intercedente ratione excusetur à peccato lethali, cum secus accidat in Corporali non benedicto benedictione designata à Missali, & Ordine Romano? 25.54.226.

Mappis ad vsus profanos deservientibus possitne Sacerdos vti in altari, easque postea suo domino reddere? 25. 57.227.

Manutergium vtrum necessariò requiratur ad digitorum ablutionem post Offertorium, & quid, casu quo desit in altari? 25.58.227.

Manipuli vsus hodiernus quàm diuersus, dissimilisque ab antiquo, nam olim oculorum, oris, & narium emundationi inseruiebat? 27.37.301.

Mercenarius conductus per totius mensis spatium ad laborandum in vinea, vtrum quo die à suscepto labore excusetur, possit alteri suam operam locare, & novam mercedem sibi iustè comparare? 19.36.14.

Missæ celebrationem frequentem quibusnam ex officio competat curare? 19.4.2.

Missam in quibus diebus non liceat celebrare? 20.1.59.

Missam peragi vtrum extra peccatum liceat in feria sexta Parasceves? 20.1.59.

Missæ litationi quid obstet in feria sexta Parasceves? 20.3.60.

Missam celebrari in Parasceve vtrũ sit licitum, præsente cadavere, vel cõmunione alicuius, qui morti proximus sit, instante? 20.5.61.

Missam de facto in quibusdam Galliæ locis Deo dicatis sub invocatione Annunciationis licet celebrare ex singulari privilegio omnibus Sacerdotib⁹ illuc convenientibus in die Parasceves, quoties cum ipso concurrat Annunciationis solemnitas. 20.6.62.

Missa vna celebrata præcedentibus Prophetijs, & Litanijs in Sabbatho sancto, vtrum sit licita alterius Missæ celebratio? 20.14.64.

Missa, quæ nunc ante meridiem Sabbathi sancti peragitur, an olim prope Auroram Resurrectionis ab vnico Sacerdote perageretur? 20.12.64.

Missam in Sabbatho sancto cur moris sit ante meridiem, & sine introitu peragi? 20.15.64.

Missa Sabbathi sancti peragebatur tempore nocturno; aliæ etiam privatæ inci-

incipientes à Litanijs ſolebant quondã celebrari. 20. 16. 64.

Miſſa celebrata in Sabbatho ſancto vtrum taliter incipiat à Prophetijs, & Litanijs, vt, niſi ijs audiẽdis aſsiſtat populus, præceptum minimè expleat, ſi dies feſtiva ſit? 20. 16. 65.

Miſſæ priuatæ, quæ poſsint dici in die Sabbathi ſancti, vtrum debeant eſſe votiuæ, vel diei occurrentis? 20. 17. 65.

Miſſam ſolemnem Sabbathi ſancti fuiſſe quondam circa initium noctis celebratam, quibus rationibus conuincatur? 20. 19. 65.

Miſſam facere in Sabbatho ſancto, an olim fuerit prohibitum? 20. 19. 66.

Miſſas non faciendi manè in Sabbatho ſancto cur in tantum inualuerit cõſuetudo? 20. 23. 66.

Miſſas non celebrare in Sabbatho ſancto, an iam antiqua cõſuetudine firmatum habeat vim legis? 20. 23. 66.

Miſſæ priuatæ celebrationi adhuc in die Sabbathi ſancti vtrum queat vrgens reputari occaſio aliqua ſpecialis cauſa? 20. 23. 66.

Miſſa priuata in Sabbatho ſancto in Oratorijs priuatis vtrum queat à quouis Sacerdote celebrari? 20. 24. 67.

Miſſa priuata in Sabbatho ſancto poſsitne fieri in Eccleſia, nulla exinde orta cæremoniarum perturbatione, nullo alicuius Laici ſcandalo dimanante? 20. 24. 67.

Miſſa, peractis nondum cæremonijs, & Officijs, queatne fieri in templis, matutino Sabbathi ſancti, nulla vrgente ſpeciali neceſsitate, nullaque indulgente Epiſcoporum diſpoſitione? 20. 24. 67.

Miſſa priuata an in Sabbatho ſancto poſsit fieri ante ſolemnem, & an vnica in ſingulis Eccleſijs? 20. 26. 67.

Miſſam priuatam celebrare die Sabbathi ſancti, vtrum ſit peccatum veniale, vel quæ cauſæ valeant ab ipſo excuſare? 20. 27. 68.

Miſſarum priuatarum celebrationi intendere feria quinta in Cœna Domini an liceat, ceſſante quolibet ſcandalo? 20. 29. 69.

Miſſæ priuatæ an, & quo pacto debeant celebrari in Cœna Dñi, ſi Annũciationis feſtum, aut aliquod ſimile occurrat in eadem die? 20. 32. 70.

Miſſam feria quinta in Cœna Domini celebrari, Euchariſtiamve recondi, Sacrumque ſolemne peragi die Sabbathi ſancti in Oratorijs Confraternitatis vtrum liceat, nulla ad id exacta Epiſcopi licentia? 20. 5077.

Miſſæ Sacrificium ſi intermitti debeat die Paraſceves, quo pacto à PP. & DD. appelletur non ſemel luge, & quotidianum? 20. 52. 79.

Miſſæ pro defuncto num in maius ipſius cedant emolumentum, ſi viginti v. g. ſimul eodem die celebrentur, vel ſucceſsivè totidem diebus? 19. 48. 19.

Miſſa vtrum poſsit differri ad feſtiuitatem ſequentem, quando ipſius ſtipendium accommodatur pro præſenti? 19. 49. 19.

Miſſa in inſtantis neceſsitatis, periculive obligationem celebranda, an poſsit ſub aliquo colore in aliam diem diſtrahi? 19. 49. 19.

Miſſam otioſè differre, vtrum poſsit pertinere ad ſubſtantiam, ita vt lethale ſapiat peccatum? 19. 49. 19.

Miſſa promiſſa ex voto, vel iuramẽto vtrum inducat ſtrictam rationẽ materiæ gravis? 19. 89. 33.

Miſſæ vtrum interdum debeant cum ſolemnitate peragi? 19. 107. 41.

Miſſæ omnes vtrum olim celebrarentur cum cantu? 19. 129. 53.

Miſſa an olim vnica in die, & à quo ſolita fuerit celebrari? 19. 130. 53.

Miſſam qua diei hora ſit rectè præfixum ſingulis diebus regulariter celebrari? 21. 1. 79.

Miſſæ inchoatio ex qua hora poſt mediam noctem liceat vniuerſaliter? 21. 1. 79.

Miſſæ litationem ante auroram exequi, quando mortali, quando autem veniali ſubiaceat peccato; & quonam modo ſit menſurandus auroræ termin⁹? 21. 2. 80.

Miſſæ litationem vtrum poſsit quis exordiri proximè poſt mediam noctẽ, dummodò ipſam protrahat vſq; ad primam naſcentis auroræ lucem, & ſimiliter poſt meridiem, ſi per integram horam prolonget illam? 21. 3. 8.

Miſſam extra Eccleſiam, vel locum in id muneris deputatum aliquando peragere, nulla premente gravi neceſsitate, vtrum ſit peccatum mortale? 23. 7. 119.

Miſſæ

Missæ iteratione in eadem die, & ab eodem Sacerdote, quanta populi multitudo, quę nō satisfecerit præceptō, valeat licitam facere, siue ad eiusdem Missæ incæptæ partem iterùm inchoandam ex charitate obligare? 22. 30. 110.

Missam extra Ecclesiam non consecratam nullatenus celebrandi mos ille antiquitus maximoperè valens, quomodò fuerit iam aliquantulùm relaxatus? 23. 9. 120.

Missa cur celebrari queat, occulta adhuc causa Ecclesiam violante, & non post? 23. 68. 137.

Missæ Sacrificium in domibus priuatis, seu carceribus exequi, vtrum mos fuerit antiquitus? 23. 90. 144.

Missæ Sacrificium an, & in quibus casibus fieri possit in loco ad id nullatenus destinato, & quando Episcopi facultas sit desideranda? 23. 91. 145.

Missa possitne fieri in mari, & quodnam priuilegium circa huiusmodi litationem à Summo Christi Vicario obtinuerint PP. Societatis? 23. 98 147.

Missæ solemnitatem habitam esse non semel in mari, quæ prisca probent exempla? 23. 111. 148.

Missæ præceptum possintne explere qui in priuato Episcopi sacello tam intra, quàm extra Diœcesim eius litationi ex intentione interfuerint? 23 109. 151.

Missæ vrgenti præcepto satisfaciant ne Sæculares, qui in Oratorijs, seu Capellis nostræ Societatis ei audiendæ interfint, in eisdemque possint celebrare Sacerdotes, qui non sunt è Societate? 23. 121. 155.

Missam in Oratorio priuato celebrari, sitne licitum priuilegio Bullæ Cruciatę inspecto, Ordinario tantùm destinante, visitanteve locum, & quam vim sortiatur Bullæ priuilegium, si ad Ordinarij approbationem sit habēdus respectus? 23. 143. 162.

Missæ præceptum adimpleantne, qui eam audierint in Oratorio priuato ex priuilegio Bullæ Cruciatæ, etiamsi familiares, vel consanguinei non sint gaudentis tali priuilegio, & quinā nomine consanguineorum, aut familiarū nomine veniant in præsenti comprehēsi? 23. 154. 164.

Missam vtrum possit audire, seu celebrare tempore Interdicti in priuato Oratorio, qui speciali eius priuilegio gaudet, & quosnam possit huiusce modi priuilegij participes facere? 23. 156. 165.

Missam statim post auroram inchoare, consonū sit rationi, necne? 21. 5. 81.

Missę, quę non sunt illius diei, vtrū possint indifferenter matutino tempore celebrari? 21. 5. 82.

Missam vltra quam horam dissonum nimis appareat differre? 21. 18. 86.

Missarum litatio vsque ad quam horam protraheretur antiquitus? 21. 20. 87.

Missæ celebratio post meridiem, quam latitudinem queat sine peccato veniali admittere, nulla adstante speciali causa, & quinam sit terminus prudēter meridiei fixus? 21. 21. 87.

Missa celebranda post meridiem vtrū debeat accipere prędictam latitudinem quoad principium, an quoad finem? 21. 23. 88.

Missæ ne fuerit vsitatior postpositio respectu meridiei, an antepositio respectu auroræ? 21. 29. 90.

Missam seu priuatam, seu solemnem peragi post nonam horam ab ortu Solis die Sabbathi sancti, an dissonum videatur? 21. 31. 90.

Missarum frequens partitio in solemnes, & priuatas num olim, sicut hunc viguerit? 21. 36. 92.

Missæne priuatę, an solemnes dicerentur, quæ antiquissimo vsu hora tertia singulis diebus celebrabantur? 21. 37. 92.

Missa solemnis, quæ in aliquibus festiuitatibus post Tertiam decantatur in Choro, vtrum sapiat morem illum antiquū celebrandi horā 3.? 21. 38. 93.

Missæ cur nunc celebrentur in ipso auroræ instanti, ita vt nec anteà, nec sub nocte? 21. 41. 94.

Missa Dominicæ Nativitatis fuerit ne celebrata primo diluculo coram frequenti populo? 21. 42. 94.

Missa S. Ioannis Baptistæ vtrum aliquando peracta fuerit in aliquibus Ecclesijs in ortu Solis illius diei? 21. 42. 94.

Missa vnica in festiuitate S. Ioannis Evangelistæ, sicut in S. Laurentij, vtrū fuerit dicta primo mane? 21. 42. 94.

Missarum siue solemniū, siue priuatarū celebratio haberi sēper antiquitus solebat horā 3. vsq; ad 9.? 21. 43. 94.

Missam in festis simplicibus, post Sextam in Choro decantatam, ad populum haberi, vnde suam trahat originē? 21.43.95.

Missa retroactis sæculis an peragere tur hora nona singulis diebus ieiunij? 21.44.95.

Missam diebus ieiunij cantari post Officium Nonæ celebratum, & in Quadragesima Vesperas ante prandium haberi, vnde suum principium habuerit? 21.44.95.

Missæ vespertinæ, & quæ aliæ an, & quomodo fuerint olim celebratæ? 21.49.97.

Missę tantùm vnius ab vno Sacerdote celebratio singulis diebus an, & qualis fuerit? 22.1.98.

Missę tantū vnius celebratio quotocumque die an regulariter sit permissa cuilibet Sacerdoti, ita vt qui prohibitionem de pluribus celebrandis transgrediatur, gravi se adstringat piaculo? 22.1.98.

Missæ an plures, quàm vna, à quolibet Sacerdote elapsis sęculis solitę fuerint celebrari, & quinā plures, & quot celebrarint? 22.5.99.

Missæ plures, quàm vna, in quibusnam SS. solemnitatibus ab eodem Sacerdote fuerint quondam celebratæ? 22.11.102.

Missarum plurium litationem in eadem die ab eodem Sacerdote, quæ causæ potuerint antiquitus licitam facere, & an nullo indulgente privilegio, prementeve necessitate valeant etiā hisce temporibus eandem licentiam facere? 22.14.103.

Missarum trium in celeberrimo die Natalis Domini an apud antiquos eadē, quæ nunc, haberetur religiosa ratio, vbi de privilegijs ad duas, vel ad tres in alijs diebus? 22.16.104.

Missæ tres in Natali Domini an obligent per se ad auditionem, celebrationemve, & vtrum aliquando peraccidēs possint obligare Parochum ad sui celebrationem? 22.17.104.

Missæ tres Nativitatis quo pacto, quave hora debeāt dici, inspectis vndique Rubricis Missalis Romani, & an omnes simul, siue in nocte, siue in luce valeant privatim peragi? 22.17.105.

Missæ tres quibus de causis veniant in celebrationem die vbique terrarum festiua Natalis Domini? 22.22.107.

Missa an, & quibus in casibus possit in eadem die, & ab eodem Sacerdote non semel licitè celebrari, & quoties huic repetitioni sit præstandus locus? 22.23.107.

Missa an vna sola in Ecclesia Alexādrina in quolibet templo, aut in omnibus præclarissimæ illius Ciuitatis antiquitus liceret celebranda? 22.29.109.

Missam bis, aut ter in eadem die ab eodē Sacerdote celebrari, qui, & quales casus possint nō solùm licitum, verùm etiam obligatorium reddere? 22.29.109.

Missa an peragi queat in Capella, quæ existat in aula publica Palatij Ciuitatis, carcerumve publicorum, nullo suffragante Pontificio indulto? 23.162.167.

Missam sinè lumine, & vestibus sacris, instante ęgroti communicandi necessitate, an aliquando celebrari expediat? 26.42.253.

Missam in solo pane celebrari propter nimiam vini penuriam, an sit de indulto aliquarum nationum? 26.127.276.

Missalis quæ, & quanta sit necessitas ad decentem Missæ celebrationem, & an vrgente non leviter aliqua necessitate queat Sacerdos omnem Missam firmiter memoria tenens, seclusa gravi culpa, sine illo celebrare? 25.109.238.

Missalis defectus vtrum suppleri queat per chartam papyraceam, quæ Missam cum integro Canone cōtineat, & in quo casu celebrans sine Missali, etsi totius Missæ firmiter sit memor, culpam nihilominus gravem committat? 25.122.239.

Missale laceratione, aut deformitate nimis quoad partem Canonis corrūpi, & fædari, quàm dissonum videatur, & an illius appositè reficiendi cura Parocho, seu Prælato incumbat ex necessitate? 25.116.240.

Missale an Canonica benedictione sanctum necessariò requiratur? 25.117.240.

Magister Sentētiarum quibus in locis expressum sermonem habeat de pluribus quæstionibus, quę in toto huius secundæ partis decursu laboriosè agitantur, & in quibus Angelicus Præceptor S. Thomas? 27.132.366.

Monachi antiquitus an tam frequēter fuerint ad sacros Ordines promoti? 19.130.54.

Mulieres

Mulieres communicaturæ vtrum debeant accedere operto capite, ſicut è contra viri aperto, niſi conſuetudo apud aliquam nationem vigens omnino contrarium ſuadeat? 27. 192. 346.

Mulieres olim, quæ fuco quolibet capillos ementitæ erant, aut faciem adulterina effinxerant pictura, vtrum à communione arcerentur, & ſimiliter hiſce temporibus eandem pœnam perpeſſuræ ſint, quæ ceruſſa, & omni fuco faciem deliniunt? 27. 193. 346.

Mulieres num obiurgandæ ſint ob vſum pallæ pompoſæ, noſtro Hiſpano idiomate, *Guardainfante*, & quænam communiter reputetur non vndequaq; modeſta illius prima inventrix? 27. 193. 346.

O

OBLATIO Miſſæ quotidiana cur videatur neceſſaria, omninoque conveniens? 19. 2. 1.

Oblatio Miſſæ an omnibus ſuis nervis, viribuſq; impedienda ab Antechriſto? 19. 3. 2.

Obligatio reſtituendi vnde oriatur? 19. 65. 24.

obligatio reparandi damnum ſpirituale, ſubſequutum ex omiſſione alicuius Miſſæ, an vrgeat Sacerdotem iniuſtè prætermittentem Miſſam? 19. 85. 32.

Obligatio gravis vtrum oriatur ex ſimplici promiſsione facta in materia quacumque notabili? 19. 91. 34.

Officij divini determinata hora an valeat aliquantùm anteponi, vel poſtponi ex prætenſa rationabili cauſa? 21. 5. 81.

Officij divini recitatio vtrum debeat præcedere Miſſam ſolemnem, vel Conventualem, vbi premat obligatio Officium illud cantandi, ita vt non poſſit aliter evenire, ceſſante ſcandalo? 21. 5. 81.

Officium ſolemne Miſſæ an poſsit poſt nonam horam ab ortu Solis die Ordinationum celebrari? 21. 30. 90.

Oleum, aut chriſma, nec benedictũ, nec cõſecratum, admixtum benedicto, aut conſecrato, num benedictum, aut conſecratum reddatur, eademque omnino ratio militat pro aqua vſuali admixta benedictę, & pro ruderibus, quibus conſecratum reparatur templum, etiãſi maiorpars olei, chriſmatis, aquę, & ruderum præexiſtenti ſuperaddatur? 27. 86. 316.

Olei an, & quinam vſus fuerit in lege veteri? 25. 105. 237.

Opinionum varietas an ne magis conducat ad latentis veritatis inveſtigationem, quàm quòd Theologi omnes, quaſi præfixo aliquarum epicyclo, ſeſe iterùm, atque iterùm gyrent in orbem? 27. 224. 362.

Opinionum multiplex varietas in Scholis quantæ ſit non parvipendendæ vtilitatis, vt Tullij de Græcia teſtatur? 27. 224. 362.

Opinandi novitas, cupiditaſque iam iam penè antiquatas ſententias ad ſapientum memoriã denuò revocandi, num ſit ex abrupto obiurganda, accuſãdave temeritatis, quod maximoperè deteſtatur Melchior Canus meritiſsimè à noſtro Sforzia Pallavicino cõmendatus? 27. 225. 361.

Oratio aliqua poſt communionem an diceretur pręteritis ſæculis? 20. 37. 72.

Oratorij deputatio quid aliud requirat præter Ordinarij approbationem, & conſenſum ſub omnimoda neceſsitate, ita vt, illo etiam iniuſtè refragãte, neutiquam liceat Oratorij vſus, & quinam Ordinarius debeat præſtare huiuſmodi approbationem? 23. 146. 163.

Oratorij indultum quando expreſsã habet clauſulam, qua in feſtivitatibus ſolemnioribus impeditur celebratio, quę, & quales feſtivitatum nomine veniant intelligendæ? 23. 170. 169.

Oratorij indultum licitam reddens celebrationem, & in præſentia hoſpitũ, ſecluſo prorſus iurium Parochialium præiudicio, quo latiori, ſtrictiorive ſẽſu ſit accipiendum, & qui hoſpitum, iuriumq; ſignificato ſint prudenti exiſtimatione habendi? 23. 171. 169.

Oratorium vtrum queat inſpectis aliquibus circumſtantijs altiori Eccleſiæ munere fungi, vt in eo altaria invi-lentes eaſdem Bullæ Cruciatæ ſibi cõparent Indulgentias? 23. 205. 182.

Oratorij munus an poſsint licitè obire cameræ, vbi dormiunt coniugati, & plateæ, quas in profana munia iam pridem deſtinavit politicum hominum cõmercium, quin hoc in maximã vergat indecentiam? 21. 205. 182.

Oratorij privilegium an, & quando non expleta, siue non verificata conditione subrepticium habeatur, & ad quas personas nobilium nomine ibi singulariter expressas extendatur? 23. 209. 184.

Oratoriū vi privilegiorū an, & quib⁹ positis circumstantijs possit esse duplex in eadem domo, vbi similiter duplex omnino diversa cohabitat familia? 23. 214. 185.

Oratorij approbatio, & visitatio cū est Ordinario delegata, qui, & quot Ordinarij voce comprehendantur; & an possit ex iure visitationem repetere, licentiam limitare, Missæque celebrationem penitus impedire, & ne peragatur à quocumque exempto Regulari? 23. 216. 186.

Oratorium quo apparatu debeat extrui, & ornari? 23. 217. 186.

Ordinis Subdiaconatus an sufficiens materia sit ad sui perfectam constitutionem traditio vacui calicis? 26. 126. 275.

Ordo Presbyteratus an ea necessitate exigat calicem cum vino, patenamque cum pane, vt quolibet deficiente, invalida prorsus reddatur Ordinatio? 26. 127. 275.

Ordinis Sacramentum desideretne ad sui validitatem verba illa In nomine Patris, &c.? 26. 131. 278.

Ordo Sacerdotalis vtrum queat cōferri à Summo Christi Vicario cum facultate consecrandi vnam speciem, & non aliam? 26. 132. 278.

Ordo Sacerdotalis apud Ecclesiam Græcam quid vt materiā, quid vt formam includat ad sui intrinsecum valorem, & quò spectet tanta Inter Romanam, & Græcam Ecclesiam rituum diuersitas? 26. 133. 278.

Ordo Presbyteratus si non fuerit præstitus calice porrecto cum vino, & patena cum pane, vtrum debeat sub cōditione iterari? 26. 134. 279.

Ordinatio hæc casu quo peracta fuisset, vino, & pane in manus initiandi Immissis, nullo intercedēte calice, aut patena, vtrum necessariò foret sub conditione repetenda? 26. 135. 279.

Ordinatio Sacerdotalis vtrum irrita habeatur, si fiat cum pane non triticeo, aut cum fermentato, vino non vitigineo, nec admixto aquæ, & quodnam peccatum in huiusmodi administratione committatur? 26. 136. 279.

Ordo Presbyteratus, & Subdiaconat⁹ à quo exigat tradi calicem, & patenam initiando? 26. 137. 279.

Ordinis Diaconatus, & Subdiaconatus materiā ab Archidiacono tradi initiando, formam verò ab Episcopo proferri, vtrum antiquitus fuerit in vsu apud Ecclesiam Romanā? 26. 138. 280.

Ordo Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, & Acolythat⁹ quæ importent ex essentia sua, & quæ non, & an quòd instrumenta ad quodcumque ex his munus obeundum ab Episcopo tradantur in manus Ordinandorum, intret in cuiuscumque Ordinis essentiā? 26. 139. 280.

Ordinib⁹ Diaconatus, & Subdiaconatus num certò competat esse Sacramēta? 26. 141. 281.

Ordo Sacerdotalis qua de causa petat ex sua essentia collationem instrumentorum Ordinationis manu Episcopi præstitam, & an pariter petat receptionem physico contactu ab initiando factam? 26. 142. 281.

Ordo præsertim Sacerdotalis an sit necessariò iterandus, casu quo defuerit contactus materiæ in Ordinando, ita vt Sacerdos neutiquam habeatur, qui eam manibus non contigerit? 26. 146. 283.

Ordo Presbyteratus an exigat ad perfectum sui valorem instrumenta non solùm physico contactu pertingi vtraque manu, sed etiā adæquatè comprehendi, & an sufficiat, ea tangi interposito aliquo velo, seu panno? 26. 148. 283.

Ordinis Sacerdotalis adæquato valori num iudicetur omnino necessarius contactus physicus coexistens physicè, & mathematicè cū prolatione verborū formæ præstita ab Episcopo? 26. 153. 285.

Ordinis Presbyteratus intrinsecum valorem vtrum constituant contactus physicus hostiæ, & vini, similisque cōtactus patenę in se ipsa, taliter, vt quolibet, aut omnibus his prærequisitis deficientibus nō evaderet Sacerdos inauguratus? 26. 150. 284.

Ordinandus an graviter peccaret, qui sciens, & volens præcipuè contactū patenæ prætermitteret, dum ad Sacerdotiū erat inaugurandus? 26. 150. 284.

Ordines

Ordines omnes vtrum ſalvent perfectè ſuum valorem contactu phyſico coexiſtēte phiſicè, & mathematicè cū prolatione verborum formæ præſcripta ab Epiſcopo? 26. 153. 285.

Ordo Sacerdotalis an reſpiciat vt materiam intrinſecè conſtituentem eius eſſentiam impoſitionem manuum Epiſcopi, & vt formam verba illa (Accipe Spiritum ſanctum) ita vt, prætermiſsis his, denuò ſit ſub conditione repetenda huiuſcemodi Ordinatio? 26. 157. 286.

Ordinis huius moralis valor vtrum petat, ſimul, & ſemel formam ab Epiſcopo proferri; & materiam ab ordinatis phyſicè tangi, & an propter defectum phyſicæ coexiſtentię materiæ, & formæ liceat Sacerdoti ſub dubio inaugurato velle ſub conditione huius Ordinationis repetitionem? 26. 158. 286.

Ordine Diaconatus, & Subdiaconatus invalidè inauguratus, an validè ad Ordinem Presbyteratꝰ promoveretur? 26. 161. 287.

Ordo Subdiaconatus vtrum validus ſit tradito tangendo calice vino, & aqua pleno; ſi autem non certò validus ſit, ſed tantùm probabiliter, vtrum ſub conditione repetendus? 26. 161. 287.

Ordinarius an motu proprio poſsit Oratorium deputare in domibus privatis Sæcularium, & quomodo ab aliquibus intelligatur prohibitio Pij V. & Vrbani VIII. 23. 218. 187.

P

PALLA Corporalis an linea, alba, munda, benedicta in Sacrificij miniſterium deſtinari debeat, & an ex alia materia conſtare queat, vt calicem cooperiat inſtar Corporalis, cuiꝰ extremitate olim cooperiebatur? 25. 12. 203.

Palla Corporalis quibus in Eccleſijs ſit in vſu, & an iuxta Romanam liceat alicui abſque ea ſacrificare, vel abſque Corporali, vel cum illo, etſi non benedicto? 25. 14. 214.

Palla parva, tangens hoſtiam, & patenam ante Offertorium, an linea, & penes quam partem, an rotunda, ſolida, & ponderoſa, benedicta, diſtinctaque ab illa, quæ tegit calicem? 25. 61. 228.

Palatium Epiſcopale, ſi alijs ad vsū demandetur, Epiſcopo iam ablato è viuis, an adhuc privilegium, quod anteà, retineat? 23. 109. 151.

Pallium ornans frontem altaris an, & quale, quove colore variegatum ex cæremonijs exigatur? 25. 63. 228.

Pallium anteriorem partem altaris exornans an vſitatum in omnibus Eccleſijs, an neceſſarium, & in quibus anni diebus? 25. 66. 229.

Parens totius generis humani Adamus an cum viginti quinque coſtis conditus à Deo fuerit, ex quarum redundanti vna Eva efformata ſit, vel an poſt cum viginti quatuor, & loco ablatę denuò altera producta ſit in corpore Adami? 27. 227. 363.

Parochi an teneantur valdè frequēter celebrare, vt ſuo muneri ſatisfaciant? 19. 12. 5.

Parochi cur, & quando obligentur celebrare? 19. 12. 5.

Parochis num incumbat quærere Sacerdotes mercenarios ad celebrationē Miſſarum pro multitudine populi vndique ad eorum Eccleſias confluentis? 19. 12. 5.

Parochi an teneantur Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ fidelibus miniſtrare, attenta ſolùm horum devotione? 19. 14. 6.

Parochus an inſpecta ſolùm vnius, aut alterius devotione cogi poſsit ad aſsiduam, quotidianamve Miſſæ celebrationem? 19. 14. 6.

Parochum an ex obligatione premat in die Nativitatis Domini trium Miſſarum celebratio, Parochianorum devotione ſic exigente? 19. 15. 6.

Parocho num incumbat obligatio offerendi Miſſam pro ſuis ovibus, quādo ipſis adſtantibus celebrat? 19. 16. 6.

Parochus an animi laxandi, recreandive cauſa valeat vno, vel altero die à celebratione ceſſare? 19. 16. 6.

Parochus num obligetur Miſſam applicare pro ſuis Paræcianis, à quibus Decimas, aliaque emolumenta accipit? 19. 16. 6.

Parocho an liceat aliquando ab alio non ſuo Paræciano ſtipem accipere, ſi velit pro ſua intētione Miſſam offerri? 19. 16. 6.

Parochus an posſit ſana conſcientia Miſſarum legata à ſuis Paræcianis ſibi comparare, ſcientibus ipſis quotidianã celebrationem propter Parochiam pinguem cadere ſub ſtricta oligatione Parochi, cedentibus tamen iuri ſuo? 19. 22. 8.

Parochi an aliquando queant non leui obligatione gravari offerendi Sacrificia pro ſuis Paræcianis? 19. 22. 8.

Parochi obligenturne ex charitate ad Sacra applicanda ſpeciali titulo pro ſuis Paræcianis? 19 23. 9.

Parochus vicinus an posſit pluſquã ſemel in eadem die celebrare, ſi per accidens non adſit ex officio celebraturꝰ, & an eodem prorſus tenore ſit theologizandum de Clerico non Parocho, & in Provincijs hęreſi oppreſsis? 23. 24. 111.

Parochus ex officio duabus Eccleſijs præpoſitus an valeat die Cœnę Domini in vtraque celebrare, & pariformiter feria ſexta Paraſceves duplicem particulam præconſecratam vino immiſſam licitè conſumere? 22. 35. 111.

Parochus duabus Eccleſijs præfectꝰ, ſi die Cœnæ Domini incautè in vtraq; celebret, & non posſit ſine ſcandalo Officium in feria ſexta Paraſceves in neutra omittere, quonam pacto ſe gerere debeat quoad ſumptionẽ duplicis particulæ vino admiſcendæ? 22. 35. 111.

Parochus quidam quanta inſcitia, ſtultitiave prohibuerit depoſitionem corporis S. Engelberti Martyris proximè occiſi, timens ſuæ Eccleſiæ contaminationem? 23. 51. 132.

Paſtor legitimus, ſi abſit, num obligatione teneatur iuſtum alimẽtum ſuo Vicario ſuppeditandi, vt posſit celebrare Miſſas, ad quas ipſe tenebatur? 19. 16. 6.

Patena an ſit de neceſsitate Sacrificij ſub culpa gravi, quodve munus exerceat in ipſo, & elapſis ſæculis an ex vitro, ligno, ſimilive materia conflari fuerit ſolita, & quare mos ille omnino deſueverit? 26. 23. 243.

Patenam ex ſtanno, ære, aut cupro iri conflatum, inauratam tamen quoad partem ſuperiorem, an ſit poſitum extra peccatum? 26. 15. 247.

Patena vti, etſi inaurata, ex orichalco, ære, aut cupro artefacta, non aſtante rationabili cauſa, an excuſetur à peccato mortali, & an eadem militet de calice ratio? 26. 26. 248.

Patena ſi ærea, ſtannea, aut cuprea ſit, eademq; num ſtet pro calice ratio, an ſub gravi obligatione auro, vel argẽto debeat artificioſè contegi, & an quodcumque metallum aptum ad patenam videatur, dummodo partes ſuſceptivæ ſacrarum ſpecierum auro, argentove illitę appareant? 26. 23. 248.

Patenæ figura olim diverſa, & ſimul magnitudo; verùm nunc temporis cõmunem vſum, Eccleſiæque conſuetudinem nullatenus debet excedere. 26. 27. 249.

Patenæ conſecratio ad quem ſpectet ex poteſtate Ordinis, & à quonam ſimplex Sacerdos poſſet huiuſmodi poteſtatem derivatam ſibi vendicare? 26. 64. 259.

Patena inconſecrata an prudentes cenſeatur conſecrata per Miſſæ celebrationẽ cũ ipſa, ſeclusa chriſmatis vnctione, ita vt deinceps posſit licitè inſervire divino Sacrificio? 26. 71. 261.

Patena vtrum in exſecrationem abeat, ſi tali colliſione feriatur, vt nequeat niſi minus aptè hoſtiam continere; circa quam ęquo pacto eſt tibi theologizandum, ac de calice? 26. 119. 273.

Patena an, & quibus de cauſis polluatur, contamineturque per ſanguinis, vel humani ſeminis ſacrilegam effuſionem, & vtrum hæc tam modica eſſe queat, vt propter parvitatem materiæ non cauſet pollutionem? 26. 120. 274.

Peccata omnia commiſſa in loco ſacro an per ſe contrahant malitiam ſacrilegij, dum per ſe reſpectum ad locũ ſenſibilem imbibant? 23. 78. 140.

Pœna an, & quæ ſit ſtatuta in Iure Canonico transgredientibus prohibitionem de pluribus Miſsis non celebrãdis ſingulis diebus, & an de huiuſmodi ſcelere cognoſcere, ad ſanctum Inquiſitionis ſpectet tribunal? 22. 4. 99.

Pyxis, in qua Chriſti corpus deponitur, an requirat intra ſe aliquod linteum benedictum, aliquodve vaſculũ ex materia linea conflatum, benedictione neque Corporalis benedictum, apud quod Euchariſtia aſſervetur? 25. 68. 229.

Pyxidem collocari ſupra Corporale, aut linteum benedictum, qua conſuetudine

tudine sit receptum, maximè in aliquibus Ecclesijs? 25.70.230

Pyxis, qua includitur Christi corp⁹ ante, & post consecrationem, quo in situ debeat à celebrante reponi? 25.71.230.

Pyxis asservans Eucharistiam an semper debeat super Corporale collocari, siue dum est in Ecclesia, siue dum defertur ad ægrotos? 25.75.231.

Pyxis includens sanctissimum Christi corpus an similiter intra suam cavitatē debeat includere vas linteum, vel quæ ratio militet in contrarium? 25.79.232.

Pyxis sacra quo extrinseco ornatu debeat ad decentiam componi, siue ad pulchritudinem concinnari? 25.83.232.

Pyxis, in qua Christi corpus est reponendum, qua materia debeat conflari, an ex ære inaurato, orichalcove pulchrè elaborato, dummodò vasculū inclusum aureum, vel argenteum sit, alioquin an debeat habere cuppam saltem inauratam? 26.28.250.

Pyxis hęc an lignea fuerit in vsu apud minus cultam antiquitatis gentem, & quænam illius figura; vbi de ostensorio, in quo Christi corpus venerabile redditur populo? 26.31.& 32.250.

Pyxis, qua præstita diligentia custodiri, tabernaculumque, in quo claditur, obseruari debeant? 26.34.251.

Pyxis hæc an, & à quo necessariò necessitate præcepti debeat benedici, & an queat ab alio, quā ab Ecclesiæ Ministris manibus suis versari, vbi idem prorsus est tenendum, ac de alijs vasis sacris? 26.45.255.

Pythagoræ celebre admodūm prouerbium, *Nudis pedibus sacrifica, & adora.* 27.5.290.

Planeta, cuius partes facilè ad invicem sunt separabiles, an exlecrationem subeat per huiusmodi separationem? 26.98.268.

Planeta an ex multis stolis benedictis confici queat, quin novam desideret benedictionem? 27.92.318.

Planeta S. Petri Apostoli vbinam gentium debito cultu, & reverentia habeatur, & qua forma confecta fuerit? 27.178.342.

Pontificis Summi privilegium de Missa defunctorum celebranda quo vero, & genuino sensu accipiendum sit? 19.64.25.

Pontifici Summo soli sitne reservata potestas præstandi facultatē, vt Sacra licitè peragātur in mari? 23.99.148.

Pontifex facultatem enixè contendentibus denegavit, vt Sacris operarētur in triremibus maris mediterranei? 23.100.148.

Pontifex an de plenitudine suæ potestatis tāta gaudeat facultate, vt queat alicui non Episcopo iniungere aliquem actum pertinentem ad Ordinem Episcopalem ex institutione Ecclesiæ, seu ex iure divino Christi, vt benedictionem chrismatis ad Confirmationem, illiusque legitimam administrationem? 26.49.305.

Pontificum defunctorum corpora pulchrè Dalmaticis contegi, an moris fuerit apud Romanos, & cur ille in desuetudinem abierit, & quo legitimo sensu Canones huic mori adversantes intelligi possint, ac debeant? 27.15.337.

Populo an olim in celebritate Paschatum laudabilis moris fuerit ad sanctam accedere communionem? 19.117.47.

Præceptum celebrandi latum ab Episcopis num positis aliquibus circumstantijs possit obligare graviter? 19.103.40.

Præceptum admiscendi aquam vino in Sacrificio ob mysticam significationem vtrum constituat rationem materiæ gravis? 19.112.44.

Præcepta quæ, & qualia obligent tantùm in communi? 19.113.44.

Presbyteri an olim possent Sacris operari, adstantibus Episcopis, vel eis inconsultis? 19.130.53.

Privilegia ad celebrandum per vnam horam ante lucem, vel post meridiem quem genuinum sensum imbibant? 21.17.85.

Privilegia quædam concessa ante Motum proprium Pij V. anno 1566. cur cautè sint practicanda? 21.28.89.

Principium illud apud Theologos tum Moralis, tum Scholasticæ facultatis satis celebre, *Qui potest magis, potest & minus*, quanto cū grano salis sit accipiendum? 27.51.305.

Privilegia quanta, & qualia quibus perfruuntur Prælati Regulares ad consecranda altaria, calices, & patenas, aliaque huiusmodi? 27.65.309.

Priores Ordinum Militarium Hispaniæ gaudentes iurisdictione quasi Episcopali

Episcopali in vtroque foro, an habeant in sua potestate siue ex suis privilegijs, siue per communicationem Cistertiensium vasa reddere sacra, aras, & Ecclesias divino cultui deputare, quatuorque minoribus Ordinibus quemcumque initiare? 27. 73. 311.

Prior si alicui Monasterij Milit. Ord. Monachus Cistertiensis constituatur, an simul cum dignitate Abbatiali fungatur potestate vasa, & altaria consecrandi? 27. 78. 313.

Priores Alcantaræ, & Villanovæ vtentes insignijs Pontificalibus in diuinis Officijs, & benedictionem solemnem populo elargientes, an pariter vi privilegij ad cōsecrationem vasorum, & altarium ampla gaudeant facultate? 27. 78. 313.

Priores Ordinum Militarium an privilegio, vel consuetudine potestatem consecrandi altaria, & vasa sibi adsciuerint? 27. 78. 313.

Priores, & Rectores Conuentuum, & Collegiorum Militarium, aut Vicerectores an potestate perfruantur benedicendi ornamenta Sacerdotalia per communicationem privilegij Regularium, & an hoc extendi possit ad Abbates Cōmendatarios, vel Sæculares, qui nulla potientes iurisdictione solam sibi vendicarunt primam sedem in aliquo Capitulo, vel Ecclesia? 27. 80. 313.

Purificatorium an, & qualiter requiratur, an debeat benedici, quave materia componi, & an olim fuerit in vsu in Ecclesia? 25. 15. 214.

Purificatorium manibus Laici, siue viri, siue feminę, nō semel contrectari, an cadat sub peccato veniali, an sub mortali? 25. 18. 215.

Purificatorium an per crucis efformationem in ipso à reliquis pannis ad tergendas manus destinatis rectè distinguatur, necne? 25. 64. 229.

Q.

QVÆSTIONIBVS aliquibus defensandis, siue stes pro earum affirmativa, siue pro negativa parte, quare nulla censura sis iustè feriendus, dummodò in fidem Orthodoxam, bonosve mores minus contulisse nō videaris? 27. 227. 363.

R

RAMI palmarum, & candelæ qua benedictione quasi sacrę reddantur, & an, ea perseverante, ad alios vsus non sacros deservire possint? 27. 164. 338.

Regulares Sacerdotes an possint Missam diferre per totum illud tempus post meridianum, in quo eis liceret, si non essent privilegiati vi privilegiorū post Motum Pij V. anno 1566. concessorum? 21. 28. 89.

Regularibus vtrum faveat Bullæ Cruciatæ privilegium, vt eo suffragāte absolvi queant à reservatis per quēlibet Confessorem ab Ordinario approbatum? 23. 148. 165.

Regulares an, & quibus diebus valeant Eucharistiam Sæcularibus ministrare, vtrum die Paschatis, vt communionis annuæ præcepto satisfaciant? 23. 179. 172.

Regulares in privilegijs nostræ Societatis communicantes an queant Eucharistiam ministrare in Ecclesia Parochiali, vbi aliquis è Nostris ad populū concionem habeat, nulla ad id muneris à Parocho petita, nec præstita licentia? 23. 185. 174.

Regulares Eucharistiam Sæcularibus ministrare, vt iniunctum de cōmunione annua expleant præceptum, vtrū impediat expressa aliqua Pōtificis Declaratio? 23. 187. 175.

Regulares vtrum possint communicare Sæculares, aliqua instante gravi necessitate, & quæ, & qualis debeat ista reputari, vt id officij possint obire per modum viatici? 23. 191. 177.

Religiosi Ordinis S. Hieronymi an gaudeant privilegio celebrandi vna hora ante crepusculum, & an eodem perfruantur, qui sunt è Societate Iesu? 21. 13. 84.

Religiosorum privilegia de Missis peragendis circa diversas, & insuetas horas an fuerint revocata Concilij Tridentini authoritate? 21. 15. 84.

Religiones vtrum aliquibus privilegijs fungantur ad suspēsionem Interdicti in quibusdam festivitatibus? 23. 88. 144.

Religiosi qui, & quibus gaudeant privilegijs circa locum, in quo Deo sit litandum? 23. 118. 154.

Religiosi qui, & cuiusnam Ordinis qua intercedente restrictione, amplitudine ve, & ad quos tam hac, quàm illa se extendente, privilegium comparaverint, vt in suis grangijs locum aptũ destinent ad divinum cultum? 23. 126. 157.

Religiosis cuiusnam Ordinis fuerit concessa facultas celebrandi cum altari viatico, vbicumque morati fuerint, & an derogata sit per Tridentinam Synodum? 23. 133. 158. & 23. 141. 161.

Religiosi infirmi, etiam fœminę, extra claustra monasterij degentes, an queant aliquo indulto illis adfavente efficere, vt coram ipsis Missa celebretur in Sæcularium cameris, & an è cõtra isti idem possint exequi in cubiculis Monasteriorum, aliqua grávi infirmitate eos inibi detinente? 23. 138. 160.

Religiosi nobiles graduati, & Presbyteri Monasterij de Veles, & S. Marci Legionensis an sortiti sint privilegiũ altaris portatilis, vbicumque gentium commorentur? 23. 140. 160.

Religiosi communicantes in privilegijs alterius Religionis vtrum teneãtur stare restrictionibus impositis à Generáli illius Religionis? 23. 185. 174.

Religiosi Hieronymiani Conventus B. Marię de Guadalupe, & per communicationem reliqui eiusdem Ordinis Conventus an aliquo gaudeant privilegio, quod eis reddat licitam ministrationem communionis etiam in die Paschatis, respectu personarum cuiuscumque gentis, & conditionis? 23. 189. 176.

Religiosi an, & quibus attentis circumstantijs queant Viaticum ministrare famulis intrà sua claustra ægrotantibus, & quibus competat famulorum nomen? 23. 198. 179.

Religiosis gaudentibus Oratorij privilegio etiam quoád grangias, vtrũ sit potestas Ecclesiæ Sacramenta dispẽsandi suis famulis, Monasterij expensis sustentatis, & quinam famulorum nomen specialiter sortiantur? 23. 201. 181.

Religiosi Diœcesis Angelopolitanæ quo iure potuerint suis domesticis tẽpore Paschatis Eucharistiam ministrasse? 23. 202. 181.

Religioso, aut nobili viro an citra peccatum veniale liceat aquam propinari in calice consecrato, etsi iam absterso, & quid respectu aliorum Sæcularium? 27. 157. 336.

Reliquias Sanctorum, Agnos Dei, & alia huiuscemodi Laicorum manibus contrectari, etiam si illa sint sacro oleo delibuta, an, & in quibus circumstantijs excusetur à peccato? 25. 40. 222.

Religiosi quare teneantur frequenter intendere celebrationi Missę? 19. 27. 10.

Rubricarum Missalis præcepta an, & quando graviter obligent? 19. 7. 8.

Rubricę quos dies festos designent, habeantve? 19. 41. 16.

S

SANCTVS Thomas an scientia infusa divinitus illustratus cunctas penetraverit sententias suas, quas non retractavit? 27. 220. 360.

Sanctus Ludovicus Rex Galliæ an, & quomodò sanctissimum Christi corpus in suis navigationibus deportaverit? 23. 102. 149.

Sanctus Stephanus vtrum vsus fuerit tunica sacra, & quanam S. Iacobus minor vteretur in altari? 27. 180. 342.

Sacerdos, qui ratione Beneficij tenetur ad Missarum applicationem pro aliquo specialiter, an eisdem possit satisfacere fideli, qui præstiterit stipendium? 19. 25. 10.

Sacerdos stipendiarius, qui tenetur Sacris operari per determinatum vni hebdomadę, mensisve spatium, an possit vno, vel altero die honestatis causa à celebratione supersedere? 19. 35. 13.

Sacerdotibus simplicibus vtrum incumbat aliquando sacrificare, ne alioquin lethale incurrant peccatum? 19. 95. 36.

Sacerdotibus simplicibus impositũ celebrandi præceptum an, & ad quod determinatè tempus obliget? 19. 99. 38.

Sacerdos omittens celebrationem debitam, num graviori peccato sese adstringat, quàm si lethali culpa infectus ad sanctum accedat altare? 19. 101. 39.

Sacerdos quàm gravis peccati fœditate

ditare deturperur, dum divino Sacrificio peragendo se subducit motus metu dimanante ex pusillanimitate vitiosa, turpique negligentia? 19. 101. 39.

Sacerdotes in veteri lege an non solùm matutino, sed etiam vespertino tẽpore sacrificarint? 19. 104. 40.

Sacerdotem simplicem an premat obligatio offerendi Sacrificium pro populo? 19. 109. 42.

Sacerdotes, qui semper à sacra celebratione supersederint, an comprehendat sub aliquo præcepto obligatio accipiendi aliquando communionem Laicam? 19. 110. 42.

Sacerdos, qui reverentia Sacrificij ductus sese ab altari abstinuerit, an saltem contrahat peccatum veniale? 19. 111. 42.

Sacerdos, qui per totum vitæ suæ spatium ſponte sua non sacrificaverit, quibus de causis non possit sese à culpa excusare lethali? 19. 115. 45.

Sacerdotem an, & quibus inspectis circumstantijs premat celebrandi obligatio? 19. 117. 47.

Sacerdos an olim teneretur accedere ad altare singulis diebus, quibus populus tenebatur ad communionem? 19. 117. 47.

Sacerdos an attentis aliquibus extrinsecis causis teneatur Sacris operari plusquàm ter, vel quater in anno? 19. 117. 47.

Sacerdos an possit incurrere in aliquod impedimentum talis naturæ, & conditionis, vt illo perseverante obligationem nõ subeat toto anno celebrãdi? 19. 119. 47.

Sacerdos an sit obligatus à se omnino ablegare quamlibet occasionẽ prorsus impedientem celebrationis, qualis prudenter censetur, sese in plurima negotia distrahere? 19. 119. 48.

Sacerdos an intra annum Ordinationis teneatur celebrare? 19. 120. 48.

Sacerdotes sacris Ordinibus noviter initiati an obligationem strictam contrahant alias tres Missas post primam celebrandi? 19. 121. 48. & 123. 50.

Sacerdos simplex vtrum teneatur celebrare, quando populus aliam Missã audiendam non habeat? 19. 124. 50.

Sacerdos an, & quare teneatur Sacrificium peragere, ne aliquis moriatur sine Viatico? 19. 124. 50.

Sacerdotem simplicem an vrgeat graviter obligatio celebrandi, vt expleat præceptum audiendi Sacrum, annuamve vt suscipiat communionem, vel, alicui gravi expositus periculo, recipiat Viaticum, absente alio Sacerdote, qui hæc munera posset obire? 19. 125. 50.

Sacerdotes an, & quibus de causis obligentur ad quotidianam celebrationem? 19. 127. 51.

Sacerdotes an primis Ecclesiæ temporibus operarentur Sacris ex præcepto? 19. 129. 52.

Sacerdos quo peccato se adstringat, si temporalis lucri, seu stipendij emolumẽto avidè intentus Sacrificium celebret, ita vt deficiente illo deficeret istud? 19. 136. 58.

Sacerdos, qui celebraret die Parasceves, an ipso facto incurreret irregularitatem? 20. 5. 61.

Sacerdotes, qui indispositi se Sacris quotidie tradunt, qua de causa fœdiori ipsis Laicis vita, turpiorique fama aliquando apud omnes vilescant? 19. 136. 58.

Sacerdotes an olim possent celebrare privatim sub vesperam Sabbathi sancti, apparente prima stella, & an ante mediam noctem finiendę essent Missę istę? 20. 23. 66.

Sacerdotes non celebrantes in Sabbatho sancto, siue quicumque alij an possint more Laico communicare? 20. 36. 72.

Sacerdos an in die Nativitatis Domini possit vnam, vel duas siue sub nocte, siue sub die celebrare, vel quas maluerit Missas eligere, etiam de Beata Virgine, aut de Defunctis pro sua deuotione? 22. 18. 105.

Sacerdoti die Dominicæ Nativitatis vtrum liceat plusquàm vnam sumere communionem Laicalem, si nolit celebrare, vel post eam bis, aut semel Sacris operari, vel è contra post vnam, duplicemve celebrationem accedere ad communionem Laicalem? 22. 19. 105.

Sacerdotes quinam, an Seculares, aut Regulares, & in qua mundi plaga privilegium sortiantur bis Sacris operandi in die Commemorationis defunctorum? 22. 20 106.

Sacerdotem celebrantem bis in eadem

dem die vtrum Immunem redderet à peccato lethali cauſa paupertatis? 22. 24. 107.

Sacerdoti an liceat Sacrum repetere, quando alter Sacerdos infirmatur, qui ſimul cum ipſo in eadem Eccleſia ſolebat celebrare? 22. 26. 108.

Sacerdos an poſsit iterùm celebrare cauſa infirmi communicandi, & pariter eandem Miſſam repetere, ſumpta iam purificatione? 22. 36. 112.

Sacerdos, qui pranſus, vel potus in extremum vitæ deveniat periculum, an poſsit Sacris operari, vt ſibi prouideat de Viatico, de quo ſibi aliter prouidere non valet; 22. 40. 113.

Sacerdos vtrum etiam pranſus poſsit occultè in Eccleſia celebrare ſine veſtibus ſacris, vt infirmum iam iam periclitantem reficiat Viatico? 22. 40. 113.

Sacerdos, vel quilibet alius moribundus an poſsit ieiunus ſub veſpere accipere Viaticum, etiamſi ieiunus alia de cauſa mane ad Communionem acceſſerit? 22. 41. 113.

Sacerdos ieiunus an, & quibus in caſibus teneatur in eadem die Miſſę celebrationem ſecundò peragere? 22. 43. 114.

Sacerdos, qui paulò ante conſecrationem calicis vinum aqua temperaſſet, qua de cauſa à ſecunda celebratione deberet abſtinere? 22. 46. 115.

Sacerdos, qui in prima Miſſa non ſumit purificationem, nec ablutionem, an ieiunus habeatur ad ſecundam Miſsã celebrandam? 22. 48. 116.

Sacerdos Sacrum peragens in Eccleſia violata, ſiue pollura quàm graviter peccet, & an dilabatur in pœnam irregularitatis? 23. 17. 122.

Sacerdos an, & quando obligetur Miſſam incęptam relinquere imperfectam, & quando finire poſita Eccleſiæ violatione? 23. 19. 122.

Sacerdoti vtrum, ſicut antiquitus, ſic nunc liceat Euchariſtiæ Sacramentũ itineris ſocium ſiue publicè, ſiue priuatè ſecum adferre? 23. 76. 140.

Sacerdos ſiue Sæcularis, ſiue Regularis Sacris operans, in Oratorio priuato alicuius Sæcularis, vtrum debeat ab Ordinario approbari, ni indulto Bullæ Cruciatæ ſit priuilegiatus, quid autem ſi ſit? 23. 173. 169.

Sacerdotes ſimplices Sæculares an queant Euchariſtiam fidelib⁹ miniſtrare etiam ad communionem Paſchalem in Eccleſi. Regularium de licẽtia Prælati, Sacriſtæve, etiam ſi non de beneplacito Ordinarij? 23. 184. 174.

Sacerdotes veteris legis an ſacrificarint, Ægyptijque Monachi Miſſam celebraverint, vel in religioſum humilitatis ſpecimen ſacroſancta myſteria perceperint nudis pedibus? 27. 5. 290.

Sacerdotes quibus de cauſis nunc temporis calceati divinis ſe tradant Sacrificijs? 27. 6. 291.

Sacerdotis celebrantis caput an neceſſariò debeat eſſe diſcoopertum, ita vt ex ſolo Pontifice diſpenſatione obtenta illud aliquo pileolo liceat cooperire? 27. 8. 291.

Sacerdotibus in Polonia moris erat cooperto capite vſque ad conſecrationem celebrare, & adhuc durat vſque ad Offertorium? 27. 10. 292.

Sacerdotes apud Sinas totum Sacrũ cooperto capite peragunt, nã apud ipſos detectio eſt probroſa, & an ipſis à Pontifice fuerit indultum, vt inter rem divinam alio pileo vterentur, nuſquàm aliàs geſtando, & à profano maximopere diverſo? 27. 11. 292.

Sacerdotes Armenij, Græcique an dum ſanctiſsimi Sacrificij litationi vacabant, cucullo, cuphiaque caput velauerint, & ſimiliter alij cum Epiſcopo Alexandrino celebrantes? 27. 12. 292.

Sacerdos veteris legis an cidarim in capite geſtaverit? 27. 12. 292.

Sacerdos vacans litationi habens pileo velatum caput, quodnam incurrat peccatum, & quibus de cauſis excuſetur, & an ſi Pontifex adiri facilè nequeat, adeundus ſit neceſſariò Epiſcopus daturus licentiam, vel hæc remoto contemptu, & ſcandalo, omitti aliquãdo queat? 27. 13. 293.

Sacerdotem celebrantem an deceat caput Amictu tegere, vt Sacerdotibus antiquitus de more fuiſſe conſtat ex verbis illis, *Impone Domine capiti meo*, &c. 27. 16. 293.

Sacerdoti celebranti etſi non liceat pileolum ex lino, lana, ſericove confectum capiti adaptare, an tamẽ expediat aliquando galericulum coma aſcititia intertextum capite geſtare? 27. 18. 294.

Sacerdos cõmunicaturus extra celebra-

lebrationem an graviter obligetur ad debitum ſtolæ ornatum? 27. 102. 320.

Sacerdos celebrans ſine ſtola, aut manipulo, ſiue cum illis non benedictis, quàm graviter peccet, etiam ſi aliàs Sacro prætermiſſo extremam neceſsitatē paſſurus eſſet? 27. 108. 322.

Sacerdos, qui ex præcepto Eccleſiæ, vel Religionis regula Miſſam celebrare tenetur, an poſsit illam licitè prætermittere, caſu quo nec manipulum, nec cingulum inueniat, & an liceat Religioſo, vrgente neceſsitate, vti Ordinis ſui chorda, corrigiaue loco cinguli? 27. 105. 321. & 27. 109. 322.

Sacerdoti an ſit in permiſſu Sacris operari ſine cingulo, vel ſtola, cauſa alicuius tentationis illuſtriori victoria ſuperandæ? 27. 110. 332.

Sacerdos an ſine cunctis veſtibus, aut illis non benedictis, omnibus Miſſæ ritibus prætermiſsis, prolatis ſolùm conſecrationis verbis, conſecrando in pane fermentato. Sacrificiumque pariter dimidiando, facta ſcilicet conſecratione ſub vnica tantùm ſpecie, & ieiunus valeat licitè celebrare communicatur? Infirmum ad extremas vſq; vitæ lineas perductum? 27. 112. 323.

Sacerdoti cuilibet an ſit permiſſum ſine omnibus veſtibus Sacerdotalibus celebrare, vt Viatico reficiat peccatorem ſolùm attritum, mentiſque ſuæ omnino impotem, & prorſus incapacem actus contritionis eliciendi, & ſine copia recipiendi quodlibet aliud Sacramentum? 27. 133. 330.

Sacerdoti an peccato verteretur, cum veſtibus non benedictis altiſsimū agere Sacrificium, vt præberet Viaticum infirmo iam iam morituro? 27. 136. 331.

Sacerdos an teneatur potiùs ſubire mortem, quàm Miſſam peragere ſine omnibus veſtibus Sacerdotalibus, aut ſine principalioribus, cum illis verò nō benedictis, etiam ſi mors iugulo eius immineat, non in contemptum religionis, aut Eccleſiæ, ſed ob aliam cauſam irrationabilem? 27. 38. 331.

Sacerdoti ſi non imputetur culpæ gravi abſque omnibus veſtibus Sacerdotalibus celebrare ob mortis manifeſtum diſcrimen imminens, num à fortiori nec imputandum ſit, abſque ara, calice, & cæteris aliis ex iure poſitivo requiſitis propter eandem cauſam, vel quia animis grave damni temporalis detrimentum ipſi impendet? 27. 146. 333.

Sacerdos celebraturus Miſſam de Requiem an prætermiſſurus ſit oſcula in manipulo, Amictu, & ſtola? 25. 65. 229.

Sacerdotes, vel præcipuè minoribꝰ Ordinibus initiati, an ſub gravi obligatione teneantur recitare Pſalmos, aliaſve preces ipſis in Ordinatione ab Epiſcopo impoſitas? 19. 122. 49.

Sacerdoti vtrum liceat, ad enſem à ſuo iugulo declinandum, Euchariſtiam miniſtrare publico peccatori, vel occulto eam publicè petenti, vt huius infamia vitetur? 27. 151. 334.

Sacerdotibus an olim fuerit libera purificatio, & ablutio poſt communionem non aſſumentibus paſtillum, & vinum, quod ex conſuetudine miniſtrabatur communicantibus? 27. 203. 349.

Sacerdotis defuncti facies apud Græcos quo velamine operiretur? 27. 162. 338.

Sacerdos an obligetur denegare cōmunionem viro accedenti ad illam cincinnis muliebrem in morem criſpatis? 27. 191. 345.

Sacerdos Sacrum celebrans, Matutinis antè à vltrò non recitatis, an lethale cenſeatur perpetraſſe peccatum, & quinam fuerit partis negativæ primus Coryphæus, & quàm malè audiverit apud aliquos? 27. 230. 365.

Sanctorum PP. authoritas, ſiue cuiuſcumq; Doctoris mens qua efficacia, moderatione ve ſit in medium adducēda pro quibuſcumque opinionibus impugnandis, propugnandiſve? 27. 228. 364.

Sacræ Congregationis Cardinalium Declarationes quonam pacto ſint aliquando intelligendæ? 19. 77. 39.

Sacrum in die Cœnæ Domini an aliquando inceptum fuerit celebrari circa decimam horam? 21. 45. 95.

Sacrum in vigilia Paſchæ ad noctis initium, an fuerit peractum imperfectè? 21. 46. 96.

Sacrum in Sabbatho ſancto vtrum ſucceſſerit poſt Baptiſmum, & an hic hora nona miniſtraretur, vel ad quam horam in tali die ieiunium ſolueretur? 21. 47. 96.

Sacrilegium

Sacrilegium an ſuam hauriat malitiam à ſui manifeſtatione? 23.75. 139.

Sacra quæ nationes, & quibus Dijs velato capite peregerint, & templum adierint oraturi? 27. 19. 294.

Sacrificij præceptum, in legis naturalis ſtatu, quam obligationem rerum, & rituum determinatè indueret? 19. 113. 44.

Sacrificij præceptum quam obligationem in lege veteri Sacerdotibus injungeret? 19. 113. 44.

Scholis in Theologicis defenſari oppoſita theoremata probabilia, quantùm referat ad exactam veritatis elucidationem? 27. 220. 360.

Scholæ aliæ Theologicæ præter vnã an ſydera errantia ſeu haberi, ſeu vocitari queant? 27. 217. 358.

Scholis alijs præter vnam ex ſyderũ errantium appellatione an potiùs honor, quàm dedecus proveniat? 27. 221. 361.

Scholæ eiuſdem Theologis vtrum inſuetum ſit, vel abſurdum, in aliquib⁹ opinionibus diſſentiri? 27. 224. 362.

Scientia increata, ſeu divinus amor vtrum reddat intelligentem, amantẽve animam Chriſti, vel etiam repugnet de potentia abſoluta, parſque affirmativa num ſortiatur probabilitatem? 27. 229. 364.

Scomma in Vvitembergenſes hæreticos dictum quodnam fuerit, & an in aliquos Catholicos Theologos queat detorqueri? 27. 217. 358. & 27. 222. 361.

Societas ſæpe an teneatur ad celebrationem Miſſæ Conventualis? 19. 6. 3.

Societatis Sacerdotes cur, & quàm frequenter obligentur, ſeſe divinis Sacrificijs tradere? 19. 28. 11.

Societas qua de cauſa in Miſſis ſuis ſolemnibus celebrandis ſæpe ſoleat non adhibere Diaconum, & Subdiaconum? 19. 107. 41.

Societatis Confeſſarij an, & quibus de cauſis ſuis Laicis pœnitentibus terminum aliquem in accedendo ad Euchariſtiam præfigant? 19. 133. 56.

Societatis Scholares quando, & cur frequentiùs, quàm octavo quoque die ad communionem poſſint accedere? 20. 25. 67.

Societatis Sacerdotes an, & quibus graudeant privilegijs, vt ante auroram & poſt meridiem, etiam ſpatio vnius horæ interpoſito, queant quotidianę Miſſæ celebrationi vacare? 21. 11. 83.

Societatis Sacerdotes an poſſint pro ſuo libito vti privilegijs celebrandi per vnius horæ ſpatium ante auroram, & poſt meridiẽ, quin extet gravis admodùm cauſa? 21. 11. 83.

Societatis Sacerdotibus vtrum liceat vſus cuiuſdam privilegij Benedictinis conceſſum, vt valeant Sacris operari immediatè poſt mediam noctem, ſi vrgente gravi cauſa itineri ſint ſtatim accingendi? 21. 14. 84.

Societatis Religioſi an vi alicuius privilegij, nulla in contrarium impedimenti cauſa ſe offerente, queant per ſemihoram ante auroram divini Sacrificij oblationi vacare, aliqua adhibita moderatione? 21. 12. 83.

Societatis Sacerdote emiſſuro ſolemnem profeſsionem in feſto Dominicæ Nativitatis an liceat ante, aut poſt ipſam ſemel, aut bis celebrare, ſumpta in ipſa profeſsione communione Laicali, vt laudabilis ſert mos Societatis; vel an profeſsio ſit differenda in alium diẽ, etiam inconſulto Provinciali? 22. 19. 106.

Societatis Sacerdotes an habeant ſibi conceſſum privilegium, duplicem Miſſam peragendi in remotiſsimis mũdi plagis? 22. 21. 106.

Societatis Religioſi an in aliquo eventu poſſint facere conſecrari, aut benedici Eccleſias Societatis cum cæmeterijs, & primum lapidem poni ab alio Epiſcopo alterius Diœceſis? 23. 13. 121.

Societatis Rectores, alijque Superiores vtrum in aliquo caſu poſſint cæmeteria, Eccleſias, & Oratoria tantùm pro eiuſdem Societatis vſu ſolemni benedictione ſacrare? 23. 13. 121.

Societatis Superiores an, & quando queant aqua à ſe benedicta Eccleſias, cæmeteria, & Oratoria polluta, violatave reconciliare? 23. 23. 124.

Societas an, & qua poſita amplitudine, reſtrictioneve potiatur privilegijs deligendi intra ſua Collegia locum aptum ad ſanctum Miſſæ Sacrificium? 23. 118. 154.

Societatis Sacerdotes an ſint ſortiti aliquod indultum, vt altare portatile in ſuis Miſſionibus ad vſum commodũ adducere queant, & ad quoſnam alios Religioſos derivetur huiuſmodi privilegium? 23. 122. 155.

Societatis Provincialibus an per ſe, vel per ſubſtitutos in ſuis habitationib⁹ ſit indultum, approbare Oratorium, & quibus alijs è Societate faveat prædictum privilegium? 23. 123. 155.

Societas an obtinuerit aliquod privilegium, quo favente Miſſæ celebrationi aliquod altare queat deputare Intrà cubiculum alicuius Religioſi infirmi, aulamque Collegij, Domus, Reſidentiæ, vel Grangiæ? 23. 124. 156.

Societatis Superioribus an ſacra Cardinalium Congregatio ademerit poteſtatem erigendi Capellam in ſuis ruſticis prædijs, & quæ prædiorum voce ſignificentur ad huiuſmodi privilegij participationem? 23. 129. 157.

Societati vtrum liceat vi alicuius privilegij alijs Regularibus conceſſi erigere altare ad Miſſæ litationem intra alicuius Religioſi infirmi cubiculũ, vt aliter impotens ibi Sacrũ audiat? 23. 138. 160.

Societas quonam pacto debeat vti aliquo privilegio etſi ipſi conceſſo, adhuc tamen à Præpoſito Generali non applicato? 23. 178. 171.

Societatis Sacerdotes an, & quomodò aliquo ſuffragante privilegio queãt Euchariſtiam Sæcularibus ſiue in mortis periculo, ſiue tempore Paſchatis miniſtrare, petita à Parocho, non tamẽ obtenta licentia? 23. 182. 173.

Societatis Sacerdotes an, & in quibus circumſtantijs poſsint ſacro Chriſti corpore peregrinos, & vagos, etiam pro communione Paſchali, alere? 23. 197. 179.

Societatis Sacerdotes an gaudeant facultate Viaticum, & reliqua Sacramenta Alumnis Seminariorum, quæ ſubſunt regimini Societatis, Ordinario omnino inconſulto, miniſtrãdi, & quo iure famulis ſervientibus in Collegijs? 23. 189. 180.

Societatis Sacerdotes miniſtrent ne licitè Viaticum, & reliqua Sacramenta, penitus inconſulto Parocho, cuicũque Sæculari, qui aliquo vulnere ſaucius ad noſtros lares confugiat, vel intra eos aliquo repentino morbo correptus iam iam naturæ concedere credatur? 23. 198. 180.

Societatis Sacerdotibus an, & vbi faueat aliquod privilegium in ordine ad benedicenda Corporalia, veſtimentaye ſacra? 25. 11. 213.

Societatis Sacriſtę ſintne aliquo modo privilegiati, ſi ad primam tonſuram ſint promoti, vt ornamenta ſacra licitè attrectent; quid verò, ſi non ſint promoti? 25. 28. 218.

Societatis Ædituis regula iniungit, vt in Sacriſtia ſudariola tot habeant appenſa, quot fuerint domi Sacerdotes, pluribuſque anteà annis hæc inſtitutio in Religione Hieronymiana efflorueratne? 25. 59. 227.

Societatis Præfectus Eccleſiæ qua adſtringatur regula providendi, vt in Coporalibus, alijſque pannis celebrationi inſervientibus acu efformentur cruces, & an hæc antiquitus viguerit conſuetudo? 25. 64. 229.

Societatis Præfecto Eccleſiæ iniungitur ſuis in regulis, vt curet, Noſtros ſeparatos ab externis in Eccleſia communicare. 27. 198. 348.

Societatis S. Franciſc⁹ Xaverius quas cruces mirificè ſculptas apud Socorotę Inſulanos in altaribus adinvenerit? 25. 87. 233.

Societatis Ædituo in ſuis regulis iniungitur, ornamenta in altari pro ratione temporum diligenter præparare, veſteſque Sacerdotales omni impenſa diligentia non ſemel expolire? 27. 40. 302.

Societatis Superiores an, & quænã pertinentia ad divinum cultum queant benedicere ratione alicuius privilegij in ipſos derivati, & an hoc pro vſibus proprijs reſtrinxerit Præpoſitus Generalis? 27. 53. 306.

Societatis Superiores gaudentes poteſtate benedicendi veſtimenta Sacerdotalia, an, & quibus vrgentibus circũſtantijs illa vti queant ad alia vſui externorum deſervitura? 27. 53. 306.

Societatis Sacerdotes in remotiſſimis terris degentes an ſint ita privilegiati, vt poſsint benedicere, & conſecrare omnia divini cultus ornamenta, & Eccleſias ſimul cum cœmeterijs reconciliare, aliaque huiuſcemodi præſtare, & qua latitudine, ſeu reſtrictione ſit privilegium hoc intelligendum etiã quoad

quoad aliorum in eo communicationem? 27. 58. 208.

Societatis Presbyteri an ratione alicuius privilegij habeant potestatē consecrandi calices, patenas, altaria, & reconciliandi cæmeteria, maximè ab Ecclesia seiuncta, aut polluta, neutiquam polluta Ecclesia, cum de his omnibus sub solo nomine benedictionis sermo habeatur? 27. 59. 308.

Societatis Superiores an queant, adsavente aliquo privilegio, etiam post Sacræ Congregationis Card. Declarationem, altaria, & calices consecrare in Civitate, Diœcesi ve Angelopolitana, vel in alijs remotissimis tum Orientis, tum Occidentis plagis? 27. 66. 309.

Societatis Sacerdotibus an indultum fuerit ministrare Sacramentum Confirmationis in remotissimis terrarum nationibus, & an indultū idipsum fuerit alijs Religiosis? 27. 67. 309.

Societas quibus de causis obligationem Chori non sit amplexata? Et obiter respondetur ad quædam inconvenientia, quæ ex defectu Chori in Societate somniavit nonnemo. 27. 117. 324.

Societati mos est, die cœnæ Domini Sacerdotibus, more Laico in Missa solēni communicantibus, calice consecrato vinum propinare, & non alijs, nec eisdem eodem modo in alijs diebus communicantibus? 27. 157. 336.

Societatis Sacerdotes defuncti an vestibus sacris iam iam sepeliendi iuxta laudabilem Ecclesiæ vsum ornari convenienter debeant? 27. 161. 337.

Societatis Presbyteris an specialiter sit indultum, communionem fidelibus quocumque tempore ministrare; siue ante, siue post Missam? 27. 205. 350.

Societatis Presbyteri an vti possint privilegio peragendi Sacrum vna hora interposita post meridiem, quin adsit vlla ad id causa vrgens, sed solùm arbitrium Superiorum? 21. 26. 89.

Societatis Scriptores in suis opinionibus moralibus an ferè semper habeant patronum, aut asseclam ex Dominicanis? 22. 49. 116. & 25. 34. 220.

Societatis, & aliorum Ordinū Religiosi quāta cum circumspectione vsuri sint suis privilegijs, & vicissim Episcopos quàm attentos esse oporteat, ne operentur contra illa? 23. 177. 170.

Societatis P. Emmanuel Sà in Aphorismis Confessariorum commendatur à multis, quorum aliquos refert Author. 24. 43. 203.

Societatis P. Emmanuel Sà in omnibus ferè suis opinionibus habeatne Authores faventes siue priores, siue posteriores, præsertim ex Dominicana Religione, & in ijs etiam, quæ dicuntur correctę authoritate Reverendissimi Magistri Palatij sacri? Quidnam de Sà tradat Expurgatorium sanctę Inquisitionis Hispanæ? 25. 34. 220.

Societatis P. Alfonsus Salmeron Venetijs acriter invectus est in fœminas nudantes minus honestè pectus, quarū aliquæ maxima sui eloquij efficacitate adactę habitum minus decentem denudarunt. 27. 193. 346.

Species Sacramentales vtrum obsint ieiunio Ecclesiastico, vel naturali, & an aliquando ipsis magnoperè præiudicent? 22. 48. 117.

Stola, & casula duplicatæ vtrum valeant dividi in duas, quin opus sit alia benedictione præter vnam ad vtramq; partem externam, & internam, & simili modo an in vsu esse queant nunc penes vnam partem, nunc penes aliam? 27. 90. 317.

Stola an queat subire munus cinguli, vel manipuli, aut è contra, nulla desiderata nova benedictione, præcipuè si quodlibet ex his antea benedictionem receperat? 27. 91. 317.

Stola S. Clementis Episcopi Metēsis an extet adhuc in hominum memoria? 27. 181. 317.

Subdiaconi quo iure antiquitus cōtenderint, continentiæ à nuptijs lege nullatenus se teneri? 25. 22. 217.

Subdiaconis an pateret olim aditus ad Secretarium in Ecclesia, & quid Secretarij nomine significetur, quave de causa iam Diaconicon, iam Salutatoriū appellaretur? 25. 26. 218.

Sudariolum ad quid exigatur in altari, & an debeat deferri à Sacerdote suprà bursā Corporalis; quod illustri admodùm exemplo, authoritateque Cōciliorum apprimè confirmatur? 25. 59. & 60. 227.

Superiores in Communitatibus an debeant esse stricti in præstanda facultate Sacerdotibus, vt matutino Sabbathi sancti Sacris privatim operentur? 20. 25. 67.

Superpelliceum induere, ſuper quod veſtibus ſacris eſt induendus celebraturus, an ipſe teneatur, & inter veſtes Eccleſiaſtica benedictione ſacrandas ſit numerandum? 27. 29. 298.

T

TABELLA Secretarum, & pulvinus ſupponendus Miſſali an, & qualiter exigantur ad debitam Miſſæ celebrationem? 25. 117. 240.

Tabernaculum, in quo aſſervatur pyxis ſacra, an, & qua benedictione debeat diuino cultui deputari? 26. 55. 257.

Templum ſanctum Dei num aliquã qualitatem ſpiritualem ſibi comparet ex conſecratione facta cum cæremonijs debitis? 27. 81. 314.

Templi conſecrati ingreſſus, preceſque in eo ad Deum effuſæ, idemque de quibuſcumque alijs Sacramentalibus, an ex opere operato remiſſionem peccatorum venialium pariant, nullo ad id deſiderato actu ſiue formaliter, ſiue virtualiter, implicitèque retractativo eorum, quorum nulla extet complacentia? 27. 82. 314.

Themiſtocles, expletis centum, & ſeptem annis, fertur dixiſſe, ſe mori, quando ſapere cæpiſſet. 27. 223. 361.

Theologiæ Scholaſticæ exordia Authore Magiſtro Sententiarum Petro Lombardo, cuius encomia recẽſentur, & cuius Opus Sententiarum non taxatur à S. Bernardo; ſed ſuos habet næuos, vtpote hominis, & Scriptoris non Canonici, ſicuti plerumque habent Opera aliorum Doctorum ſimilis conditionis, etſi ſint Claſſici, & laudati in Eccleſia Dei. 27. ex pag. 355. vſque ad 357.

Theologiæ Scholaſticæ progreſſus per Theologos Magiſtro poſteriores, quorum multi referuntur, & qui diuiſi in varias Scholas, atque opiniones amplificarunt Theologiam. 27. 215. 357.

Theologiæ Scholaſticæ non vnus tantũ Princeps, aut Ductor, quem cæteri omnes, & in cunctis opinionibus debeant ſequi. 27. 217. & 218. 358. & 359.

Theologia in Scholaſtica ſi quem eligas Ductorem, an cum libertate diſcedendi quãdoque, vtpote ab homine, cuius intellectus non fuerit determinatus ad ſemper pertingendum veritatis, probabilitatiſue maioris ſcopum? 27. 219. & 220. 359. & 360.

Theologia in Scholaſtica diſſenſiones quoad opiniones ſunt valde diſſimiles diſcordijs Hæreticorum inter ſe. 27. 222. 361.

Theologus quid debeat conſiderare ad ferendam cenſuram de opinione, quam ipſe non ſequatur? 27. 225. & 226. 362. & 363.

Theologus nimis inſiſtens authoritati vnius Patris Eccleſiæ contra opinionẽ aliquã, quæ alterius Patris, aut Theologorum authoritate, & rationibus ſit probabilis, quot in incommoda incidat? 27. 228. 364.

Theologus aliquis ſi in ſuis aſſertionibus non ſeruet conſequentiam, num ideo tota eius Schola ſit inconſequentiæ arguenda? 27. 224. 362.

Theologi, qui ſunt eiuſdem Scholę, aut familię, diſcordant non rarò in multis opinionibus. 23. 224. 362.

Theologi inter ſe diſputent, ſalva ſemper charitate, & ex deſiderio inueniendæ veritatis, non ex factione Scholæ, aut patriæ. 23. 224. 189.

Theologum quid iuuet, quidue cõmendet, num Scholaſticæ ſubtilitates meræ, vel an ſimul peritia de diuina Scriptura, de effatis Summorum Pontificum, de Concilijs, & SS. PP.? Vbi Epiſtola familiaris ad duos Doctores Iuris Canonici proponitur legenda, in qua etiam agitur de iuuamine diſciplinæ Canonicæ per Theologicam. 27 ex pag. 367. vſque ad 371.

Thomiſticæ Scholæ candidati quidam notati, qui vocant ſe ſtellas in ſupremo eius Scholæ fixas firmamento; & qui alios appellant ſydera errantia. 27. 218. 358.

Thomas Hurtadus in ciuilibus verbis tractans Proſperum Stellartium, Ioannem Caramuelem, Theophilumq; Raynaudum notatur, & monetur. 27. 31. 299. & 33. 300.

Thomæ Hurtadi ſententia de vera, & propria ratione Sacrificij in Martyrũ aliorum præter Chriſtum morte impugnatur, vtque videatur oppoſita Cõcilijs, SS. PP. & Theologis. 27. 32. 299.

Thomę Hurtadi intricata ſententia de non repugnante, ex abſoluta Dei potentia, liberatione damnatorũ aliquot per interceſsionem SS. Martyrum in extremi

extremi Iudicij die discutitur, ostenso eius sententiæ primo Authore, qui fuit Caspar Barthius. 27. 33. 299.

Thomas Hurtadus iudicio Antonini Dianæ debuisset magis modestè se habere in censurandis, & refellendis aliorum Doctorum opinionibus; blandè monetur iterùm ab Authore, qui respondet ad plura minus attentè scripta ab ipso contra Authores Societatis, & contra eandemmet Societatem. 27. ex pag. 324. vsque ad 328.

V

VASA quæ, & qualia sint requisita ad Missæ Sacrificium? 26. 1. 242.

Vasa potatoria olim ex Chalcedonio lapide solebant totius artis impensa industria elegantissimè confiari. 26. 9. 235.

Vasa, remotè divino ministerio inservientia, an etiam debeant sacrâ subire benedictionem? 26. 56. 257.

Vas in se continens chrisma an debeat benedici, vel consecrari? 26. 57. 257.

Vasa sacra, an talia soleant denominari per chrismatis vnctionem, vel an per solam receptionem sacramentalium specierum? 26. 59. 258.

Vasa profana passim olim in ministerium sacrum destinabantur. 27. 152. 335.

Vasa sacra, & alia divini cultus vendere pretio, vel comparare, quotuplici cogente necessitate sit licitum, & an vt sic vendita ad vsus trahantur profanos, debeant priùs dissolui, in aliamque redigi formam? 27. 170. 340.

Vasa sacra, si debito exponantur pretio, vt divino cultui inserviant in alio templo, an integra tradi debeant, & venditio hæc an etiam extra necessitatem liceat? 27. 171. 340.

Vasa sacra, an si hoc ipso quòd premente necessitate licitum sit suo æstimabili pretio vendi, Pontifex, seu Episcopus censendi sint permittere, retenta eadem forma, vsui deservire profano? 27. 172. 340.

Vasorum, & totius supellectilis sacræ benedictio, aut consecratio ab Episcopo schismatico præstita, num invalida sit habenda ex potestate Ecclesiæ sic decernentis? 27. 172. 340.

Vasis, & alijs ad divinum cultum pertinentibus an ritè peracta consecratio aliquam qualitatem spiritualem pariat, eis indelebiliter impressam in statu suæ integritatis iuxta genuinam S. Thomæ mentem; & vtrum statu illo deperdito, simul pereat qualitas illa? 27. 174. 341.

Velum operiens calicem, & bursa includens Corporale qua materia, quove colore debeat apprimè confici, & exornari, & an benedictionem requirant? 25. 62. 228.

Vestes Sacerdotales, Corporalia, aliaque his similia an vt benedicta sint habēda per solam cum ipsis celebrationem; expediatque, vestem non benedictam benedictæ annectere, vt ex celebratione habeatur vtraque benedicta? 26. 89. 266.

Vestes Sacerdotales quot, & quales sint requisitæ ad Missæ Sacrificium? 27. 2. 289.

Vestes vsuariæ, quibus superinduendus est Sacerdos, dum accedit ad altare, an debeant esse honestæ, & ad talos vsq; demissæ, & an sine vrgenti causa in habitu Sæculari celebrare, & illo Sacerdotē vestitum quotidie incedere, graue reputetur peccatum? 27. 27. 298.

Vestium Sacerdotalium qui color, numerus, figura, & quæ vestis Sacerdotis ornatui deputata vocata fuerit *Fano*? 27. 34. 300.

Vestes Sacerdotales qua materia, & magnitudine artificiosè, ornatèque intertextum iri expediat, & an iuxta cōuenientem Officio, vel Missæ colorem eas semper accommodari debere ea vi vrgens extet præceptum in Iure Canonico, vt, etiam interveniēte rationabili causa, neutiquam liceat Sacerdoti Missam v. g. de Nativitate Domini celebraturo cum ornamentis coloris nigri ad altare accedere? 27. 39. 302.

Vestes Sacerdotales an ab Episcopo debeant benedici, & is queat simplici Sacerdoti suam potestatem delegatam velle, vel an huiusmodi benedictio sit è potestate iurisdictionis, vel Ordinis? 27. 41. 303.

Vestium Sacerdotalium divino cultui sacra benedictione deputationem, seu ex privilegijs per se, seu ex communicatione quinam Religiosi habeant sub sua potestate? 27. 52. 305.

Vestes Sacerdotales, seu quælibet alia supellex sacra quid specialitatis sibi vendicent

vendicent ex benedictione, consecratione ve? 27. 81. 314.

Vestes sacras benedicere, Corporali excepto, an sit indultum vi privilegiorum Religiosis Prælatis, & an illa nisi ad vsus proprios iam in derogationem abierint, aut Prælatus hac gaudēs potestate, eam queat delegare simplici Sacerdoti sibi subdito? 27. 53. 306.

Vestes, vel sacra vasa benedictione, aut consecratione Ecclesiastica qui in divinum destinaret cultum, lethali infectus peccato, num ideo se ve novo alio perstringeret? 27. 83. 315.

Vestes Sacerdotales an, & sub quib⁹ circumstantijs in suæ benedictionis iacturam abeant necessariò, ita vt muneris sui executioni minus aptæ reddantur? 27. 84. 316.

Vestis quælibet Sacerdotalis an benedictionis iacturam faciat, dum in varias sui partes dissecta, in eas iterùm copuletur, & solidè cōiungatur, secluſa prorsus noua artificis industria? 27. 98. 319.

Vestes Sacerdotales quot, & an benedictæ sub gravi præcepto adhiberi debeant in Sacrificio? 27. 99. 319.

Vestium Sacerdotalium aliquam prætermittere, vt cingulum, vel quamlibet earum, etsi non prætermissam, non benedictam tamen adducere ad Sacrificium, an excusetur à peccato mortali propter parvitatem materiæ? 27. 103. 320.

Vestem aliquam Sacerdotalem minorem, vt manipulum, aut stolam, in Missę celebratione prætermittere, cōpellente aliqua nō levi necessitate, an, & quando crimini non vertatur gravi, & quanta, & qualis in æstimatione prudentum censeri debeat prædicta necessitas? 27. 105. 321.

Vestes Sacerdotales an sub tam stricta cadant Sacrificij obligatione, vt eis deficiētibus istud peragi nequeat, qualibet supervenientre necessitate etiam Viatici conferendi homini iā iam morituro? 27. 111. 322.

Vestes principaliores Sacerdotales, vt Alba, Amictus, num ita sint requisitæ ad celebrandum, vt in nullo eventu, etsi valde gravi, qualis foret iam iam moriturum communicare, liceat sine illis celebrare? 27. 111. 322.

Vestes Sacerdotales an mundæ, & omnino integræ sint adhibendæ ad celebrationem? 27. 148. 333.

Vestes immundas, aut lacerasin Sacrificio adhibere, quando culpa censeatur venialis, quando autem mortalis, ita vt etiam sub minis mortis, quamuis non intento religionis, aut Sacrificij contemptu, prohibitum sit cum illis celebrare? 27. 150. 334.

Vestes si ex consilio lacerę, aut luto, qualibet ve spurcitie infectæ reddantur, sub mortisque comminatione ad operandum rei divinæ Sacerdos vrgeatur, an potiùs debeat ensi iugulum submittere, quàm præfatæ irreverentiæ acquiescere? 27. 151. 335.

Vestes profanæ, & eadem prorsus militat in alijs ratio, in figuram sacro muneri aptam efformatæ, & Ecclesiastica benedictione sanctificatæ an in vsū sacros, secluſo scandalo, trahi licitè queant? 27. 152. 335.

Vestes sacræ, aut vasa an possint, retenta adhuc consecratione, benedictione ve, in vsus profanos inculpabiliter conuerti, aut liceat potum agrotantibus in calice ex devotione propinare, vel vinum, aut aquam infusam in calicem, purificatorio purgatum, ministrare? 27. 159. 155.

Vestes sacras induere in torneamētis, ludo, profanaque, etiam honestæ Cōmædiæ, repræsentatione siue intra Ecclesiam, siue extra illam in theatro publico, num queat aliquibus positis circumstantijs excusari à peccato mortali? 27. 160. 337.

Vestibus sacris humanda Sacerdotum corpora, & etiam Diaconorum, & Subdiaconorum decenter exornare, nū sit iuxta vsum pium Ecclesiæ? 27. 161. 337.

Vestes sacræ in tanta olim habebantur reverentia, vt, etiam sacra benedictione deperdita, ad vsus humanos neutiquam traherentur, sed vel in aliud templi munus, vel in ignem quoad cineres redactæ in piscinam sacram mitterentur? 27. 163. 338.

Vestes Sacerdotales, deperdita iam figura suo muneri apta, num citra peccatum tam mortale, quàm veniale in vsus alios decentes adduci queant? 27. 164. 338.

Vestes sacras, & quælibet alia supellectilis sacræ subire munera profana, qui Canones, & quæ rationes prohibeant? 27. 166. 339.

Veſtes, & alia divino cultui ſacra ſub quibuſnam circumſtantijs vendi, & oppignorari, licitum extra Simoniam ſit? 27. 168. 339.

Veſtium ſacrarum vſus in Eccleſia à quibus retroactis ſæculis originem trahat, & num ex Apoſtolica diſciplina in eam fuerit derivatus? 27. 176. 341.

Veſtis penula, de qua S. Paulus, an ad vſum Sacrificij deſtinata fuerit, vel potiùs ad arcendum frigus, & pluviam: quòd ſi primùm, an eadem cum caſula, quam ſpecialem formam habuerit, & vnde *Planeta* dicta ſit? 27. 178. 342.

Veſtium ſacrarum quinam PP. non ſemel commendent vſum? 27. 182. 343.

Veſtis Laicorum communicantium, corporiſq; habitus, & reverentia qualis debeat eſſe, vt conſtat ex expreſſa multorum PP. authoritate? 27. 186. 344.

Vinum infuſum calici an reddatur conſecratum in die Paraſceves per admiſtionem hoſtiæ præconſecratæ? 20. 8. 62.

Tabula incæptionis crepuſculi matutini per totum annum in locis Caſtellæ veteris, & nouæ ſitis ad 41. gradum altitudinis, necnon à 39. vſque ad 42. Promiſimus illam in Diſp. 21. n. 4. pag. 81. vt ſciant Sacerdotes, qua hora matutina poſſint exordiri Sacrum.

IANVARII die 23. incipit crepuſculum matutina hora 5. & dimidia.

Februarij 5. h. 5. quadrante, & dimidio.
9. h. 5. & q.
15. h. 5. & q. d.
22. h. 5.

Martij 1. h. 4 qq. 3. & d.
6. h. 4. qq. 3.
12. h. 4. & d. & q. d.
18. h. 4. & d.
23. h. 4. q. & d.
28. h. 4. & q.

Aprilis 3. h. 4. & q. d.
7. h. 4.
11. h. 3. qq. 3. & d.
16. h. 3. & qq. 3.
21. h. 3. & d. & q. d.
27. h. 3. & d.

Maij 1. h. 3. q. & d.
6. h. 3. & q.
11. h. 3. & q. d.
16. h. 3.
21. h. 2. qq. 3. & d.
28. h. 2. & qq. 3.

Iunij 5. h. 2. & d. & q. d.
22. h. 2. & d.

Iulij 9. h. 2. & d. & q. d.
17. h. 2. & qq. 3.
24. h. 2. qq. 3. & d.
29. h. 3.

Auguſti 3. h. 3. & q. d.
8. h. 3. & q.
13. h. 3. q. & d.
17. h. 3. & d.
23. h. 3. & d. & q. d.
28. h. 3. & q.

Septembris 2. h. 3. qq. 3. & d.
4. h. 4. & q. d.
16. h. 4. & q.
21. h. 4. q. & d.
27. h. 4. & d.

Octobris 3. h. 4. & d. & q. d.
9. h. 4. & qq. 3.
14. h. 4. qq. 3. & d.
21. h. 5.
27. h. 5. & q. d.

Novembris 3. h. 5. & q.
10. h. 5. & q. d.
21. h. 5. & d.

Decembris 8. h. 5. & d. & q. d.
23. h. 5. & qq. 3.

Tabula altera Ortus, & Occaſus Solis in locis, de quibus ſuprà.

IANVARII die 10. Oritur Sol hora 7. quadrante, & dimidio.
Occidit hora 4. quadrantibus 2. & dimidio.
20. or. h. 7. & q.
Oc. h. 4. & qq. 3.
27. or. h. 7. & q. d.
Oc. h. 4. qq. 3. & d.

Februarij 3. or. h. 7.
Oc. h. 5.
9. or. h. 6. qq. 3. & d.
Oc. h. 5. & q. d.

15. or. 6. & qq. 3.
Oc. h. 5. & q.
21. or. h. 6. & d.
Oc. h. 5. q. & d.
26. or. h. 6. & d.
Oc. h. 6. & d.

Martij 4. or. h. 6. q. & d.
Oc. h. 6. qq. 2. & d.
9. or. h. 6. & q.
Oc. h. 5. & qq. 3.
15. or. h. 6. & q. d.
Oc. h. 5. qq. 3. & d.
21. or. h. 6. Æquinoctium verna-
Oc. h. 6. (le.
27. or. h. 5. qq. 3. & d.
Oc. h. 6. & q. d.

Aprilis 1. or. h. 5. & qq. 3.
Oc h. 6. & q.
6. or. h. 5. & d. & q. d.
Oc. h. 6. q. & d.
10. or. h. 5. & d.
Oc. h. 6. & d.
18. or. h. 5. q. & d.
Oc. h. 6. & d. & q. d.
24. or. h. 5.
Oc. h. 6. & qq. 3.

Maij 1. or. h. 5. & q. d.
Oc. h. 6. & qq. 3. & d.
7. or. h. 5.
Oc. h. 7.
14. or. h. 4. qq. 3. & d.
Oc. h. 7. & q. d.

Iunij 2. or. h. 4. & d. & q. d.
Oc. h. 7. q. & d.
22. or. h. 4. & d. Solstitium æsti-
vum.
Oc. h. 7. & d.

Iulij 12. or. h. 4. & d. & q. d.
Oc. h. 7. q & d.
24. or. h. 4. & qq. 3.
Oc. h. 7. & q.

Augusti 1. or. h. 4. & qq. 3. & d.
Oc. h. 7. & q. d.
7. or. h. 5.
Oc. h. 7.
14. or. h. 5. & q. d
Oc. h. 6. qq. 3. & d.
21. or. h. 5. & q.
Oc. h. 6. & qq. 3.
27. or. h. 5. q. & d.
Oc. h. 6. & d. & q. d.

Septembris 1. or. h. 5. & d.
Oc. h. 6. & d.
7. or. h. 5. & q. d.
Oc. h. 6. q. & d.
12. or. h. 5. & qq. 3.
Oc. h. 6. & q.
17. or. h. 5. qq. 3. & d.
Oc. h. 6. & q. d.
23. Æquinoctium autumnale.
24. or. h. 6.
Oc. h. 6.
30. or. h. 6. & q. d.
Oc. h. 5. & qq. 3. & d.

Octobris 5. h. 6. & q.
Oc. h. 5 & qq. 3.
10. or. h. 6. q. & d.
Oc. h. 5. & d. & q. d.
16. or. h. 6. & d.
Oc. h. 5. & d.
21. or. h. 6. & d. & q. d.
Oc. h. 5. q. & d.
27. or. h. 6. & qq. 3.
Oc. h. 5. & q.

Novembris 2. or. h. 6. qq. 3. & d.
Oc. h. 5. & q. d.
8. or. h. 7.
Oc. h. 5.
15. or. h. 7. & q. d.
Oc. h. 4. qq. 3. & d.
22. or. h. 7. & q.
Oc. h. 4. & qq. 3.

Decembris 2. or. h. 7. & q. d.
Oc. h. 4. & d. & q. d.
22. or. h. 7. & d. Solstitium hye-
Oc. h. 4. & d. (male.

BIBLIOTECA PROVINCIAL - PALENCIA

FINIS SECVNDAE PARTIS.

SALMANTICAE
EX TYPOGRAPHIA SEBASTIANI PEREZ.
ANNO M. DC. LIX.

ex Græco, & hi tres in vnũ sunt. Vt denotetur, quod nõ sunt vnũ sicut personę diuinę, sed in vnũ, ideſt adunata. Videatur dist. 12. q. 1. & dist. 25. q. 3. & textus.

4. cõcl. 31 Quart. cõcl. *Spiritus Sãctus est verus Deus, & consubstãtialis Patri, & Filio.* Hæc manet probata à Mag. in præsenti dist. pluribus scripturæ testimonijs. Contra quã extat Hæresis Macedonij: concedentis quidẽ Filiũ similẽ esse in Patris substantia, at Spiritus Sancti diuinitatẽ negãtis: asserebat enim, eum famulũ, & ministrum Dei esse.

32 Nostra tamen cõclusio de fide est, diffinita in Cõcilio Cõstantin. cui Nazianz. adfuit à Dama. Pap. confirmato. Prob. 1. Habere tẽplũ solius Dei est: sed 1. Cor. 6. dicitur: *Quia membra vestra tẽplum sunt Spiritus Sãcti:* Erg. 2. Spiritus Sanctus est ipsa beatitudo. Dicitur enim 1. Pet. 1. *Spiritus Sancti missus de cœlo, in quẽ desiderant Angeli prospicere:* Sed ille in quẽ desiderãt Angeli prospicere, est eorũ beatitudo, & finis vltimus, qui Deus est: Erg. Spiritus Sanctus est Deus.

33 Prob. 3. Peccatum contra Spiritum Sanctũ, est peccatum contra Deum: Erg. Spiritus Sanctus est Deus. Antec. prob. ex Hæb. 10. *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filiũ Dei conculcauerit, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit:* vbi contumelia, quæ fit Spiritui Sancto, dicitur quod est iniuria Filio Dei, & Matth. 12. *Quicũq; dixerit verbũ contra Filiũ hominis, remittetur ei: qui autẽ dixerit contra Spiritũ Sanctũ, non remittetur ei, &c.* Si igitur grauius peccat. Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

34 Arg. 1. Spiritus Sanctus est creatus: Erg. nõ est Deus. Ant. prob. ex Amos 4. *Ego firmans tonitru, & creans Spiritũ.* R. ex Basilio lib. 3. cõtra Eunomiũ; ex Hieron. Theod. Rup. supr. illũ locũ: nõ sumi pro Spiritu Sancto, sed prouento, qui etiam Spiritus appellatur, vt Exod. 15. Psal. 106. & 148.

35 Arg. 2. Spiritus Sanctus procedit ad extra, quod proprijũ est creaturarũ: Erg. nõ est

pus bonum, & spiritum creatum melius: in quo tamen bonitas non est à se ipso: Erg. oportet esse aliquid optimum, à quo sit bonitas in vtroque.

§. 5. *Quartus modus, vel ratio.*

9 *Intellexerunt, &c.* Diuiditur in duas partes. In prima ponit, quartam, & vltimam rationem probatiuam concl. In secunda proponit arg. contra suam concl. & soluit illud. Quarta igitur ratio sumitur per eminentiam in cognitione sic: In quibuscunque est inuenire mag, & minus speciosum, est inuenire aliquod speciositatis principium, per cuius propinquitatem aliud alio dicitur pulchrius: sed inuenimus corpora esse speciosa sensibili specie, species etiam intelligibiles speciosiores: Erg. oportet esse aliquod, à quo vtraque speciosa sint, cui spiritus creati magis appropinquant: & talis, Deus erit.

10 Contra conclusionem arguit sumendo argument. ex authorit. Apost. qua concl. probauit, sic: Apost. ait, per creaturas cognosci inuisibilia Dei, non ait: *inuisibile*, sed, *inuisibilia*: Ergo non cognoscitur Deus, quoad vnitatem, sed quoad pluralitatem. Rom. 1.

11 Respondet Magist. cognosci Deum vnum in se, sed per multos creaturarum conceptus, quia non possunt vnico conceptu omnes diuinas perfectiones cognoscere. Vnde licet Deus vna sit, & simplex essentia, quæ ex nulla aduersitate partium, vel accidentium constitit, tamen pluraliter dicit Apostol. *inuisibilia*, quia pluribus modis, & pluribus conceptibus nostris cognoscitur, per ea quæ facta sunt veritas Dei, quæ in se vnica est. Ex pulchritudine namque creaturarum intelligitur conditor æternus: ex magnitudine creaturarum, omnipotens: ex ordine, & dispositione sapiens: ex gubernatione bonus: Hæc autem omnia ad vnitatem deitatis pertinere demonstrandam; & ideò licet plura attributa per rationem nostram

PHENAO
D
MISAE SACRI

2.960